BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
22 F
3 K
LL = W = 32

[redacted]

METAPHYSICA
EMINENTISSIMI
CAIETANI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

METAPHYSICA

EMINENTISSIMI, ET REVERENDISSIMI

P. F. THOMÆ A VIO CAIETANI

Ordinis Præd. S. R. E. Card. S. Sixti

Ex eius Commentarijs, & Opuſculis fideliter extracta, & in vnum Tomum compilata

STVDIO, ET OPERE

P. F. THOMÆ MARIÆ GIOVI

PATRITII GENVENSIS,

Ord. Prædicatorum, nec non Prouinciæ vtriuſq; Lombardiæ Magiſtri, & Prioris Prouincialis.

EXCELSÆ MAIESTATI

Potentiſsimæ, ac Sapientiſsimæ

CHRISTINÆ

Suecorum Reginæ &c.

Ab eodem P. Magiſtro Gioui dicata.

Bibliotheca S. Pudentianae de Urbe

BONONIÆ, M.DC.LXXXVIII.

Typis Ioſephi Longi. *Superiorum permiſſu.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

CHRISTINÆ SVECORVM REGINÆ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVod opus hoc Litterarium exiguum ingenij, & obſequij mei argumentum maieſtati tuæ nuncuparem, diù animo volutaui, id enim ex vna parte ſuadebat prolixa illa Maieſtati tuæ humanitas, qua cunctos mortales complecteris; ex altera deterrebat Maieſtas, neque prodigioſum

Digitized by Google

ingenium tuum ſplendidiſsima Scientiarum omnium cognitione coruſcans prorſùs ab inſtituto reuocabat. Vicit tandem in Regiam Clementiam tuam, concepta fiducia ratuſq; Deum immortalem è ruſticis manibus oblata munera non contemnere, ſpem extuli meam, vt tu, quæ, & genere, & virtutibus tam proxima es diuinitati qualecumq; hoc munus licet amplitudini tuæ impar minimè tamèn auerſeris. Quamobrem hæc hypothemata in Subtiliſsimum Cardinalem Caietanum pro viribus elucubrata meis, ſub Regij tui Nominis auſpicio auſus ſum euulgare.

re.

re. Non me latet in hoc opere perpetrando, quod à multis in Iudicium vocabor incurioſa nimirum Lectione nil aliud me preſtitiſſe, quam vt Regium animum inutili prorſus abſtractione defatigarem Verum enim verò det mihi veniam Maieſtas tua, vt ignauiſsimos hos homines carpere, oſq; eis obtundere liceat; quaſi verò altiſſimas ſpeculationes, & ſubtiliſsima commenta animus ille tuus é cęlo elapſus ignoret, qui multiplici via profundas Diuinarum Scientiarum ſemitas petit; qui etiàm altiora Theologicæ diſciplinæ Theoremata incredibili Diuinæ Mentis indaginæ

proſequitur. Sileat igitur quilibet blacterantis inuidię liuor; Altiſsimo enim Maieſtatis tuę nixus ſuffragio, quęcumq; Aduerſariorum proiecta tela non expaueſcam; Interim quod factum meum boni conſulas, Maieſtatem tuam humilitér deprecor; dum enim tenuem hanc meam oblationem non dedignaberis tunc (fauente te Numine) ad ſummam votorum meorum, omnibus perueniſſe videbor.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA

Ad Lectores Metaphyſicos.

R*Edeo ad vos, ingenioſiſſimi Thomiſticæ doctrinæ Candidati, quaſque in Abyſſu Caietæ*, Thomæ, *ſcilicet* Caietani, *veluti ſtagnantes Metaphyſicæ Scientiæ limphas ad ingeniorum veſtrorum irrigandas plantationes, hactenus pollicitus ſum, tandem exhibeo. Sanè, nec huius Abyſſus alueus, tam anguſtus eſt, vt ſolis naturalis Sophiæ torrentibus intumeſcat; Nec mentium veſtrarum agelli, tam exigui, vt eorundem exundationibus ſint contenti. Satis vtrique faciendum erat; vt nimirum ſibi debitis Abyſſus illa emiſſionibus frueretur; nec non concupitis, limpidioris doctrinæ irrigationibus terra veſtra fecundaretur. Vbi iam à quinque annis, ad illius vbertatem, Philoſophici cæli* cataractæ apertæ ſunt;*quidni tandem, ad eiuſdem fecunditatem, Metaphyſicales* diſrumperentur Abyſſi? *Exigebat hoc naturale meæ pondus neceſſitatis; ſiquidem* Promiſſio boni viri eſt obligatio: *Poſtulabat inſuper veſtra munus vtilitatis; Quid enim ſine Metaphyſica Phyſica? niſi ſine anima corpus abſque luce Sol; ſine intelligentijs motricibus, cæli; abſque limpharum irrigationibus tellus. Erumpunt igitur tandem profunda huius Abyſſus aquæ, quas irrequieta temporum, ac laborum viciſſitudo, differre potuit, auferre tamen non valuit. Erumpunt, inquam, non nouis qualitatibus exornatæ (fidus fidenter loquor.) Omnia enim* Thomas *loquitur, ſed illarum ad inſtar, quæ in prima Abyſſus reformatione* congregatæ ſunt aquæ quæ ſub cælo erant in locum vnum, *nono, & non niſi laborioſo artis opificio in vnum veluti totius ſcibilis Pelagum ſunt adunatæ. Vbi Cirus Perſarum Rex Babilonem obſeſſurus in triginta ſex aqua ductus vaſtiſſimum flumen, integra æſtate diuiſit; ſorte ego, vt arbitror meliori* Ca-

ieta-

Digitized by Google

ietani Abyſſus *aquas hinc inde diſperſas*, *Babilonem falſitatis expugnaturus, congregaui. Sic quo tempore demandatum mihi mea Prouinciæ gubernium, iter arripere cogit, vtriuſque Philoſophiæ* curſum conſumaui, *vobiſque olim promiſſam* fidem ſeruaui. *Vt mihi reddatur, quæ* in me repoſita eſt corona iuſtitiæ; omnes ſitientes *quoquot eſtis Metaphyſici adoleſcentes venite ad aquas. Hæc enim nulla alia profectò eſt, niſi vt qui biberint ex huius abyſſi aquis* non ſitiant amplius, *ſed illius dulcedine ità in hac peregrinatione alliciantur, vt ad illius amorem anhelent*, qui eſt Fons aquæ ſalientis in vitam æternam.

Digitized by Google

F A C V L T A S
REV.^MI PATRIS GENERALIS.

Nos Fr. Antoninus Cloche Sacræ Theologiæ Profeſſor, Totius Ordinis FF. Prædicatorum Humilis Mag. Generalis, & Seruus ſalutem.

HArum ſerie, & officij noſtri Auctoritate, viſa à nobis approbatione facta per RR. Patres in Theologia Magiſtros, Ordinis Noſtri, quibus commiſimus reuiſionem Operis cui titulus eſt Metaphyſica Eminentiſſimi D. D. Thomæ de Vio Caietani ab Adm. Reu. Patre Magiſtro Fr. Thoma Maria Giouio Prouinciali Prouinciæ Noſtræ vtriuſque Lombardiæ compoſitum, licentiam concedimus prædicto Reu. Adm. Patri, typis edendi prædictum opus, ſeruatis alijs de Iure ſeruandis. In quorum fidem, &c. Datum Romæ die 29. Maij 1688.

FR. ANTONINVS CLOCHE

Magiſter Ordinis.

Reg. fol. 63.

Fr. Paulus Bernardinius
Mag. & Socius.

AP-

Digitized by Google

APPROBATIO OPERIS.

IVſſu Reuerendiſſimi P. Antonini Cloche Vniuerſam Prædicatorum Familiam Generali Magiſterio moderantis, Clariſſimum Volumen, quo Metaphyſicales Quæſtiones ab Eminentiſſimo Thoma de Vio Caietano longè latèque diſſeminatas, acutiſſima nouitate, nec non harmonica Methodo mirificè congeſſit Reu. Adm. P. Fr. Thomas Maria Gioui Sacræ Theologiæ, ac Prouinciæ Magiſter, accurata æquè, ac delectata mente luſtraui: Cumque nullo, vel minuſculo apice; aut Catholici alicuius Dogmatis, aut Pontificij Decreti; aut honeſti moris nitorem in eo commaculari, deprehenderim: Vt communi ſtudioſorum pateat vtilitati & perpetuas tanto pariat Auctori laudes, digniſſimum prælo cenſui. Sauonæ in Cænobio S. Dominici die 8. Ianuarij 1688.

Fr. Petrus Maria Gauottus de Sauona Sac. Theol. Profeſſor
nec non Prouinciæ Magiſter.

ALIA APPROBATIO OPERIS.

DE mandato Reuerendiſſimi P. Fr. Antonini Cloche Magiſtri Generalis Ord. Prædicatorum vidi Metaphyſicam Eminentiſſimi Caietani ex eius Commentaris, & Opuſculis extractam, ſtudioſo labore A. R. P. Thomæ Mariæ Gioui Sac. Theol. ac Prouinciæ Magiſtri vtriuſque Lombardiæ, cumque in ea nihil Fidei repugnans inuenerim, quin immò Metaphyſicis Thomiſtis illam valdè vtilem fore comprehenderim, Typis digniſſimam cenſeo.

Fr. Hortenſius Ludouicus Cicala Ord. Præd.
Sac. Theol. ac Prou. Mag.

Viſis

Digitized by Google

Vidit D. Antonius Barruchius Cleric. Reguſ. Sancti Pauli, & in Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius, pro Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Domino, D. Ioſepho Muſotto Vicario Capitulari.

4. Aprilis 1688.

Admodum Reuerendus Pater D. Angelus Maria Rubini Clericus Regularis Teatinorum Domus Sancti Bartolomæi in Porta præſentes Metaphyſicales Lectiones maturè conſideret pro Sancto Officio, & referat.

Fr. Paulus Hyeronimus Giacconus Inquiſitor Bononiæ.

Iuſſu Reuerendiſſimi Patris Inquiſitoris Bononiæ vidi, & attentè perlegi Opus Adm. Reu. P. Fr. Thomæ Mariæ Gioui Sacræ Theologiæ Magiſtri, ac Prioris Prouincialis vtriuſque Lombardiæ Ordinis Prædicatorum Inſcriptum Metaphyſica Caietani; Et in eo nihil, niſi caſtigatè, rectè, atque vtiliter dictum, & laude dignum agnoui; quapropter omnibus atteſtor, quod olim ad Lætam Diuus Hyeronimus de Libris Sancti Hylarij ſcripſit, elaboratum Huius Celeberrimi Auctoris librum, ſine vlla erroris ſuſpicione legi poſſe, & inoffenſo pede decurri.

D. Angelus Maria Rubini Clericus Regularis.

Stante ſuprapoſita atteſtatione

IMPRIMATVR.

Fr. Paulus Hieronymus Giacconus Inquiſitor Bononiæ.

Si

Si celebra la Metafiſica dell' Eminentiſs. Gaetano ſtampata dal M.R.P.Maeſtro Tomaſo Maria Gioui, dopò la Stampa della Fiſica del ſudetto.

SONETTO.

Alluſiuo al cognome di Giouio.

GRandina in nembi d'oro il Dio de Numi
In ſeno delle Danai: e GIOVIO ancora
Pioue sù d'auree carte arguti fiumi
Queſti è GIOVE quà giù: quel de l'Aurora.

Quel verſa raggi, e l'vn d'inchioſtro lumi
Spande de GRIFFI à la Città ſignora,
Porge l'Arabo à quel odori, e fumi;
E queſti il Grido tributario adora.

Regge Gioue le sfere: ei d'Alme i Chori
Che ſon sfera del Ciel: quel regna in Cielo
GIOVIO ſe regna in terra, è vn Ciel de cuori.

De Numi il Rè veſtì di Toro il pelo:
E per Toro d'Aquin ognun t'onori
Mentre muggi d'Aquino al par nel zelo.

AL-

ALLO STESSO

Sul medemo Soggetto.

S' Allude al nome di TOMASO, che s' interpreta abiſſo.

SONETTO.

SE TOMASO fù abiſſo di ſapere
Tù ſei TOMASO, e ancor ſei vero abiſſo
Gl'arcani egli capì del Crocifiſſo,
Tù l'vno, e l'altro capì col penſiere.

Guida le sfere IDDIO: anco le sfere
Guidò TOMASO à tal Motore affiſſo,
Tù il SOL d'Aquin ſeguendo, ond'io m'ecclisſo
Errare non potrò Te condottiere.

Di Gaeta ed Aquino i due Tomaſi
A ſpiegare vn TOMASO ſol baſtaua
Gl'Abiſſi han ne l'abiſſo ſol gl'occaſi. *Pſal.* Abyſſus abyſſum inuocat.

A compir trè TOMASI vn ne mancaua,
Il terzo ſei tù GIOVIO. Oh eccelſi caſi
Perfetto il Trin da te ſolo ſi caua.

ME-

METAPHYSICA
CAIETANI
EX EIVS COMMENTARIIS,
ET OPVSCVLIS EXTRACTA.

Et per tractatus, ac Lectiones diſpoſita.

Lectoribus ſimulq; diſcipulis Metaphyſicis

Præcipuè Thomiſtis propoſita.

QVÆ.

Digitized by Google

QVÆSTIONIS PROÆMIALIS LECTIONES METAPHYSICALES

Ex Eminentiſſimo Caietano deſumptæ ex varijs locis.

LECTIO PRIMA.

Vtrùm ens in quantùm ens ſit obiectum formale adæquatum in tota Scientia Metaphyſica.

CAietanus pro declaratione Tituli huius primæ Quæſtionis Proæmialis duo ſupponit ex Doctrina D. Thomæ. Primum quo ad quid nominis ipſius Metaphyſicæ; Secundum quo ad quid nominis obiecti ſcientiæ Metaphyſicæ. Primo ait ex Sanctiſſimo Præceptore, propè finem in proæmio Metaphyſicæ, quod ipſa Metaphyſica tria nomina ſortitur: dicitur enim Scientia Diuina ſiuè Theologia in quantùm ſubſtantias ſeparatas conſiderat; deindè dicitur Metaphyſica in quantùm conſiderat ens, & ea, quæ conſequuntur ipſum; & tamdem dicitur prima Philoſophia in quantùm primas rerùm cauſas conſiderat. Et ideo Metaphyſica, ait in eodem Prologo, & lib. 4. Metaph. & alibi eſt nobiliſſima omnium ſcientiarum, & ſimul etiàm directiua, & aliæ ſcientiæ ordinantur ad Metaphyſicam ſicut in finem; & in lib. 2. Met. addit, quod eſt maximè ſpeculatiua, & proptèr ſe ipſam, & libera, & Diuina, & ſecundum ſe eſt prior alijs ſcientijs, è conuerſò verò quo ad nos, & omnes dependent ab ipſa, à qua capiunt ſua principia, ipſaq; diſputat contrà negantes illa, quia omnia alia principia ſingularum ſcientiarum fundantur ſuper prima principia, quæ proprijſſimè ſunt ipſius Metaphyſicæ.

Declaratur Titulus à Caiet. explicando iuxta doctrinam D. Th. illum terminum ſcilicet Metaphyſica.

Dicitur autem Metaphyſica ſpecialis ſcientia propter ſpecialem rationem entis; Communis dicitur pro vt impertitur perfectionem propter communitatem entis, alijs ſcientijs; & ſic nulla ſcientia tractat de aliquo particulari ente in quantùm eſt ens, nec de quidditate, vel definitione alicuius, quia vtrumque eſt proprium ipſius Metaphyſicæ: Particulares enim ſcientiæ conſiderant particularia accidentia particularium ſubſtantiarum: at Metaphyſica conſiderat omnia accidentia ſubſtantiæ, & de omni ſubſtantia ſecundum communem rationem ſubſtantiæ, vt docet D. Th. in lib. 3. 4. 6. & 11. Met. & ſic eſt maximè conſideratiua veritatis, & conſiderat eam ſimpliciter; aliæ verò ſcientiæ ſunt tantùm circa aliquod genus, ſeù partem

Metaphyſica cur dicatur, & ſpecialis, & communis ſcientia ex D. Th.

Digitized by Google

entis; & ordinatur ad cognitionem Dei, vt eſt vltimus finis, & ideò maximè conſiderat cauſam formalem, & finalem, & aliquo modo cauſam mouentem, & demonſtrat per cauſam efficientem, & finalem. Et licet Metaphyſicus, Dialecticus, & Sophiſta tractent de omnibus, quia ſunt circà ens in commun; Metaphyſicus tamen ad differentiam ipſius Logici conſiderat exiſtentiam rerum, Logicus verò conſiderat modum prædicandi. Et ideò Finis, Agens, & omne per quod reſpondetur ad quid, pertinet ad quidditatem ſecundum Logicum, non verò ſecundum Metaphyſicum, Sic D. Th. in tota ſua Metaphyſica vniformiter loquitur.

Et in 4. Met. l. p. propè finem, ait, quod Metaphyſica conſiderat ens ſimpliciter, & ea, quæ ſunt entis, procedens ex certis, & demonſtrabilibus, Logicus autem ex probabilibus. Et in 3. Met. l. 4. propè finem, & in lib. 11. ait quod Metaphyſica licet ſit de omni ente, maximè tractat de ſeparatis à materia, quia habent magis rationem entis, & in lib. 6. Met. lect. 1. addit, quod tractat de ſubſtantijs immaterialibus, in quantùm tales ſubſtantiæ ſunt, de ſenſibilibus verò vt ſunt ſubſtantiæ, vel vt ſunt entia tantùm, & hoc principaliter, quia ſunt prima, & principaliter entia, eſto conſideret etiam Accidentia; cum præcipuè dixerit D. Th. in prologo quod de ipſis ſeparatis à materia, ſcilicet de Deo, & Angelis non tractat vt de ſubiectis, ſed vt de principijs ſui ſubiecti tantùm. Hæc ſunt quæ ſupponit Caietanus, ex D. Th. circà primum in loc. cit.

Alia declaratio tituli facta à Caietano, ex D. Th. circà illum alium terminum, ſcilicet ly obiectum.

Circà ſecundum de obiecto, pro vt dat vnitatem, & ſpecificationem ipſi Metaphyſicæ ſupponit Caietanus ea quæ dixit in ſua Phyſica nuperrimè prælo mandata, in illa quæſtione proœmiali de Obiecto Phyſicæ, & de Vnitate Scientiæ Philoſophiæ ex p. poſt. c. 22. pag. mihi 500. & 501. vbi poſt illam famoſam diſtinctionem de ratione formali ſubiecti in eſſe rei, & in eſſe ſcibili, & de illa duplici ratione formali ſub qua, & quæ in eodem eſſe ſcibili, ſeù rei, vt res eſt, & eius vt obiectum eſt, vel ex parte obiecti, & ex parte potentiæ, habentur ibi multa de certitudine, & vnitate, & diuerſitate ſcientiarum ex parte obiecti, vt obiectum formale eſt, ſeù ex ratione formali ſub qua, & quod paſſiones ſubiecti fluunt ex ratione formali quæ: ibi enim videbunt, quod Caietanus docet multa meridiana luce clariora, quod licet ſcibile conuertatur cum illo genere puta ente, & genera ſubalterna ſcibilis cum quibuſdam generibus entis; ſpecies tamen ſpecialiſſimæ ſcibilis non condiuiduntur ſpeciebus entis, ſed in vna ſpecie alicuius ſcibilis multæ ſpecies, multa quandoque genera entis cadunt, vt patet in Metaphyſica, & Arithmetica, & ſic manifeſtatur, quod ſubiectum ſcientiæ, & in Metaphyſica, & in Geometria, & Arithmetica, & Phyſicis, habet rationem formalem diuiſibilem formaliter ſecundum ſe, indiuiſibilem verò in genere ſcibilis, & quod ideò Metaphyſica, & Mathematica, & Naturalis diſtinguuntur genere, quia rationes formales ſubiectorum earum in genere ſcibilis genere differunt.

Supponit etiàm ibidem Caietanus quod hinc accidit, quod partes illæ quæ extrahunt ſubiectum à proprio ſciendi modo, licet eius partes per ſe abſolutè ſint, eius tamen vt ſcibilis, partes per ſe non ſunt, ſed extraneæ; vnde propter maiorem amplitudinem ſubiecti ſecundum ſua principia, & tales partes, quæ vnitatem ſcibilis non egrediuntur, vna ſcientia communior altera dicitur, vt Metaphyſica Geometria, licet vtriuſque ſpecies athoma in genere ſcibilis ſubiectum ſit. Nota tamen, ait Caietanus, in eodem cap. 22. poſt. Concl. 2. quod non quælibet, ſed quædam principiorum, & rationum formalium diſtinctio, & quidam definitionis, & cognoſcibilitatis modi diſtinguunt ſcientias à priori, & poſteriori, quoniam eiuſdem ſcientiæ eſt, cognoſcere quia, & propter quid, & ſubiectum, & paſſiones, & diuerſa

Digitized by Google

ûerſa genera cauſarum, & diuerſorum rationes formales, vt patet in Metaphyſicâ, & Philoſophia. Non quæcumq; ergo, ſed illa tantum omnium iſtorum diſtinctio ſcientias diſtinguit, quæ conformis, vel proportionalis eſt propriè, & per ſe diſtinctioni ſcibilis, quod cum immaterialitate, & immobilitate conſtet, & differentiæ eius ſecundum immaterialitatis, & immobilitatis diuerſitatem ſint ſumendæ ſecundum Ariſtotelis doctrinam, vt toties dictum eſt, illa prædictorum diſtinctio diſtinguet ſcientias, quæ ſecundum acceſſum, & receſſum à materia, & motu fiet modo ſuperiùs declarato. Ità Caietanus loc. cit. qui ſupponens illa duo, & ex D. Th. circà nomen Metaphyſicæ; & ex propria doctrina in libris poſteriorum, in ſua Phyſica, & in libris de Anima ſupponens ſecundum ideſt declarationem iſtius termini puta obiecti, & in eſſe rei, & in eſſe ſcibilis; quærit an ens in quantùm ens ſit ſub eadem abſtractione, immaterialitate, & immobilitate vnum obiectum in Metaphyſica, & hoc formaliter, & ex recto, ſeù directè ſpecificans ipſam Metaphyſicæ ſcientiam &c.

Quo ad primum Caietanus notat in primo loco huius quæſtionis reſponſionem datam à D. Th. ad ſecundum in p. p. q. 1. quæ eſt huiuſmodi. Diuerſa ratio cognoſcibilis diuerſitatem ſcientiarum inducit. Eamdem enim Concluſionem demonſtrat Aſtrologus, & naturalis puta quod Terra ſit rotunda, ſed Aſtrologus per medium Mathematicum ideſt à materia abſtractum; naturalis autèm per medium circà materiam conſideratum. Vndè nihil prohibet de eiſdem rebus, de quibus Phyſicæ diſciplinæ tractant, ſecundum quod ſunt cognoſcibilia lumine naturalis rationis, & aliam ſcientiam tractare, ſecundum quod cognoſcitur lumine Diuinæ reuelationis. Vndè Theologia, quæ ad Sacram Doctrinam pertinet, differt ſecundum genus ab illa Theologia, quæ pars Phyſicæ ponitur. Ad hæc D. Th. Caietanus addit in Comment. quod licet ex iſta explicitè non habeatur niſi diuerſitas modi cognoſcendi, implicitè tamèn habetur etiam diuerſitas cognoſcibilium, quia diuerſitatem modi ſciendi diuerſitas obiecti formalis ſumpti, ſeù rationis formalis comitatur: compatiendo tamèn quandoque identitatem aliquo modo alicuius Concluſionis, ſi ipſi modo adæquata eſt ratio, aut ſaltèm comitatur diuerſitas multarum veritatum ſcibilium, ſi inadæquata eſt, vt in art. 3. q. p. docet S. Doctor. Vndè eædem res ſub diuerſis rationibus cognoſcendi acceptæ, diuerſitatem cognoſcibilium inducunt; & proptereà dicendo quod eſt diuerſa ratio cognoſcibilium inſinuauit implicitè varietatem quoque cognoſcibilium, quam in prima Concluſione Articuli S. Doctor expreſſerat. Et ad exemplum de Aſtrologia licet dici poſſet, quod exemplorum non requiritur aſſimilatio in omnibus: exemplum tamen ſequendo dicitur, quod ſicut Aſtrologia alio lumine, quam Phyſica in aliquam Concluſionem coincidit, & non in omnes; ſic Theologia alio lumine, & eaſdem veritates, quas aliæ ſcientiæ, & alias veritates de eiſdem rebus conſiderat. Et ſicquemadmodum Aſtrologia, quamuis coincidat quo ad materiam in aliquam Concluſionem Phyſicam, quia tamen alio lumine, & per conſequens alias veritates conſiderat eſt non ſolum diuerſa, ſed neceſſaria ſcientia; ſic & Theologia eſt ab alijs diuerſa, & neceſſaria. Ità Caiet. loc. cit.

Primum notabile Caietani quod diuerſitas obiecti formalis, ſeu rationis formalis comitatur diuerſitatem modi ſciendi.

Quæ *Doctrina* magis ab ipſo declaratur in cap. 22. poſt pag. mihi 506. 3. quod poſſib ile eſt vnius ſubiecti materialiter tamèn, & ſimiliter vnius paſſionis materialiter ideſt ſub diuerſis rationibus diuerſas eſſe ſcientias; & hæc Concluſio Terra eſt rotunda demonſtratur & à naturali, & ab Aſtrologo: ſed à naturali ly Terra in eo quod Terra conſideratur, & rotunditas vt terminus Corporis Phyſici; & proptereà terræ paſſione, ideſt grauitate, vt medio ad illam Concluſionem vtitur; ab Aſtro-

Explicatur eadem Doctrina à Caietano in primo notabili data in p. poſt. c. 22.

logo verò Terra non vt terra, ſed vt Corpus in tali ſitu luminibus oppoſitum conſideratur, & rotunditas vt ſic corporis interpoſiti, vel ſituati figura, vndè per vmbram luminarium rotunditatem terræ demonſtrat. Vniuerſalitèr igitur dicimus, quod non inconuenit ſcientias communicare ſecundum paſſiones materialiter, ſed formaliter eſt impoſſibile vt ex hoc exemplo poteſt conuinci etiam proterius; & de rotunditate patet, & in naturalibus, & in Mathematicis, & medijs ſcientijs; & ſimiliter ſecundũ ſubiecta, vt de quanto patet; ideò quandò dicitur, quod eadem Concluſio demonſtratur à diuerſis ſcientijs intelligendum eſt de eadem Concluſione materialiter, cuius oppoſitum nuſquam fuit dictum, & hoc modo multas Concluſiones probare contingit in naturalibus, quæ probantur à Metaphyſico, vt ſubſtantias immateriales eſſe &c. Ità Caiet. loc. cit. c. 22. poſt.

Secundum notabile Caietani, quomodò intellectus ſit circà omne ens.

Secundo adnotat Caietanus in p. p. q. 79. a. 2. §. ad ſolutionem horum hanc propoſitionem D. Th. ſcilicet intellectus eſt circà omne ens &c. & ait. Aduertè diligentèr ne fallaris à cognitione ad modum cognitionis declinans. Ad cognoſcere quippè omne ens, ſufficit cognoſcendo attingere omne ens, ità quod ad omne ens terminari poſſit cognitio illius; ad modum verò cognoſcendi ſpectat quod cognoſcat perfectè, vel imperfectè, per propriam ſpeciem, vel alienam, per cauſam, vel per effectum &c. Conſtat autèm quod omnis intellectus poteſt in omne ens, quamuis non perfectè, aut per proprias ſpecies. Vndè propoſitio S. Th. aſſumpta ſtat in hoc ſolida, quod quia intelligere eſt circà omne ens terminatiuè, oportet quodlibet intelligens eſſe omnia, aut actu puro, vt Deus Glorioſus; aut quodammodò actu, & quodammodò potentia, & hoc magnam habet latitudinem, vt Intelligentiæ; aut in potentia pura, & hoc eſt Anima hùmana, quæ eſt omnia non per omnium ſimilitudines, ſed per ſimilitudines naturalium rerum, quæ procul dubio ſunt ſimiles Deo, & intelligentijs, quamuis imperfectè. Et in modo intelligendi hoc ipſum ens naturale, datur latitudo, quæ diuerſificat, & vnit in intellectu ſcientias humanas, vt patet in tota Phyſica naturali. Vndè S. Doctor in q. 84. a. 7. in Reſp. ad 3. notatur à Caietano quod hoc idem habet ſcilicet, quod incorporea, quorum non ſunt Phantaſmata cognoſcũtur à nobis per comparationem ad corpora ſenſibilia quorum ſunt phantaſmata, ſicut veritatem intelligimus ex conſideratione rei, circà quam veritatem ſpeculamur. Deum autem vt D. Dyon. dicit cap. de Diuin. nom. cognoſcimus vt cauſam, & per exceſſum, & per remotionem. Alias etiam incorporeas ſubſtantias in ſtatu præſentis vitæ cognoſcere non poſſumus niſi per remotionem, vel per aliquam comparationem ad corporalia. Et ideò cum de huiuſmodi intelligimus neceſſe habemus conuerti ad phantaſmata corporum, licet ipſorum non ſint phantaſmata.

Et quia D. Th. ait Caietanus, in Arg. ſed contra p. p. q. 3. a. 6. dicit quod nihil prius eſt Deo nec ſecundum rem, nec ſecundum intellectum, & propriè non habet genus, oportet diſtinguere ly priùs ſecundum intellectum dupliciter; primò ex parte rei ſeù rationum formalium, vel quo ad nos; nulla ſiquidem res, aut ratio formalis ex parte ſui eſt prior Deo ſecundum intellectum, In cuius ſignum nullum prædicatum quodcumque datum, datur ſecundum ſe abſtractius ſimplicius priùs ipſo; quo ad nos verò prior eſt Sapientia, quàm Sapientia Diuina ſecundum intellectum, & propriè non conuertitur conſequentia quo ad nos. Et S. Doctor intendit primo modo, ſic enim genus eſt prius illo, quod in genere reponitur. Ità Caiet. loc. cit.

Notabile tertiũ Caiet. in quo ex-

Tertiò adnotat Caiet. vnam Doctrinam ex D. Th. in p. 2. q. 9. a. 2. quæ applicatur ad obiectum Metaphyſicæ, vt ens in ſua Communitate, quod ſcilicet diffe-

rentia

rentia eſt intèr obiectum potentiæ, & obiectum ſecundum ſe: qúod ly ſecundum ſe ſumitur à D. Th. vt diſtinguitur contrà per aliud non quomodolibet, ſed infrà latitudinem perſeitatis: ità quod ly ſecundum ſe ſumitur propter ſe primum, & opponitur ei quod eſt per ſe ſecundo ſicut dicimus quod habere Tactum conuenit Animali per ſe primò; homini verò per aliud ideſt per ſe ſecundò; quia propter Animal. Conſtat autèm quod per ſe ſecundò non egreditur latitudinem per ſe adæquati obiecti; vnde quia bonum in ſua communitate eſt obiectum potentiæ volitiuæ, & bonum eſt commune ad bonum per ſe primò ideſt finem puta honeſtum, vel delectabile, & ad bonum per ſe ſecundo ideſt ad id quod eſt ad finem, puta vtile obiectum ſimplicis actus huius potentiæ, infertur; quod eſt ſecundum ſe obiectum ideſt finis, qui ſolus amatur non propter aliud. Ità Caiet. loc. cit.

plicatur differētia intèr obiectum potentiæ, & inter obiectum ſecundū ſe.

E circà obiecti motionem notat doctrinam D. Th. in p. 2. q. 9. art. 1. in qua quandò dicitur quod obiectū mouet determinando actum ad modū principij formalis &c. intelligendus eſt, ait Caietanus de motione in genere cauſæ formalis alioquin nihil ibi concluderet. Non tamèn dixit abſolutè, quod mouet vt principium formale, vt inſinuaret, quod non eſt principium formale intrinſecum, ſed extrinſecum, non tamen ſeparatum, vt Idæa Platonis, ſed coniunctum. Calor enim non ſolùm eſt principium formale calefaciendi, ſed etiàm calefactionis quodammodò (dico autem quodammodò) quia calor inquantùm eſt principium elicitiuum calefactionis, eſt eius principium in genere cauſæ efficientis; inquantùm verò eſt principium determinatiuum illius ad ſpeciem, eſt principium eius in genere cauſæ formalis extrinſecæ coniunctæ tamèn. Et aliud eſt loqui de motione talis obiecti, & de motione obiecti abſolutè, tale obiectum mouet finaliter, & tale effectiuè, vt S. Doctor docet cum Ariſtotele. Numquàm tamèn concedendum eſt, quod motio conueniens obiecto abſolutè ſit effectiua, aut finalis, ſed formalis quamuis extrinſecè: obiectum enim eſt veluti extrinſeca forma actus; vndè S. Doctor cum poſuiſſet, quod determinatio actus ad hoc vel illud ſe tenet ex parte obiecti; naturam obiecti non vt tale, vel tale eſt, ſed abſolutè vt obiectum eſt contemplatus in ordine ad determinationem actus, vidit, quod non determinabat actum vt efficiens, nec vt finis: quia nihil horum omni obiecto determinanti actum conuenit, ſed ad genus eſſentiæ formalis recurrendum eſſet, hoc enim omni verè obiecto conuenit, & per ſe conuenit illi; dixi verè obiecto propter multorum loquendi vſum terminos obiecta ſecundaria vocantium: hæc enim non mouent, quia verè obiecta non ſunt, ſed termini potiùs operationum, ſicut natura Leonis terminus eſt intellectionis Diuinæ. Ità Caiet. loc. cit.

Quænam ſit motio obiecti explicatur à Caiet.

Quo ad ſecundum Caietanus circà obiectum Metaphyſicæ nil controuerſiæ habet cum Scoto: in hoc tantùm diſcordans à Scoto, quod Caietanus extendit illud ad entia rationis, & entia per accidens, vt tamèn indirectè, & non directè comprehenduntur ſub ſuo obiecto, quatenus habent aliqualem proportionalitatem imperfectam cum ente reali. Et in p. poſt. c. 22. pag. mihi 501. incidentèr ibi habet, quod de eſſentijs ſubſtantiarum non poteſt haberi ſcientia demonſtratiua, quidquid ſit poſteà de facultate intellectus noſtri, cùm hoc determinandum ſit in 9. Met. vndè illuc vſq; differatur: ſed morte preuentus nec Phyſicam, nec Metaphyſicam hic, & alibi promiſſam, nos qui ſumus in hac poſteritate videre potuimus.

Opinio propria Caiet. in quo concordet cum Scoto, & in quo diſcordet.

Et in primo de Anima c. 1. §. Ad cuius euidentiam &c. Caietanus habet, quod Metaphyſicus quamdam excellentiam obtinet circà principiorum cognitionem, vt patet in 4. Met. & hoc non obſtat dicto Auerrois, qui dicit quod ſcientia de Anima adiuuat alias, ex hoc quod facit acquirere cognitionem cauſarum primarum propoſitio-

Quomodo ſcientia Met & ſcientia de Anima adiuuent alias ſcien-

Digitized by Google

tias, & quænam ex his duabus ſit certior.

ſitionum, cum hoc ſit proprium Metaphyſicæ, quia primæ propoſitiones ſecundum ſua ſignificata dupliciter ſumi poſſunt primo modo in ſe ipſis, & ſic ſunt indemonſtrabilia, & carent cauſis; alio modo in ſuo aſſenſu, & ſic habent cauſas notificatas in ſcientia de Anima: Cauſa enim quod aſſentiatur primis principijs eſt efficacia luminis intellectus agentis: in hoc enim differunt primæ propoſitiones à poſterioribus, quod poſteriores ad aſſentiendum ſibi, nos non cogunt niſi medio termino, adiuncto lumine intellectuali ſulgente; primæ autem ſolo intellectus lumine nos conuincunt, & hæc eſt mens Auerrois. In hoc enim cæteræ ſcientiæ primarum propoſitionum eſſe tantùm cognoſcunt, quia illis aſſentiunt, illas ſupponunt, & ſuper illas omnem ſuarum propoſitionum firmitatem fundant. Hæc autem ſcientia de Anima non ſolùm accipiendo ſic eſſe illis aſſentit, ſed etiàm cognoſcit, & declarat cauſam propter quam ab omnibus acceptantur; & ex hoc ſequitur alia differentia, quod principiorum cognitio in hac eſt firmior, quàm in alijs: Cauſa enim aſſenſus notificata ipſi aſſentienti, firmiorem reddit, quam occulta. Cæterum ſcientia Metaphyſicæ, quamdam vt diximus excellentiam obtinet circà principiorum cognitionem, quia eſt alterius ordinis, quia ex parte terminorum ſe tenet, vt habetur in 4. Met. Ità Caiet. loc. cit.

Opinio Caietani circà ens rationis, quod ſcilicet cadit ſub obiecto Metaphyſicæ nõ directè, & ex æquo, ſed ex obliquo, & indirectè.

Et extendendo Caietanus obiectum Metaphyſicæ in ſua amplitudine ad ens rationis indirectè tamèn, & non ex æquo, non eſt contrarius D. Th. qui in lib. 11. Met. lect. 7. ſtatuit ſubiectum Metaphyſicæ ipſum ens in quantùm huiuſmodi; & in 5. Met. dicit ſubſtantiam eſſe ſubiectum Met. & in libro ſuper Boetium de Trin. dicit quod aliæ ſcientiæ non ſunt partes Metaphyſicæ, nec ſubſtantia earum ſunt partes propriè eius obiecti, licet ſint partes entis; oppoſitum tamen ait D. Th. in 4. Met. lect. 12. & 5. & lib. 11. Met. l. 4. ſcilicet quod ſint partes Metaphyſicæ, quia hoc vltimum Beatus Petrus Bergomenſis in ſua Tabula aurea dub. 890. & 891. gloſat quod ibi loquitur impropriè per applicationem ad materiam extraneam, vt carbo, & flamma dicuntur eſſe ſpecies ignis propter applicationem naturæ ignis ad materiam alienam; ſimili modo loquendo aſſignantur ſpecies Mathematicę Aſtrologia, & Perſpectiua in quantùm principia Mathematica applicantur ad materiam naturalem. Idem notat Caietanus in p. 2. q. 35. art. 8. in citat. vbi dicit quod prima Auctoritas ex lib. 11. Met. intelligitur de ſubiecto vt communitèr conſiderato in tota ſcientia; & alia ex 5. Met. intelligitur de ſubiecto, vt principaliter intento, quia ſubſtantia eſt principaliter ens. Et tamdèm vltima ſuper Boetium de Trin. intelligitur, & loquitur de ſpeciebus ſeù partibus propriè dictis quæ conſtituuntur per differentias per ſe. Opinio igitur Caiet. eſt ipſiſſima SS. Præcept.

Concluſio Caiet. cum probatione ſuæ primæ partis quod ſcilicet ens in quãtum ens reale in tota ſua amplitudine ſit obiectum formale in Metaphyſica.

Quo ad tertium Caietanus ponit in ſuis Commentarijs, & alibi hanc Concluſionem. Obiectum adæquatum Metaphyſicæ, & formale in tota ſua amplitudine, & directè eſt ens in quantùm ens reale: entia rationis verò non niſi indirectè, quatenus habent aliqualem proportionalitatem imperfectà cùm ente reali.

Probatur à Cietano prima pars ſub tali forma in p. p. q. 1. art. 7. & alibi. Obiectum alicuius potentiæ, vel habitus eſt illud ſub cuius ratione omnia referuntur ad potentiam, vel habitum: ergo ſubiectum ſcientiæ eſt ſub cuius ratione omnia conſiderantur in ſcientia: ergo ſubiectum Metaphyſicæ erit primum ens, & ens in quantùm ens reale directè, & formaliter, & adæquatè. Antecedens manifeſtatur à Caietano ex D. Th. loc. cit. p. p. in obiecto viſus; v. g. homo, & lapis referuntur ad viſum in quantùm ſunt colorata, hinc ſequitur quod coloratum eſt proprium obiectum viſus. Prima conſequentia probatur. Subiectum, ad ſcientiam ſe habet ſicut obiectum ad potentiam, vel ad habitum, ſi ergo obiectum alicuius potentiæ,

vel

vel habitus eſt ſub cuius ratione omnia referuntur ad potentiam, vel habitum, igitur ſubiectum ſcientiæ erit illud ſub cuius ratione omnia conſiderantur in ſcientia; hinc ſecunda conſequentia deducitur, & probatur. In ſcientia Metaphyſicæ omnia conſiderantur ſub ratione entis communiſſimi pro vt comprehendit finitum, & infinitum (& in hoc concordat Scotus cum Caietano) cauſam, & cauſatum, neceſſarium, & contingens; materiale, & immateriale; Deum, & Creaturas; ſubſtantiam, & accidens, & hoc ſub vnica abſtractione à materia ſecundum eſſe, & ſecundum rationem; & de iſto ente reali ſic latiſſimè ſumpto, cui primo conueniunt paſſiones, ſcilicet Vnum, Verum, & Bonum &c. in tota Metaphyſica demonſtrantur, clara igitur eſt conſequentia quod ſi ſubiectum ſcientiæ eſt ſub cuius ratione omnia conſiderantur in ſcientia, vtique ens reale in tota ſua latitudine ampliſſima cum conſideretur in Metaphyſica, quia omnia quæ conſiderantur in Metaphyſica vel ſunt ens per ſe, vel in alio; ſubſtantia, vel accidens; materiale, vel immateriale, erit obiectum formale, adæquatum directè, & per ſe ipſius Metaphyſicæ.Ità Caietanus.

Secunda pars Concluſionis eiuſdem Caiet. cum ſua probatione quod ſcilicet ens rationis cadit ſub obiecto formali indirectè &c.

Probatur ſecunda pars à Caietano multis in locis ſub tali forma. Entia rationis non cognoſcuntur niſi ad hoc vt deſeruiant cognitioni entis reali, & vt habent proportionalitatem adhuc imperfectam cum ente reali: ergo non debent per ſe, & directè conſiderari à ſcientia, quæ per ſe, & directè conſiderat ens reale ſub ſua propria abſtractione, ſed ſi conſiderantur, hoc non erit non niſi cum illa proportionalitate quam imperfectè habent cum ente reali: ſed hoc non eſt cognoſcere niſi indirectè, & ex obliquo: ergo vera ſecunda pars Concluſionis. Antecedens patet de ſe; quia ideò datur ſcientia logicalis quæ tractat de ente rationis prout deſeruit cognitioni entis realis, vt ibi dicitur; prima conſequentia deducitur immediatè ex antecedenti. Minor ſubſumpta eſt ita decantata in tota Phyſica, ait Caietanus vt non egeat hoc in loco vlla probatione. Imò eſto Deus abſtrahat à materia particulari, ſub qua abſtrahit Phyſica; & abſtrahat à materia ſenſibili ſub qua abſtrahit Mathematica, non tamen poteſt dici obiectum, ſed pars ſubiectiua obiecti Phyſicæ, & Mathematicæ, benè tamèn obiecti Metaphyſicæ, quia abſtrahit Metaphyſica nedum poſitiuè ab omni materia in particulari, & ſenſibili in communi, ſed etiam ab omni materia intelligibili, & Deus nec materiam ſenſibilem, nec intelligibilem includit: imò ab omni prorſus materia abſtrahit, & ideò directè, & per ſe formaliter Deus includitur ſub perfectiſſima abſtractione Metaphyſicali in qua eſt ſuum obiectum. Quod non poteſt dici de ente rationis, quod eſt obiectum Logicæ cadens ſub abſtractione ab omni materia non poſitiuè, ſed negatiuè, & ideo non poteſt conſiderari directè, & formaliter &c. Sed ſi conſideratur, hoc erit ex obliquo, & non ex recto. Ità Caiet. &c.

Arg. 1. Caiet. contrà primam partem ſuæ Concluſionis,

Quoad 4. Arguit Caietanus 1 p. p. q. 1. art. 7. §. circà probationem &c. contrà illam propoſitionem aſſumptam in probatione primæ conſequentiæ primæ partis ſicuti ſe habet obiectum ad potentiam &c. Hæc propoſitio non currit quo ad omnia, ergo probatio non tenet. Probat antecedens Caietanus ſic. Non tenet quo ad communitatem, vt ſicut obiectum formale potentiæ eſt aliquid commune omnibus per ſe obiectis illius potentiæ, ità ſubiectum ſcientiæ debeat eſſe aliquid commune omibus per ſe ſubiectis. Probatur hoc: ponitur enim primũ ens, vt pars ſubiectiua principalis huius ſcientiæ Metaphyſicæ, & tamèn non eſt aliquid commune, quia Deus, vt Deus qui eſt primum ens conſtat vt ſic eſſe quoddam ſingulare. Et inſuper S. Th. in prologo ſent. dicit, quod ſubiectum ſcientiæ debet habere hanc conditionem, ſcilicet quod ſit commune per prædicationem, ergo &c.

Reſp. 1. Caiet. ad

Reſp. primo Caietanus opus non eſſe quod currat quo ad omnia, ſed ſatis eſſe pro-

Digitized by Google

Arg cõtrà primam partem Concluſionis.

propoſito, quod teneat quo ad proportionem rationis formalis, ità quod ſicùt ratiò formalis obiecti potentiæ eſt cauſa cur omnia referuntur ad illam potentiam, ità ratio formalis ſubiecti ſcientiæ eſt illa, ratione cuius omnia conſiderantur in illa ſcientia. Ad probationem antecedentis, Reſp. Caietanus, quod illa conditio de communitate prædicationis eſt vera ſecundum communitèr accidentia, & non neceſſariò: videmus enim communitèr in ſubiectis communitèr aſſignatis ipſis ſcientijs à Doctoribus, illam conditionem inueniri, non tamen oppottet, vt patet in Scientia de Sano ex 4. Met.

Reſp. 2. Caiet.

2. Reſp. Caietanus quod poteſt quoq; ſaluari illa conditio in omni ſubiecto non in recto neceſſario, ſed in recto, vel in obliquo. Sic enim etiàm Deus de omnibus Theologalibus prædicatur qui ponitur ſubiectum Theologiæ reuelatæ, quia ſunt aut Deus, aut Dei, aut ad Deum, aut à Deo &c. Prima tamen Reſp. ait Caietanus eſt ad litteram. Ità Caiet. loc. cit.

Arg. 2. Caiet. contrà idem.

Arguit 2. Caietanus ibidem loc. cit. Si omnia conſiderantur ſub ratione entis in quantùm ens in ſcientia Metaphyſicæ opporteret quod omnia cognoſcibilia de ente, ſub ratione entis ſimpliciter caderent in hac ſcientia: ſed hoc eſt impoſſibile ergo &c. probatur quia infinitæ veritates caderent ſub Metaphyſica quia per rationem entis omnia cognoſcibilia ſunt, & infinita, vt patet in ſcientia quam habet Deus vt primum ens de ſe ipſo per eſſentiam ſuam.

Reſp. Caiet. ad Arg. 2.

Reſp. Caietanus iuxtà doctrinam traditam à ſe, qua eneruantur omnes obiectiones, quas congerunt in volumen Moderni, ſcilicet negando ſequelam, quia in antecedente illius conditionalis non fit mentio de ratione formali ſub qua, cùm tamen ex illa pendeat adæquatio vel limitatio cognoſcibilium de ſubiecto formali per rationem formalem illius vt res eſt. Deus enim vt primum ens, & ens vt ens reale, & ſi ex ratione entitatis realis ſit infinitè cognoſcibile, tamen ens vt ens ſub participato lumine naturali noſtro, eſt cognoſcibile infrà certum limitem abſtractionis à materia ſecundum eſſe, & ſecundum rationem pro noſtro modo intelligendi hic nobis in via naturaliter dato, & poſſibili. Et ideò ad verificandam illam conditionalem opportet addere ſi primum ens, & ens in quantùm ens per eſſentiam ſub lumine, ſibi adæquato, eſſet ſubiectum ſcientiæ alicuius, illa vtique ſcientia, & illud primum ens noſſet omnia &c. Sed tunc patet falſitas ſubſumendæ propoſitionis, quia ſola lux Diuina in ſe ipſa eſt tale lumen; noſtræ autèm Metaphyſicæ ens primum & ens in quantùm ens quidem reale, ſed ſub lumine diminuto ſubiectum eſt; & ideò iuxtà facultatem luminis eſt extenſio ſcientiæ; non eſt ergo ſecundum extenſionem rationis formalis vt res eſt abſolutè, ſed vt ſtantis ſub ratione formali obiecti, vt obiectum eſt, eſt menſuranda ſcientia. Ità Caietanus qui ſemper vniformiter loquitur ſecundum doctrinam datam de obiectis ſcientiarum cum D. Th. vt vidimus ſuprà in ſuis Adnotationibus &c.

Arg. 3. Caiet. contrà idem.

Arguit 3. Caietanus contrà primam partem Concluſionis. Si Metaphyſica haberet pro ſuo obiecto ſpecificatiuo primum ens, & ens in quantùm ens reale, æquè ſe extenderet, ac intellectus vt eſt potentia: ergo ex æquo ſe haberet intellectus, & habitus: ſed hoc non eſt admittendum ergo &c. Probatur ſequela quia intellectus non poteſt in plus ſe extendere, quàm in ens in ſua vniuerſaliſſima ratione ſumptum, cum ens ſic conſideratũ ambiat omnia entia realia. Minor probatur, quia habitus comparatur ad potentiam veluti cauſa particularis ad cauſam vniuerſalem, quia ſicut cauſæ particulares determinant vniuerſalem ad aliquem effectum partialem: ità & habitus potentiam ad aliquod obiectum partiale contentum ſub obiecto vniuerſali potentiæ ſpecificatiuo; Datur enim habitus ad

ſa-

facilitandam potentiam, vt melius, & facilius, & promptius cognoſcat ſuum illud obiectum partiale, ad quod determinatur, vel circà quod verſatur.

Reſp. Caiet. ad 3. Arg.

Reſp. Caietanus in 1. poſt. c. 22. & alibi, quod æquè non ſe extenderent in tali caſu potentia, vel intellectus Metaphyſicus, ac potentia intellectiua vt ſic: quia iſta habet pro obiecto ſpecificatiuo ens concretum quidditati ſenſibili, & eſt primo cognitum præciſa quacunque abſtractione, imò ſic conſideratur ſub quacumque abſtractione, & vt deſcendit ad omnia entia, ſub quacumque conſideratione, & ſic eſt obiectum ſpecificum intellectus. At ens creatum, & increatum, finitum, & infinitum &c. pro vt eſt obiectum Met. demonſtrando paſſiones, & proprietates illius entis vt ſic, non poteſt dici, quod intellectus Met. æquè ſe extendat ac intellectus, vt eſt abſolutè potentia. Ità Caiet.

Arg. 4. contra 2. partem Concl. de ente rationis.

Arguitur 4. circa 2. partem Concluſionis. Si Met. haberet pro obiecto etiàm ens rationis non eſſet nobilior alijs ſcientijs, quia nobilius eſt obiectum vndequaque reale, & obiectum eſt illud quod dat nobilitatem, & ſuperioritatem ſuper alias ſcientias. Inſuper ens rationis non poteſt ſpecificare ſcientiam nobiliſſimam, quæ eſt Met. ſpecificat vtique ipſam Logicam, quæ eſt infima; ſicuti ens creatum non poteſt ſpecificare ſcientiam Diuinam: ergo ad Met. non ſpectat agere de ente rationis.

Reſp. Caiet. ad 4. Argum.

Reſp. Caiet. quod obiectiones non ſunt circa ſecundam partem concluſionis, quæ eſt D. Th. eſſent vtique ſi ſecunda pars concluſionis poneret quod ex æquo, & directè Met. tractaret de ente rationis. Et ideo &c.

Inſtantia Caiet. cum Reſp. ſua quod ſcientia Metaphyſica ſit nobiliſſima, & non ſcientia de Anima.

Inſtat Caiet. contra id quod dicitur quod ſcientia Met. eſt nobiliſſima omnium. Scientia de Anima eſt nobilior quacunque ſcientia, ergo &c. Probatur antec. quia ſcientia de Anima eſt de viuere, & intelligere, &c.

Reſp. Caietanus in primo de Anima pag. mihi 9. negando antecedens ad prob. dicitur quod eſto ſcientia de Anima ſit de viuere, & intelligere &c. Met. tamèn eſt formaliter de eſſe quod eſt nobiliſſimum omnium. Vndè Nicolaus Peripateticus cit. à Caiet. ibi dicit in 12. Me. comm. 44. quod ſcientia primi entis eſt de eſſe quod reſpicit prima Phyſica. Inſuper etiam ex parte ſubiecti eſt nobilior Met. ſubiectum enim principale ſcilicet genus ſubſtantiarum ſeparatarum, eſt longè nobilius Anima; tùm etiàm quia ſi perfectiones omnes formaliter, & præcisè conſiderentur ſcilicet eſſe, viuere intelligere &c. vt S. Thom. docet in p. q. 4. art. 9. iàm Met. eſt perfectiſſima omnium, & comparatur ad omnes vt actus ad potentiam. Ità Caiet. in primo de Anima loc. cit.

Vlt. Argum. contra opinionē Caietani de ente in quantum ens.

Arguunt aliqui contra opinionem Caietani, & primo contra primam partem Concluſionis ſic. Metaphyſica non conſiderat paſſiones entis, niſi vt diuiditur in decem Prædicamenta, ſimiliter nec ipſum ens, cuius ſignum eſt quod Philoſophus in 5. lib. diuid itens quod poluerat in 4. lib. ſubiectum Met. in 10. Prædicamenta.

Obiect. contra ſecunda partem Concluſionis Caietani.

Contrà verò 2. partem Concluſionis de ente rationis, arguunt ex oppoſito alij Thomiſtæ ſic. Si ens commune Deo, & creaturis eſt ſubiectum in hac ſcientia, pari ratione ens commune Enti reali, & enti rationis erit ſubiectum, probatur, quia vtrumque ſub ente vt ens eſt continetur: ſed hoc eſt falſum: Probat. hoc, quia Logica tantùm conſiderat de ente rationis cùm ſit ſubiectum in ea, & inſuper Ariſt. excludit ipſum à ſubiecto Met. in lib. 6. Met.

Reſp. Caiet. ad Argum. Flandria contra 1. partem Concluſionis.

Reſp. Caietanus ad Argum. contra 1. partem cum Iauello in ſua Met. quod ſcilicet hæc obiectio rudis eſt, quia Philoſophus in lib. 4. Met. tex. 1. dixit, quod eſt quædam ſcientia, quæ ſpeculatur ens in quantùm ens; & quæ huic inſunt ſecundum ſe: exemplificans autem in tex. 3. de his quæ inſunt per ſe enti, nominat

Digitized by Google

vnum, & infrà nominat ſpecies vnius, & dicit quod ad eamdem ſcientiam pertinet conſiderare de ente, & vno: ſed vnum, & alia tranſcendentia non conſequuntur per ſe (ſumendo ly per ſe conuertibiliter) & prædicamentale, imò ens reale: Aliquod enim eſt ens, & Vnum, ens Bonum, & Verum, quod tamèn non eſt in prædicamento puta primum Ens ideſt prima Cauſa. Falſum eſt etiàm, quod Phil. in 5. lib. cap. de ente diuidat Ens ſolum in decem prædicamenta, quoniam in eodem cap. diuidit ipſum per potentiam, & actum, & conſtat quod vtramque diuiſionem proſequitur, eam quidem, quæ eſt in decem prædicamenta in lib. 7. & 8. reliquam autem in lib. 9. & quando ait Ariſt. quod principia entis ſunt Actus, & Potentia, quæ excluditur à primo ente tùnc intelligitur ſub diſiunctione, & non copulatiuè ſcilicet ens, cui competit obiectum Met. habet pro principijs intrinſecè conſtitutiuis, vel actum, vel potentiam, non autem quod ſemper vtrumque debeat ſimul cuilibet ex obiectis partialibus Met. conuenire, eſto ſit verum, quod aliquandò vtrumque vni, & eidem enti Metaphyſicali conueniat.

Reſp. Caiet. ad obiectionem Flandriæ contra 2. partem Concluſionis.

Ad illam verò obiectionem de ente rationis non eſt ad propoſitum, ait Caietanus, quia ens rationis non ponit, in numerum cùm obiecto Met. directè, & ex æquo, quod diximus eſſe ſolùm primum ens, & ens reale in ſua amplitudine proprium, & adæquatum obiectum Met. quæ eſt ſcientia realiſſima. Ità Caietanus in locis citatis.

Appendices pro prima Lectione Proæmiali;

OPinio Caietani tanquàm ſecurior, & probabilior de Mente D. Th. approbatur in eorum libris Metaphyſicalibus tàm ab antiquioribus, quàm à modernis Thomiſtis. Iauellus celeberrimus inter Thomiſtas Philoſophus, & coætaneus Caietano acerrimè defendit ipſum contrà Flandriam, & Arauium, qui tenent obiectum Metaph. de mente D. Thom. eſſe ipſum ens reale diuiſum dumtaxat in decem Prædicamenta; eſt etiàm contrà Alpharabium, qui tenuit eſſe Deum ſimul cum ſubſtantijs ſeparatis, & contrà quoſcumque qui tenent eſſe ens in tota ſua latitudine ſumptum, ex æquo comprehendens ſub ſe & ens reale, & ens rationis. Et tandèm Iauellus in ſua illa prima quæſt. proæmiali defendit eſſe falſo attributum Commentatori Ariſt. quod ipſe tenuerit ens non eſſe ſubiectum, ſed genus ſubſtantiarum ſeparatarum contrà ipſum Auicennam. Legantur Iauellus in hac re quia nil clariùs locutus eſt intèr Thomiſtas, & Ioannes Martinez de Prado ex modernis in prima parte ſuæ Met. Eiuſdem opinionis Caietani ſunt Ægidius, Alenſis, Scotus, & alij quam plures ex Antiquioribus. Ex Patribus Soc. Ieſu eſt Suarez, &c.

Et in indaganda Mente D. Th. aduertant Iuniores Thomiſtæ Diſcipuli, & Tyrones circà opiniones Philoſophicas, & Theologicas Metaphyſ. quod nullus fideſior inuenitur ipſo Interprete Caietano, qui in ſuis Commentarijs ſuper totam Summam D. Th. cùm ſtet ſemper ad latera D. Th. idem poteſt aſſerere, quod de Deo pro ſua parte affirmabat Regalis Propheta, ſcilicet D. Thomas à dextris eſt mihi, & non commouear, &c.

Ex Modernis Paſqualigus Clericus Regularis Teatinus Veronenſis in ſua prima parte Met. Diſp. 15. Sect. 1. ſeptem recitat ſententias. Et prima quæ eſt Hurtadi aſſerentis obiectum Met. eſſe ens in tota ſua ampliſſima latitudine complectens & etiàm directè ens rationis improbatur ab eodem in ſect. 2. In ſecundo loco recitat ſententiam Caiet. quam ipſe acceptat quantum ad ens reale in ſua communitate,

Digitized by Google

te,non tamen quantùm ad ens rationis, nec etiam indirectè. Hanc ſecundam partem tamen ipſe Paſqualigus non confutat in ſect. 7. num. 5. eſto intendat illam ibi confutare Ratio Caietani, & Iauelli, qua prob. intelligentias vt obiectum Met. habere cauſas ad minus materiales improbatur à Paſqualigo, ſed debiliter, in diſp. 13. num. 8. 9. & 10. ſect. 1. Tertia ſententia recitatur ab ipſo, & tribuitur Buridano, & alijs paucis Modernis, affirmans eſſe ſolam ſubſtantiam abſtrahentem à materiali, & immateriali quæ confutatur ab ipſo in num. 6. ſect. 7. Quarta eſt Auuerrois 1. Phyſ. aſſerenti ſubſtantias immateriales eſſe obiectum Met. & verba Auerrois recitantur ab ipſo ſic. Conſiderare autem de primo principio formali vtrum ſit vnum aut plura, & quæ eſt ſubſtantiæ eius eſt proprium primæ Phyſicæ; formarum enim aliæ ſunt in materijs, aliæ non in materijs vt declaratum eſt, duarum ſcientiarum quarum vna ſcilicet naturalis conſiderat de formis materialibus, ſecunda autèm de formis ſimplicibus abſtractis à materia, & eſt illa ſcientia, quæ conſiderat de ente ſimpliciter. Ità Auuerroes, qui confutatur à Paſqualigo cum Reſp. Trombetæ, Suarezij in Met. diſp. 1. ſect.1.nu.14. & aliorum in ſect. 8. num. 1. Quinta ſententia eſt Alpharabij, qui excludit ab obiecto Met. non ſolùm ſubſtantias materiales, & accidentia, ſed etiam omnem ſubſtantiam creatam. Suarez tribuit ipſam, ſed falsò, vt etiam cum Iauello fatetur Paſqualigus, ipſi Auuerroi. Alpharabius igitur vult pro obiecto Met. ſolum Deum & quod ſolus ipſe conſideretur tanquàm prima cauſa, vt recitat Albertus Magnus 1. Met. tract. 1. c. 2. confutatur à Paſqualigo ſect. 8. num. 10. Sexta Sententia vult quod obiectum Met. ſit ens reale non ſecundum ſuam latitudinem, ſed ſolùm Prædicamentale, & per conſequens ab obiecto excluditur Deus, & vult Flandria quod ſpectat ad Metaph. Deus vt primum principium, & prima cauſa, non autem vt obiectum, nec vt pars obiecti. Confutatur hæc ſententia à Paſqualigo ſect. 8. num. 13., & diffusè poſteà Paſqualigus conuenit cum Flandria in diſp. 18. ſect. 1. 2. & 3. vbi ex Auctoritatibus D. Th. in proœmio Met. & in opuſc. 70. ſuper Boetium de Trinitate ſtatuit Deum non contineri ſub obiecto Met. nec vt partiali, nec vt attributionis, nec quocunque alio modo, ſed ſi conſideratur à Met. conſideratur ad ſummum vt cauſa, & principium extrinſecum ſui obiecti, & tanquam vltimus finis Legas ipſum loc.cit.ſed Iudicio meo per rationes Caietani ſupra, eius rationes ſoluuntur &c. Septima ſententia dicit eſſe ens reale vt ens eſt ſiuè ſit prædicamentale ſiuè non, excludendo ens rationis, & omnia entia per accidens, & hanc tribuit omnibus interpretibus D. Th. non citando Caietanum, nec hanc confutat Paſqualigus &c. & in diſp. 19. p. 1. Met. cum non ſit ſibi conſtans diſcordat à Flandria, cùm in num. 3. ſect. 3. probet quod non omnia quæ ſunt in prædicamentis claudantur in obiecto Met. cum etiam excludat intelligentias ibi ab obiecto Met. quas eſſe obiectum Met. probauit alibi locis citatis.

Digitized by Google

LECTIO II. PROEMIALIS IN PROLOGO METAPHYSICÆ.

Vtrùm Metaphyſica ſit verè ſcientia vna ſpecie, ſimulque ſit ſapientia.

Ex Caietano in ſuis Commentarijs, & alibi.

Declaratio facta à Caietano circa Vnitatem ſcientiæ pro vero ſenſu quæſiti,

CIrcà Vnitatem Scientiæ, prӕter ea quӕ Eminentiſſimus habet in lectione prima præcedenti, mulra notat in lib. 1. poſt. c. 22. in aſſignandis conditionibus generis ſcibilis: pro declaratione ſenſus quæſiti ſufficit, ait Caietanus, pro nunc ſcire, quod opus eſt vt ſcibile abſtrahat, & à motu, & à materia. A motu quidem, ad hoc vt immobilitèr ſe habeat, & ſit neceſſarium; à materia vtique, vt poſſit ab intellectu attingi, quia ſi cùm materia conſideraretur non eſſet tunc ſcibile: omnis enim ſcientia à materia ſaltèm ſignata abſtrahit, & rem ſecundum ſe ſcibilem poneret non ſcibilem, vel ſaltèm minùs ſcibilem, vtpotè à materia ſegregaram, eam ſcilicet cum materia complicando, quod rationi ſcientiæ repugnat, cuius officium eſt illuſtrare, non obſcurare ea, de quibus eſt ſcientia. Hinc fit, ait Caietanus, quod non poteſt dari quartum genus ſcientiæ quæ abſtrahat à materia ſecundum eſſe, & non ſecundum rationem, ſed ſiſtendum eſt in illud tertium genus ſcientiæ Met. quæ diſtinguitur ab alijs duobus ſcilicet à Mathematica, & à Naturali, quia abſtrahit & à materia ſecundum eſſe, & ſecundum rationem inter quam, & inter Mathematicam nulla cadit ſcientia media: benè tamen intèr Mathematicam, & intèr naturalem, quia Metaphyſica, & Mathematica ſe habent ad materiam per contradictionem, quoniam Metaphyſicalia vt ſic ſunt omninò abſque materia: Mathematicalia autèm ſunt cùm materia coniuncta, licet per conſiderationem ſeparata: intèr contradictoria autèm nullum datur medium, & ſic nequit alia ſcientia intèr Metaphyſicam, & Mathematicam mediare; Mathematicalia autèm & Naturalia ſunt materiæ coniuncta licèt diuerſimodè, & ſic inter ipſa poteſt dari medium, & ſic alias ſcientias mediare. Ità Caiet. loc. cit.

Declaratio facta à Caietano ſenſus quæſiti in ly ſapientia,

Et Caietanus explicando circa ly ſapientia, cum Met. dicatur Princeps, & Architectonica cæterarum ſcientiarum, quæritur quomodò ſit ſapientia. Nec obſtat quod dirigatur à Theologia, quæ eſt ordinis ſupernaturalis, quia, vt ait S. Doctor in 1. p. q. 6. Reſp. ad ſecundum regulatur Metaphyſica à Theologia Sacra, quando ipſa Met. ordinatur, & regulatur circà finem ſupernaturalem. Quæſitum habet an ſit ſapientia pro vt noſtra Met. regulat omnes ſcientias in ordine ad finem naturalem, qui eſt conditio propriorum obiectorum: Finis enim ſupernaturalis eſt conſecutio ſummi boni. Et in ordine ad finem naturalem vt regulans alias ſcientias ipſa Met. eſt ſummè neceſſaria vt concludunt Doctores, ratione intellectus noſtri, qui eſt ſimul humanus, & Diuinus, quia principaliter conſiderat

ſpiri-

ſpiritualia, & incorruptibilia; neceſſaria etiàm ratione ſcibilium quia vt de aliquo ſcibili plena ſcientia habeatur, non ſat eſt cognoſcere prædicata generica, & ſpecifica illius,ſed etiàm tranſcendentia,& vniuerſaliſſima ſcilicet ens,vnum,verum &c. de quibus agit Met. quæ ſola abſtrahit ab omni materia; & etiam ratione ſcientiarum particularium, quia demonſtratio generans ſcientiam, procedit nedum ex principijs proprijs cuiuſcumque ſcientiæ, ſed etiam ex communibus, ſeu vniuerſalibus, in quibus fundatur veritas propriorum, & de ipſis Vniuerſalibus eſt ſola conſideratio in Met. noſtra. Ità Caietanus, qui declaratis his, quærit modò vtrùm ſcientia Met. ſit vna ſcientia, ſimulque ſit ſapientia &c.

Quo ad primum notat circà vnitatem ſcientiæ Caietanus in 1. poſt. c. 23. cum ſanctiſſimo Præceptore ibi l. 41. quod ſcientia poteſt dupliciter conſiderari. Primo vt eſt habitus quidam; ſecundo vt eſt motus quidam intellectus ratiocinantis, quo ex quibuſdam principijs tendit in alicuius rei cognitionem; ſi ſpectetur ſcientia primo modo ſic diſtinguitur penès diſtinctionem principiorum; nàm habitus iuxtà principia ſecernitur: Differt quippè habitus liberalitatis ab habitu prudentiæ, quoniam ille ab alijs ideſt ab alijs actibus frequentibus gignitur, & ſic conſiderauit ibi in 1.poſt.c 23.Ariſt.cum alijs Doctoribus ipſam ſcientiam quando dixit illam diſtingui penès principia. Si ſecundo modo ſpectetur cum motus ſummat ſpeciem ex termino ad quem, vt dicitur ab Ariſt. in 5. Phyſ. ſic ſcientia ſumit ſpeciem, & vnitatem à re, quæ ſcitur, quoniam hæc eſt ipſius terminus, cum eius cognitio intendatur à re non materiali, ſed formaliter accepta, vt conſiderauit illam D. Th. in illa l. 41. cit. dicendo, nos hoc ſecundum inſpicientes, & meritò(quoniam in gratiam obiecti hæc omnia tradimus)diximus ſemper ſcientiam,vnitatem ac diſtinctionem ſumere ab obiecto, in ſilentio principijs inuolutis. Ità Caiet. ex D. Th. loc. cit.

1. notat. Caietani in quo oſtenditur à quo ſumat ſuam vnitatē ſcientia, & vt habitus, & vt eſt motus quidam.

Secundo tamen eſt notandum, ait Caietanus, vt conſequentèr loquamur, quod quando dicitur ſcientias ſortiri vnitatem,& diſtinctionem ab obiecto,dicimus quoque hanc ſortiri à principijs, & à modis diffiniendi: omnia enim hæc conſequentèr ſe habent, & mutuò ſe inferunt. Res enim eſt maniſeſtiſſima, quod ſi varius fuerit diffiniendi modus, erit & etiam varius conſiderandi modus, cum nihil aliud ſit diffinitio, quam rei conſideratio iuxtà rationes eiuſdem rei formales. Quia ergo diuerſitas formalis eorum, quæ conſiderantur hoc eſt obiectorum, ſumitur à diuerſitate diffinitionum, & varietas diffinitionum attenditur penes varietatem rationum formalium ipſarum rerum, & hæc inſuper formalium rationum diſtinctio metitur ex diſtinctione principiorum earumdem rerum, cum alia ſit ratio huius ab illa alterius, quia alia ſunt principia illius, & alia huius, hinc ſequitur, quod idem eſt dictu. Scientiæ diſtinguuntur penes ſubiecta, penès principia, & penès diffinitiones varias, quoniam principia varia inferunt rationes formales varias, & rationes formales variæ varias diffinitiones, & variæ diffinitiones varia obiecta formalia. Et ſic nemo non videt quod aliud diffinitum vult aliam diffinitionem, alia diffinitio vult alias rationes formales, & tandem aliæ rationes formales, alia principia. Et ſic & non aliter intelliguntur Ariſtoteles, & D. Th. vtrobique loc. cit. Ità Caietanus.

2. Notabile Caietani in quo oſtenditur ſcientias ſumere ſuam vnitatem, & diſtinctionem, tū ab obiectis & à modis diffiniendi.

Tertio adnotat Caietanus circà ly ſapientia, quod ſapientia in communi loquendo, eſt notitia ordinatiua, & iudicatiua de alijs ſcientijs quarum eſt caput, hoc enim ſapientiæ nomen importat vt patet in 6. Eth. Et in 1. poſt. ait quod ſapientia non diſtinguitur contra ſcientiam, ſicut vna ſpecies contrà aliam,ſed ſicut proprium contrà commune, ſicut perfectiſſimum Animal contrà Animal communitèr

3. Notabile Caietani in quo oſtenditur quod ſapientia vt habitus non diſting. cōtra ſcientiam vt habitus.

Digitized by Google

nitèr dictum, & ens perfectiſſimum contra &c. Scientia enim nihil aliud nominat niſi habitum per demonſtrationem acquiſitum, quod commune eſt omnibus alijs ſcientijs. Sapientia verò nominat talem habitum ex primis cauſis rerum procedentem, quod eſt vltimum in quod poteſt ſcientia, & proprium vni tantùm. Et quia virtus rei attenditur ſecundum vltimum ſui poſſe, vt dicitur in 1. Cœli; Ideò ſapientia non ſolùm eſt ſcientia, ſed eſt maximè ſcientia, & virtus omnium ſcientiarum, vt in 6. Eth. habetur; ſed quia hoc dubium ſubiungit Caiet. in loc. cit. partim Logicale, & partim Metaphyſicale eſt, ideò in hoc loco ſcilicet 1. poſt. c. 10. ſuccinctè tractauimus; In Metaphyſica verò, ſi Deus nobis conceſſerit vitam, quæ hic inchoauimus, terminabimus (en quomodò Caietanus morte præuentus nec Phyſicam, nec Metaphyſicam abſoluere potuit) ex ſuis tamen Commentarijs plurima Metaphyſicalia habentur dicendo cum D. Th. in 1. 2. q. 57. art. 2. ad 2. quod Mens S. Thomæ verior eſt, quod Metaphyſica ſit ſimpliciter perfectior, & dignior habitu primorum principiorum. Si quis enim rectè conſideret, ait D. Tho. ſapientia, ſcientia, & intellectus, quæ ſunt tres virtutes intellectuales, non ex æquo ab inuicem diſtinguuntur, ſed ordine quodam; ſicut accidit in totis potentialibus, quorum vna pars eſt perfectior altera, ſicut Anima rationalis eſt perfectior quam ſenſibilis, & ſenſibilis quàm vegetabilis: hoc enim modo ſcientia dependet ab intellectu ſicut à principaliori, & vtrumque dependet à ſapientia ſicut à principaliſſimo, quæ ſub ſe continet, & intellectum & ſcientias, vt de Concluſionibus ſcientiarum dijudicans, & de principijs eorumdem.

Caietanus in 1. poſt. c 10. promiſit dare in lucem ipſam Metaph.

Quod ſapientia continet & intellectū, & ſcientiam, vt Anima rationalis, vegetatiuum, & ſenſitiuum.

Hæc D. Tho. quibus addit Caietanus nota quomodo in hac Reſp. ad 2. Sapientia continet intellectum, & ſcientiam, non enim continet vt partes integrales, cùm iàm ſuperiùs dictum ſit, quod habitus non integratur ex pluribus habitibus, ſed continet quaſi partes potentiales: habet enim ſe ſapientia ad intellectum, & ſcientiam ſic, quod ipſa continet quidquid ille, & eminentiori modo: Vtitur enim principijs per ſe notis deducendo Concluſiones, quod eſt ſcientia, & ipſa principia per ſe nota vere eſſe ex terminis, iudicat, defendit, & inchoat quæ intellectus tantummodò videt abſolutè, & vtrumque habet reſoluendo in altiſſimam cauſam, quod eſt eminentiùs continere. Et propriè in 6. Eth. & in litt. art. ſupra cit. dicitur quod continet ſcientiam, & intellectum, & in 4. Met. dicitur quod ipſa eſt ſcientia, & defendit principia ex terminis. Ita Caiet. loc. cit.

4. Notabile Caietani in quo explicatur differentia inter Theologum, & Metaphyſicum.

Quartò adnotat conſequentèr Caiet. in 1. p. q. 1. art. 6. quod differentia eſt intèr Theologum, & intèr Metaphyſicum, quod Theologus in ſe Theologiam habens eſt ſimpliciter, & maximè ſapiens ad denotandum exceſſum Theologiæ ſuper ſapientias in genere hoc, aut illo. Qui enim conſiderat eamdem cauſam altiſſimam ex proprijs, oportet quod non ſolum ſit ſimpliciter, ſed & maximè ſapiens, & reſpectu ſapientum in genere, & reſpectu ſapientis ſimpliciter, vtpotè tranſcendens ipſum in hoc, quod propria altiſſimæ cauſæ rimatur. Sapiens autèm ſapientia humana, quæ eſt Metaphyſica ſiſtit in communibus, & in his, quæ per communia ſciri poſſunt: omnes enim rationes, quas de Deo Metaphyſica habet aut ſunt communes ſi ſunt ſimplices vt ens, verum, bonum, &c. aut ſunt ex communibus compoſitæ, vt actus purus, primum ens &c. Et ſtantibus quod nihilominùs Metaphyſica ſit ſapientia ſimpliciter explicat Caietanus dilucidè in prima ſecundæ quæſt. 66. art. 4. in Reſp ad 4. vbi S. Doctor ait. Veritas, & cognitio principiorum indemonſtrabilium dependet ex ratione terminorum; cognito enim quid eſt totum, & quid eſt pars ſtatim cognoſcitur quod

omne

Digitized by Google

omnetotum eſt maius ſua parte : cognoſcere autèm rationem entis, & non entis, & totius, & partis, & aliorum quæ conſequuntur ad ens, ex quibus ſicut ex terminis conſtituuntur principia indemonſtrabilia pertinet ad ſapientiam : quia ens commune eſt proprius effectus cauſæ altiſſimæ ſcilicèt Dei, & ideò ſapientia non ſolum vtitur principijs indemonſtrabilibus, quorum eſt intellectus, concludendo ex eis, ſicut aliæ ſcientiæ : ſed etiàm iudicando de eis, & diſputando contrà negantes, vndè ſequitur quod ſapientia ſit maior virtus, quàm intellectus. Hæc D. Tho. quibus addit Caietanus nota hic auream Doctrinam, quare ſapientia ratione terminorum vniuerſalium maximè, conſideratur in 5. Met. quia ſcilicet ens eſt per prius effectus primæ cauſæ quod in prima parte declaratum eſt; & quare iudicat de principijs, quia ſcilicet eorum cauſa conſiderat rationes terminorum; Iudicium enim rei per illius cauſas fit; Iudicat autem ſapientia de principijs ex rationibus terminorum, non tanquàm explicans medium terminum latentem, quo fiat aſſenſus principijs, aut reddatur altera cauſa veritati eorùm, ſed tanquàm dans eis intrinſeca conſtitutiua eorum, rationes ſcilicet terminorum, & in eadem reſoluens illa &c. & propterea defendit illa ex ſumma Arce videns. Ità Caietanus loc. cit.

Quo ad 2. Opinio Caietani, & D. Th. iàm explicata eſt ab ipſo in ſuis Adnotationibus, ex quibus habetur clariſſimè intentum huius Lectionis ſecundæ Proœmialis quod eſt explicare quomodo Metaphyſica ſit verè ſcientia, ſimulque ſapientia, vt deducitur ex 1. poſt. cap. 10. in fine. Vbi Ariſt. loquitur de ſcientia demonſtratiua. *Opinio Caiet. eſt D. Th. & communis.*

Quo ad 3. Conluſio ponitur à Caietano in 1. poſt. c. cit. tali pacto : Met. eſt verè ſcientia pro vt Ariſt. loquitur de vera ſcientia, ſimulque eſt ſapientia. *Concluſio Caiet. cum prob. primæ partis quod Metaphyſica ſit ſcientia.*

Prob. prima pars à Caietano ſub tali forma. Ille habitus eſt verè ſcientia, cuius obiectum eiuſque paſſiones ſunt cauſæ, & partes obiecti ſunt etiam cauſæ ad demonſtrandum in illa ſcientia : ſed Metaphyſicæ obiectum, & partium eius, & paſſionum eiuſdem adſunt veræ cauſæ ad demonſtrandum, pro vt de facto habitus Met. verè demonſtrat illas, vt oſtendit Ariſt. in 6. Met. ergo habitus Met. eſt verè ſcientia. Maior, & Minor de ſe conſtant. Et neganti eſſe ſcientiam formaliter quia non habet cauſas in eſſendo formaliter iam reſpondimus, ait Caietanus, quod ad rationem ſcientiæ humano intellectui conformis ſufficit ſcire ex cauſis in eſſendo virtualiter, & non formaliter, & Met. ſi non habet omnes cauſas in eſſendo formaliter, habet tamen illas virtualiter. Ità Caietanus ex Ariſt. & D. Thom. in 1. poſt. cap. 2.

Secunda pars prob. à Caietano in 1. 2. q. 66. art. 5. Sapientia non ſolùm concludit ex principijs vt facit ſcientia, ſed etiàm iudicat de eis, & diſputat contrà negantes ea : ſed Met. ità ſe habet, ergo ſimul eſt ſcientia, & ſapientia. Maior conſtat ſuprà ex differentia aſſignata inter illam, & illam. Minor probatur à Caietano in ſua Adnot. ſuprà. *Secunda pars Concluſ. cum ſua probatione prima quod ſit ſapientia.*

Secundo prob. eadem 2. pars à Caietano in 1. p. q. 1. art. 6. in cap. ex D. Tho. Nomen ſapientiæ in communi ex 6. Eth. importat notitiam ordinatiuam, & iudicatiuam de alijs ſcientijs, quatenus caput earumdem; Sed Met. ità ſe habet in ordine ad primum ens, & ad ens in quantum ens, & eius paſſiones ergo &c. Maior, & Minor conſtant in Adnotationibus ſuprà. Ità Caiet. in loc. cit. *Secunda probatio Caietani eiuſdẽ ſecundæ partis.*

Quo ad 4. Arguit 1. Caiet. ex D. Th. ſic. Met. eſt verè ſapientia vt dicit Ariſt. in 1. Met. ſed ſapientia diſtinguitur contrà ſcientiam in 6. Eth. ergo ſi eſt ſapientia non poterit eſſe ſcientia, vel è contrà. *Primum Arg. Caiet. ex D. Tho.*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Caietani ad 1. Argum.

Reſp. Caietanus quod ſicuti ſcien ia poteſt ſumi 2. vno modo vt ſic ideſt vt habitus per demonſtrationem acquiſitus. Alio modo vt virtus pro vt bonum reddit habentem, eiuſque opus. Similiter diſtinguitur de ſapientia. Si loquimur quo ad vtrumque in genere virtutis, ſic vna non eſt alia, ſed contrà aliam diſtinguitur, quia alio modo perficitur inr-llectus iudicando de rerum naturis per altiſſimas cauſas, & alio modo per cauſas inferiores &c. vndè & circà agibilia alia virtus eſt, per quam iudicamus per cauſas inferiores, quæ eſt ſyneſis; & alia ſecundum quam iudicamus per cauſas altiores, quæ eſt Gnome, vt patet in 6. Ethicorum. Si autem loquamur alio modo vt habitus ſunt, &c. ſic ſapientia, ſcientia eſt & quia Ariſtot. in 6. Eth. loquebatur de eis vt virtutes ſunt, vt expreſsè dicit S. Thom. ſuper Boetium de Trin. quæſt. 5. art. 1. ideò diſtinxit ſapientiam contrà ſcientiam, ponens quinque virtutes intellectuales. Ità Caiet.

2. Argum. Caietani ex D. Tho.

Arguit 2. Caietanus ex D. Thom. in 1. p. q. 1. art. 6. Ad ſapientiam pertinet probare principia aliarum ſcientiarnm, vndè & caput dicitur aliarum ſcientiarum ex 6. Eth. Sed Metaphyſica non videtur ſemper probare principia aliarum ſcientiarum, ergo non erit abſolutè dicenda ſapientia.

Reſp. Caietani ex D. Tho ad ſecundum Argum. cum alijs declarationibus ſuper hoc quod Met. ſit ſapientia.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. diſtinguendo maiorem. Ad ſapientiam pertinet &c. diſtinguo vel probare, vel iudicare de ipſis principijs. Sapientia igitur ex D. Thom. eſt caput ſcientiarum, & in iudicando ſemper, & etiàm in probando quandoque Prima conditio conuenit omni ſapientiæ abſolutè; ſecunda omni humanæ. Et ſic quatenus ſapientia eſt iudicat de alijs, quatenus humana aliorum principia firmat. Et quando D. Auguſt. lib. 2. de Trinit. cap. 14. ait quod ſapientia dicitur eſſe diumorum cognitionem, intelligit tantùm de ſapientia ſimpliciter, vel humanitùs inuenta vt Metaphyſica, vel diuinitùs reuelata vt Theologia Sacra. Et quando dicit Apoſtolus Rom. 1. quod notum eſt Deo, manifeſtum eſt in illis, ſcilicèt Philoſophis, notitia de Deo affuit ipſis quantùm ad illa tantùm, quæ per effectus creatos poſſunt manifeſtari de ipſo. Et ex Reſp. ad tertium loc. cit. diſce ait Caietanus quod ad cognoſcendum vtrùm aliqua ſapientia ſit affectiua, vel ſpeculatiua, inſpiciendum nobis eſt, ad modum quo iudicat de alijs; hinc Caietanus ſubiungit quod ibi in Reſp. ad tertium cit. inducitur laus Hyerothæi Magiſtri D. Dyoniſij, quod erat non ſolum diſcens ſecundum intellectum, ſed patiens ſecundum affectum Diuina, quoniam donum ſapientiæ eſt in intellectu formaliter, in voluntate autèm cauſalitèr; & dicitur patiens à paſſione, eo modo quo vehementèr affecti circà aliquid paſſionari dicuntur, in quo denotatur maxima voluntatis inclinatio vt iàm habituata, & connaturalis effecta ad Diuina &c, Ità Caietanus cum D. Thoma loco citato.

Appens

Digitized by Google

Appendices pro ſecunda Lectione Proœmiali.

CVm D. Thoma, & Caietano ſentiunt communitèr omnes ferè Doctores, & in ſchola, & extrà ſcholam. Intèr Modernos ex ſchola Thomiſtica quam profitentur Patres Salmanticenſes, & Complutenſes excalceati Seraphicæ Tereſiæ ſolum vidi Blaſium à Conceptione, qui in ſua Met. diſp. p.q.6. tenet contrà Caietanum interpretem mentis D. Th. clariſſimum, & perſpicaciſſimum, quod Metaphyſica licet excedat ſecundum quid in perfectione, & dignitate habitum primorum principiorum, ſimpliciter tamen exceditur Metaphyſica ab inſtituto pro hac ſua opinione citat D. Th. in opuſc. 70. q. 5. ad art. p. ad primum, & in 2. 2. q. 9. a. 2. & quod mirabilius eſt citat ipſum Caietanum in p. poſt. c. 10. §. vltimo; & Banneſium in p. p. q. 19. ad 6. dub. 1. & Magiſtrum Gonzalez p. p. diſp. 6. & Flandriam in p. Met. q. 1. a. 1. ad 1. & alios; & iuxtà ſuam opinionem gloſat D. Th. & Caietanum à nobis allatum ſupra in lect. 2. in tot Doctrinis ſole clarioribus. Superfluum reputo afferre hic ſuas rationes tùm quià Doctrina D. Th. & Caietani allata ſupra infringit ipſas; tùm etiam quia pro D. Th. & Caietano in hac re ſtat virilitèr noſter Magiſter Doctor Thomas Minaldus Ord. Præd. in ſuis Summulis Metaphyſicalibus nuperrimè impreſſis dub. 2. proœmiali, & ideò remittimus Diſcipulum Thomiſtam ad illum.

Intèr moderoos legas Paſqualigum in diſp. 20. ſect. 1. & 2. in qua diffusè probat quod Metaphyſica verè, & propriè, & in rigore eſt ſapientia, quia conueniunt ei quinque conditiones conſtitutiuæ habitus naturalis in eſſe Sapientiæ. Prima quod ſit ſcientia vniuerſalis; 2. quod verſetur circà res difficiles, & à ſenſibus valdè remotas; 3. quod ſit certa cognitio; 4. quod ſit apta ad docendum; 5. vt ſit gratia ſui, & non ordinetur ad aliud, ſed peculari modo; 6. & vltima quod alteri non ſubminiſtret, ſed potiùs cæteris præſit, quæ conditiones habentur in Ariſt. p. Met. c. 2. Et quia Paſqualigus excludit ab obiecto Metaphyſicæ, & Deum, & intelligentias conatur in num. 5. ſect. 2. diſp. 20. defendere ſecundam conditionem conuenire Metaphyſicæ vt ſit Sapientia, ſcilicet quod Sapientia ità debet verſari circà omnia, vt attingat præcipuè res vltimas; vndè ſi Philoſophi antiqui conſiderarunt illas cum Ariſt. in 12. Met. conſideratio illorum fuit intrà ſuam ſphæram, ſecundum quod naturaliter poterant intelligere de Deo, & de Angelis ſecundum rationes communes. Sed iudicio meo ſecundum doctrinam Caietani Paſqualigus in ſua nouitate prætendit æquiparare obiectum Metaphyſicæ cum obiecto reuelato de Deo, & Angelis Theologiæ Sacræ. Sapientioribus me remitto.

Circà vnitatem ſcientiæ Metaphyſicalis. Suarez cit. à Paſqualigo in ſua p. p. Met. diſp. 21. ſect. 1. recitat ſententiam quorumdam, qui dixerunt, conſiderando res ipſas diuerſas, de quibus tractat Metaphyſica non poſſe eſſe vnam vnitate ſpecifica, ſed illam, diſtinxerunt in varias ſpecies pro vt varia obiecta conſiderat. Communis tamen ſententia tàm apud antiquos, quàm apud Modernos eſt quod ſit vna ſpecie, nec diuiſibilis in alias plures, cum non habeat plures rationes formales, ſed aſſignetur ab omnibus cum D. Th. & Caietano, & Scoto vnica tantùm ratio formalis obiecti ſua, quæ quidem ratio formalis ſecundum Paſqualigum adunat ens ſibi in tota ſua latitudine, ſcilicet quidditatem omnem entis completam conſtantem ex ſuis principijs intrinſecis, quatenus ex vi abſtractionis à materia acquirit illum modum peculiarem ſcibilitatis, excludendo Deum, & intelligentias Paſqualigus ab hoc modo ſcibilitatis, & ab illa ratione formali &c.

LECTIO III. PROÆMIALIS IN PROLOGO METAPHYSICÆ

Vtrùm Metaphyſica conſideret quidditates rerum in particulari.

Ex varÿs locis in Commentarÿs Eminentiſſimi Caietani.

Explicatio Tituli, & veri ſenſus quæſiti datà à Caietano,

QVæſiuit alij ſub alio titulo, ſcilicet An ens quod eſt obiectum Metaphyſicæ includat inferiora, quod eſt idem dicere an hoc ens quod eſt obiectum Metaphyſicæ, ità ſe extendat vt res omnes ſecundum proprias ipſarum rationes ſub ſe complectatur: an verò ad quaſdam tantum rationes determinetur. Caiet. mouet hanc quæſtionem prò vt in titulo quia Ariſt. in prologo Metaphyſicæ dixit, Sapientem ſcire omnia vt decet opportet &c. & ipſe in de ente, & eſſentia ponit multotiès differentiam intèr Metaphyſicam, & alias ſcientias in conſideratione quidditatum, quod Metaphyſica conſiderat hominem, vt eſt ens, ſubſtantia, compoſitus ex materia, & forma; Phyſica autem conſiderat ipſum, vt eſt ens mobile ſecundum generationem, & corruptionem proptèr principia ſua intrinſeca; ſcilicet proptèr materiam annexam priuationi, proptèr qualitates actiuas, & paſſiuas, propter formam non perficientem totaliter potentialitatem materiæ, & quod eſt mobile motu vegetationis in quantùm eſt Corpus animatum. Inſuper Metaphyſicus conſiderat lineam quod eſt accidens, quod eſt quantitas, quod eſt totum Compoſitum homogeneum; Geometra autèm conſiderat quod cauſatur à puncto, quod eſt ſola longitudo, quod eſt recta, vel obliqua, quod eſt principium omnis figuræ. Et quoniam impoſſibile eſt concipere rem quo ad prædicata propria, niſi priùs concipiatur, quo ad prædicata vniuerſalia, eo quod priùs cadunt in noſtro intellectu; ideò Metaphyſica fundat, & firmat omnes ſpecificos conceptus, ità quod meritò quæritur de ipſa in 6. Met. An ipſa ſola conſideret quod quid eſt. Ità Caietanus.

Primum notabile Caiet. in quo datur duplex conſideratio de quidditatibus rerum in particulari.

Primò adnotat Caietanus ex D. Th. p. p. q. 55. art. 3. ad 2. quod conſiderare aliquid in vniuerſali, & quidditates rerum in particulari contingit dupliciter vno modo ex parte rei cognitæ, vt ſcilicet cognoſcatur ſolùm vniuerſalis natura rei, & ſic cognoſcere aliquid in vniuerſali imperfectè ſe habet, imperfectè enim cognoſcit hominem, qui cognoſcit de eo ſolùm quod eſt Animal; alio modo ex parte medij cognoſcendi, & ſic perfectiùs eſt cognoſcere aliquid in vniuerſali: perfectior enim eſt intellectus qui per vnum vniuerſale medium poteſt ſingula propria cognoſcere, quàm qui non poteſt. Pariformitèr cognoſcere quidditates rerum in particulari poteſt intelligi duplicitèr primò abſolutè, ſcilicèt vltimatè ſiſtendo in tali conſideratione, vt ſi quidditatem hominis conſiderarem, vt eſt quidditas hominis; 2. reſolutiuè ideſt reducendo talem conſiderationem ad ens, vt ſi conſidero quidditatem hominis, vt ens, vt actus, vt res &c. Et Caietanus explicando titulum art. 3. q. 55. dicit quod vniuerſalitas ſpeciei intelligibilis non eſt in prædicando,

ſed

Digitized by Google

ſeù in eſſendo, nec in cauſando, ſed in repreſentando, & hoc contingit duplicitèr vno modo per repreſentationem rei magis vniuerſalis, alio modo per repreſentationem plurium in actu, eo modo quo ſpecies repreſentatiua animalitatis, & omnium per ſe differentiarum eius actualitèr, vniuerſalior diceretur, & eſſet, quam repreſentatiua Animalitatis, aut humanitatis tantùm. Quæritur in præſenti an Metaphyſicus ſiuè ex parte rei cognitæ, ſiuè ex parte medij cognoſcendi cognoſcat quidditates rerum in vniuerſali, vel potius illas cognoſcat in particulari, ſiuè abſolutè, ſiuè reſolutiuè. Ità Caiet. loc. cit.

Notat. 2. Caiet. in p. p. q. 14. art. 6. §. Aduerte &c. quod duplicitèr poteſt intelligi quod cognitio attingens aliquid ſecundum prædicata communia tantùm dicatur imperfecta, in potentia, confuſa, in communi, & vniuerſalis. Vno modo ex parte rei cognitæ, & proculdubio in hoc ſenſu verum eſt, quod talis cognitio habeat tales conditiones; Alio modo ex parte cognitionis ipſius in ſe, & ſic non ſemper eſt verum, quod cognitio talis ſiſtens in communibus habeat has conditiones, alioquin Metaphyſica, quæ ſiſtit in communibus, eſſet omnium cognitionum imperfectior ex parte actus. Et etiam ſcientia Dei, contrà Auuerroim, ſi terminaretur ad communia tantùm rerum, vt ſic diceretur ex parte rerum cognitarum in confuſo in potentia &c. quia iſtæ ſunt conditiones prædicatorum cognitorum; vndè benè concludit D. Th. contrà Auuerroim, quod ſi Deus ſciret alia à ſe in quantùm entia, intelligeret entia in communi tantùm, & ſic in confuſo, & in potentia, & imperfectè, & per conſequens intelligere Dei, nec eſſe Dei eſſet omnibus modis perfectum, quod eſt impoſſibile. Ita Caiet. loc. cit.

Notab. 2. Caiet. in quo declaratur diſtinguendo quid ſit attingens per cognitionem prædicata in communi.

Notat. 3. Caietanus in primo de Anima c. 1. §. circa dicta Auuerrois &c. contrà Auuerroim non benè dicentem quod ſcientia, & definitio eſt particularium ideſt rerum particularitèr exiſtentium. Quandò traditur ſcientia de homine, non docemus niſi naturam humanam habentem eſſe in particularibus hominibus, & ſic de alijs: ſed quia de particularibus non eſt ſcientia, debemus dicere, quod ſcientia eſt de rebus particularibus ideſt particularitèr exiſtentibus, vniuerſaliter autèm obiectis, & conceptis: ità quod res ſcitæ ſunt particulares in eſſendo, vniuerſales autèm in concipiendo, ſeù repreſentando paſſiuè, quia vniuerſaliter repreſentantur intellectui. Et quandò dicitur quod intellectus facit vniuerſalitatem in rebus, hoc non intelligitur de aliqua Actione intellectus, quæ ſic ad res terminetur, quod eis auferat aliquid, puta conditiones indiuiduales, aut quod in eis ponat aliquam formam vniuerſalem, quæ ſit vniuerſalitas: ſed intelligitur de Actione intellectus, qua producitur non in rebus, ſed in intellectu ſpecies intelligibilis, ſeù intellectio, qua res extrà repreſentatur, & obijcitur, ſeù attingitur abſque conditionibus indiuidualibus: Repreſentatur enim, & intelligitur lapis, non hic, ex hoc enim denominatur res extrà intellecta denominatione extrinſeca à ſpecie intelligibili, vel conceptione intellectus, ſicut color denominatione extrinſeca dicitur viſus ab actu videndi, qui eſt in ipſo vidente colorem; Facit igitur intellectus vniueſalitatem in rebus, quia cauſat ſpeciem, & conceptionem intelligibilem in Anima, ad quam conſequitur in rebus denominatio vniuerſalitatis: entibus quippè rationis non debetur fieri, aut cauſari propriè, ſed ex hoc fiunt, quia conſequuntur Actiones Animæ. Ità Caiet. loc. cit.

Notab. 3. Caiet. in quo declaratur contrà Auuerroim quomodo ſcientia, & definitio ſit vniuerſalium.

Notat. vltimò Caiet. in 3. de Anima c. 5. in fine pag. mihi 238. quod hi duo excellentes Philoſophi Plato, ſcilicet, & Ariſt. putantes eiuſdem eſſe rationis obiectum intellectus, & eſſe ſeparatum à ſenſibilibus ſecundum rem, & eſſe ſeparatum à Phantaſmatibus ſecundum intelligi, ſic diuerſimodè opinando diuerſas ſententias

Notab. 4. in quo Caiet. oſtendit quomodo Plato, & Ariſt. poſuerunt cognitionem de rebus.

Digitized by Google

de ſcientiæ Anima protulerunt. Plato quia ponebat naturas ſenſibilium ſeparatas ſecundum rem, ponebat conſequentèr intellectum noſtrum poſſe intelligere ſua obiecta, quæ ſunt huiuſmodi naturæ abſque Phantaſmate. Ariſtoteles autem expertus, quod ſine Phantaſmate nihil intelligimus, ex coniunctione naturarum ad ſenſibilia cauſam reddidit, vt ſicut affirmatio eſt ſeparationi cauſa à Phantaſmate ſecundum intelligi; ità negatio ſit cauſa negationis. Quia igitur quidditates rerum in eſſendo ſunt inſeparabiles à ſenſibilibus, fit vt intelligendo ſint inſeparabiles à phantaſmatibus, & hoc cōtrà illos qui dicunt ex hoc loco eliciendo, quod Deus non intelligit ſenſibilia, vt videtur ſentire Auuerrois. Contrà igitur iſtos notetur, quod quia quidditas ſecundum eſſe inſeparabilis à materia, non poteſt tantum abſtractione eleuari, quin principio colligata ſit; hinc cùm huiuſmodi vinculo intellectus in actu, & in habitu cùm Phantaſmate eius principio, facit quod intellectus agit Phantaſmate. Sed tu Cauillator memento, quod hæc Ariſt. ratio non tenet, nec loquitur niſi de intelligibili, & intellectu per abſtractionem; ità quod ſi naturæ huiuſmodi intelligantur per intelligentias alio modo intelliguntur puta per ſubſtantiam ſuam, pro quanto ſecundum ſe habent ſcientiam in actu. Et præter hanc rationem ſumptam ex parte rei cognitæ, ait Caietanus, alteram S. Doctor ex parte cognitionis reddidit in p. p. q. 85. a. 1. ex modo operandi, qui neceſſario conſequitur modum eſſendi ipſius formæ; & formæ naturales non ſunt immediatè à formis ſeparatis à materia. Ità Caiet.

Opinio D. Th. & Caiet. eſt communis, & antiquis, & modernis.

Quo ad 2. Caiet. dicit quod Commentator in lib. 6. Met. tenet quod Metaphyſica habet conſiderare de omnibus ſpeciebus entium in quantùm ſunt entia. Et D. Th. exponens textum ſecundum Ariſt. in lib. 4. Met. ſuper illa verba. Quapropter, & entis in quantùm eſt ens quaſcumque ſpeculari ſpecies vnius ſcientiæ eſt &c. gloſat S. Doctor, quod non opportet quod vna ſcientia conſideret de omnibus ſpeciebus vnius generis, ſecundum proprias rationes ſingularum ſpecierum, ſed ſecundum quod conueniunt in genere, ſecundum autèm proprias rationes pertinet ad ſcientias ſpeciales, vt eſt in propoſito; omnes enim ſubſtantiæ in quantùm ſunt entia, vel ſubſtantiæ pertinent ad conſiderationem huius ſcientiæ, in quantùm autèm ſunt talis, vel talis ſubſtantia vt Leo, vel Bos pertinet ad ſcientias ſpeciales. Ità D. Th. cum Caietano à quo non diſcordat Scotus qui in primo ſent. q. 1. Prologi in 3. Argumento contrà Philoſophos ait. Hoc eſt quod dicit Philoſophus in p. Met. quod opportet ſapientem omnia cognoſcere aliqualiter ideſt in vniuerſali, & non in particulari, & ſubdit; qui enim nouit vniuerſalia, nouit aliqualiter omnia ſubiecta &c. Ità Caiet. cum D. Th. & antiquioribus.

Concluſio Caiet. cū probatione primæ partis, quod ſcilicet Metaphyſica cōſiderat quidditates rerum in vniuerſali.

Quo ad 3. Caietanus ponit hanc vnicam ſuam Concluſionem reſponſiuam quæſiti ex multis locis quo ad omnes ſuas partes elicita. Metaphyſicus conſiderat omnes rerum quidditates in vniuerſali, & non omnes in particulari; quidditates tamen ſeparatas conſiderat in vniuerſali, & in particulari, ſaltèm ſecundum conceptus aggregatos illis tantùm conuenientes.

Prima pars probatur ſic ab ipſo. Scientia conſiderans ſubiectum communiſſimum, & paſſiones communiſſimas, quæ ſaltèm diſiunctìm conueniunt omnibus quidditatibus rerum, conſiderat iſtas omnes ſecundum rationes communes: Metaphyſica eſt huiuſmodi: ergo vera prima pars. Maior iàm declarata fuit à Caietano in præcedenti prima Lectione ex ratione ſui ſubiecti adæquati, & communiſſimi, nàm dixit quod de ratione ſcientiæ eſt, vt omnia de quibus ipſum ſubiectum, & paſſiones ſuæ prædicantur, conſiderentur in ſcientia, alìter non eſſet adæquatio intèr ſubiectum, & ſcientiam. Minor ait Caietanus, de ſe patet, quia omnis quidditas

eſt

Digitized by Google

eſt ens, & vnum, vel multa, ſimplex, vel compoſita, neceſſaria, vel contingens, finita, vel infinita &c. Sed ſic conſiderantur à Metaphyſico, & non aliter; ergo omnes quidditates ſub conſideratione vniuerſali conſiderantur.Ità Caiet.

Prob. Caiet. 2. partis quod per Met non poſſit haberi cognitio quidditatum omnium in particulari.

Secunda pars probatur à Caietano ſub tali forma. Ratio entis, & ratio proprietatum entis, ex hoc quod omnibus entibus conueniunt ſaltèm diſiunctim non poſſunt nos deducere in particularem, & diſtinctam notitiam omnium quidditatum; ergo per habitum Metaphyſicum non poteſt haberi de omnibus quidditatibus particularis, & diſtincta notitia. Probatur hæc conſequentia quia, ait Caietanus, ratio formalis obiecti eſt illa per quam attingitur quidquid eſt attingibile per potentiam, ſiuè per eſſentiam, vt iàm exemplificauimus cum D. Th. in p. lect. de obiecto Metaphyſicæ ex obiecto viſus; ſi ergo per rationem entis, & proprietatum eius, nihil eſt cognoſcibile, & non plus vltrà, niſi in quantùm ei conuenit ens, & proprietates eius in ſua vniuerſalitate iàm neceſſariò elicitur ex antecedenti quod per habitum Metaphyſicum non poteſt haberi particularis, & ſpecialis notitia omnium quidditatum in particulari. Ità Caiet.

Prob. Caiet. 3. partis, ſcilicet quod de ſeparatis ſubſtantijs eſt cognitio, & in vniuerſali, & in particulari.

Probatur 3. pars à Caiet. in p. p. q. 88. a. 2. in fine Commenti. Tota cognitio quam habemus de ſubſtantijs ſeparatis in Metaphyſica conſiſtit in ly quià eſt, & quia non eſt, & nequaquam quid ſint: Sed hæc cognitio vocatur in vniuerſali, & in particulari ſaltem quo ad Conceptum aggregatum; ergo vera tertia pars. Maior probatur in 12. Met. Cognitio enim quia eſt in vniuerſali eſt per prædicata communia, & in primo poſt. ſic vocatur, & non alitèr; & multa habemus prædicata communia de ipſis, tàm affirmatiua, quàm negatiua puta quod ſunt ſubſtantiæ immateriales, actus, & in actu licet non puriſſimo, æternæ, intellectuales ſine magnitudine, inalterabiles, infinitæ virtutis, qui quidem conceptus, quo ad omnes partes ſimul iùnctas conuenit ſoli Deo, vnde ſi ab illo remoueatur illud infinitæ virtutis, competit alijs intelligentijs, & nulli alteri; & hunc conceptum nullus alius intellectus format niſi Metaphyſicus in 12. Metaphyſicæ eo quod elicitur ex conceptu entis, & ſubſtantiæ, & neceſſarij, & ſimplicitatis. Et eſto conceptus ſimplex quidditatibus non poſſit formari à nobis in præſenti vita ſolo lumine naturali à priori, cum hic non habeamus ſimilitudinem de ipſis ſubſtantijs ſeparatis, ait S. Doctor in p. p. q. cit. pro vt ſunt in re, quia eſt alterius rationis ab omni abſtrahibili, & denudabili à materia, & per conſequens cognoſcere non poſſimus de eis quid ſint; attamen non obſtat hoc, quod non habeamus poſſibilem cognitionem de ly quia eſt poſſibilem intrà ſphæram noſtri luminis naturalis ſub illa ratione formali propria obiecti Metaphyſicæ. Ità Caiet.

Vnicum Arg. Caiet. contrà Concluſionem totam.

Quo ad 4. Vnico Arg. arguit Caiet. contrà ſuam Concluſionem in illo ſuo opuſculo de ente mobili, quod aſſignat Phyſicæ naturali, cuius ſolutio tangitur in ſua Phyſica in illo notabili ſecundo ſuæ quæſtionis proœmialis de obiecto Phyſicæ. Arguit igitur ſic. Metaphyſica non ſolùm habet conſiderare hominem in vniuerſali, ſed etiàm conſiderat hominem in quantùm homo eſt, & pari paſſu alia naturalia; ergo Metaphyſica conſiderat in particulari quidditates omnium rerum. Probatur antecedens quia vt quidditates ſunt præcedunt motum, & mutationem; comparantur enim ad motum, & ad mobilitatem, ſicut comparatur ſubſtantia ad accidens; conſtat autem ex 7. Met. quod ſubſtantia eſt prior accidente, & tempore, & cognitione; in illo ergo priori eſt cognoſcibilis à Metaphyſico, quia in illo priori abſtrahit à motu, ergo non à Phyſico, conſequentia legitima deducitur.

Reſp. Caiet. ad Argumentum.

Reſp. Caiet. cum Iauello, quod hoc Arg. fuit tantæ efficaciæ apud Scotum, vt ipſe negare coactus ſit ens mobile eſſe ſubiectum in Phyſica; quia ex hoc credidit,

quod

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

quod ly mobile ſit paſſio,& ſic quandò dicitur ly ens mobile,dicatur vnum per accides. Sed facilis eſt ſolutio ait Caiet. loc. cit. quia ly mobile , vel mobilitas dupliciter accipitur primò radicaliter , vt eſt formalis, & quidditatiua ratio entis mobilis, ſicut rationale, vel rationalitas in homine , & vt ſic præcedit omnem demonſtrationem naturalem, & præſupponitur ei; ſicuti in ſcientia , quæ habetur de homine præſupponitur animal rationale, vt principium demonſtrandi paſſionem de homine; alio modo ſumitur mobilitas pro vt eſt paſſio entis mobilis, quæ non eſt niſi aptitudo ad motum, ſicut riſibilitas eſt aptitudo ad riſum, & in hoc ſenſu non præſupponitur, ſed demonſtratur de ente mobili, ſicut paſſio de ſubiecto. Cognitio ergo humanitatis, & aliarum quidditatum naturalium in illo priori pertinet ad Phyſicum,quoniam licet abſtrahat à mobilitate, vt paſſio eſt,non tamen vt ratio formalis ſui proprij. & adæquati ſubiecti; & ſic ad Metaphyſicum non ſpectat conſiderare ipſas quidditates in particulari; ſed ſecundum rationem formalem ſui obiecti communiſſimi, & ſuarum proprietatum communiſſimarum ſecundum rationes illis communes, pro vt explicanimus in noſtra Concluſione. Ità Caiet. loc. cit.

Appendices pro 3. Lectione Proæmiali.

HAnc Sententiam D. Th. & Caiet. defendunt antiquiores præclariſſimi Philoſophi,cum Doctoribus modernis exceptis pauciſſimis, ſcilicet Ægido, & Antonio Mirandulano qui contendunt probare alias ſcientias eſſe partes Metaphyſicæ, & per conſequens quod Metaphyſica res ſecundum proprias rationes conſiderat. Et Theodorus Angelutius de Inſtituto Ariſt. in libris Metaphyſicorum confirmat hanc opinionem , quod ſcilicet ſit Phyſica , & Metaphyſica , vna ſcientia, & vna ſit prorsùs Phyſica naturalis in ſpecie athoma ; & quod mirùm eſt, contrà communem ſententiam confutat D. Th. eiuſque ſcholam in illa doctrina, quod ſcilicet ſumatur obiectorum diſtinctio , & ſcientiarum penès abſtractionem rerum non vt res ſunt , ſed vt ſcibiles , & intelligibiles ſunt; vnde iſte Auctor in illo paruo ſuo opuſculo cit. pag. mihi 59. à tergo , ait quod D. Th. cum ſuis in hac re fallitur, quia abſtractionis modus cuiuſuis ſcientiæ ex rei obiectæ natura ſumitur quatenus res eſt, & non ex incerto abſtrahentis arbitrio ; & ſic ſuo arbitrio peculiari, quaſi quod ipſe ſolus fuerit adinuentor diſtinctionis ſcientiarum, diuidit omnem Phyſicam in naturalem, practicam , & contemplatiuam ex varijs intelligendi modis. Et ſic defendit quod Metaphyſica non diſtinguitur à Phyſica , ſed quod eumdem habitum faciunt, & quod Phyſica naturalis vna ſit ſpecie ſcientia , & quod ſcientia ſpeculatiua diuiditur in varios modos intelligendi. Sed quàm longè aberret a vera diſtinctione ſcientarum iſte Auctor , S. Doctor cum ſuo Beatiſſimo Præceptore Alberto Magno, eiuſq; Interpretibus, & præcipuè cum Caietano pluribus in locis hoc euidentèr oſtendunt.

Et quandò obijcitur quod in Metaphyſica conſideratur quædam ratio quidditatis particularis ipſius Dei, ſcilicet infinitas Dei: reſpondent prædicti Doctores cum Iauello , & Soncinate , quod licet conceptus entis infiniti ſit proprius Dei , ex hoc quod ſoli ſibi conuenit , per quem modum etiàm conceptus Animalis riſibilis eſt proprius hominis , ipſe tamèn non eſt primò proprius ; quia non eſt ille , à quo Deus habet , quod ſit Deus ; ſed talis primò primus , eſt conceptus Deitatis , per quem ſibi conuenit infinitas , & aliæ proprietates , ſcilicet neceſſitas , puriſſima actualitas &c. Quãdo autèm dicitur quod Metaphyſicus nõ conſiderat quidditates in particulari, intelligendum eſt quantùm ad conceptus primò proprios , & ſimplices

in

in rebus ſimplicibus: non autem quantùm ad conceptus mixtos, & aggregatos; ſic omnes Doctores tàm antiqui, quàm moderni.

Paſqualigus in ſua p. p. Met. diſp. 16. ſect. 2. num. 5. 7. & 8. eſto limitet ſuum obiectum Metaphyſicæ ſecundum propriam opinionem, nec concedat illud ens reale in tota illa ſua amplitudine, quam admittit Caietanus: attamèn concedendo limitatè ipſi Metaphyſicæ prætèr illam rationem entis ſpeculandam, aliquas, & non omnes rationes inferiores ſpeculandas, procedit in hoc ſecundum doctrinam D. Th. in aſſignanda abſtractione, & dicit quod Metaphyſica opportet quod habeant ſuum obiectum ſpecificatiuum intrà abſtractionem ab omni materia, ità vt conſurgat ratio obiectiua propria ex vi huius abſtractionis, cùm hæc ſit propria abſtractio Metaphyſicæ, hinc fit quod non poteſt ferri in aliquid aliud, quod non ſit intrà talem abſtractionem, alioquin ferretur extrà ſuum obiectum adæquatum, & ſolum poteſt ferri, quod eſt intrà talem abſtractionem, vt cadens tamquam obiectum, vel tamquàm principia, aut partes obiecti, vel tamquàm paſſiones, quia iàm habet hæc abſtractio ex natura ſua, quod appropriet res conſiderationi Metaphyſicæ, & reddat illas ſpeculabiles Metaphyſico modo; & ſic non tendet in res alterius abſtractionis, & per conſequens non conſiderabit rationes partiales, ſeù omnia inferiora entis, ſed ſolum illa, quæ ſunt intrà propriam abſtractionem: quia ſtatim, ac res ponitur in diuerſa abſtractione, ſortitur etiàm diuerſam rationem formalem obiectiuam, quæ habetur ex vi vnius abſtractionis, vt à radice, non poteſt reperiri intrà aliam abſtractionem puta intrà alium ramum prouenientem ab illa arbore, ſeù radice abſtractionis: Phyſica enim, & Mathematica dum ſiſtunt intrà propriam abſtractionem non pertingunt ad ea, quæ ſunt intrà abſtractionem Metaphyſicam cùm habeant principia ſufficientia, ac media ex quibus deducunt Concluſiones, quæ ſunt de obiecto intrà propriam abſtractionem, ſicut etiàm paſſiones, quas de eodem obiecto demonſtrant, vt omne Corpus eſſe mobile; habent etiàm diuerſum modum procedendi à Metaphyſica qui oritur ex illa diuerſa abſtractione, & per conſequens ſunt etiàm diuerſa principia, ex quibus vnaquæq; deducit ſuas Concluſiones; & ſic ex vi huius peculiaris modi tendendi, quem habet vnaquæq; ſcientia, oritur quod non immiſceri poſſit circà ea quæ ſunt intrà abſtractionem Metaphyſicam hoc manifeſtè indicat quod ſunt diuerſæ ſcientiæ à Metaphyſica, & ſi ſunt diuerſæ iàm Metaphyſica non poteſt deſcendere ad inferiora, ideſt conſiderare quidditates rerum in particulari.

Tandem ſecundum doctrinam communem D. Th. & Caiet. concludit Paſqualigus in fine diſput. num. 8. ſect. 3. quod ad ſaluandam dignitatem, & perfectionem Metaphyſicæ non eſt neceſſe quod attingat omnia inferiora ideſt omnes quidditates partiales, quia nulla ſcientia exigit ad ſui perfectionem quod attingat obiectum alterius, ſed opportet quod circà ſuum obiectum verſetur perfectiori modo, & colligat Concluſiones eminentioris euidentiæ, & certitudinis, quod habet Metaphyſica quia verſatur circà obiectum nobilioris ſcibilitatis, quàm aliæ, quod ſufficit vt perfectiſſimo modo manifeſtet ea, quæ ſpectant ad proprium obiectum. Hæc omnia habet Paſqualigus; ſed vt rigo coarctatiuo ſuæ ſententiæ ſuum ingenium ſubmittat, dicit quod non omnes quidditates particulares inferiorum ſpectant ad obiectum Metaphyſicæ, vndè non eſt neceſſe, quod omnes manifeſtet, quia non poteſt duci in omnium cognitionem per rationem formalem ſui obiecti.

Digitized by Google

TRACTATVS PRIMVS METAPHYSICALIS DE NOMINVM ANALOGIA

Deſumptus ex Tractatu 5. Tom. 3. ipſius Eminentiſſimi Caietani.

LECTIO PRIMA.

Quotuplex, & quid ſit Analogia, & quot ſint conditiones verè Analogiæ propriæ

Ex Cap. 1. 2. & 3. einſdem Opuſculi.

Explicatio Tituli cum intentione huius primi Tractatus.

EXplicato Prologo ab Eminentiſſimo Caietano ipſius Metaphyſicæ in prædictis primis tribus Lectionibus proœmialibus, & ſtatuto obiecto adæquato formali ipſius Metaphyſicæ quod eſt ens in tota ſua latitudine reale communiſſimum, incipit ſuam Metaphyſicam à declaratione, & quidditate huius nominis ens in ſuo Tractatu de Nominum Analogia, quorum notitia, quàm ſit neceſſaria, audiatur Eminentiſs. in cap. 1. illius ſui aurei opuſculi. Inuitatus, inquit, & ab ipſius rei obſcuritate, & à noſtri Æui flebili profundarum litterarum penuria de Nominum Analogia in his vacationibus, tractatum edere intendo. Eſt ſiquidem eius notitia adeò neceſſaria vt ſinè illa non poſſit quiſpiam addiſcere Metaphyſicam vndè multi errores in alijs ſcientijs ex eius ignorantia procedunt. Quod ſi nullo vos quàm tempore accidit, hac ætate id euenire clara luce videmus, dùm Analogiam, vel indiſiunctionis, vel ordinis, vel conceptus præciſi vnitate cùm inæquali participatione conſtituunt: ex dicendis namque patebit opiniones huiuſmodi à veritate, quæ vltrò ſe offerebat, per abrupta deuiaſſe. Ità Caiet. loc. cit.

Notab. 1. Caiet. in quo datur diuiſio Analogiæ.

Quoad 1. Adnotat Caiet. in illo cap. 1. quod Analogiæ Vocabulum proportionem, ſeù proportionalitatem, vt à Græcis accepimus in propoſito ſonat, adeò tamèn extenſum diſtinctumque eſt, vt multa nomina Analoga abuſiuè dicamus, & multarum adunatio diſtinctionum ſi fieret, confuſionem pareret; ne tamen obliqui iudicio priuetur, & ſingularitas in loquendo accuſetur, vnica diuiſione trimembri omnia comprehendemus, & à minùs propriè Analogis ad verè Analoga procedemus.

Ad tres ergo modos Analogiæ Analoga omnia reducuntur ſcilicet ad Analogiam inæqualitatis, ad Analogiam attributionis, & ad Analogiam proportionalitatis.

Vlti-

Digitized by Google

Vltimus tamèn modus ſit ille, qui tantùm analogiam propriè conſtituat: primus modus tantùm alienus ab analogia omninò ſit. Ità Caiet.

Notabile ſecundum Caiet. in quo explicantur analoga ſecundum inæqualitatem.

Notat Caietanus 2. in eodem c. 1. quod analoga ſecundum inæqualitatem vocantur, quorum nomen commune eſt, & ratio ſecundum illud nomen eſt omninò eadem inæqualitèr tamèn participata, & loquimur de inæqualitate perfectionis, & ly corpus nomen commune eſt, & corporibus inferioribus, & ſuperioribus: huiuſmodi autèm analoga, Logicus vniuoca appellat, Phyſicus æquiuoca, eò quod ille intentiones nominum conſiderat, iſte naturas; vndè & in 10. Met. tex. Comment. vltimo Ariſt. dixit, quod corruptibili, & incorruptibili nihil eſt commune vniuocum, reſpiciens vnitatem rationis, ſeù conceptus tantùm. Et in 7. Phyſ. tex. comm. 13. dicitur, quod iuxtà genus laten æquiuocationes, quia huiuſmodi Analogia cum vnitate conceptus non dicit vnam naturam ſimpliciter, ſed multas complectitur ſub ſe naturas ordinem inter ſe habentes, vt patet intèr ſpecies cuiuſcunque generis ſpecialiſſimas, & ſubalternas magis. Omne enim genus, analogum hoc modo appellari poteſt, licet non multum conſueuerint niſi generaliſſima, & his propinqua ſic vocari, vt patet de quantitate, & qualitate in prædicamentis, & corpore, &c. Hanc analogiam S. Thom. in 1. ſent. diſt. 15. vocat analogiam ſecundum eſſe tantum, eo quod analogata purificantur in ratione ſignificata per illud nomen commune, ſed non purificantur in eſſe illius rationis: Perfectiùs ſiquidem habet eſſe in vno, quàm in alio cuiuſcumque generis ratio, vt in Metaphyſica pluries patet, non ſolùm enim planta eſt nobilior minera, ſed corporeitas in planta eſt nobilior corporeitate in minera, & ſic de alijs: Perhibet quoq; huic analogiæ teſtimonium Auuerr. in Comm. 12. dicens cum vnitate generis ſtare prioritatem, & poſterioritatem eorum, quæ ſub genere ſunt: Hæc pro tanto analoga vocantur, quia conſiderata inæquali perfectione inferiorum per prius, & poſterius ordine perfectionis de illis dicitur nomen illud commune. Et iàm in vſum venit, vt quaſi ſynonimè dicamus, aliquid dici analogicè per prius, & poſterius. Abuſio tamèn vocabulorum hæc eſt: quoniam dici per prius, & poſterius ſuperius eſt ad dici analogicè. In huiuſmodi autèm analogis, quando inueniatur, vnitas, abſtractio, prædicatio, comparatio, demonſtratio, & alia huiuſmodi non oportet determinare: quoniam vniuoca ſunt ſecundum veritatem, & vniuocorum Canones in eis ſeruandi ſunt. Ità Caiet.

Notabile tertiũ Caiet. in quo diffiniuntur, & explicantur analoga ſecundum attributionem.

Notat 3. Caietanus in 2. cap. quod diffiniuntur analoga ſecundum attributionem ſic: analoga ſunt, quorum nomen commune eſt, ratio autem ſecundum illud nomen eſt eadem ſecundum terminum, & diuerſa ſecundum habitudines ad illud nomen. Vt ſanum eſt nomen commune medicinæ, & vrinæ, & animali, & ratio omnium in quantùm ſana ſunt ad vnum terminum, ideſt ad ſanitatem diuerſas dicit habitudines. Si quis enim aſſignet, quid eſt animal inquantùm ſanum ſubiectum dicet ſanitatis; vrinam verò in quantùm ſanam ſignum ſanitatis; medicinam autèm in quantùm ſanam cauſam ſanitatis proferet. Vbi clarè patet, rationem ſani eſſe, nec omnino eamdem, nec omnino diuerſam, ſed eamdem ſecundum quid, & diuerſam ſecundum quid: eſt enim diuerſitas habitudinum, & identitas termini illarum habitudinum. Quadrupliciter autem poteſt fieri huiuſmodi analogia ſecundum quatuor genera cauſarum; vocando pro nunc cauſam exemplarem cauſam formalem; contingit ſiquidem multa ad vnum finem, & ad vnum efficiens, & ad vnum exemplar, & ad vnum ſubiectum ſecundum aliquam vnam denominationem, attributionem diuerſimodè habere, vt patet ex exemplis ipſius Ariſt. Ad cauſam finalem pertinet exemplum de ſano in 3. Met.

tex. Comm. 2. Ad efficientem verò exemplum de medicinali ibidem poſitum; Ad materialem autèm analogia entis ibidem ſubiuncta; Ad exemplarem demum analogia boni poſita in 1. Eth. c. 7. Attribuuntur autèm analogiæ huic multæ conditiones ordinatè ſe conſequentes, & ſunt infraſcriptæ ex Caiet. c. 2.

Prima conditio analogiæ attributionis explicatur.

Prima eſt, quod analogia iſta fit ſecundum denominatione extrinſecam tantùm; ità quod primum analogatorum tantùm eſt tale formaliter: cætera autèm denominantùr talia extrinſecè. Sanum enim, ipſum animal formaliter eſt: vrina verò & medicina, & alia huiuſmodi ſana denominantur non à ſanitate eis inhærente, ſed extrinſecè ab illa animalis ſanitate ſignificatiuè, vel cauſaliter, vel &c. Medicatiuum quoque à medicinali Arte deriuatum, medicum formaliter denominat: inſtrumenta verò, & quæcumque alia medicatiua, dicuntur extrinſeca denominatione ab illa arte medicatiua. Sola enim ſubſtantia formaliter eſt ens, quaſi eſſendi ſubiectum, & habens eſſe: cætera autèm, entia dicuntur ideò, quia illius entis menſuræ diſpoſitiones, actiua &c. ſunt. Boni quoque ratio in bono per eſſentiam ſaluata, quo exemplariter cætera denominantur bona, in ſolo primo bono formaliter inuenitur: reliqua autèm extrinſeca denominatione ſecundum illud bonum bona dicuntur.

Peculiare quoddam de prima conditione explicat Caietanus pro vt conuenit ſoli analogiæ attributionis.

Pro qua prima conditione, ait Caietanus, nota diligentèr, quod huiuſmodi analogiæ conditio, ſcilicèt quod non fit ſecundum genus cauſæ formalis inhærentis, ſed ſemper ſecundum aliquid extrinſecum, eſt formaliter intelligenda, & non materialiter ideſt non eſt intelligendum per hoc, quod omne nomen, quod eſt analogum per attributionem eſt commune analogatis ſic, quod primo tantùm conuenit formaliter, cæteris autèm extrinſeca denominatione (vt de ſano, & medicabili accidit) Iſtà enim vocalis eſt falſa, vt patet, de ente, & bono: nec haberi poteſt ex dictis, niſi materialiter intellectis; ſed ex hoc eſt intelligendum, quod omne nomen analogum per attributionem vt ſic, vel in quantùm ſic analogum commune eſt analogatis ſic, quod primo conuenit formaliter, reliquis autèm extrinſeca denominatione. Hoc ſiquidem verum eſt, & ex formali intellectu præcedentium manifeſtè ſequitur; Ens enim quamuis formaliter conueniat omnibus ſubſtantijs, & accidentibus &c. in quantùm tamèn entia omnia dantur ab ente ſubiunctiuè vt ſic, ſola ſubſtantia eſt ens formaliter: cætera autèm entia dantur quia entis paſſiones, vel generationes, &c. ſunt, licet entia formaliter alia ratione dici poſſint. Et ſimiliter eſt de bono: licet enim omnia entia bona, ſint bonitatibus ſibi formaliter inhærentibus, in quantùm tamèn bona dantur bonitate prima effectiuè, vel finaliter, vel exemplaritèr, omnia alia non niſi extrinſeca denominatione bona dicuntur illa met Bonitate, qua ipſe Deus bonus formaliter in ſe eſt. Ità Caietanus.

2. Conditio conueniens analogis analogia attributionis explicatur à Caietano.

Secunda conditio, ait Caietanus, infertur ex prima, & eſt, quod illud vnum ad quod diuerſæ habitudines terminantur in huiuſmodi analogis, eſt vnum non ſolùm ratione, ſed numero. Quod dupliciter intelligi poteſt, ſecundum quod analogata dupliciter ſumi poſſunt, ſcilicet virtualiter, & particulariter.

Si enim ſumuntur analogata particulariter, illud vnum neceſſariò eſt vnum numero verè, & poſitiuè; Si autèm ſumantur virtualiter, illud vnum neceſſariò eſt vnum numero negatiuè, ideſt non numeratur in illis analogatis vt ſic; quamuis in ſe ſit virtuale quoddam, & non vnum numero. v. g. ſi ſumantur hæc vrina ſana, hæc medicina ſana, & hoc animal ſanum, hæc omnia dicuntur ſana ſanitate exiſtente in hoc animali, quam conſtat eſſe vnam numero verè. Socrates enim dicitur ſanus, quia hanc habet ſanitatem, medicina quia illam facit,

vrina

vrinâ quia eamdem ſignificat, &c. Si verò ſumatur animal ſanũm in communi, & vrina ſana in communi, & medicina ſana in communi, ſic formaliter loquendo, ſanitas à qua huiuſmodi ſana dicuntur non eſt vna numero in ſe: eo quod cauſæ virtuales effectibus virtualibus comparandæ ſunt. Et ſimile eſt de ſignis, & inſtrumentis conſeruatiuis, & alijs huiuſmodi, ſed eſt vna numero in iſtis analogatis; non enim numeratur ſanitas in animali, vrina, & diæta: quoniam non eſt alia ſanitas in vrina, & alia in diæta, & alia in animali, ſed ſequitur conditio iſta ex præcedenti quoniam cõmune ſecundum extrinſecam denominationem non numerat id à quo denominatio ſumitur in denominatis, ſicut vniuocum multipliciter in vniuocatis ſuis. Et propter hoc dicitur vnum ratione tantùm, & non numero in ſuis vniuocatis. Alia eſt enim animalitas hominis, & alia equi, & alia Bouis, animalis nomine adunante in vna ratione. Itá Caietanus cap. 2. cit.

Tertia conditio, ait Caietanus, infertur ex hac ſecunda, ſcilicet quod primum analogatum ponitur in ratione cæterorum ſecundũ illud nomen analogũ: quoniam cætera non ſuſcipiunt illud nomen niſi per attributionem ad primum in quo formaliter ſaluatur eius ratio. Cadit ſiquidem in ratione medicinæ, & dietæ, & vrinæ, &c. in quantùm ſunt ſana ſanitate animalis, ſinè qua intelligi cætera ſana non poſſunt. Et ſimile eſt iudicium de alijs. Ex hoc autem ſequitur vlterius, quod nomen ſic analogum vnum certum ſignificatum commune omnibus eius partialibus modis, ſeu omnibus analogatis non habet, & conſequenter, quod nec conceptum obiectiuum, nec conceptum formalem abſtrahentem à conceptibus analogatorum habet, ſed ſola vox cum identitate termini diuerſimodè reſpecti, communis eſt. Itaque cùm in hac analogia ſint tria, vox, terminus, reſpectus diuerſi ad illum, nomen analogum terminum quidem diſtinctè ſignificat, vt ſanum ſanitatem; reſpectus autem diuerſos itá indeterminatè, & confusè importat, vt primum diſtinctè, vel quaſi diſtinctè oſtendat: cæteros autèm confusè, & per reductionem ad primum. Sanum enim reſpectus multos ad ſanitatem puta habentis, ſignificantis, cauſantis &c. ſic in vna voce ſanitatem diſtinctè importantem confundit, vt reſpectum primum, ſcilicèt habentis, ſeù ſubiecti diſtinctè ſignificet. Sanum enim abſolutè dicimus ſanitatem habentem, & ſubiectum: cæteros autèm reſpectus indeterminatè importat, & per attributionem ad primum; vt patet ex dictis. Et propter hoc tria de huiuſmodi analogo dicuntur ſcilicet quod commune eſt omnibus analogatis, non ſecundum vocem tantùm; & quod ſimpliciter prolatum ſtat pro primo; quod non eſt prius primo analogato, in quo tota ratio formaliter ſaluatur. Primum quidem peculiarius ſignificat, & ſuprà omnia analogata ſuperius ſignificatum non habet. Itá Caietanus in eodem cap. 2. cit. *3. Conditio illata ex ſecunda cõueniens analogis analogia attributionis explicatur à Caietano.*

Quartum notabile tandem in c. 1. explicat Caietanus diuidendo cum D. Thom. analogiam in analogiam duorum ad tertium, vt vrinæ, & medicinæ ad animal ſanum; & in analogia vnius ad alterum, vt vrinæ, vel medicinæ ad animal ſanum. Nec habet diuiſio iſta alia membra à ſupradictis, quoniam hoc circuit analogiam ſecundum omnia genera cauſarum: Sed ad hoc facta eſt, vt oſtendatur differenter ſuſcipi nomen analogum, quia ponitur primum analogatum ex vna parte, & cætera ex alia parte, & quando ſecundorum analogatorum, vnum hinc, & alterum indè ponitur ſecundum quodcunque genus analogiæ fiat. Primo enim & cæteris ſic commune eſt analogum, vt nihil eis prius ponat, & ſignificat, & propterea vocatur analogia vnius ad alterum, ponendo omnia alia à primo loco vnius; ſecundis autem analogatis, ſic commune eſt nomen analogum, vt aliquid eis prius ponat, primum ſcilicet ad quod omnia alia attribuuntur ſecunda, *4. Notabile Caietani in quo declaratur quid ſit analogia duorum ad 3. & vnius ad alterum.*

Digitized by Google

& vocatur analogia duorum ad tertium, vel multorum ad vnum; quia non inter ſe eſt attributio, ſed ad primum. Iſta analoga ſecundum attributionem vocantur à Logico æquiuoca, vt in principio prædicamentorum patet, vbi animal dicitur æquiuocum ad animal verum, & pictum: animal enim pictum non purè æquiuocè, ſed per attributionem ad animal verum, animal dicitur, & in ratione eius in quantùm animal manifeſtè patet verum animal dici: Quærenti enim quid animal pictum in eo quod animal reſpondetur, Imago animalis veri. A Philoſophis verò Græcis nomina ex vno, vel ad vnum, aut in vno, & media inter æquiuoca, & vniuoca dicuntur, vt pluries in Metaph. patet; Et expreſsè in primo Eth. huiuſmodi nomina contrà analoga diſtinguuntur, vt ampliùs dicetur: A Latinis autèm vocantur analoga, vel æquiuoca à conſilio. Hanc analogiam S. Tho. in 1. ſent. diſt. 19. vocat analogiam ſecundum intentionem, & non ſecundum eſſe, eo quod nomen analogum non ſit commune ſecundum eſſe, ideſt formaliter, ſed ſecundum intentionem, ideſt ſecundum denominationem, vt enim ex dictis patet in hac analogia nomen commune formaliter non ſaluatur, niſi in primo: de cæteris autèm extrinſeca denominatione dicitur. Hæc ideo analoga apud Latinos dicuntur, quia proportiones diuerſas ad vnum dicunt extensò proportionis nomine ad omnem habitudinem, abuſiua tamèn locutio hæc eſt, quamuis longè minor, quàm prima. Quando autem de huiuſmodi analogis ſit ſcientia, & contradictiones, & demonſtrationes, & conſequentiæ, & alia huiuſmodi de eis fiant ex dictis, ex Ariſt. & ex conſuetudine patet: oportet enim ſignificationes diuerſas priùs diſtinguere (propter quod ambigua apud Arabes hæc dicuntur) & deindè à primo ad alia procedere, ſicuti à centro ad circumferentiam diuerſis proceditur vijs. Sic de analogia attributionis in cap. 2. ſcribit Caiet.

Notabile 5. Caietani in quo oſtenditur vera, & propria analogia, quæ ſola eſt proportionis.

Adnotat 5. in cap. 3. Caietanus in diffiniendo, diuidendo, & declarando analogiam proportionalitatis quod ex abuſiuè analogis ad propriè analoga aſcendendum eſt, & dicit quod analoga ſecundum proportionalitatem ſunt, quorum nomen commune eſt, & ratio ſecundum illud nomen eſt proportionaliter eadem. Vel dicatur ſic. Analoga ſecundum proportionalitatem dicuntur, quorum nomen commune eſt, & ratio ſecundum illud nomen eſt ſimilis ſecundum proportionem, vt videre corporali viſione, & videre intellectualiter communi nomine vocantur videre quia ſic, intelligere ipſum rem animæ offert, vt videre offert corpori animato. Quamuis autèm proportio vocetur certa habitudo vnius quantitatis ad aliam (ſecundum quod dicimus, quod quattuor habet duplam proportionem ad duo) & proportionalitas dicitur ſimilitudo duarum proportionum, ſecundum quod dicimus,ità ſe habere octo ad quattuor, quemadmodum ſex ad tria: vtrobique enim dupla proportio eſt; &c. tranſtulerunt tamèn Philoſophi proportionis nomen ad omnem habitudinem conformitatis, commenſurationis, capacitatis, &c. & conſequentèr proportionalitatem extenderunt ad omnem ſimilitudinem habitudinum; & ſic in propoſito vocabulis iſtis vtimur. Ità Caietanus cap. 3. cit.

Analogia proportionis in duos modos diuiditur propriè, & metaphoricè.

Adnotat 6. Caietanus in cap. 3. diuidendo hanc analogiam in duos modos, ſcilicet quod ſit propriè, & metaphoricè. Metaphoricè quidem, quando nomen illud commune abſolutè non habet rationem formalem, quæ in vno analogatorum ſaluatur, & per metaphoram de alio dicitur, vt ridere vnam ſecundum ſe rationem habet: analogum tamen metaphoricè eſt riſui vero, prato florenti, aut bono ſucceſſui fortunæ: ſic enim ſignificamus hæc ſe habere, quemadmodum homo ridens. Et de huiuſmodi analogia Scriptura Sacra eſt plena, de Deo metaphoricè noti-

Digitized by Google

notitiam tradens. Propriè verò fit quando nomen illud commune in vtroq; analogatorum, abſque metaphoris dicitur, vt principium in corde reſpectu animalis, & in fundamento reſpectu domus ſaluatur, quod quidem de eis proportionaliter, vt ait Auuerr. in comm. 7. p. Eth. Et tamdem Caietanus ait, quod hæc analogia cæteris antedictis præfertur, & dignitate, & nomine. Dignitate quidem, quia hæc fit ſecundum genus cauſæ formalis inhærentis, quam prædicat ea quæ ſingulis inhærent. Altera verò fit ſecundum extrinſecam denominationem. Præfertur etiàm nomine, quam analoga nomina apud Græcos, à quibus analogiæ vocabulum habemus, hæc tantùm dicuntur, vt etiàm ex Ariſt. colligitur, qui in Metaph. in principio 4. & 7. tex. comm. 15. Nomina quæ dicimus analoga per attributionem ex vno, vel ad vnum, vel in vno vocat. Et in 5. Met. c. de vno tex. 12. diffiniens vnum ſecundum analogiam, vt in ſynonimis vtitur, & vnum analogia, & vnum proportione, & deffinit, eſſe ea quæcumque ſe habent vt aliud ad aliud, apertè inſinuans ibi, illam eſſe propriè analogorum diffinitionem, quam diximus. Quod tamèn clariùs in Arabica translatione habetur dicente, quod illa quæ ſunt vnum ſecundum æqualitatem ſcilicèt proportionalem, ſunt quorum proportio eſt vna, ſicut proportio alicuius rei ad aliam rem. Vbi Auerr. ait, & illa dicuntur vnum, quæ ſunt vnum ſecundum proportionalitatem, ſicut dicitur quod proportio Rectoris ad Ciuitatem, & Gubernatoris ad nauim eſt vna. In 2. quoque poſt. c. 11. huiuſmodi nomina proportionalia analoga vocat. Et quod plus eſt in 1. eth. c. 7. diſtinguit ſupradicta nomina ad vnum, aut ex vno contrà analoga, dùm loquens de communitate boni, ad ea, quæ bona dicuntur: ait, non aſſimilantur à caſu æquiuocis, ſed certè ei quod eſt ab vno eſſe, vel ad vnum nomina contendere, vel magis ſecundum analogiam; & ſubdens exemplum analogiæ dicit, ſicut enim in corpore viſus, in anima intellectus. Ità de analogia propriè dicta explicat Caietanus in cap. 3. cit.

Quid ſit analogia propriè dicta, quæ eſt proportionis ſecundum Ariſtot. D. Thom. & antiquos.

Sententia D. Th. explicata à Caiet. de analogia propria, & vera, quæ eſt proportionis.

Quo ad ſecundum Caietanus in eodem cap. 3. explicat circà analoga, & analogiam proportionis D. Thomæ cuius eſt propria ſententia nec ab vno apice diſcedit; imò docet Lectores quid hoc nomen analogiæ ſonet, & dicit præferendam eſſe in prædicationibus Metaphyſicis hanc analogiam in ly magis, vt exponit S. Th. ibidem optimè propter ſupradictam rationem. Scimus, ait Caietanus, ſecundum hanc analogiam proportionalitatis, rerum intrinſecas entitates, bonitates, veritates, &c. quod ex priori analogia non ſcitur. Vndè ſine huiuſmodi analogiæ proportionis notitia, Metaphyſicales proceſſus abſque arte diſcuntur: Acciditque huiuſmodi ignorantibus idem quod Antiquis neſcientibus Logicam, vt in 2. Elenchorum dicitur. Nec fuit fortè ab Ariſt. tempore tàm periculoſus Caſus iſte, ſicut modo apud nos eſt, quandò blaſphemarè ferè videtur qui Metaphyſicales terminos analogos dicens ſecundum proportionalitatem communes exponit. Cum tamèn Auuerr. dicat ſuper prædicto Tractatu, & dignius his tribus modis eſt, vt ſit nomen boni dictum de eis ſecundum illam viam, quæ dicitur de proportionalibus. Vocatur quoque à S. Thom. in 1. ſent. diſt. 19. analogia hæc, ſecundum eſſe, & ſecundum intentionem, eo quod analogata iſta nec in ratione communis nominis, nec in eſſe illius rationis purificantur, & tamèn tàm in ratione illius nominis, quàm in eſſe eiuſdem proportionaliter conueniunt: ſed quoniam, vt dictum eſt, obſcura, & valdè neceſſaria hæc res eſt, accuratè diſtinctéque dilucidanda eſt per plura capitula. Et Caietanus addit in 1. poſt. c. 12. circà finem, quod nullum inconueniens eſt, & nulla deceptio ſequitur, ex eo quod in ſcientijs vtimur nominibus analogis, quæ æquiuoca in prædicabilibus,

& in

& in prædicamentis vocantur pro eo quod non habent rationem ſimpliciter. Scientiæ enim, ait Ariſtot. vtuntur intellectu qua ſignificatione vtantur, ſicut ſenſu videmus circulum deſcriptum. Ex ignorantia ergò artis poſterioriſticæ prouenit ponere vniuocationem nominum metaphyſicorum, ſcilicet entis, actus, potentia, &c. vt æquiuocationis vitetur fallacia. Ità Caiet. in cap. 3. cit.

Prima concluſio Caietani quod analogia proportionis ſit propria cum ſua probatione.

Quo ad 3. Caietanus in cap. 3. ponit hanc ſuam concluſionem primam. Analogia proportionis eſt verè, & propriè analogia, & per conſequens analoga ſecundum hanc analogiam ſunt vèrè, & propriè analoga.

Probat hanc ſuam primam Concluſionem in cap. 3. ſub hac forma. Illa verè, & propriè eſt analogia, quæ præ alijs re, verè, & propriè, & non abuſiuè cæteris analogijs præponitur dignitate, & nomine: Analogia proportionis eſt huiuſmodi: ergo, &c. Maior conſtat de ſe. Minor ex doctrina Ariſt. in ſuo cap. 3. & allata ſuprà in adnotationibus manifeſtè clareſcit, quod ſola analoga proportionis ſunt verè analoga. Ità Caietanus.

2. Concluſio Caietani quod ſola analogia attributionis, eſt prior illa, quæ eſt & dicitur proportionis cũ ſua probatione.

Secunda Concluſio ponitur ab eodem Caietano in cap. 3. ſic. Analogia attributionis eſt prior analogia proportionis tùm intèr Deum, & Creaturam: tùm etiàm inter ſubſtantiam, & accidens. Probat Caietanus hanc ſuam concluſionem multis in locis, & ratione, & inductiuè exemplo aeris lucidi, & præcipuè in ſuo cap. 2. ſub tali forma.

Vbi eſt in analogijs attributionis, & proportionis non ſolùm relatio denominationis extrinſecæ, ſed etiàm denominatio cauſalis, ſi reſpectu analogiæ attributionis eſt antecedentia, & prioritas in tali caſu eſt prior analogia proportionis: ſed intèr Deum, & Creaturas intèr ſubſtantiam, & accidens in quibus eſt vtraque analogia reſpectu analogiæ attributionis eſt antecedentia, & prioritas cum ſola denominatione extrinſeca: ergo inter Deum, & creaturas analogia attributionis erit prior analogia proportionis. Maior declaratur à Caietano ſic. Duplici via aliquid poteſt ſubire denominatione ab aliquo ſibi extrinſeco, primo quod ratio cum denominetur ſit ipſa relatio ad extrinſecum, hoc eſt eatenus denominetur, quatenus ad extrinſecum refertur; ſecundo quod ratio denominationis ſit non relatio ſimilitudinis, ſiuè alius reſpectus, ſed ſit forma quæ fundet talem ſimilitudinem. Prima denominatio, ait Caietanus, eſt purè extrinſeca, poſterior autèm non ita purè extrinſeca, vt non ſit etiàm cauſalis. Primo modo medicina dicitur ſana quia relatione tantùm cauſæ ad ſanitatem, non autèm quod in ipſa ſit aliqua forma ſaltèm formaliter, per quam talis denominetur. Secundo modo aer dicitur lucidus luce ſolari, recipit enim lucem à ſole, & illum reſpicit, ſed vltrà hoc habet quoque in ſe formam, qua denominatur talis, videlicet lucem. Vbi ergo videbitur in analogatis pura denominatio extrinſeca, illa nunquàm formaliter ſubibunt denominationem; vbi autèm prætèr illam denominationem extrinſecam, apparebit & cauſalis, illa extrinſecè quidem primo dicentur talia in vi illius reſpectus, deindè intrinſecè quoque ob formam ſibi inhærentem, & talem denominationem fundantem, ſiuè cauſantem.

Declaratio Minoris principalis rationis facta à Caietano.

Minor declaratur à Caietano exemplo accidentis in relatione ad ſubſtantiam, & creaturæ ad Deum, in quibus videbis denominationem extrinſecam quidem, at non puram, ſed etiàm merito formæ vtrique inhærenti; & ſic primum vbi extrinſecè ea dixeris entia, hoc eſt comparatione ad ſubſtantiam, & Deum, poſteà intrinſecam quoque eidem denominationem tribues, ratione formæ fundantis denominationem illam non extrinſecam, ſed intrinſecam. Cum ergo iam docuerimus quod in vtriſque præcedit analogia attributionis analogiam proportionis, iàm habemus

bemus

bemus quod formã non poteſt cauſare illam attributionis, quæ eſt extrinſeca: in illo enim ſigno, & ſub illo reſpectu non adeſt forma, ſed extrinſecè ſolùm talia denominantur, vt exemplificauimus de aere lucido, prius enim reſpicit ſolem, quàm ſit lucidus, & in illo priori cauſalitatis, & naturæ non eſt intrinſecè lucidus, fruſtrà enim reſpiceret ſolem, tanquam illum, à quo eſſet accepturus lucem (ſcio enim, quod poſſet eundem reſpicere vt lucis ſuæ conſeruatiuum) ſed luce recepta in ipſo formaliter, lux illa, ſeu forma illa cauſat deindè intrinſecam denominationem, qua intrinſecè dicitur lucidus, quod nequit dici de medicina reſpiciente animal, ità enim ſemper reſpicit, quod nunquàm formam ſanitatis recipit in ſe, ſed ſemper omnis eius denominatio cõſiſtit in relatione illa, qua reſpicit animal. Quod ſi accidens, & creatura eſſent analogata analogia ſolùm attributionis, meritò eſſet dicendum, quod eſſent ſolùm dicenda entia extrinſecè: ſed quoniam vltrà illam attributionis habent quoque analogiam proportionis, quæ fundatur, in aliquo, quod formaliter omnibus huiuſcemodi analogatis ineſt, ideò non poteſt dici, quod extrinſecè ſolùm ſint entia, ſed etiam intrinſecè formaliter. Concluſum igitur remanet ex his, quod analogia attributionis, eſt prior analogia proportionis. Ità Caietanus loc. cit.

Argumentum 1. ex D. Tho. cum ſua Reſp. pro prima Concluſione.

Quoad 4. Arguit 1. Caietanus in 1. p. qu. 13. art. 6. Ipſemet S. Thom. in qu. de verit. art. 11. ait quod iſta propoſitio, ſeù dictum, ſcilicet quod primum analogatum poni debeat in rationibus analogatorum non verificatur virtualiter: ergo ſecundum D. Thom. non eſt enunciandum vt verum virtualiter.

Reſp. Caietanus quod analoga inueniuntur duobus modis: quædam enim ſignificant ipſos reſpectus ad primum analogatum, vt patet de ſano. Quædam verò ſignificant fundamenta tantùm illorum reſpectuum, vt communitèr inuenitur in omnibus verè analogatis propriè, & formaliter ſaluatis in omnibus analogatis. Propoſitio ergo illa virtualis intelligenda eſt virtualiter in primo modo analogiæ; ita quod ſenſus eſt, quod in omnibus nominibus, quæ de pluribus analogicè, ideſt ſecundum diuerſos reſpectus dicuntur, opportet poni vnum. In quæſtione autèm de verit. de ſecundo modo analogiæ dicit oppoſitum. Et hæc Reſp. ait Caietanus, eſt vtilior ea quam alibi aſſignauimus, vt immediatè patebit infrà, quia illa Reſp. habet locum etiàm in analogis ſecundum proportionalitatem, metaphoricè tamèn dictis: in his enim etiàm vnum ponitur in ratione alterius propter prædictam cauſam. Ità Caiet. loc. cit.

Argum. 2. ex D. Tho. contra notabilia.

Arguit 2. in 1. p. qu. 16. art. 6. Si analogum in vno tantùm ſecundùm proprium rationem ſaluatur cur in qu. 13. docetur omnia nomina communia Deo, & alijs eſſe analoga, & per conſequens quod veritas analogicè inueniatur in intellectu Diuino, & alijs, ex hoc ſequitur quod in multis intellectibus non ſunt multæ veritates, ſed quod omnes intellectus ſunt veri vna ſola veritate, ſcilicet intellectus Diuini; & è conuerſò ſi veritas multiplicatur ad multiplicitatem intellectuum verorum, ergo non per prius, & poſterius dicitur de eis, quia quod per prius, & poſterius dicitur, in vno tantum, vt docet D. Thom. formaliter inuenitur.

Reſp. Caietani data 1. Argum.

Reſp. Caietanus quod illa Regula de analogo tradita, non eſt vniuerſalis de omni analogiæ modo, imò propriè loquendo vt patet 1. Eth. nulli analogo conuenit, ſed conuenit omnibus ad vnum, vel in vno, aut ab vno, quæ nos abuſiuè analoga vocamus. Veritas autèm ſi comparetur ad res, & intellectus, eſt nomen ab vno, quoniam in intellectu ſolo eſt veritas à qua res dicuntur veræ. Si verò comparetur ad intellectus intèr ſe, ſic eſt nomen analogum; nam proportionaliter ſaluatur, formaliter tamèn in quolibet intellectu cognoſcente verum. Eſſe

ergo

Digitized by Google

ergo nomen aliquod ſecundum propriam rationem in vno tantùm; eſt conditio nominum, quæ ſunt ad vnum, aut ab vno, &c. & nominum proportionaliter dictorum. Veritas autèm reſpectu intellectus Diuini, & aliorum proportionale nomen eſt, & ideò non ſequitur, quod in ſolo Deo ſit. Iàm enim dictum eſt; quod omni prædicato formaliter de pluribus conuenit plurificari ad plurificationem ſubiectorum, ſiuè illud ſit vniuocum vt animal, ſiuè proportionale vt ens, &c. De huiuſmodi autèm differentia nominum plenè ſcriptum inuenies, (ait Caiet. in loc. cit. p. 1.) in Tractatu de Analogia nominum.

3. Argum. Caietani contrà notabilia ſupra.

Arguit 3. Caiet. falſum eſt quod in analogis analogia attributionis primum ponatur in reliquorum diffinitione, & non in analogis proportionis: ergo, &c. Probatur falſitas, quia ratio vnius analogati vt ſic, & formaliter, ſcilicet vt eſt eadem proportionaliter alteri fieri non poteſt, vt abſque illa altera perfectè exprimatur, quomodo enim hoc ſe habere proportionaliter ad aliud, ego intelligam, niſi vtrumque cognoſcam? & in cap. 7. dicemus quod in analogis metaphoricè dictis, neceſſariò id quod propriè dicitur ponendum eſt in ratione illius quod metaphoricè dicitur: & loquendo poſteà de ijs, quæ verè ac propriè analoga ſunt, & dicuntur, dicit non eſſe neceſſariam prædictam conditionem ipſe Caietanus.

Reſp. Caiet. data 3. Argum.

Reſp. Caietanus quod in analogis propriè dictis, non eſt neceſſe alterum poni in diffinitione alterius, quoniam proportionem illam non formaliter, ſed fundamentaliter importat, ideſt in actu exercito id non exigitur quoniam formaliter talis ſimilitudo non exprimitur, quia ſi ſignificatur in actu ſignato, tunc neceſſario ad vnius notitiam, requiritur, & illa alterius; tunc enim explicitè talis proportio importatur. Dicitur ergo quod licet ad hoc quod aliqua cognoſcantur vt eadem proportionaliter, hoc ſcilicet ad aliud formaliter ſe habere quo ad relationem identitatis, & ſimilitudinis, alterum abſque altero nequeat cognoſci, hoc tamèn non eſt neceſſarium in cognitione illa, qua aliquid importat ſimilitudinem ad alterum fundamentaliter; tunc enim in ratione vnius non cadit reliquum, ſed ratio vnius eſt ratio alterius, vel omninò vt in vniuocis, vel proportione, vt in analogis; patet autèm quòd hoc nomen analogum, puta ens, non ſignificat relationem illam identitatis vel ſimilitudinis, ſed fundamentum talis ſimilitudinis. Ex quo notabis aliud eſſe dicere, hoc eſt in re, & aliud dicere hoc importatur in explicatione rei; analogatum enim omne vt ſic eſt alteri idem proportionaliter, ſimiliter vniuocatum eſt omninò in re idem ſecundum rationem alteri, cum quo vniuocatur. Non eſt neceſſe tamèn talem identitatem exprimi in rei diffinitione, quoniam huiuſmodi identitas, aut ſimilitudo non exprimitur formaliter, & in actu ſignato, ſed ſolùm fundamentaliter, & in actu exercito, vt dictum eſt, & ſic non ponitur alterum in diffinitione alterius. Ità Caiet. in cap. 2. & 3.

4. Argum. Caietani cōtrà primā Concluſionem.

Arguit Caietanus vltimò ex 1. p. qu. 16. art. 6. in corp. Datur ſecundum D. Th. Vna ſola analogia attributionis: ergo nulla illa diuiſio. Prob. antec. D. Tho. ait in corp. art. cit. quod quando aliquid dicitur analogicè de multis, illud ad differentiam vniuoci inuenitur ſecundum propriam rationem in vno eorum tantùm, à quo alia denominantur, & exemplificat de veritate; & tamèn ex quæſt. 13. conſtat omnia communia Deo, & alijs eſſe analoga: ergò vel hic, vel ibi dicit falſum.

Reſp. Caiet. data 4. Argum pro pri. ſua Concluſione.

Reſp. Caietanus. Reſp. data ſuprà ad ſecundum argumentum pro vt præcisè probat de omnibus analogis. Et D. Tho. loquitur ibi ex ſola analogia attributionis, & ad probat. anteced. dicitur quod illa Regula conuenit nominibus analogis

ad

ad vnum, vel in vno, aut ab vno, quæ nos abuſi vt vocamus Analōga. Et ſic veritas ſi compareretur ad res, & intellectus eſt nomen ab vno. Cæterum ſi compareretur ad intellectus intèr ſe, ſic eſt nomen verè Analogum Analogia proportionis, quia ratio formaliter ſaluatur proportionaliter in intellectu quolibet cognoſcente verum; accipiatur igitur hoc, & ſige mentem, quod eſſe ſecundum propriam rationem in vno tantum eſt conditio nominum, quæ ſunt ad vnum, aut ab vno. Ità ſuprà Reſp. Caiet.

Appendices ſuper Lectionem Primam de Analogis.

Circà diuiſionem Analogiæ in Analogiam attributionis, & proportionalitatis, qui tenent cùm Caietano, Analogiam proportionis eſſe propriè, & ſimplicitèr Analogiam (quia eſt Analogia, & ſecundum rem, & ſecundum intentionem; Analogia autèm attributionis ſecundum intentionem tantùm) oppertet quod ſuſtineant cum Caietano diuiſionem iſtam eſſe Analogam. Ità defendunt Caiet. Mag. Arauius, & Lerma alijq; quàmplures Thomiſtæ, & domeſtici, & exteri, & iſtæ duæ Analogiæ vocantur Logicæ, ſicuti, & etiam Analoga ſecundum iſtas duas Analogias. Et ſicut Analogia proportionalitatis, & eius Analoga, diuiditur in propriam, & Metaphoricam, ità Analogia attributionis; videatur D. Th. in p. ſent. diſt. 19. q. 1. a. 2. ad 1.

Quomodo autèm Cæteri Thomiſtæ intelligant D. Th. in p.p.q. 13. a. 5. qui diuidit Analogiam duorum, vel plurium in ordine ad vnum tertium, vt Analogia ſani dicti de Animali, Vrina, & Medicina; & diuidit inſuper in Analogiam vnius ad alterum, qualitèr Analogantur accidens, & ſubſtantia pro vt formaliter ſunt Analoga attributionis, quia ſecundum Caietanum, & alios ſubſtantia, & accidens, Deus, & Creatura vtraque analogia, & attributionis, & proportionalitatis Analogantur. Et quomodo intelligant eumdem D.Th. in p. p. q. 16. a. 6. in c. vt vidimus in Arg. ſuprà; & quomodo intelligant illum in p. 2. q. 20. a. 3. ad 3. & in p. p. q. 13. a. 6. in c. ſi loquamur de Eminentiſſimo Interprete Caietano iàm diximus quod ipſe in fine Comment. art. 5. q. 13. p. p. ait, quod exempla ponuntur non quod ità ſint, ſed vt diſcentes intelligant, & quod loquitur D. Th. in alijs locis, & in q. 16. a. 6. & in p. 2. q. 20. a. 3. ad 3. de Analogia attributionis, & non de Analogia in communi, vt conſtat ex exemplo, quod adducit de ſano. Non enim ens eſt Analogum Deo, & Creaturis, ait Caietanus, ſecundum denominationem extrinſecam, vt ſanum, ſed in hoc tenet ſimilitudo, quod vtrobique eſt Analogia ratione ordinis duorum intèr ſe, quamuis difformitèr ſic hic, & ibi. Intèr Animal ſanum, & vrinam non eſt ſimilitudo, ſed relatio ſignificationis, & propria ibi eſt Analogica communitas ſecundum prædicationem formalem. Intèr Deum autèm, & Creaturas eſt ſimilitudo formalis imitatiua, & eſt ibi propriè communitas attributionis ad vnum ſecundùm prædicationem quamcumq; ſiuè extrinſecè, ſiuè intrinſecè; & tamdem concludit Caietanus ibi in p. p. loc. cit. ſi vis hanc materiam intelligere, vide ſæpè opuſculum noſtrum dictum de Analogia nominum.

Cæteri ergo Thomiſtæ tàm moderni, quàm antiqui ſentiunt cùm Caietano, quod in loc. cit. D. Th. loquatur non de Analogia adæquatè ſumpta, vt abſtrahit à prædictis duabus, ſed tantùm de Analogia attributionis. Io: à S. Thoma cuius ſenſus cum ſenſu plurimi ſunt faciendi in tota Metaphyſica, maximè in Controuerſijs, dicit hoc peculiare circa intellectum litteræ D. Th. in loc. cit. cum Ferrarienſi, Lerma, Io: Martinez de Prado, & cum alijs Thomiſtis modernis, quod ſcilicet

Digitized by Google

D. Thomas ſub alijs verbis aſtruit prædictam diuiſionem Caietani explicando notiori exemplo ipſam met per Analogiam attributionis. Primò enim Analogum Logicè diuiditur in Analogum plurium ad vnum, & vnius ad alterum, & rurſus hæc Analoga in Analoga attributionis, & proportionalitatis. Et hæc ferè eſt eadem interpretatio Caietani, cum quo ſentiunt prædicti Thomiſtæ, verè S. Th. loqui in loc. cit. de ſola Analogia attributionis, & de Analogis attributionis, & non de Analogia in communi; quidquid dicant alij moderni de Interpretatione mentis Sanctiſſimi Præceptoris.

LECTIO II.

METAPHYSICALIS

IN TRACTATV DE NOMINVM ANALOGIA.

Quomodo nomen Analogum ab Analogatis diſtinguatur, & abſtrahatur.

Ex opuſculo Caietani cap. 4. & 5.

Declaratio ſenſus tituli quo ad ambas partes facta à Caietano.

DEclarat primam partem Tituli Caietanus in cap. 4. ſic. Quoniam Analogia media eſt intèr æquiuocationem puram, & vniuocationem ex his extremis, medij natura explicanda eſt. Et quia in nominibus tria inueniuntur, ſcilicet vox, conceptus in anima, & res extrà, ſeù conceptus obiectiuus, ideò perluſtrando ſingula, dicendum eſt, quomodo Analogum ab Analogatis diſtinguitur. Secundam partem Tituli declarat ſic, in cap. 5. Agere de abſtractione Analogi ab Analogatis, nihil aliud eſt, quàm inquirere, & determinare, quomodo res ſignificata nomine Analogo intelligi poſſit non cointellectis Analogatis, & quomodo conceptus illius habeatur abſque conceptibus illorum. Ità Caiet.

Primum notabile Caiet. in quo explicatur differētiā Analogorum, & Vniuocorum.

Quo ad primum notat Caietanus in cap. 4. pro diſtinctione Analogorum, quod à rebus incipiendo, quæ priores conceptibus, & nominibus ſunt, dicimus quod nomine Equiuoco diuerſæ res ſignificantur, quod vt ſic non niſi voce adunantur; in vniuoco autèm diuerſæ res ità ſignificantur, quod vt ſic ad rem ſimpliciter vnam in ſe abſtractam, & præciſam in eſſe cognito ab eis adunantur: Analogo autèm nomine res diuerſæ ità ſignificantur quod vt ſic ad res diuerſas ſecundum proportionem vnam vniuntur. Vocatur autèm res in propoſito non ſolum natura aliqua, ſed quicumq; gradus, quæcumq; realitas, & quodcumque reale in rebus inuentum. Vndè intèr Vniuocationem, & Analogiam hæc eſt differentia, quod res fundantes Vniuocationem ſic ſunt ad inuicem ſimiles, quod fundamentum ſimilitudinis in vna eſt eiuſdem rationis omninò cum fundamento ſimilitudinis in alia, ità quod

ni-

Digitized by Google

nihil claudit in ſe ratio vnius quod non claudat ratio alterius, ac per hoc fundamentum vniuocæ ſimilitudinis in vtroq; extremorum æque abſtrahit ab ipſis extremis. At fundamentum Analogæ ſimilitudinis in neutro extremorum opportet eſſe abſtractum ab ipſis extremis, ſed remanent fundamenta diſtincta, ſimilia tamen ſecundum proportionem propter quod eadem proportionalitèr, vel Analogicè dicuntur. Ità Caietanus.

Secundo adnotat Caietanus in eodem c. 4. differentiam intèr conceptum mentalem in Vniuocis, & Analogis, quod nomen Vniuocum, & omnia Vniuocata vt ſic vnum tantùm conceptum in mente habent perfectè, & adæquatè eis correſpondentem, quia fundamentum vniuocæ ſimilitudinis, quod eſt ſignificatum formale rationis vniuoci, vnius omninò nominis eſt in omnibus vniuocatis, ac per hoc in vno repreſentato, omnia repreſentari neceſſe eſt. In Analogis verò, quoniam fundamenta Analogæ ſimilitudinis diuerſarum ſunt rationum ſimpliciter, & eiuſdem ſecundum quid, ideſt ſecundum proportionem, opportet duplicem Analogi mentalem conceptum diſtinguere in perfectum, & in imperfectum: & dicere quod Analogo, & ſuis Analogatis reſpondet vnus conceptus mentalis imperfectus, & tot perfecti, quot ſunt Analogata. Quia enim vnum Analogatorum vt ſic ſimile eſt alteri, conſequens eſt quod conceptus repreſentans vnum, repreſentet, & alterum, iuxtà illam maximam. Quidquid aſſimilatur ſimili vt ſic, aſſimilatur etiàm illi, cui illud tale eſt ſimile. Quia verò talis ſimilitudo ſecundum proportionem tantùm eſt, quæ diuerſam rationem in altero fundamento habet conceptus perfectè repreſentans vnum Analogatorum à perfecta repreſentatione alterius deficit, & conſequentèr opportet alterius analogati alterum conceptum adæquatum eſſe. Ità Caiet. c. 4. cit.

Secundum notabile Caiet. in quo oſtenditur differentia intèr conceptũ mentalem in Vniuocis, & Analogis.

Notat 3. Caiet. in c. 5. circà ly abſtrahatur, quod duplex eſt abſtractio Analogi ab Analogatis, ſcilicet, formalis, & totalis, & hæ abſtractiones non differunt in eodem niſi ſecundum præciſionem, & non præciſionem, vt alibi declarauimus; & dicere quod ens eſt abſtractum à naturis prædicamentorum abſtractione formali, nil aliud eſt quàm dicere, quod naturæ prædicamentales ſunt proportionales ad ſua eſſe, vt ſic præcisè; à ſpecialibus autèm ſeù ſingulis Analogiæ rationibus extremis, non tertio conceptu ſimplici, ſed voce communi, & identitate proportionali eorundem, quodammodò abſtrahit. Et identitas eſt talis, quod Analogi rationes dupliciter ſumi poſſunt ſcilicet ſecundum ſe, & vt eadem. Et ipſæ, vt eadem propter identitatis proportionalis naturam, non abſtrahant à ſe ipſis, & tamen aliquid conuenit eis ratione identitatis, ſeù in quantùm eadem ſunt, quod quidem non conuenit eis ratione diuerſitatis, vt patet de Communibus eis videtur quod duo incompoſſibilia ſecundum apparentiam Analogi rationibus conueniant, nimirùm quod eadem vt ipſæ non abſtrahant à ſe ipſis, & quod ipſæ vt eadem aliquid cauſent, & habeant, quod non diuerſæ; reduplicariq; poſſunt vt eadem: non reduplicatis, vt diuerſæ ſunt. Hæc enim non ſolùm incompoſſibilitèr, ſed neceſſariò ſimul ſibi vendicat identitas proportionalis, quoniam, & extrema vniri non patiens omninò, ab eis abſtrahi omninò non permittit, & extrema aliqualiter indiuiſa, & eadem ponens, vt eadem ea conſiderabilia, & reduplicabilia exigit; ſicque fit vt in Analogo ſecundum identitatem in ſe clauſam, ad diuerſitatem quoque rationum in ſe clauſam comparato, abſtractio quædam (quæ non tàm abſtractio, quàm quidam abſtractionis modus eſt) inueniatur, propter quam non ſolùm ab Analogatis puta ſubſtantia, & quantitate, Analogum puta ens abſtrahere datur, vt ſuprà diximus, ſed ab ipſis eius rationibus; ſeù à diuerſitate ipſarum rationum eius, puta rationis

Notab. 3. Caiet. in quo declaratur abſtractio Analogi ab Analogatis.

Digitized by Google

entis in ſubſtantia, & rationis entis in quantitate, non quia quãdã eis rationem communem dicat, quia hoc eſt fatuum, nec quia illæ rationes omninò ſint eædem, aut eas omninò vniat, quia ſic non eſſet Analogum, ſed Vniuocum; ſed quia eas proportionaliter adunans, & eaſdem vt proportionaliter ſignificans, vt eaſdem ſic conſiderandas offert, annexa inſeparabiliter diuerſitate, quaſi ſecluſa, & identitate proportionali, vnit, & confundit quodammodò diuerſitatem rationum. Sicq; non ſola ſignificationum in voce confuſio Analogo conuenit, ſed confuſio quædam conceptuum, ſeù rationum fit in identitate eorum proportionali; ſic tamèn, vt non tàm conceptus, quàm eorum diuerſitas confundatur; & quoniam Analogum talem identitatem importat præcipuè, & tali confuſione frequentèr vtimur, Analoga nomina ab omni rationum eius diuerſitate abſtrahere dicentes (dum confusè pro omnibus ſupponere ipſum pluries exponimus) ideò non mediocri vigilantia eſt opus, ne in vniuocationem labi contingat. Ità Caiet. in c. 5. cit.

Opinio Caietani quo ad differentia intèr Analoga.

Quo ad ſecundum, quo ad diſtingui intèr ſe. Caietanus tenet, quo ad vocem non eſſe intèr Analoga, & Vniuoca differentiam; quo ad res tenet differentèr adunari ſub nomine Analogo, & Vniuoco; quo ad conceptus mentales dicit eſſe differentiam intèr Analogiam, & Vniuocationem, ità quod Vniuoci, & Vniuocatorum vt ſic, vnus eſt conceptus perfectè, & adæquatè eis reſpondens, vt de conceptu Animalis patet. Analogi verò, & Analogarorum vt ſic, vt plures ſunt neceſſariò conceptus perfectè ea repreſentantes, & vnus eſt conceptus imperfectè repreſentans; non ità quod ſit vnus conceptus adæquatè reſpondens nomini Analogo, & inadæquatè Analogatis; quoniam ſecundum veritatem nomen illud Vniuocum eſſet, ſed ità quod conceptus vnus repreſentans perfectè alterum Analogatum vt ſic, imperfectè repreſentat reliquum. Vndè, & Analogata vnum habere conceptum mentalem, & plures habere mentales conceptus verum eſt diuerſimodè, quamuis ſimplicitèr loquendo magis debeat dici Analogi eſſe plures conceptus niſi loquendi occaſio aliud exigat; hoc autèm dico, addit Caietanus, quoniam cum contradicendus eſt ſermo, Analoga omninò carere vno conceptu mentali, vnum eorum conceptum dicere abſolutè non eſt reprehendendum. Qua proptèr opportet ſolerti diſcretione Lectorem vti, quandò inuenitur ſcriptum, quandò Analogata conueniunt in vna ratione, & quandò inuenitur alibi ſcriptum, quod Analogata non conueniunt in vna ratione. Ità Caietanus in cap. 4.

Opinio Caiet. quo ad abſtractionem in Analogo ab Analogatis.

Quò ad abſtrahi verò, Caietanus tenet in cap. 5. quod res Analogata poteſt quidem intelligi, non cointellectis Analogatis, & conſequentèr abſtrahere ab eis, non tamèn ſicut in Vniuocis, vt res vna, ſed ſicut duæ res vt proportionaliter ſimiles, non cointellectis ipſis met duabus rebus ſecundum ſuas proprias naturas abſolutè. Et ſic concludit, quod concedi poteſt rem Analogam abſtrahere, & non abſtrahere ab Analogatis diuerſimodè. Abſtrahere quidèm pro quanto abſtrahit ab eis, quemadmodum res vt ſic, ideſt res ſimilis alteri proportionaliter abſtrahit à ſe abſolutè ſumpta; non abſtrahere verò pro quanto res vt ſic accepta ſeipſam neceſſariò includit, & abſq; ſeipſa intelligi non poteſt, quod de Vniuocis non poteſt dici, & hoc quo ad res, ideſt quo ad conceptum obiectiuum. Quo ad conceptum verò mentalem dicit Caietanus, quod conceptus nominis Analogi, abſtrahit non ſicut vnum ſimiliter, ſed ſicut vnum proportione, ſeù ſimile ſecundum proportionem multis abſolutè, & hoc de Analogia proportionis, & non de Analogia attributionis, quia hoc eſt contrà Ariſtotelem in 2. poſt. & in p. eth. expreſsè eſt contrà D. Th. & Auuerroim, & B. Albertum Magnum: tenent enim quod Analogum habet conceptum vnum, in quo confusè, & in potentia clauduntur omnes ſpeciales proportiones

nes Analogatorum. Et ſic confuſio, qua Analogum tàm ſecundum attributionem, quàm ſecundum proportionem importat ſpeciales habitudines, aut proportiones, non eſt confuſio plurium conceptuum in vno communi conceptu, ſed eſt confuſio ſignificationum in vna voce; licet difformitèr, quoniam in primo vox Analoga primum diſtinctè ſignificat, cætera autèm confusè; in ſecundo autèm ad omnes ſuas ſignificationes indiſtinctè ſe habere permitttitur nomen Analogum in Analogia proportionis. Ità Caiet. in cap. 4.

Quo ad tertium Caietanus quo ad differre in c. 4. ponit hanc ſuam Concluſionem. Quo ad vocem nulla eſt differentia intèr Analoga, & Vniuoca, hæc prima pars de ſe patet. Quo ad rem res ipſa differentèr adunatur ſub nomine Vniuoco, & Analogo, ideſt quo ad conceptum obiectiuum diſtinguitur Analogum, ſicut vnum proportione à multis ſimplicitèr; quo ad conceptum verò mentalem adæquatum eodem omninò modo diſtinguitur, non tamen quo ad conceptum mentalem imperfectum. *Caiet. habet tres partes in ſua Concluſione quo ad differentias Analogi.*

Probatur ſecunda pars à Caietano potiùs inductiuè in c. 4. quàm ratione, vt omnibus poſſint patere prædicta. In vniuocatione v. g. huius nominis Animal, & in Analogo huius nominis ens. Homo, Bos, Leo, & cætera Animalia, quia habent in ſe ſingulas naturas ſenſitiuas, ſeù proprias animalitates, quas conſtat diuerſas eſſe ſecundum rem, & mutuò ſimiles, ità quod in quocumque extremo puta homine, aut Leone conſideratur ſecundum ſe Animalitas, quæ eſt ſimilitudinis fundamentum, inuenitur æqualiter abſtrahens ab eo, in quo eſt, & nihil includens in vno, quod non in alio; & ideò, & in rerum natura fundant ſecundum ſuas Animalitates ſimilitudinem Vniuocam, quæ identitas generica vocatur & in eſſe cognito adunantur non ad duas, vel tres Animalitates, ſed ad vnam tantùm, quæ Animalis nomine in concreto per ſe primo ſignificatur, & vniuocè communi nomine Animal vocatur. Omnium ſiquidem eorum ſecundum quod naturas ſenſitiuas habent indiſtincta eſt omninò ratio, quæ illius rei, quam Animalitatem vocamus, adæquata eſt definitio. Subſtantia, autem, quantitas, qualitas, &c. quia non habent in ſuis quidditatibus aliquid prædicto modo abſtrahibile, puta entitatem, quoniam ſuprà ſubſtantialitatem nihil amplius reſtat, ideò nullam ſubſtantialitatem vniuocantem intèr ſe compatiuntur: & hoc non tantùm ex hoc, quod eorum quidditates diuerſæ ſunt, ſed quia primò diuerſæ retinent ſimilitudinem in hoc, quod vnum quodque eorum ſecundum ſuam proportionem habet eſſe; ideò & in rerum natura non ſecundum aliquam rationis eiuſdem in extremis, ſed ſecundum proprias quidditates vt commenſuratas proprijs eſſe, fundant Analogiam ideſt proportionalem ſimilitudinem; & in intellectu adunantur ad tot res vnitas, quot ſunt fundamenta proportionis ſimilitudine ſignificatàs propter illam ſimilitudinem nomine entis, & Analogicè communi nomine vocatur ens. Differentèr ergo adunantur res ideſt quo ad conceptum obiectiuum ſub nomine Analogo, & Vniuoco. Ità Caiet. c. 4. cit. *Prob. Caiet. pro 2. parte.*

Probatur modo à Caietano in fine eiuſdem c. 4. 3. pars; inductiuè ſic. Vniuocum enim Animal, diximus, diſtinguitur ab vniuocatis puta homine, Leone quo ad rem ſignificatam, ſeù conceptum obiectiuum, & quo ad conceptum mentalem ſicut vnum ſimpliciter abſtractum &c. Analogum verò quo ad rem ſignificatam, conceptum obiectiuum diſtinguitur ſicut vnum proportione à multis ſimpliciter, vel (& eſt idem) ſicut multa vt ſimilia ſecundum proportiones à multis abſolutè. Exemplificat Caietanus v. g. ens diſtinguitur à ſubſtantia, & à quantitate non quia ſignificat rem quamdam eis communem, ſed quia ſubſtantia quidditatem tantùm, ſubſtantiæ importat, & ſimiliter quantitas quidditatem quantitatis ſignificat abſolutè; *Prob. Caiet. pro 3. parte ſuæ Concluſionis.*

Digitized by Google

Inte; ens autèm ſignificat ambas quidditates vt ſimiles ſecundum proportiones ad ſua eſſe, & hoc eſt dicere, vt eaſdem proportionaliter. Quo ad conceptum autèm mentalem adæquatum hoc quoq; eodem modo omninò diſtinguitur. De conceptu verò mentali imperfecto quamuis diſtinguatur ſicut vnum ſimpliciter à multis ſimpliciter, non tamèn ſicut vnum abſtrahens in repreſentando ab illis multis, quemadmodum in vniuocis contingit. Probatur hoc, quia conceptus iſte, puta, qualitatis in quantùm ens, alterius Analogati, ideſt ipſius quantitatis ſecundum quod ſe habet ad ſuum eſſe eſt adæquatè repreſentatiuus, & à qualitatis quidditate non abſtrahens: cæterorum verò puta quantitatis, & ſubſtantiæ, imperfectè tantùm eſt repreſentatiuus, in quantùm eis ſimilis proportionaliter eſt. Ità Caiet.

Caiet. Concl. quo ad abſtractionem cum ſua probatione inductiua.

Quo ad abſtrahi Caietanus ponit hanc ſuam Concluſionem in cap. 5. Analogum à ſuis Analogatis, puta ens à ſubſtantia, quantitate &c. tàm quo ad conceptum obiectiuum quàm mentalem, abſtrahit ſiuè abſtractione formali, ſiuè totali, ſicut vnum proportione à multis, ſeù ſicut ſimilia proportionaliter à ſe ipſis abſolutè.

Probatur imò potius declaratur à Caiet. ſic. Analogo nomine, diximus ſuprà, non ſimpliciter vna res, ſed res proportione vna ſignificatur, ergo vera Cõcluſio, patet hoc quia idem eſt res vna proportione ſignificata, quod res diuerſæ vt ſimiles proportionaliter, & ſic facilè deduci poteſt, quod res Analoga poteſt quidem intelligi non cointellectis Analogatis, & conſequenter abſtrahere ab eis. Probatur hoc. Eſto enim abſtrahere, diuerſa ſignificet, cum dicimus intellectum abſtrahere, Animal ab homine, & equo, & cum dicimus Animal abſtrahere ab homine, & equo, eo quod tunc ſignificat ipſam intellectus operationem attingentem in eis vnum, & non alia; nunc verò ſignificat extrinſecam denominationem ab illa intellectus operatione, qua res cognita, abſtracta denominatur. In vnum tamèn, & idem tendit ſemper; quoniam ſemper ſonat intelligi vnum non intellecto altero. Igitur res Analoga poteſt quidèm intelligi non cointellectis Analogatis, & per conſequens abſtrahere ab illis, ſed non ſicut in Vniuocis res vna (quia ſcilicet natura ſenſitiua, ſeù Animal intelligitur non cointellectis omninò natura humana, & equina vt ſic) ſed ſicut duæ res vt proportionaliter ſimiles intelliguntur non cointellectis ipſis met duabus rebus ſecundum ſuas proprias naturas abſolutè. Ità quod Analogi abſtractio non conſiſtit in cognitione vnius, & non in cognitione alterius, ſed in vnius, & eiuſdem intellectione vt ſic, & non in intellectione abſolutè. V. g. entis abſtractio non conſiſtit in hoc quod entitas apprehendatur, & ſubſtantia, aut quantitas non; ſed in hoc quod ſubſtantia, aut quantitas apprehenditur vt ſic ſe habet ad proprium eſſe; ſecundum hoc enim ſimilitudo proportionaliter attenditur, & non apprehenditur abſolutè ſubſtantia, aut quantitas. Idem dicitur de alijs rebus Analogis, quales ſunt ferè omnes Metaphyſicales. Ità Caiet. in c. 5. cit.

Caiet. 2. Concluſio quo ad abſtractionem cum ſua probatione declaratiua.

Secunda Concluſio quo ad abſtrahere in Analogis ſecundum attributionem ponitur à Caietano ſic. Eſto omnia Analogata in hoc conueniant, quod eamdem formam omninò reſpiciant, & terminum vnum, in quo conueniunt; erroneum tamèn eſt, Analogo per attributionem attribuere conceptum vnum reſpectus in communi ad illum terminum per abſtractionem à tali, & à tali reſpectu.

Declaratur Concluſio à Caiet. inductiuè exemplo ſani; v. g. Animal inquantùm ſanum vrina inquantùm ſana &c. licet conueniant, & in ſanitate tamquàm in termino, cuius Animal eſt ſubiectum, vrina ſignum &c. & in hoc etiàm conueniant quod reſpiciant ſanitatem (quodlibet eorum reſpicit ſanitatem licet diuerſimodè) ab his tamen ſpecialibus reſpectibus, non abſtrahitur reſpectus in communi ad ſanitatem importatus nomine ſani, in cuius conceptu omnes ſpeciales reſpe-

Digitized by Google

ctus ad ſanitatem confusè, & in potentia claudantur; falſum enim eſt, quòd ſanum ſignificet hoc, quod dico reſpiciens, vel aliqualiter ſe habens ad ſanitatem. Probatur hoc. Tùm quia ſani nomen vniuocum verè eſſet ad Animal, vrinam &c. vt patet ex vniuocorum definitione. Tum quia ſecundo hoc eſt contrà intentionem dicentium, vrinam, aut diætam ſanam; percunctantibus ſiquidem, quid eſt vrina in quantùm ſana, non reſpondetur, reſpiciens ſanitatem, ſed omnes reſpectum illum ſpecificant, reſpondentes ſignum ſanitatis; & ſimiliter de diæta reſpondetur quod eſt conſeruatiua ſanitatis. Tùm tertiò quia hoc eſt contrà omnes, & Philoſophos, & Logicos hucuſque à me viſos. Sicut antèm in prædictis Analogis prædictus eſt cauendus error, ità in Analogis ſecundum proportionem, quæ ſola ſimpliciter Analoga ſunt ſimilis cauendus eſt error, ex ſimili cauſa apparentiæ firmitatem trahens. Quià enim Analogata conueniunt in hoc, quod vnum quodque eorum commenſuratum, ſeù proportionatum eſt, licet diuerſimodè, credi poteſt quod ab his ſpecialibus proportionibus abſtrahatur proportionatum in communi, & nomine Analogo ſignificetur; ac per hoc Analogum habeat conceptum vnum, in quo confusè, & in potentia claudantur omnes ſpeciales proportiones analogatorum v. g. quia ſubſtantia vt eſt proportionata ſuo eſſe, & ſimiliter quantitas, & qualitas licet diuerſimodè; ideò à ſubſtantia, quantitate, & qualitate &c. diuerſimodè proportionatis ſuis eſſe abſtrahatur res, ſiuè quidditas proportionem habens ad eſſe qualiſcumque ſit illa proportio, & hoc ſit entis primarium ſignificatum, in quo omnes ſpeciales proportiones ſubſtantiæ, quantitatis, qualitatis &c. ad ſua eſſe confusè claudantur, & in potentia; hoc enim falſiſſimum eſt, & probatur; tùm primò quia hoc quod dicitur, ſcilicet res proportionata ad hoc quod ſit, non eſt res vna ſimpliciter, & in eſſe obiectiuo niſi chimericè; tùm ſecundò quia proportionalia nomina eſſent vniuoca, vt ex differentia vniuocorum conſtat, & conſequentèr periret proportionalitatis ratio, quæ extrema vnum ſimpliciter eſſe non compatitur, & ſic eſſent proportionalia, & non proportionalia, quod intellectus capere non poteſt. Tùm tertiò quia hoc eſt contrà Ariſt. & D. Th. & omnes antiquiores Metaphyſicos. Ità Caiet. in cap. 5.

Quo ad 4. Arguit Caietanus contrà ſecundam Concluſionem quo ad abſtrahi; ſic. Analogi nominis res ſignificata eſt eodem modo abſtrahibilis, & abſtracta, quo res vniuoco nomine ſignificatur; ergò &c. Probatur antecedens. Quia cum vt in 5. Met. dicitur vnum in qualitate faciat ſimile, nulla apparet ratio, cur à quibuſdam ſimilibus ſit vna res abſtrahibilis, & à quibuſdam non, licet euidens ratio ſit cur ab his ſimilibus puta Socrate, Platone &c. abſtrahibilis ſit res magis vna, & ab illis puta Homine, Boue, & lapide minus vna. Vndè ſi ſubſtantia, & quantitas aſſimilantur in hoc, quod vtraque eſt ens, & conſequentèr in eis eſt aliquid vnum quod fundamentum eſt illius ſimilitudinis, quid vetat ab his abſtrahi rem vnam vtriq; communem? Ità Caietanus. *Arg. 1. Caiet. contrà ſuam ſecundam Concluſionem.*

Reſp. Caietanus, quod cum vnum multipliciter dicatur, non opportet omnem ſimilitudinem attendi ſecundùm vnum ſimpliciter, ſed quandoq; ſufficit, quod vnum ſecundum proportionem faciat ſimile. Vnum autèm proportionaliter non eſt ſimpliciter vnum, ſed multa ſimilia ſecundum proportiones, à quibus ideò non poteſt abſtrahi vna res ſimpliciter quia ſimilitudo ipſa proportionalis tantùm eſt, & fundamentum non eſt niſi vnum proportionaliter. De ratione ſiquidem vnius proportionaliter, eſt habere quatuor terminos vt in 5. Eth. dicitur. Quoniam proportionalitas, qua ſimilitudo proportionum ſit intèr quatuor ad minus neceſſario eſt (quæ duarum proportionum extrema ſunt) & per conſequens vnum proportione *Reſp. Caiet. ad Arg. 1.*

non

Digitized by Google

non verificatur ſimpliciter, ſed diſtinctionem retinens, vnum pro tanto eſt, & dicitur, pro quanto proportionibus diſſimilibus diuiſum non eſt. Vnde ſicuti non eſt alia ratio, quarè vnum proportionaliter non eſt vnum abſolutè, niſi quia iſta eſt eius ratio formalis; ità non eſt quærenda alia ratio cur à ſimilibus proportionaliter non poteſt abſtrahi res vna: hoc enim ideò eſt, quia ſimilitudo proportionalis talem in ſua ratione vniuerſalitatem claudit. Et accidit vlteriùs procedentibus, vt quærant id, quod ſub quæſtione non cadit, vt quare Homo eſt Animal rationale &c. Ità Caietanus.

2. Arg. Caiet. contrà eamdem Concluſionem.

Arguit 2. Caiet. ex parte conceptus. Eodem modo videtur conceptus Analogi abſtrahere ab Analogatis, ſicut vniuoci ab vniuocatis; ergo &c. probatur hoc quia nomen Analogum importat, & in confuſo ſingulas proportiones analogatorum, & diſtinctè non ſignificat niſi proportionem in communi; v. g. ens non ſignificat habens ſe ad eſſe ſic, vel ſic, puta vt ſubſtantia, aut vt quantitas; ſed ſi nomen proportionale eſt ſignificare videtur habens ſe ad eſſe ſecundū aliquam proportionem, quæcumque ſit illa; hoc autèm conſtat eſſe æquè abſtractum à ſubſtantia, & quantitate, & conſequentèr per modum vniuoci in Analogis abſtractio conceptus apparet. Ità Caietanus.

Reſp. Caiet. ad 2. Arg.

Reſp. Caietanus ſicut ad primum dicendo quod abſtrahit conceptus Analogi nominis non ſicut vnum ſimpliciter, ſed ſicut vnum proportione, ſeù ſimile ſecundum proportiones à multis abſolutè: ſed quia obijciendo tangitur de abſtractione conceptus Analogi à ſpecialibus Conceptibus illius Analogiæ, & abuſiuè Analogata ibidem vocantur partiales rationes Analogi, ideò diligentèr cauendum eſt, ne apparentia in obiectione tacta in illum errorem ducat, qui ibi tangitur, & qui error explicatus ſimulq; relegatus eſt à nobis in hac lectione ſuprà, & præcipuè in probatione ſecundæ Concluſionis quo ad abſtrahi. Ità Caiet. &c.

Inſtantia Caiet. contrà ſuā Reſp.

Inſtat Caietanus contrà hanc ſuam doctrinam ſic. Hæc noſtra doctrina non ſibi conſtat; ergo probatur cum enim dixerimus de abſtractione conceptus in Analogo non eſſe confuſionem conceptuum, ſed ſignificationum in vna voce: deindè docuimus in eodem Analogo reperiri non tantùm confuſionem ſignificationum in voce, ſed & etiàm conceptuum: certè conuincimur de contradictione &c.

Reſp. Caiet. ad Inſtantiam.

Reſp. Caiet. ad inſtantiam ſi quis vult benè perpendere noſtram doctrinam videbit vtique nullam eſſe ibi contradictionem: longo enim diſtant interuallo hæc duo, ſcilicet quod Analogum importet confuſionem conceptuum in vno communi, & tertiò conceptum, & dicere quod Analogum importet quamdam conceptuum confuſionem; primum negatum, ſimulq; refutatum eſt à nobis; ſecundum eſt quod docuimus. Ità Caiet. in c. 5.

Appendices ſuper Lectionem 2. in 1. Tractatu Metaphyſicali.

MAgiſter Raphael de Ripa Venetus Ord. Præd. acerrimus defenſor doctrinæ Caietani in c. 1. de ente, & eſſentia q. 2. explicat qualis ſit confuſio conceptuum conceſſa à Caietano, & dicit quod quædam confuſio conceptuum reperitur, quæ ſit in eo, in quo proportionaliter illi conceptus conueniunt; ità tamèn vt non tàm conceptus, quàm eorum diuerſitas confundatur: hoc eſt non confunduntur ipſi conceptus Analogatorum proprij (hi enim remanent) ſed ſit confuſio in diuerſitate ipſorum conceptuum hoc modo, quod non inſpiciuntur conceptus illi penes id, in quo ad inuicem diſſident, ſed iuxtà ea, in quibus communicant proportionali identitate. Et ſi cernuntur conceptus illi ſecundum ea, qui-

Digitized by Google

quibus non conueniunt, magis tamen obijciuntur intellectui iuxtà ea, in quibus ſunt vniti, ideò non propriè confunduntur conceptus, ſed ipſorum diuerſitas ea eſt, quæ permiſcetur, quæ occultatur: quoniam magis elucet id, in quo ſunt annexi, & ipſorum identitas, quam eorumdem diuerſitas. Et quoniam analogi præcipua ſignificatio eſt talis identitas (in hoc enim ſtat analogia formaliter, licet ex conſequenti plura opporteat eſſe, & ea non penitus eadem, quæ analogiam conſtituunt) & talem quoque confuſionem ſæpè exprimimus, dùm dicimus analogum abſtrahere ab omni rationum diuerſitate, affirmantes, quod confusè pro omnibus ſupponit. Ideò non ſinè myſterio admonuit Caietanus ſuprà, quod ſumma animi attentione opus eſt, ne analogum fieri contingat vniuocum: hoc eſt ne eidem de analogo digredientes, eidemmet vniuocationem tribuamus. Ità Magiſter Ripa explicat Caietanum, in illa doctrina allata ſupra in Adnot. 3.

LECTIO III.
METAPHYSICALIS.
IN TRACTATV DE ANALOGIA NOMINVM.

Qualis ſit Prædicatio, Diffinitio, & Comparatio Analogi de ſuis Analogatis.

Ex Opuſculo Caietani Cap. 6. 7. & 8.

Circà prædicationem Caietanus declarat dicens, quod videbitur forſitàn alicui, quod prædicatio analogi de ſuis analogatis, puta entis de ſubſtantia, & quantitate, aut formæ de anima, & albedine, &c. ſit ſicut prædicatio æquiuoci de ſuis æquiuocatis, ità quod non ſit prædicatio ſuperioris de inferioribus nec communioris de minus communi, niſi ſola voce, ſed eiuſdem de ſe ipſo. Et per conſequens in hac Lect. 3. explicatur quomodo prædicetur, an vt genus, vel vt ſpecies, vel vt proprium, vel vt diffinitio, vel vt differentia, vel vt accidens virtualiter. Sic Caietanus in c. 6. Et in cap. 7. declarat circà diffinitionem, quod alicui poteſt apparere, quod in ratione vnius analogi, puta qualitas ſecundum analogi nomen puta entis, alterius analogati puta ſubſtantiæ vel entitatis ratio ſecundum idem analogi nomen cadere debeat ſicut in analogia attributionis contingere dictum eſt, ideò quærimus qualis analogatorum ſecundum analogi nomen ſit diffinitio. Ità Caiet. in cap. 7. Et in cap. 8. Caietanus ait circà comparationem difficultas non parua multos inuaſit, ac ſuperauit de comparatione in analogo non conſiderando proprium fundamentum comparationis, quod eſt identitas, ſeù vnitas rei, in qua ſit comparatio, & non ſuper modo indentitatis, aut vnitatis, ſicut de intentione ſuperioritatis dicetur,

Explicatio terminorum in Titulo data à Caietano.

Digitized by Google

Et ideò etiàm in hac Lect. 3. explicatur qualis ſit in analogo comparatio. Ità Caietanus loc. cit.

Qualis prædicatio ſit, & in æquiuocis, vniuocis, & analogis, & quos requirantur explicat primò Caietanus.

Quo ad 1. Circà prædicationem analogi de ſuis analogatis notat Caietanus in cap. 6. quod tàm in vniuocis, quàm æquiuocis, & analogatis quatuor inueniuntur, ſcilicèt duæ res ad minus æquiuocatæ, aut vniuocatæ, aut analogatæ, & duæ res, ſeù rerum rationes æquiuocationem, vniuocationem, aut analogiam fundantes, v. g. in æquiuocatione canis inueniuntur hæc quattuor, canis marinus, & canis terreſtris, & ratio illius, & ratio iſtius ſecundum nomen canis. In vniuocatione quoque animalis inueniuntur quatuor, ſcilicet Homo, & Bos, & natura ſenſitiua Hominis, & natura ſenſitiua Bouis, quæ animalis vniuocationem fundant. In Analogia ſimiliter entis quatuor ſunt, ſcilicet ſubſtantia, & quantitas, & ſubſtantia in quantum commenſurata ſuo eſſe, & quantitas ſecundum quod ſuo eſſe proportionatur. Et licet prima duo, ſcilicet æquiuocata, & vniuocata eodem modo quantùm ad propoſitum ſpectat in omnibus his diſtinguantur, quia vbilibet ex oppoſito condiſtincta ſunt; altera tamèn duo vniuocationem, æquiuocationem, & analogiam fundantia diuerſimodè vnita, aut diſtincta ſunt. In æquiuocis namque rationes illæ puta canis marini, & terreſtris ſunt omnino diuerſæ ſecundum rationem, & propter hoc id quod prædicat canis de marino cane nullo modo prædicat de terreſtri, & è conuersò; & ideò ſola voce communius, & maius æquiuocatis dicitur, & eſt. In vniuocis verò res illæ puta animalitas in Boue, & animalitas in Leone, licet diuerſæ ſpecie, & numero ſint, ratione tamen eædem ſunt omninò: ratio enim vnius eſt omninò eadem quod ratio alterius, & è conuersò, & propter hoc id quod prædicat animal de homine idem omninò prædicat de Boue, & vniuocum dicitur, & ſuperius homine, & Boue. In analogis autèm res analogiam fundantes puta quantitas vt ſic ſe habens ad eſſe, & ſubſtantia vt ſic ſe habens ad eſſe, licèt diuerſæ ſint, & numero, & ſpecie, & genere, ratione tamèn eædem ſunt, non omninò, ſed proportionaliter: quoniam vnius ratio proportionaliter eadem eſt alteri: & propter hoc id quod prædicat analogum puta ens de quantitate, illud met proportionaliter prædicat de ſubſtantia, & è conuersò, eſt enim illud met proportionaliter id quod in ſubſtantia ponit, & è contrà; & propter hoc analogum puta ens non ſola voce communius maius, aut ſuperiùs analogatis eſt, ſed conceptu, vt dictum eſt, proportionaliter vno. Ità Caiet. in cap. 6.

Notab. 2. Caiet. in quo explicatur conuenientia, & differentia quãtùm ad prædicationem in analogis, & vniuocis.

Notat 2. ibidem immediatè, quod analogum, & vniuocum conueniunt in hoc quod vtrumque communioris, & ſuperioris rationem habet: differunt autèm in hoc, quod illud eſt ſuperiùs analogicè, ſeù proportionaliter, hoc verò vniuocè, & meritò quia fundamentum ſuperioritatis vtrobique ſaluatur, vniuocationes autèm non; fundatur enim ſuperioritas ſuper identitatem rationis rei ſignificatæ, ideſt ſuper hoc quod res ſignificata inuenitur non in hoc tantùm, ſed illa met non numero, ſed ratione inuenitur in alio. Vniuocatio autèm ſuper modo identitatis omnimodæ, ſcilicèt identitate rationis rei ſignificatæ, ideſt ſuper hoc quod ratio rei ſignificatæ in illo, & in iſto eadem eſt omninò. Quamuis enim in analogis hic identitatis modus non inueniatur, quem in vniuocis reperiri pluries dictum eſt identitas tamen ipſa rationis inuenitur; eſt namque identitas proportionalis identitas quædam. Et ideò non minus analogum, putà ens eſt prædicatum ſuperius, quam vniuocum, putà animal, ſed alio modo: analogum enim eſt ſuperius proportionaliter, quia fundatur ſuper identitatem proportionalis rationis rei ſignificatæ, vniuocum autèm præcisè, & ſimpliciter, quia ſuper omnimoda identitate ratio-

nis

Digitized by Google

nis rei ſignificatæ eius ſuperioritas fundatur. Proptèr quod S. Thomas ſuperioritatis fundamentum aſpiciens in 5. Met. dicit quod ens eſt ſuperius ad omnia, ſicuti animal ad hominem, & bouem. Itâ Caiet. cap. *6*.

Notat 3. ibidem Caietanus, quod cùm analogum ſonet identitatem proportionalem vt dictum eſt, & reſpondendo formaliter huiuſmodi rationibus nullo modo concedendum ſit analogum conuerti cum aliquo analogato; ad materiam tamèn deſcendendo poteſt intrepidè dici, quod quia analogum rationem vnam proportionalitèr tantùm prædicat, & vnum proportionaliter plura, & eſſe proportionibus ſimilia manifeſtum eſt; duplicitèr poteſt ſecundum ſingulas rationes ad analogata comparari. Vno modo abſolutè, & ſic ſecundum ſingulas rationes cùm ſingulis analogatis conuertitur, quia nulla omninò vna ratio analogi in duobus analogatis inuenitur. Alio modo ſecundum identitatem proportionalem quam habet vna cum altera, & ſic cum nullo analogato conuertitur: quoniam omnes analogi rationes indiuiſæ ſunt proportionaliter, & vna eſt alia proportionaliter. Et quia vt diximus in ſecundo notabili, analogum hanc ſonat identitatem ideò formaliter, & ſimpliciter loquendo analogum inconuertibile, & communius prædicatum concedendum eſt eſſe, non tamen vt vnum ex Prædicabilibus. Nec ex hoc Ariſtoteles, aut Porphyrius diminutus fuit, quoniam prædicabile, quod eſt ſimpliciter vnum docebant, ac per hoc intèr æquiuoca analoga numerauerunt, dicentes. Iuxtà genera latent æquiuocationes. Itâ Caietanus in cap. *6*.

Notabile 3. Caietani in quo explicas quod identitas proportionalis in analogis eſt ſufficiens ad conuertentiã, & ad nõ cõuertentiam diſtinguẽdo de illa, &c.

Notat Caietanus in cap. 7. circà diffinitiones analogorum in ordine ad ſua analogata, quod in hac re opus eſt vti duabus diſtinctionibus, ea ſcilicèt quæ traditur in Logica de actu ſignato, & exercito; & ea, quæ à Metaphyſico vt plurimum tractatur de ordine rerum ſub vno nomine ex parte rei, & ex parte impoſitionis nominis. Ex prima ſiquidem diſtinctione ſcimus duo. Primò quod ſicut animal dictum de homine, & equo importans vniuocationem in actu exercito non prædicat de homine totum hoc, ſcilicèt naturam ſenſitiuam eamdem omninò ſecundum rationem naturæ ſenſitiuæ equi, & bouis, ſed naturam ſenſitiuam ſimpliciter, quam tamèn ad hoc, quod ſit vniuoca prædicatio opportet omninò eſſe eamdem ſecundum rationem naturæ ſenſitiuæ equi, & bouis; itá ens vt importat proportionalitatem in actu exercito, non prædicat de quantitate totum hoc, ſcilicet habens ſe ad eſſe ſic proportionaliter, vt ſubſtantia, aut qualitas ad ſuum eſſe, ſed habens ſe ad eſſe ſic abſque alia additione, quod tamèn opportet ad hoc, quod ſit analoga prædicatio idem proportionaliter eſſe cum altero ſic ſe habere ad eſſe, quod de ſubſtantia aut qualitate ens prædicat. Ex eadem diſtinctione ſecundo ſcimus, quod ſicut ex declaratione, qua manifeſtatur animal eſſe vniuocum, quia dicit vnam, & eamdem omninò rationem in omnibus non fallimur, nec confundimur, nec vagamur circà hominis, & bouis ſecundum animalis nomen rationem, ſed quieſcimus intuentes, quod animal exercet, quod vniuocorum diffinitio, & expoſitio ſignificat; Itá ex hoc quod declaratur ens, aut bonum, aut quodcumque aliud eſſe analogum, quia dicit rationes plures eaſdem proportionaliter, & importat hoc ſe habere, quemadmodum proportionaliter ſe habet illud ad eſſe, vel appetitum, &c. Non debemus turbari, & inquirere in analogia nominis ratione, puta boni, ſignificationem iſtam, ſed ſat ſit diſtinguendo intèr actum ſignatum, & exercitum inſpicere, quod nominis analogi ratio id exercet, quod analogiæ ratio, & declaratio ſignificat. Ex his etiàm duobus patere iàm poteſt intentum circà diffinitionem, &c, quod ſcilicet non opportet

Notabile Caiet. in quo diſtinguendo ſecundum Logicos de actu ſignato & exercito docet quomodo diffiniatur analogum.

Digitized by Google

vnum analogiæ membrum per alterum diffinire, ex eo quod analogum ſignificat ea eſſe eadem proportionaliter, quoniam hoc in actu exercito ſignificat. Ità Caiet. cap. 7.

Et ex diſtinct. qua vtuntur Metaphyſici, ex parte rei, & ex parte nominis inſinuit Caietanus, quomodo diffiniatur analogum.

Ex ſecunda verò diſtinctione ſcimus non ſolum quod præpoſterus eſt ordo rerum, & ſignificationum quandoque ſuo nomine analogo, ita quod prior ſecundum rem ratio, poſterior interdùm ſignificatione eſt, vt de ente, & bono, & alijs huiuſmodi communibus Deo, & Creaturis accidit; ratio enim horum, quam quodlibet eorum ponit in Deo, ſignificatione quidem poſterior eſt, re autem prior, & propter alterum horum dicitur analogum prædicare de ſuis analogatis ſecundum prius, & poſterius ipſam analogi rationem; ſed etiàm ſcimus, quod quando ratio, quam ponit analogum in vno ex ratione, quam in altero ponit, exponitur, non ideò fit, quia vnum in ratione alterius cadat, ſed quia vnius ratio poſterior altera eſt ſignificatione, & per priorem vtpotè notiorem declaratur, vt S. Thomas in 2. art. q. 13. p. 1. fecit declarans, dicendo, quod Deus eſt bonus, ſenſus eſt, id quod in creaturis bonitatem dicimus, præexiſtit in Deo proportionaliter, &c. & eadem intelligendum eſt fieri ratione, ſi poſterior ſecundum rem per priorem declaratur, non diffinit ergo analogum ſecundum vnam rationem ſe ipſum ſecundum alteram, licet exponat, & declaret. Ità Caiet. cap. 7. cit.

Notabile Caiet. in quo docet quod eadem proportionaliter ſunt etiam comparabilia ex Doctrina D. Thom.

Notat Caietanus in cap. 8. quo ad comparationem analogi ad ſua analogata dicendo tripliciter fieri comparationem docet D. Thomas duos modos analogicæ comparationis, ex hoc inſinuans apertè comparationem non ſolum ſuper identitatem numeralem, ſpecificam, aut genericam fundari, ſed etiam proportionali. Modi autem comparationis traditi à D. Thom. in qu. 7. de potentia art. 7. ſunt hi. ſcilicet ſecundum ſolam quantitatem rei participatæ, & ſic vnum album dicitur altero albius, vel extendendo propter præſens propoſitum hunc modum ad omnem comparationem vniuocam, dicatur quod primus attenditur ſecundum quantitatem rei participatæ eiuſdem omninò ſecundum rem, ſiuè illa ratio ſit ſpecifica, ſiue generica, vt calidum magis calidum altero dicitur; & homo perfectius animal eſt leone. Secundus verò modus attenditur ſecundum quod res aliqua in vno inuenitur participatiuè, alterum verò eſt per eſſentiam, quemadmodum homo Platonicus longè perfectior homo eſſet nobis. Et abſtractione intellectus vtendo quemadmodum bonitas longè melior eſt quocumque bono, quod participatiuè bonum dicitur. Tertius autèm modus attenditur ſecundum quod res aliqua in vno inuenitur formaliter, & ſecundum ſe, in altero autem virtualiter, & eleuatum ad rem ſuperioris ordinis. Quemadmodum dicimus, quod ſol eſt magis calidus, quàm ignis, vel quod calor perfectius habet eſſe in ſole, quàm in igne. Nec eſt dubium hos duos modos vniuocam comparationem impedire, vt S. Thom. ibidem dicit, & Ariſt. in 1. Eth. de primo modo teſtatur, vbi bonum commune non vniuocè, ſecundum proportionalitatem dicendum docet, bonitati ſeparatæ, & bonis cæteris per participationem. Patet igitur ex his, quod eadem proportionaliter vt ſic ſunt comparabilia, quamuis Phyſicè loquendo in ſola ſpecie, aut genere comparatio fiat. Ità Caietanus in cap. 8.

Opinio Caietani quo ad prædicationem in analoge.

Quo ad ſecundum. Caietanus quo ad prædicationem analogi tenet, quod analogum non conceptu diſiunctum, nec vnum præciſum inæqualiter participatum, nec vnum ordine, ſed conceptum vnum proportione dicit, & prædicat. De ordine tamèn in analogis incluſo, infrà dicetur. Vndè cum dicitur de homine, & albedine, aut de quocumque alio quod eſt ens, non eſt ſenſus quod ſit ſubſtantia, vel accidens, ſed ſic ſe habens ad eſſe. Vtor autèm ly ſic, quoniam de proprijs nomini-

Digitized by Google

minibus proportionum ad eſſe in actu exercito ens importantibus nũnc non diſputo; Metaphyſici negotij hoc opus eſt, & exemplariter hic de ente loquimur; ſimile ſiquidem eſt de actu, potentia, forma, materia, principio, cauſa, & alijs huiuſmodi iudicium. Ità Caiet. in cap. 6.

Opinio Caietani circà ipſum diffiniri in analogo.

Circa diffiniri in analogo Caietanus tenet in cap. 7. Secundum S. Thomam in 2. qu. de verit. art. 11. quod in analogia, in qua nominis ſaluatur proprietas, nullum analogi membrum per alterum diffiniri non opportet niſi fortè gratia materiæ. Et quod in analogia ſecundum metaphoram, opportet vnum in alterius ratione poni, non indifferentèr, ſed propriè ſumptum in ratione ſui metaphoricè ſumpti, claudi neceſſe eſt. Et in 1. p. qu. 13. art. 1. docet D. Thomas, quod quando ratio, quam ponit analogum in vno, ex ratione quàm in altero ponit, vt diximus in Adnotationibus, exponitur non ideò fit, quià vnum, in ratione alterius cadat, ſed quia vnius ratio poſterior eſt altera in ſignificatione, & per priorem vtpotè notiorem declaratur. Ità Caietanus loc. cit.

Opinio Caietani circa comparationem in analogo.

Circà comparationem analogi tenet Caietanus in cap. 8. quod ad cognoſcendum qualis ſit comparatio in analogo opportet conſiderare proprium fundamentum comparationis, & fundamentum comparationis eſt ipſa identitas, ſeù vnitas rei, in qua fit comparatio, & ſic non fundatur ſuper modos identitatis, aut vnitatis, ſicut de ſuperioritate intentionis; & ſic nihil prohibet in ipſo analogo, quod dicit rem vnam licet proportionaliter, comparari analogata, licet non eo modo quo fit comparatio vniuoca, vt docet S. Tho. in qu. 7. de potentia art. 7. cit. ſuprà in vltima adnotatione. Ità Caietanus, &c.

Concluſio 1. Caietani cum ſua probatione qua probatur analogum dicere cõceptum vnũ proportione tantum.

Quo ad 3. Caietanus in cap. 6. ponit de analogis quo ad prædicationem talem concluſionem. Analogum dicit, & prædicat non niſi conceptum vnum proportione de ſuis analogatis.

Ratio Caietani ex ſuis adnotationibus, & doctrinis ſupra formatur ſic. Analogum nullam aliam identitatem ſonat, & prædicat niſi proportionalem, & vnum proportionaliter multa eſſe: ergo non poteſt dicere, & prædicare de ſuis analogatis non niſi vnum conceptum proportione. Probatur anteccdens à Caietano ſic. Omnes analogi rationes indiuiſæ ſunt proportionaliter, & vna eſt altera proportionaliter, ergo nullam aliam identitatem dicet, & prædicabit niſi proportionalem. Conſequentia principalis de ſe conſtat, cum enim conceptus correſpondeat rei, res analoga non offert cognitioni naturæ niſi identitatem proportionalem, ergo ipſi rei non poteſt correſpondere ex parte cognitionis naturæ, niſi vnus conceptus proportione, & non poteſt formare verbum, ſeù ſpeciem expreſſam intellectus noſter, niſi de vno conceptu proportione. Hoc euidentèr conſtat ex ipſa identitate rei vniuocæ, quæ offertur vt omnimodè vna ſimpliciter cognitioni noſtræ, ex quo intellectus noſter non poteſt dicere niſi vnum conceptum ſimpliciter vnum omnimoda vniuocatione de ſuis vniuocatis. Ità Caietanus ex ſuis Doctrinis.

Concluſio 2. Caiet. cum ſua probatione primæ partis, in qua probatur analogum ſecundum attributionem diffiniri per reliquum.

In cap. 7. quo ad diffinitionem analogi Caietanus ponit hanc ſuam concluſionem. In analogia ſecundum attributionem opportet vnum in ratione alterius poni. In analogia verò proportionis, quæ eſt propriè analogia, non opportet quod diffiniatur vnum membrum analogi niſi fortè gratia materiæ.

q Prima pars probatur à Caietano ſub tali formà. Impoſſibile eſt intelligere aliquid quod ſit ſecundum metaphoricum nomen, non cognito illo ad cuius metaphoram dicitur: ergo in analogia ſecundum metaphoram, opportet vnum in ratione alterius poni, non indifferentèr, ſed propriè ſumptum, & ſic in ratione

ſui

ſui metaphoricè ſumpti neceſſe eſt claudi; patet conſequentia. Antecedens probatur inductiuè à Caietano ſic. Non enim fieri poteſt, vt intelligam quid ſit pratum in eo quod ridens, niſi ſciam quid ſignificet nomen riſus propriè ſumptum ad cuius ſimilitudinem dicitur pratum ridere. Et ratio huius radicalis eſt hæc: quia analogum metaphoricè ſumptum nil aliud prædicat, quam hoc ſe habere ad ſimilitudinem illius, quod abſque altero extremo intelligi nequit: & propria hæc huiuſmodi analoga priùs dicuntur de his, in quibus propriè ſaluantur, & poſterius de his, in quibus metaphoricè inueniuntur, & habent in hoc affinitatem cum analogis ſecundum attributionem, vt patet de ſe. Ità Caietanus cap. 7.

2. pars concluſionis probatur, quod in analogis neutrum diffiniat.

Probatur ſecunda pars à Caietano ſub tali forma ibidem. In analogia proportionalitatis propriè analogatorum rationes ſecundum analogi nomen, ſunt quodammodo mediæ intèr analoga ſecundum attributionem, & vniuocata: ergo opportet quod in ipſa nullum analogi membrum per alterum diffiniatur. Probatur hoc: quia ſi in analogis per attributionem primum diffinit reliqua, & in vniuocis neutrum alterum diffinit, imò vnius diffinitio eſt completa alterius diffinitio, & è conuerſò, opportet dicere, quod in analogis neutrum alterum diffiniat, ſed vnius diffinitio eſt proportionaliter alterius diffinitio, & loquimur ſemper de ratione ſecundum nomen commune. v.g. in diffinitione cordis ſecundum quod principium animalis non ponitur fundamentum ſecundum quod principium domus, nec è conuerſò: ſed eadem eſt proportionaliter principij ratio vtrobique, vt Commentator dicit. Ità Caietanus in cap. 7.

3. concluſio Caietani cum ſua probatione qua probatur comparationem poſſe fieri in analogis.

In cap. 8. Caietanus ponit hanc ſuam concluſionem quoad comparationem analogi cum ſuis analogatis. Cùm analogum rem vnam dicat proportionaliter, nihil prohibet in ipſo comparari analogata, licet non eo modo, quo vniuoca fit comparatio.

Probatur à Caietano, imò potiùs declaratur ſic. Ad comparationem ſiquidem, cum requirantur, & ſufficiant hæc tria, ſcilicet diſtinctio extremorum, & identitas eius, in quo fit comparatio, & modus eſſendi illius in extremis, ſcilicet æquè vel magis, aut minus perfectè, & ſub identitate, ſeù vnitate proportionalis vnitas, ſeù identitas contineatur, conſequens eſt, quod ſi in diuerſis idem proportionaliter æquè vel magis, aut minùs perfectè eſſe habet, comparatio ſecundum illud proportionale fieri poſſit comparatione non vniuoca, ſed analoga. Sic enim quia natura ſenſitiua eſt in boue, & illamet omninò ſecundum rationem eſt in homine, & perfectius habet eſſe in homine, quam in boue, homo perfectius animal boue dicitur comparatione vniuoca; ſic, quia ſic ſe habere ad eſſe in ſubſtantia, & hoc idem proportionaliter eſt in quantitate, & imperfectiùs eſſe habet in quantitate, quàm in ſubſtantia, dicitur ſubſtantia magis, ſeù perfectiùs quam quantitas analoga tamèn comparatione. Et ideò S. Thom. in quæſt. 7. de potentia art. 7. poſuit illos duos modos analogicæ comparationis, docendo tripliciter fieri comparationem vt vidimus ſuprà in vltima adnotatione. Ità Caietanus in cap. 8.

Argumentum 1. Caietani contra ſuam primam concluſionem.

Quo ad 4. Arguit Caietanus contrà primam concluſionem ſic. Ex 1. Topic. Secluſa vocis communitate, aut analogum eſt prædicatum conuertibile, aut inconuertibile: conſtat eſſe non inconuertibile quoniam ſubſtantia, vt ſic ſe habens ad ſuum eſſe, quod ens de ſubſtantia dictum prædicat, conuertitur cum ſubſtantia, & ſimiliter quantitas ſic commenſurata ſuo eſſe conuertitur cum quantitate, & ſic de alijs; ex hoc ſequitur, quod analogum ſuperius de analogatis prædicari non poſſit, ſi eſſet inconuertibile: ſuperioris enim intentionem ſuſcipere non poteſt,

teſt, quod inconuertibile eſſe comprobatur. At ex alia parte ſecundum veritatem analogum vt ſuperius prædicatur de analogatis, & non ſolùm voce commune eſt eis, ſed conceptu vnico proportionaliter, cuius vnitas ad hoc quod prædicatum ſuperioris rationem habeat, ſufficit, quod ſuperius nil aliud ſonet, quàm vnum prædicatum ad plura ſe extendens, vnum autèm dico non per accidens, aut congregatione ſicut Acerruus lapidum, ſed per ſe, conſtat igitùr eſſe vnum proportione: ergo conuertibile.

Reſp. Caietani ad primum ſuum Argumentum.

Reſp. Caietanus ibidem cap. 6. Sciendum primò eſt, quod quia analogum eſt medium intèr vniuocum, & purè æquiuocum, vt diximus, ſequitur quod analogum idem aliquo modo, & non idem aliquo modo de ſuis prædicet analogis, & quia prædicat aliquod abſtrahens aliquo modo à ſuis analogatis, vt vidimus in cap. 5. conſequens eſt quod comparetur ad ſua analogata, vt maius ad minora, ſeù vt ſuperiùs ad inferiora licet non omninò vnum ſit ſecundum rationem quod eis imponit. Peccat ergo obiectio in hoc quod intèr identitatem, & modum identitatis non diſtinguit. Fatendum enim eſt, quod ad hoc quod aliquis terminus denominetur ſuperior, aut communior oppottet vt rem vnam, & eamdem in vtroque ſonet: ſed ſophiſma conſequentis committitur inferendo ex hoc: ergo oppottet quod dicat rem vnam, & eamdem omninò, & eſt ſemper ſermo de identitate ſecundum rationem, ſeù diffinitionem: identitas enim, & vnitas continent ſub ſe non ſolùm vnitatem, & identitatem omnimodam, ſed proportionalem, quæ in analogis nominis ratione ſaluatur. Negandum eſt igitur quod in analogis non prædicetur idem de vno, & alio analogato, quoniam vnum, & idem proportionaliter de omnibus analogatis dicitur, & propria intèr prædicata non conuertibilia numerandum eſt. Quantitas enim licet adæquet ens de quantitate verificatum ſecundum omninò eamdem rationem, non tamen ſecundum rationem illam proportionalem, quoniam non alia entis ratio proportionaliter ad ſubſtantiam, & qualitatem ſe extendit. Verum quia analogum ſonat identitatem proportionalem, ideò huiuſmodi rationibus formaliter reſpondendo, nullo pacto concedendum eſt analogum conuerti cum analogato. Quomodo autem ad materiam deſcendendo hoc poſſit intrepide dici, vide doctrinam ſupra in adnotatione 3. Ità Caietanus circà finem. cap 7.

Argumentum Caietani contrà ſecundam ſuam concluſionem.

Arguit Caietanus contrà ſecundam concluſionem probando quod ſicut In analogia attributionis cadit ratio vnius nominis analogi in ratione alterius, ità in analogia proportionis. Et fundamentum apparentiæ ponitur ſub tali forma. Ratio vnius analogati vt eadem proportionaliter alteri, abſque illa altera exprimi complete nequit: ergo cùm in analogo nomine dictum ſit rationes has importari, ſcilicet vt eaſdem proportionaliter videtur quod ratio vnius cadat, &c. Confirmatur hoc ex Ariſt. Auuerroi, & D. Thom. in 1. Eth. in illorum expoſitione: exponunt enim quod bonum, ſeù perfectio analogicè dicitur de viſu, & intellectu: quia ſicut viſus in corpore, ità intellectus in anima perfectio eſt. Conſtat autèm quod non eſt intelligibile hoc ſe habere ſicut illud, niſi vtrumque extremum percipiatur: ergo vnum analogum ſecundum analogi nomen per aliud neceſſario diffiniendum eſt.

Reſp. Caietani ad ſecundum ſuum Argumentum.

Reſp. Caietanus, quod ex dictis Reſp. iam patet, ſed formaliter reſponderi poteſt, quod cognoſci vt aliqua eadem proportionaliter, ſeù hoc ſe habere ſicut illud dupliciter contingit vno modo formaliter, idest quoad relationem identitatis, & ſimilitudinis, & ſic abſque extremis cognitio hæc haberi non poteſt. Alio modo fundamentaliter, & ſic in ratione vnius non cadit reliquum, ſed ratio

vnius

vnius eſt ratio alterius omninò, vel proportionaliter. Conſtat autèm quod nomen analogum, puta ens aut bonum non relationem identitatis, aut ſimilitudinis ſignificat, ſed fundamentum. Et ideò obiectiones, quæ iuxtà primum ſenſum procedunt nihil concludunt contrà intentum; patet autèm facillimè eſſe hæc vera, exempla de vniuocis ponendo, & applicando ad identitatem vniuocationis. Significat namque nomen vniuocum plura in quantùm ſunt eadem vniuocè, ſeù ſecundum rationem omninò, & identitatis relatio in nullo extremorum abſque altero intelligibilis eſt, &c. Ità Caiet. loc. cit. cap. 7.

Argum. Caiet. contrà ſuam tertiam concluſionem.

Arguit 3. Caietanus contrà tertiam concluſionem. Primò in principio argumenti referendo aliquos credere, quod non poſſit analogia poſita niſi extoſiè poni, quia vnum analogatum magis aut perfectius tale ſecundum analogi nomen dicatur, v.g. ſubſtantia eſt magis aut perfectius ens, quam entitas. Et moti ſunt ex eo quod comparatio in vno communi vtrinque facienda eſt etiàm ſecundum Grammaticos, quod in analogo inueniri non videtur.

Et format eorum rationem ſub tali forma. Aut comparantur analogata in vna communi eis ratione, aut in ſuis rationibus; non in ratione communi quia illa analogum caret; nec in rationibus proprijs, quia tunc falſum eſt, ſubſtantiam eſſe magis ens, quàm quantitatem: non enim minus aut imperfectius quantitas eſt ſua ratio, quam ens in ipſa ponit, quàm ſubſtantia ſua &c. ergo nullo modo videtur ſaluari poſſe comparationem cum analogia.

Reſp. Caietani ad ſuum tertium Argumentum.

Reſp. Caietanus quod vtroque modo in analogis fit comparatio. Comparantur ſiquidem analogata puta ſubſtantia quantitas, &c. in ratione vna, & communi proportionaliter, quam analogi nomen puta ens dicit, & addit ſuprà analogata, vt ex dictis patet. Et comparantur etiàm ſecundum ſuas rationes, ſecundum tamen analogi nomen, quæ earum ſit perfectior, ſecùndum quod dicimus, ſubſtantia eſt perfectiùs ens quantitate, quia ratio entis in ſubſtantia perfectior eſt ratione entis in quantitate. Ità quod iuxtà iſtam comparationem ſenſus eſt ſubſtantia habet, ſecundum entis nomen, rationem, quàm quantitas; & non quod ſubſtantia ſit magis aut perfectius ſubſtantia, quam quantitas vt quantitas, vt quidam ſomniare videntur. Vndè comparatio iſta extenditur vſque ad analoga ſecùndum attributionem, licet in tali analogia non niſi abuſiuè comparatio fieri poſſit. Dicimus enim quod ens reale eſt magis, & perfectiùs ens ipſo ente rationis, quod per attributionem ad illud dicitur ens in 4. Met. tex. 2. quia ens reale habet perfectiorem, ſecundum entis nomen, rationem: iuxtà quem modum, ſi vſus admitteret, diceremus animal eſt magis ſanum vrina, quia perfectiorem, ſecundum ſani nomen, rationem habet. Ità Caietanus in fine cap. 8.

Appendices ſuper Lectionem tertiam in primo Tractatu Metaphyſicali;

DE Prædicatione, comparatione, & diffinitione analogorum, ſi vis videre Neotericos quantùm diſcordent à via D. Thom. eiuſque Interpretis Caietani vide, & lege quæſo cum patientia, & tui admiratione intèr ipſos Paſqualigum in ſua Met. diſp. 27. ſect. 1. 2. & 3. quomodo ens ad inferiora contrahatur. Et diſp. 28. ſect. 1. 2. & 3. quomodo ens ſit de eſſentia omnium inferiorum. Et diſp. 39. quomodo ens deſcendat ad inferiora an vniuocè, an verò analogicè. Et diſp. 40. ſect. 1. & 2. Quænam ſit analogia, quæ reperitur in modo eſſendi ipſius entis. Et tandem diſp. 41. ſect. 1. 2. & 3. an præter rationem entis tranſcendentis admittenda ſit alia ratio entis completi præciſa ab inferioribus. Ibi in-

ue-

Digitized by Google

ſuenies principia diuerſa fundantia Analogiam, ab ijs quæ tradit D. Th. eiuſque Interpres Caietanus, quos ambo Doctores citant Neoterici ad arbitrium pro ſingulis eorum opinionibus, quo ad prædicationem, differentiam, & comparationem Analogi, & Analogatorum, vt videbis infrà in Appendicibus ſingillatim ſingularum Lectionum. Vndè non eſt mirum ſi propria placita Analogiæ, applicent ſecundum diuerſa placita abutendo vocibus ſenſim ſinè ſenſu ad ipſum Analogum, & Analogata.

LECTIO IV.

METAPHYSICALIS

IN TRACTATV DE ANALOGIA NOMINVM.

Qualis ſit Analogi diuiſio, reſolutio, eiuſque ſcientia?

Ex Caiet. Opuſculo cap. 9. & 10.

Declaratio ſenſus Tituli facta à Caiet.

CAietanus explicans titulum in ordine ad ſcientiam de Analogo ait, quod aliqui putantes de Analogo non eſſe ſcientiam nec poſſe eſſe, niſi quemadmodum de æquiuocis ſcientia habetur anſam dederunt formandi hanc explicationem: Fallaciam dicunt committi æquiuocationis in ſyllogiſmis, in quibus Analogo pro medio ſumpto certum analogatum ſumitur, eò quod plures rationes dicit Analogum, licet ſimiles, niſi fortè gratia materiæ bonus eſſet proceſſus; aſſerunt eadem ratione nec poſſe ex vnius Analogati ratione ſecundum Analogi nomen concludi alterum Analogatum tale formaliter eſſe, ſed ſemper prædictum incidere vitium ratione prædicta confirmatum. Stante hoc Caiet. venit ad declarationem huius. Ità Caiet. in c. 10.

Notabile Caietani in quo declaratur quomodò diuiſio Analogi trifariam poteſt intelligi.

Circà diuiſionem Analogi notat Caiet. in c. 9. quod trifariam poteſt intelligi hæc diuiſio. Primò vt diuidatur vox in ſuas ſignificationes. Dictum eſt enim quod Analogum plures rationes ſignificat immediatè, & hæc diuiſio conuenit ſibi inquantum quoddam eſt æquiuocum; ſecundò vt diuidatur ſignificatum eius in quaſi membra eius, eo modo, quo ens, quod proportionaliter eſt vnum, ſic & ſic proportionatum, membra dici poſſunt. Dictum eſt enim quod Analogum non ità diuerſas rationes ſignificat, quin ſignificet vnam rationem proportionaliter: omnes namque rationes Analogo nomine ſignificatæ immediatè, eædem proportionaliter ſunt. Ratio autèm vna proportionaliter cùm conſtituatur ex pluribus rationibus proportionalibus, in eas ſecari poteſt. Hæc autèm diuiſio non eſt Analogi in ſua Analogata, quoniam rationes hæ in ipſius Analogi ratione intrinſecè clauduntur, & Analogata ea ſunt, in quibus rationes illæ ſaluantur, & non ipſæ rationes: Entis enim Analogata ſubſtantia, & quantitas, & non rationes entis in ſubſtantia, & quantitate, rationes enim, vt dictum eſt, Analogæ ſunt. Vndè tertio modo diuidi

poteſt Analogum diuidendo ſignificatum eius in ſua Analogata per diuerſos modos, quibus Analogi rationem proportionalem Analogata ipſa diuerſimodè ſuſcipiunt. Ità quod diuiſum eſt ſignificatum vnum proportionaliter, diuidentia ſunt modi fundantes, & facientes in Analogatis propriam proportionem, ſecundum quas fit Analogia: conſtituta autèm per diuiſionem, vt partes ſubiectiuæ, ſunt Analogata ipſa; v. g. quandò ens diuiditur in ſubſtantiam, & quantitatem. Diuiſum eſt ratio entis nomine ſignificata, quia omnes in ſe, entis nomine ſignificatas rationes, claudit, vtpotè vna proportionaliter: diuidentia ſunt ſubſtantiuum, & menſuratiuum, ſeù per ſe, & in alio ſic, ex quibùs ſubſtantia, & quantitas, habet quod diuerſas entis rationes ſubintrent: partes autèm ſubiectiuæ ſunt ſubſtantia, & quantitas, quæ entis ratione analogantur. Ità Caiet. c. 9.

Notab. 2. Caiet. in quo declaratur, quod Analogata quæ diuiduntur ordinem habent inter ſe.

Notat ſecundò ibidem Caietanus, quod Analogata, quæ Analoga diuiſione conſtituuntur, non ſolum ſecundum ſe, ſed etiam in ipſius Analogi ratione, ordinem habent, & aliud prius, & aliud poſterius eſt, adeò vt in vno eorum tota ratio diuiſi ſaluari dicatur; in alio autèm imperfectè, & ſecundum quid. Quod non eſt ſic intelligendum, quaſi Analogum habeat vnam rationem, quæ tota ſaluetur in vno, & pars eius ſaluetur in alio, quoniam hoc eſt pueriliter loqui; ſed cum totum ſit idem quod perfectum, & Analogo nomine multæ importentur rationes, quarum vna ſimpliciter, & perfectè conſtituit tale ſecundum illud nomen, & aliæ imperfectè, & ſecundum quid, ideò dicitur quod Analogum ſic diuiditur quod non tota ratio eius in omnibus Analogatis ſaluatur, nec æqualiter participant Analogi rationem, ſed ſecundum prius, & poſterius. Cùm grano tamèn ſalis accipiendum eſt, Analogum ſimpliciter ſaluari in vno, ſecundum quid in alio. Sufficit enim, hoc verificari, vel abſolutè, vt patet in diuiſione entis in ſubſtantiam, & accidens, illa enim, abſolutè loquendo, dicitur ens ſimpliciter, hoc autèm ſecundum quid; vel verificatur in reſpectu, vt patet in diuiſione entis in Deum, & Creaturam; vtrumque enim licet ſit ens ſimpliciter, & dicatur abſolutè loquendo, creatura tamèn in reſpectu ad Deum, ens ſecundum quid, & quaſi non ens eſt, & dicitur. Ità Caiet. in c. 9.

Notab. Caiet. in quo declarat quomodò fiat reſolutio Analogatorum.

Notat Caietanus in eodem c. 9. in fine, circà reſolutionem Analogatorum, quod cùm virtualiter primum in compoſitione, ſit vltimum in reſolutione, & per diuiſionem in ea, quæ actu in aliquo ſunt, reſolutio fiat, eodem modo reſoluenda ſunt Analogata in Analogum, quo cætera reſoluuntur, ſcilicet vtendo diuiſione prædicta, quæ vocatur diuiſio in partes eſſentiæ, vel rationis, & à poſterioribus ſecundum conſequentia ad priora procedendo, ſi longa efficit reſolutio facienda. Ad rationem autèm Analogi cum deuentum fuerit, ſingulis Analogatis in ſua ratione ſecundum Analogi nomen reſolutis, cum illa Analogi ratio ex multis conſtituatur rationibus, ordinem intèr ſe, & proportionalem ſimilitudinem habentibus, vel ordinatè ad primam reſolutio fiet, veniendo ſemper ad ſimilius, & propinquius primæ, & id, in quo diſſimilitudo eſt, relinquendo. Vel ſi non ſic ordinatas intèr ſe, contingit eſſe rationes illas, ad primam omnes modo prædicto deducendæ ſunt, ordinem enim ad primam nulla ſubterfugere poteſt nec refert in propoſito an fiat reſolutio ad rationem primam, ſignificatione, vel ſecundum rem: intelligenda enim ſunt hæc in ſuo ordine, ſcilicet ſignificationum, aut rerum. Ità Caiet.

Notab. Caiet. pro ſcientia Analogorum, in quo oſtenditur quod ratio-

Notat Caietanus in c. 10. circà ſcientiam Analogi, quod rationes entis Analogi, vt diximus, poſſunt dupliciter accipi. Vno modo ſecundum ſe in quantùm ab inuicem diſtinguuntur, & ea quæ conueniunt eis vt ſic, ſeù ex hoc. Alio modo in quantùm ſunt eadem proportionaliter. Primò modo acceptæ, vitium æquiuocationis

nis inducerent, ſi quis eis vteretur in ſyllogiſmis vt patet; ſecundo autem eius modo vtendo, peccatum nullum incurrit, eo quod quidquid conuenit vni, conuenit etiam alteri proportionaliter, & quidquid negatur de vna, negatur proportionaliter de alia: quia quidquid conuenit ſimili, in eo quod ſimile, conuenit etiàm illi cuius eſt ſimile, proportionalitate ſemper ſeruata. Vnde ſi ex immaterialitate Animæ concluditur eam eſſe intellectualem, ex immaterialitate proportionaliter poſita in Deo optimè concluderetur, Deum eſſe intellectualem proportionaliter, vt quantùm immaterialitas illa excedit iſtam, tantùm intellectualitas illa excedat iſtam &c. Proptèr quod S. Th. in q. de potentia Dei 2. a. 5. Analogata omnia ſub vna Analogi diſtributione cadere dixit, & meritò quia vnitas Analogi non eſſet in coordinatione vnitatum numeranda niſi vnum proportionaliter vnum, eſſet affirmabile, & negabile; & conſequentèr diſtribuibile, & ſcibile, vt ſubiectum, & medium, & paſſio. Ità Caiet.

Rationes entis Analogi dupliciter poſſunt accipi.

Notat inſuper ibidem, quod Analogia hæc, nec etiàm impedit proceſſus formales ad concludendum prædicata de Deo, & Creaturis communia eiſdem; verbi gratia, accepta ſapientiæ ratione, & ſegregatis ab ea per intellectum eis, quæ ſunt imperfectionis, ex hoc quod id quod eſt ſibi proprium formaliter ſumptum perfectionem abſque imperfectione claudit, concluditur; ergo ſapientiæ ratio non omninò alia, nec omninò hæc, ſed hæc proportionaliter eſt in Deo, quia ſimilitudo intèr Deum, & Creaturam non eſt Vniuoca, ſed Analoga; nec pari ratione poteſt concludi Deum eſſe lapidem proportionaliter, quia ratio lapidis formaliter ſumpta, quantumcumq; expoliata, imperfectionem aliquam claudit, quæ prohibet tàm ipſam ſecundum ſe, quàm ipſam proportionaliter reperiri in Deo, niſi Metaphoricè, quemadmodum dictum eſt, Petra autem erat Chriſtus; hoc melius eluceſcet in Reip. infrà ad Argumentum. Ità Caiet. c. 10.

Notab. 2. Caiet. in quo oſtenditur Analogiã non impedire proceſſus formales in Analogatis, vt ſint ſcientifici.

Quo ad 2. Caietanus pro diuiſione Analogi ponit hanc ſuam opinionem in cap. 9. opinando, quod ſi Analogi diuidatur vox in ſuas ſignificationes, in tali caſu diuiditur vt quoddam æquiuocum eſt; ſi autèm diuidatur eius ſignificatum in quaſi membra eius, ſic non eſt diuiſio Analogi in ſua Analogata; ſi autèm diuidatur Analogum ſecundum ſignificatum eius in ſua Analogata, per diuerſos modos, quibus Analogi rationem proportionalem analogata ipſa diuerſimodè ſuſcipiunt, vt explicatum eſt in notabili ſupra, ſic erit propria Analogi diuiſio, & hoc probamus infrà in Concluſione, quod differt diuiſio hæc tripliciter ab vniuoca, & per conſequens quod ſit Analoga, & quod diuiſum ſit ipſum ſignificatum vnum proportionaliter, & diuidentia ſint modi fundantes Analogiam; conſtituta autèm per ipſam diuiſionem, vt partes ſubiectiuæ ſunt ipſa Analogata, vt conſtabit infrà. Ità Ciet. in cap. 9.

Opinio propria explicata à Caiet. de ipſa diuiſione Analogi.

Circa ſcientiam Analogi in c. 10. quod detur certiſſimè ſcientia hoc tenemus conſtantiſſimè cum D. Th. ait Caiet. & hoc conuincit quotidianum exercitium de proceſſibus quos facimus cum D. Th. de Bono, Vero, & alijs huiuſmodi, & teſtatur hoc Ariſt. vt patet demonſtratiuæ artis in 2. poſt. c. 11. vbi ait. Vt habeamus propoſita vel problemata Analogum cauſam eſſe adæquatam alicuius paſſionis dicimus; & in ſequenti cap. ait, ſecundum autèm Analogiam eiuſdem, & medium ſe habet ſecundum Analogiam; in quibus locis non ſolum docet Analogum, vt medium aſſumi quandoque in demonſtrabilibus, ſed etiàm ipſum non eſſe vnum in ſe expreſsè, & cùm hoc habere paſſionem adæquatam, ac ſi vnius eſſet naturæ; & hoc contrà Scotum qui in p. ſent. diſt. 3. q. 1. tenet oppoſitum; Scotus enim ait Caiet. vel malè expoſuit doctrinam Ariſt. vel ſibi contradicit dùm volens vniuocationem

Opinio propria quæ eſt D. Th. de ſcientia in Analogis explicatur à Caietano.

Opinio Scoti contraria in quo conſiſtit declarat Caiet.

G 2 entis

entis ſugere ait, conceptum vniuocum voco, quia ità eſt vnus, quod eius vnitas ſufficit ad contradictionem affirmando, & negando ipſum de eodem, & ſic vniuocum vult eſſe ens; ſi enim identitas ſufficiens ad contradictionem vniuocatio dicitur, conſtat quod ponendo ens eſſe Analogum, & ſecundum proportionaliter tantùm vnum ſatisfiet vniuocationi, quod Scoticæ doctrinæ aduerſatur tenenti ens habere conceptum vnum ſimpliciter, & omninò indiuiſum, vt de vniuocis diximus; ſi autèm non omnis talis entitas ſufficit ad vniuocationem, non rectè igitur vniuocatio conceptus declarata eſt eſſe eam, quæ ad contradictionem ſufficit, quaſi proportionalis identitas adhuc non ſufficiat. Ità Caiet. in finem c. 10.

Concluſio Caiet. circà diuiſionẽ Analogi cũ ſua probatione.

Quo ad 3. pro diuiſione Analogi in ſua Analogata ponit Caiet. in c. 9. hanc Concluſionem. Diuiſio Analogi in ſua Analogata, pro vt diuiſum eius eſt ſignificatum vnum proportionaliter, eſt prorſus Analoga ſimpliciter, & non Vniuoca.

Prob. à Caiet. ſic ſub tali forma. Diuiſio hæc non eſt vniuoca, nec æquiuoca: ergo &c. prob. quod non æquiuoca, quia diuiſũ non eſt vox in ſuas ſignificationes, quæ eſt propria ſibi, vt quoddã æquiuocũ eſt. Nec vniuoca: prob. quia ab ipſa tripliciter differt; 1. ex parte diuiſi, quia diuiſione vniuoca, vnum omninò ſecundum rationem, ſecatur, hic autèm vnum proportionaliter; ſecundò differt ex parte diuidentium quia differentiæ ſecantes genus ſunt extrà genus: modi autèm ſecantes Analogum in ipſius Analogi ratione clauduntur, quemadmodum ipſa Analogata, vt ſuprà loquendo de abſtractione dictum eſt propter quod in 3. Met. tex. 10. ens genus eſſe negatur; tertiò differt ex parte partium ſubiectiuarum, in quæ per diuiſionem fiunt, quia partes diuiſionis vniuocæ licet habeant ordinem ſecundum ſe, & originis, vt dualitas eſt prior Trinitate; & perfectionis, vt albedo eſt perfectior nigredine; ſecundum tamen diuiſi rationem, puta numeri, aut coloris neutra altera prior, aut poſterior eſt, ſed omnes æqualiter in ipſa diuiſi ratione communicant. Analogata verò, quæ analogata diuiſione conſtituuntur, non ſolum ſecundum ſe, ſed etiàm in ipſius Analogi quod diuiditur ratione, ordinem habent, & aliud prius, & aliud poſterius eſt adeò, vt in vno eorum tota ratio diuiſi ſaluari dicatur, in alio autèm imperfectè, & ſecundum quid. Quomodo autèm hoc intelligatur iàm explicauimus ſuprà in adnotatione 2. Ità Caiet. in c. 9.

Concl Caiet pro ſcientia de Analogis cum ſua prob.

Pro ſcientia de Analogis. Caietanus in c. 10. ponit hanc Concluſionem. Datur verè, & propriè de ipſis Analogis ſcientia. Probatur à Caietano ſub tali forma. Dantur veri proceſſus de vero, bono, & alijs huiuſmodi Analogis in tota Metaphyſica; ergò de ipſis datur verè, & propriè ſcientia: De ſe hæc conſequentia conſtat. Probatur antecedens, quia vt conſtat ex dictis ſupra, Analogia in ipſis non impedit illos proceſſus formales, ſi enim impediret, hoc eſſet, quia in Analogia non eſt vnitas medij ad concludendum aliquod prædicatum commune Analogo, & Analogatis, ſed hæc vnitas datur, ſcilicet vnitas proportionalis in ſe clauſa, & quam principaliter dicit, & ſignificat Analogum nomen, in quantùm eadem ſunt, quæ ſufficit ad vnitatem medij, vt patet ex quotidiano exercitio ſimilium demonſtrationum, quæ fiunt in prædicatis communibus Deo, & Creaturis, vt nomina Analoga ſunt, & vt analogantur in vna ratione formali, vt vnum proportionaliter, & vt plures in ſe propriæ Analogatorum, ergo &c. Ità Caiet. in c. 10.

Primũ, & vnicũ Arg. Caiet contrà primã Concluſionem de diuiſione Analoga.

Quo ad 4. arguit Caietanus contrà diuiſionem Analogi ſic. Impoſſibilis eſt diuiſio Analogi in ſua Analogata; ergo &c. Probatur hoc. Diuiſum in diuiſione ſecatur vt vnum omninò ſecundum rationem, & differentiæ ſecantes genus ſunt extrà genus, & partes ſubiectiuæ quæ per diuiſionem fiunt omnes debent æqualiter communicare in ratione diuiſi; ſed diuiſum in Analogo eſt tantum vnum proportione, & mo-

& modi ſecantes Analogum in ipſius Analogi ratione clauduntur, ex quo non poteſt eſſe genus, & partes ſubiectiuæ puta analogata non æqualiter in diuiſi ratione communicant, & vna ſe habet vt prius, & alia vt poſterior, vndè in vno tota ratio diuiſi ſaluatur, in alio autem imperfectè, & ſecundum, quid; ergo impoſſibilis eſt diuiſio Analogi in ſua Analogata ſtante vera probatione antecedentis.

Reſp. Caiet. ad Arg. contrà primam Cōclusionem.

Reſp. Caietanus ex ipſa probatione primæ Concluſionis diſtinguendo maiorem probationis; diuiſum in diuiſione &c. loquendo de diuiſione vniuoca concedo maiorem, loquendo de diuiſione Analoga nego maiorem, ſic conceſſa minori negatur conſequentia quia Argumentum probat quod diuiſio Analogi non eſt Vniuoca, ſed vt ſit Analoga ſufficiunt ea quæ dicuntur in minori. Ità Caiet.

Arg. vnicum Caiet. contrà Concluſionem de Scientia analogi.

Arguit Caiet. contrà ſecundam Concluſionem ex Scoto in cap. 10. ſic. In materia de Analogis non poteſt dari vera demonſtratio; ergo non poteſt dari vera ſcientia. Probatur antecedens. Ponamus ſapientiam eſſe Analogicè communem Deo, & homini, ex hoc quod ſapientia in homine inuenta ſecundum formalem rationem præcisè ſumpta dicit perfectionem ſimpliciter, non poſſum ego concludere, ergo Deus eſt formaliter ſapientia. Probatur hoc ſyllogizando ſic. Omnis perfectio ſimpliciter eſt in Deo; ſapientia eſt perfectio ſimpliciter, ergo &c. Minor diſtinguenda eſt, quia ſi ly ſapientia ſtat pro ratione ſapientiæ quam ponit in homine, argumentum erit ex quatuor terminis, quia in Concluſione, ſapientia ſtat pro ratione ſapientiæ quam ponit in Deo, quandò concluditur; ergo ſapientia eſt in Deo; ſi autèm ſapientia ſtat pro ratione ſapientiæ in Deo in ipſa minori, iàm non concluditur ex perfectione ſapientiæ creatæ Deum eſſe ſapientem cuius oppoſitum, & Philoſophi, & Theologi omnes clamant.

Reſp. Caiet. ad argumentum contrà Concluſionem de ſciētia analogi.

Reſp. Caiet. in principio cap. 10. quod decipiuntur Scotiſtæ ſequentes in hoc Scotum, quia in Analogo diuerſitatem rationum inſpicientes, id quod in eo vnitatis, & identitatis latet, non conſiderant. Vndè Reſp. ad argumentum quod in 2. Elenchorum cap. 10. dicitur æquiuocatio latens in huiuſmodi proportionalibus, peritiſſimos etiàm latet, ideò opportet huiuſmodi Analogi nominibus vtendo, ex parte vnitatis ſemper modum proportionalitatis ſubintelligi, alitèr in vniuocationem lapſus fieret; niſi enim præ oculis haberetur proportionalitas, cùm dicitur omne immateriale eſt intellectuale, tanquàm vniuocè dictum acciperetur, & latens æquiuocatio non viſa obreperet. Vndè proceſſus eſt optimus arguendo ſic. Omnis perfectio ſimpliciter eſt in Deo: Sapientia eſt perfectio ſimpliciter ergo &c. In minore ly ſapientia non eſt pro hac vel illa ratione ſapientiæ, ſed pro ſapientia vna proportionaliter ideſt pro vtraque ſapientia non coniunctim, vel diſiunctim; ſed in quantùm ſunt indiuiſæ proportionaliter, & vna eſt altera proportionaliter, & ambæ vnam proportionaliter rationem conſtituunt; ſignificatur enim analogo nomine in quantùm eadem ſunt, vndè non opportet Analogum diſtinguere ad hoc, quod contradictionem fundet, & enunciationis ſubiectum, aut prædicatum fiat; ſed ratione identitatis proportionalis in ſe clauſæ, & quam principaliter dicit ex ſe, ad hoc ſufficit, vt in probatione Concluſionis diximus ſuprà. Contradictio enim dicitur conſiſtere in affirmatione, & negatione eiuſdem de eodem &c. & non in affirmatione, & negatione vniuoci de eodem vniuoco. Identitas ſiquidem tàm rerum, quàm rationum, vt pluries replicatum eſt ad identitatem proportionalem ſe extendit. Ità Caiet. in fine c. 10.

Digitized by Google

Appendices ad quartam Lectionem Metaphyſicalem in Tractatu de Analogia nominum.

TOta difficultas, quæ cauſat diuerſitatem opinandi in tradenda ſcientia de Analogis apud Doctores Metaphyſicos, eſt non penetrare illam vnitatem proportionalem, quam dicit Analogum in ordine ad ſua Analogata. Et licet ſufficiant ea, quæ Caietanus dicit, & probat in hac Lectione Metaphyſicali vide ea quæ habet in lib. 2. de Anima c. 2. pag. mihi 82. & 83. in quibus ſatis dilucidè declarat, rationem iſtam proportionalem, reddere optimum proceſſum in ſcientijs, incipiendo ſic. Veruntamen aduertere opportet &c. Et recole etiàm hic illam doctrinam ſuam in ſuperioribus ad notatam ex lib. poſt. c. 12. pag. mihi 402. vbi habet, quod nullum debet haberi inconueniens, & quod nulla deceptio ſequitur ex eo quod in ſcientijs vtimur nominibus Analogis, quæ æquiuoca in prædicabilibus, & prædicamentis vocantur, pro eo quod non habent rationem ſimpliciter. Scientiæ enim, inquit Ariſtoteles, videntur intellectu, qua ſignificatione vtantur, ſicut ſenſu videmus circulum deſcriptum. Ex ignorantia ergo poſterioriſticæ artis prouenit, ponere vniuocationem nominum Metaphyſicorum ſcilicet entis, actus, potentiæ, &c. ad vitandam æquiuocationis fallaciam. Er pag. mihi 401. notat Caietanus, quod quando Ariſt. dicit Dialecticam, & Metaphyſicam omnibus vti, per ly omnibus intelligit omnibus modis dictis, ſcilicet ex quibus, de quibus, & quæ, & hoc idem glorioſè declarare intendit S. Doctor, tàm in Dialectica, quàm in Metaphyſica inueniri, licet non vniformitèr, vt diligens Lector percipere facilè poteſt, diſtinguendo tàm dialecticam, quàm demonſtratiuam in docentem, & vtentem, & aſſignando earum intèr ſe differentiam à Metaphyſica, & in quo conueniant. Ità Caiet.

Adde in hac Appendice, quod in hoc Tractatu non extenditur Lectio ſuprà caput 11. opuſculi Caiet. de Analogia nominum, vbi tradit Cautelas neceſſarias circà Analogorum nominum vſum, & intellectum, quia ponendæ ſunt infrà in proprijs Lectionibus huius Tractatus ſcilicet de nominibus communibus Deo, & Creaturis, legas tamen cautelam ſecundam, quæ datur à Caietano ne vnitas, aut diuerſitas rationum, vnitatem Analogam obnubilet, de ly ſepion, os, & ſpina quæ vnum non habent nomen, & tamen idem ſunt Analogicè, ac ſi vnum nomen haberent, quia ad ea quæ ſunt proportionaliter eadem conſequuntur paſſiones, tamquàm ſi eorum eſſet vna natura.

Digitized by Google

LECTIO V.
METAPHYSICALIS
IN TRACTATV DE ANALOGIA NOMINVM.

Vtrùm Nomina, quæ de Deo dantur, & Creaturis vniuocè dicantur.

Ex Caiet. in p. p. q. 13. art. 5. & alibi.

Explicatio Tituli facta à Caiet.

CAietanus in Titulo ly vniuocè, ait, ſumitur vt in prædicamentis definiuntur vniuoca, nec opportet addere, aut minuere, vt etiãm dicitur hoc à D. Th. in fine art 5 cit. ſcilicet quod non ſecundum eamdem rationem hoc nomen ſapiens de Deo, & homine dicitur, ſed ſecundam Analogiam, & proportionem; quid verò ſit Analogia, & proportio diffusè ſcripſimus in Tractatu de Analogia nominum ideſt in præcedentibus Lectionibus. Ità Caiet.

Cautela prima Caiet ne circà Analoga in vniuocationem quis labatur,

Quoad primum notat Caiet. in cap. 11. Tractatus de Analogia nominum in principio eiuſdem cap. cautelam quamdam, qua poſſit ſequis ab errore multiplici in hac re præſeruare, cum maximè Ariſt. in Elenchis dicat, doctiſſimos viros circà horum nominũ conceptus errare contingat ob latentem eorum vnitatis modum, ne igitur ex vniuocatione ipſius nominis Analogi reſpectu quorũmdam, credamus, ſimpliciter, ipſum eſſe vniuocum, notandum eſt, quod omnia feræ Analoga propriè fuerunt prius vniuoca, & deindè extenſione Analoga communia proportionaliter illis, quibus ſunt vniuoca, & alijs, vel alij facta ſunt. Sapientiæ enim nomen primò impoſitum eſt humanæ ſapientiæ, & vniuocum omnium hominum ſapientijs erat. Deindè ad Diuinæ naturæ cognitionem aſcendentes, proportionalemq; ſimilitudinem intèr nos vt ſapientes, & Deum contemplantes, ſapientiæ nomen extenderunt ad id in Deo ſignificandum, cui Sapientia noſtra proportionalis eſt, ſic vniuocum nobis, en quo modo factum eſt, Analogum, & nobis, & Deo. Et hoc idem ſimiliter alijs accidit. Falli autèm contingit faciliter ex hoc quia illa ratio prior, vtpotè notior, & familiarior, & prior quo ad nos ſemper profertur ab Illuſtribus viris, & eorum ſequacibus, quando Analogi ſignificatio quæritur, & dicitur eſſe tota analogi ratio, pro qua ſimpliciter prolatum ſtat, & omnia Analogata illam participare, vt patet cum Sapientiæ ratio redditur: aſſignatur enim eius differentialis conceptus, pro ratione ſecundum quam communis ponitur Deo, & Creaturæ, & ſimile eſt in alijs. Creditur enim ex hoc, quod ſit ipſa Analogi ratio, & incautè vniuocatio accepratur: non enim illa ratio eſt ratio Analogi, ſed eius origo quo ad nos, quoniam non illa, ſed proportionaliter in altero inuenitur, vt ex præcedentibus lectionibus patet. Ità Caiet. in c. 11.

Cautela 2. Caietani ne vocalis

Secundò notat ibidem Caietanus cauendum eſt alia cautela, ne vocalis vnitas rationis Analogi nominis mentem reuoluat. Ex eo namq; v. g. quod principium dicitur

Digitized by Google

Vnitas rationis Analogi renolnas mentem.

citur eſſe id, ex quo res fit, aut eſt, aut cognoſcitur, & hæc ratio in omnibus; quæ principia dantur, ſaluatur, principij nomen vniuocum creditur. Erratur autem, quia ratio iſta non eſt vna ſimpliciter, ſed proportione, & voce. Vocabula enim, ex quibus integratur, Analoga ſunt, vt patet; neque enim fieri, neq; eſſe, neq; cognoſci, neq; ly ex vnius eſt omninò rationis, ſed proportionalis. Et propria ratio illa in omnibus, vt patet, proportionalis ſaluatur, ſicut, & principij nomen proportionaliter commune dicitur. Ità Caiet. c. 11. cit.

Tertium notabile Caiet. quod ſignificare aliquid vt diſtinctum dupliciter.

Tertiò notat Caietanus in p. p. q. 13. a. 5. §. Ad euidentiam horum &c. quod ſignificare aliquid vt diſtinctum, ſeù in ratione diſtincti contingit dupliciter vno modo formaliter, idest ſignificare aliquam diſtinctionem illius ab alijs; & ſic non intelligitur D. Th. in illo art. 5. cit. quando ait ibi quod hoc nomen Sapiens dictum de homine ſignificat aliquam perfectionem diſtinctam ab eſſe hominis, & à potentia, & ab eſſe ipſius, & ab omnibus huiuſmodi; alio modo intelligitur fundamentaliter, ſeù cauſaliter, & hoc eſt ſignificare aliquid vt fundans diſtinctionem ſui ab alijs, & ſic intelligitur D. Th. intendit enim, quod ſapientia, & alia huiuſmodi ſignificent in Creaturis, non quod quid eſt ſapientiæ, & diſtinctionem eius à iuſtitia, ſed quod quid eſt Sapientiæ, vt fundat diuerſitatem ſui à iuſtitia. Hoc autem vt infrà patebit non aliundè habet ſapientia, quàm ex ſua quidditate. Et ideò ſignificare ſapientiam, vt diſtinctam ab alijs, nil aliud eſt quàm ſignificare ſapientiam vt quidditatem. Quando autem audis ly ab alijs, non intelligitur ab vniuerſis cæteris, quoniam etiàm ſic omne nomen in Deo ſignificat aliquid diſtinctum: nec in hoc eſt differentia aliqua intèr nomina Diuina, & Creaturarum, ſed intelligas ab alijs perfectionibus ſimpliciter, vel ab alijs poſſibilibus in eodem inueniri, vt littera art. 5. cit. præſefert apertè. Sed quia proceſſus D. Th. poteſt habere duos ſenſus. Primus eſt vt ex identitate, & diſtinctione reali perfectionum, inferatur differentia nominum quo ad ſignificare perfectionem vt diſtinctam, & non ſignificare vt diſtinctam, & iuxta hunc ſenſum procedunt Argumenta infrà in 4. loco; ſed hic ſenſus falſus eſt, nec eſt intentus à D. Th. Alter verò ſenſus eſt, vt ex identitate, & diſtinctione formali perfectionum inferatur prædicta nominum differentia; & hic ſenſus eſt intentus, & verus, formalis, & concludens intentum. Ità Caiet. loc. cit. p. p.

Notab 4. Caiet. quod ſcilicet iungantur duæ perfectiones, fiat dupliciter.

Quartò notat Caiet. ibidem, duas perfectiones iungi contingit dupliciter, ſcilicet identicè, & formaliter identicè quidem, vt ſi fingamus quod ſapientia Socratis, & eius iuſtitia ſint vna res. Formaliter autem poteſt imaginari dupliciter; primò ſi fingamus quod propria ratio formalis ſapientiæ, & propria ratio iuſtitiæ ſint vna ratio formalis, ità quod illa vna ratio non ſit tertia ratio, ſed ſit tantùm propria ſapientiæ, & iuſtitiæ ratio; & huiuſmodi identitas eſt ſimpliciter impoſſibilis, implicanſq; duo contradictoria, ſi enim illæ duæ non ſunt vna tertia ratio, ergo non ſunt vna ratio, quoniam nulla ratio eſt identitas formalis vnius ad aliam, ex quo non ſunt ſecundum ſe vna, & ſi ſint vna ratio, ergo ſunt vna tertia ratio, eo quod vna ſecundum ſe non eſt altera; ſecundò poteſt intelligi ſi fingamus rationem ſapientiæ, & rationem iuſtitiæ eminentèr claudi in vna ratione formali ſuperioris ordinis, & identificari formaliter. Et hæc identitas eſt non ſolùm poſſibilis, ſed de facto omnium perfectionum in Deo: non enim eſt putandum rationem propriam formalem ſapientiæ eſſe in Deo, ſed vt in littera D. Th. habetur. Ratio ſapientiæ in Deo, non ſapientiæ propria eſt, ſed eſt propria ſuperioris puta Deitatis, & communis cùm eminentia formali, iuſtitiæ, bonitati, potentiæ &c. Sicut enim res, quæ eſt ſapientia, & res quæ eſt iuſtitia in Creaturis eleuantur in vnam rem ſuperioris

ordi-

Digitized by Google

ordinis, ſcilicet deitatem, & ideò ſunt vna res in Deo; ità ratio formalis ſapientiæ, ratio formalis iuſtitiæ eleuantur in vnam rationem formalem ſuperioris ordinis, ſcilicet rationem propriam deitatis, & ſunt vna numero ratio formalis eminenter vtramque rationem continens, non tantùm virtualiter, vt ratio lucis continet rationem caloris, ſed formaliter, virtualiter ratio lucis continet rationem virtutis calefactiuæ.

Quomodo ratio ſapientiæ in creaturis, eſt alia ratio ſapientiæ in Deo, ſed eadem proportionaliter.

Vndè ſubtiliſſimum D. Thom. ingenium, ex hoc quod ratio ſapientiæ in Deo eſt formaliter non ſolùm ipſa, ſed etiàm ratio iuſtitiæ, & conſequenter eſt ratio propria non ſapientiæ ſed alicuius tertiæ, in creaturis autèm eſt formaliter ipſa ratio propria ſapientiæ, intulit ex hoc S. Thom. ergò alia eſt ratio ſapientiæ in Deo, & alia ſapientiæ in creaturis, ac per hoc nomen commune non dicitur de eis ſecundum vnam rationem. Quod vt clariùs percipiatur exempla ſubdantur. Si enim quæratur quid eſt homo in quantùm ſapiens. Reſp. quod eſt ordinatiuus, vel aliquid huiuſmodi; ſi verò quæratur quid eſt Deus in quantùm ſapiens, reſpondendùm eſt, quod aliquid eminentèr præhabens in ſe eſſe ordinatiuum. Vbi manifeſtè patet, quod licet ly ſapiens ſit nomen commune Deo, & homini, ratio tamen vtriuſque ſecundum illud nomen, non eſt omninò eadem, propter hoc, quia ratio ſapientiæ in homine eſt ſolùm ipſa, in Deo autèm eſt ipſa & alia, imò nec ipſa, nec alia, ſed altior quædam ratio, & hoc eſt quod in littera art. 5. cit. acutè perſpecta dicitur. Ità Caiet. loc. cit.

Notabile 5. Caietani quomodo nomina non dicantur æqui voce de Deo, & creaturis.

Vltimò notat Caietanus, quod quandò dicitur à D. Thom. quod hæc nomina non dicuntur æquiuocè de Deo, & creaturis; Ly æquiuocè non intelligitur abſolutè, ſed cum limitatione. Addita autem eſt hæc limitatio, quia ſecundum veritatem analoga comprehenduntur ſub æquiuocis, quæ in prædicamentis diffiniuntur. Æquiuoca enim multiplicitèr inueniuntur. Quædam enim ſunt, quorum nomen eſt commune, & ratio ſecundum illud nomen eſt totaliter diuerſa, & hæc vocantur purè æquiuoca, & ſic intelligitur D. Thomæ negatiua; Quædam verò ſunt, quorum nomen eſt commune, & ratio ſecundum illud nomen, eſt diuerſa ſecundum aliquid, & hæc multis modis inueniuntur, & comprehendunt ſub ſe analoga, vt in ſuperioribus lectionibus diximus. Et quandò dicitur quod nihil ex creaturis poſſemus cognoſcere, ly nihil non ſupponit pro nihilo ſimpliciter, quoniam dato quod huiuſmodi nomina omnia æquiuoca eſſent, adhuc poſſemus cognoſcere, quod Deus eſt Creator, & ſuper omnia, & quod non eſt corpus, &c. ſed ſupponit pro nihilo formaliter communi Deo, & creaturis, puta eſſe ens, actum, bonum, ſapientem, &c. nihil enim horum poſſet de Deo ſciri, ſed ſemper incideret fallacia æquiuocationis vt patet. Ità Caiet. loc. cit. ſuprà.

Opinio Scoti declarata à Caietano vt oppoſita D. Tho.

Quo ad 2. Caietanus recitando Arg. Scoti exp. ſent. diſt. 2. q. 1. & 3. & diſt. 8. qu. 2. recitat ſimul opinionem Scoti contrariam S. Doctori, ſuſtinendo Scotus quod nomina communia Deo, & creaturis poſſunt dici de eis vniuocè. Et §. memento, &c. Caietanus declarat ſententiam S. Thom. dicentis, quod nomina dicuntur de Deo, & creaturis analogicè, id eſt ſecundum proportionem; & quidquid dicitur de Deo, & creaturis, dicitur ſecundum quod eſt aliquis ordo creaturæ ad Deum, vt ad principium, & cauſam, in qua præexiſtunt excellentèr omnes rerum perfectiones, & iſte modus communitatis medius eſt intèr puram æquiuocationem, & ſimplicem vniuocationem; & addit Caietanus. Et exemplum, quod affert S. Doctor ibi de ſano, ideò ponitur, non quia velit, quod iſta nomina communia Deo, & creaturis dicantur analogicè analogia attributionis, quæ non eſt propriè proportionis; ſed ponit, non quia ità ſit, ſed vt diſcentes addiſcant à

Digitized by Google

vtrobique enim eſt analogia ordinis duorum intèr ſe, quamuis diſſimilitèr ſit hìc, & ibi. Ità Caiet. loc. cit.

4. Concluſio cum ſua probat. Caiet.

Quo ad 3. Caietanus ponit hanc concluſionem ex D. Thom. 1. p. qu. 13. art. 5. Nomina communia Deo, & creaturis non dicuntur de eis vniuocè Formalizatur ratio D. Thom. à Caietano ſic: omnis effectus inadæquatus recipit diuiſim, & multipliciter, quod eſt in cauſa ſimpliciter, & eodem modo: ergo recipit ſimilitudinem agentis non ſecundum eamdem rationem: ergò creaturæ participant diuiſim perfectiones quæ ſunt vnitè in Deo: ergò nomina communia importantia perfectioné cùm de creaturis dicuntur ſignificant aliquid diſtinctum ab alijs, de Deo autèm dicta non ſignificant aliquid vt diſtinctum: ergò huiuſmodi nomina dicta de creaturis comprehendunt rem ſignificatam, de Deo autèm relinquunt rem ſignificatam, vt excedentem nominis ſignificationem: ergò huiuſmodi nomina non dicuntur de Deo, & alijs ſecundum eamdem rationem: ergò non vniuocè dicuntur de Deo, & creaturis.

Habet hæc ratio ſex propoſitiones illatas conſecutiuè ex primo antecedenti, quod declaratur exemplo ſolis, & inferiorum, ità quod declaratio non eſt tàm exemplaris, quàm proportionalis. Sicut ſol, ait D. Thom., ſecundum vnam virtutem multiformes, & varias formas in iſtis inferioribus producit. Ex qua proportionalitate, ait Caietanus, prima conſequentia eſt vt manifeſta relicta cum ſecunda. Tertia autèm cum reliquis, vt per ſe nota relinquitur à D. Thom. in littera. Eo quod à ſignificatis formalibus ad ſignificantia vt ſic quò ad vnitatem, & pluralitatem rationis liquidum eſt, proceſſum eſſe optimum. Ipſa tamèn tertia propoſitio, & quarta declaratur exemplaritèr in ly ſapiens, quod eſt commune Deo, & creaturis multis. Et ſic cum hoc nomen ſapiens, ait D. Thom., dicitur de homine, quodammodo deſcribit, & comprehendit rem ſignificatam, non àutèm cum dicitur de Deo; ſed relinquit rem ſignificatam vt incomprehenſam, & excedentem nominis ſignificationem. Vndè patet quod non ſecundum eamdem rationem hoc nomen ſapiens de Deo, & homine dicitur. Et eſt eadem ratio de alijs: ergò nullum nomen vniuocè de Deo, & creaturis prædicatur. Ità Caietanus cum D. Thom. loc. cit.

2. Concluſio negatiua quod non æquiuocè dicuntur cum ſua probatione ex D. Thom.

Secunda concluſio ponitur ibidem à Caietano ex D. Thom. ſic. Huiuſmodi nomina non dicuntur de Deo, & alijs purè æquiuocè. Probatur à Caietano ſi diceretur æquiuocè nihil poſſet ex creaturis cognoſci, aut demonſtrari de Deo: ſed hoc eſt contrà probationem, & D. Paulum qui Rom. 1. ait, inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, &c. & Ariſtot. in 8. & 12. Met. multa ibi demonſtratiuè de Deo probat. ergo, &c. Sequela probatur, quia incideret fallacia æquiuocationis. Ità Caiet. ex D. Thom.

3 Concluſio affirmatiua cum ſua probat. ex D. Tho. quod analogicè dicantur de Deo, & creaturis.

Tertia concluſio ponitur ibidem ex D. Thom. à Caietano ſic. Quæcumque nomina ſunt communia Deo, & creaturis, dicuntur de eis ſecundum analogiam, & vnius ad alterum, ideſt creaturæ ad Deum.

Explicatur 1. concluſio in ly vnius ad alterum, diſtinguendo ipſam analogiam; ſcilicet vel quia eſt ratio proportionis aliquorum intèr ſe, & hæc vocatur vnius ad alterum; vel ratione proportionis aliquorum non intèr ſe, ſed ad tertium, & hæc vocatur duorum ad trium, ſeù multorum ad vnum. Exemplum de ſano allatum in littera à D. Thom. quomodo intelligatur, iàm explicauimus ſuprà in ſecundo huius Lectionis loco.

Prob. 1. & 2. par.is Concluſ. 3.

Probatur modò prima pars ex D. Thom. à Caietano ſic. Per locum à diuiſione. Non dicuntur vniuocè, nec purè æquiuocè: ergo dicuntur de Deo, & crea-

Digitized by Google

& creaturis ſecundum analogiam, ideſt proportionalitatis, ſeù proportionis.

Probatur ſecunda pars ſic. Deum non poſſumus nominare, niſi ex creaturis: ergo nomina communia Deo, & creaturis dicuntur ſecundum ordinem vnius ad alterum, ideſt ſecundum ordinem creaturæ ad Deum, vt ad principium, & cauſam. Et hoc quia Deus eſt cauſa, in qua præexiſtunt omnium rerum perfectiones. Ità Caietanus cum D. Tho. loc. cit.

4. Concluſio cum ſua probatione ex D Tho. quod analogum eſt medium inter vniuocum, & æquiuocum.

Quarta concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. in fine art. 5. cit. ſic. Iſte modus prædicationis medius eſt inter vniuoca, & æquiuoca. Probatur per locum à diffinitione ad diffinitum. Hic non eſt vna ratio ſimpliciter, nec totaliter diuerſa, ſed ſecundum quid eadem, & ſecundum quid diuerſa: ſignificat enim diuerſas proportiones ad vnum, & propterea diuerſarum proportionum eſt diuerſitas ſecundum quid. ratione verò vnius rei ad quam, vel ſecundum quam illæ diuerſæ proportiones fiunt eſt ſecundum quid vna, vt patet de ſano, &c. ergo, &c. Hanc materiam (addit Caietanus loc. cit.) ſi vis plene intelligere vide ſæpè opuſculumm eum de analogia nominum ad vnitatem lectionum ſuprà redactum.

1. Argum Caietani contrà primã concluſionem,

Quò ad quartum, Arguit Caietanus ex D. Thom. ſic. Omne æquiuocum reducitur ad vniuocum ſicut multa ad vnum: ergo, &c. Probatur antecedens ex D. Thom. Si hoc nomen canis æquiuocè dicitur de latrabili, & marino oportet quod de aliquibus vniuocè dicetur, ſcilicet de omnibus latrabilibus, aliter eſſet procedere in infinitum. Inueniuntur autèm quædam agentia vniuoca, quæ conueniunt cum ſuis effectibus in nomine, & diffinitione, vt homo generat hominem; quædam verò agentia æquiuoca, ſicut ſol cauſat calidum, cum tamèn ipſe non ſit calidus niſi æquiuocè. Videtur ergo quod primũ agens, ad quod omnia agentia reducuntur ſit agens vniuocum, & ità, quæ de Deo, & creaturis dicuntur, vniuocè prædicantur.

Reſp. Caiet. ex D. Tho. ad 1. Arg.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. in forma ſic, diſtinguendo maiorem. Omne æquiuocum reducitur, &c. In prædicationibus concedo. In actionibus nego; quia licet in prædicationibus opporteat æquiuoca ad vniuoca reduci, in actionibus tamèn agens non vniuocum ex neceſſitate præcedit agens vniuocum. Agens enim non vniuocum eſt cauſa virtualis totius ſpeciei, vt ſol eſt cauſa generationis omnium hominum. Agens verò vniuocum non eſt cauſa agens totius virtualis ſpeciei, alioquin eſſet cauſa ſui ipſius cùm ſub ſpecie contineatur, ſed eſt cauſa partialis reſpectu huius indiuidui, quod in participatione ſpeciei conſtituit. Cauſa igitur virtualis totius ſpeciei, non eſt agens vniuocum. Cauſa autèm virtualis eſt prior particulari. Hoc autèm agens virtuale licet non ſit vniuocum, non tamèn eſt omninò æquiuocum, quia non ſic faceret ſibi ſimile: ſed poteſt dici agens analogicum. Sicut in prædicationibus omnia vniuoca reducuntur ad vnum primum non vniuocum, ſed analogum quod eſt ens.

Inſtantia prima Caietani cum ſua Reſponſione.

Inſtat Caietanus. Finis Reſponſionis huius contradicit principio eiuſdem: ergo, &c. probatur hoc. In principio ſiquidem dicitur, quod æquiuoca reducuntur in vniuocum in prædicationibus; in fine autèm dicitur quod in prædicationibus vniuoca reducuntur in non vniuocum, ergo &c.

Reſp. Caietanus in fine Comment. art. 5. cit. quod in prædicta Reſp. D. Thom. eſt duplex comparatio in prædicationibus. Prima eſt intèr vniuoca, & purè æquiuoca, & hæc facta eſt in principio. Secunda eſt intèr vniuoca, & non vniuoca, & hæc facta eſt in fine, & ideò nulla eſt contradictio.

Inſtantia 2. cõtrà Reſponſione.

Inſtat iterùm Caietanus. Hæc Reſp. non ſatisfacit Argumento, ergo, &c. probatur hoc. Vis argumenti ſtat in hoc, quod vniuocum ſe habet ad æquiuocum,

vt vnum ad multa. Conſtat autèm, quod hoc eſt verum non ſolum de purè æquiuocis, ſed quocumque modo æquiuocis, ſeù non vniuocis. Quoniam vnum non ſolùm eſt priùs multis ſimpliciter, ſed multis ſecundum quid; & ſic vniuocum reſtat priùs omnibus non vniuocis, vtpotè aliquo modo multitudinem includentibus in ſe.

Reſp. Caietani contrà ſecundam inſtantiam.

Reſp. Caiet. quod vtrobique facta eſt comparatio intèr eadem, ſcilicet vniuoca, & æquiuoca in communi, ſeù non vniuoca. Et tamèn nulla eſt contradictio: quoniam in principio eſt ſermo de reductione reſolutiua prædicati in ſe; in fine autèm de reductione reſolutiua diuerſorum prædicatorum. Aliud eſt enim reſoluere diuerſa in vnum, & aliud reſoluere aliquod in ſe ipſo. Ibi enim vnum reducitur in aliud, hic autèm vnum diſtinguitur in ſua vt patet in naturalibus. Ad propoſitum igitur, quando ſermo fuit de ordine diuerſorum prædicatorum, dictum eſt quod non vniuocum eſt prius, quia ens eſt primum ad quod cætera reducuntur; quandò verò ſermo fuit de reſolutione prædicati in ſe, dictum eſt quod vniuocum præcedit non vniuoca, ſicut vnum multa, eò quod ens ipſum, quod analogicè dicitur de homine, & albo reſoluitur in ſe ipſum vniuocè dictum de hominibus, & vniuocè quoque dictum de omnibus albis, & hoc concludebat vis argumenti. Conclude ergo, quod comparando diuerſa prædicata inter ſe, analogum præcedit. Reſoluendo autèm idem prædicatum in ſe, vniuocum præcedit vt vnum multa. Cætera, quæ in hac Reſp. D. Thom. de agentium ordine dicuntur, alibi patebunt, quandò de actione Dei ad extrà tractabitur. Ità Caietanus loc. cit.

2. Argum. Caietani contrà primũ conſequens rationis factæ pro 1. concluſione.

Arguit 2. Caietanus contrà primum conſequens primæ rationis ſic. Conſequens illud nil valet: ergo, &c. Probatur quia multa ſunt eiuſdem rationis genere, vel ſaltèm vniuocè vniuocatione Logica de qua eſt ſermo in corporibus inferioribus, & cœleſtibus, & tamèn hæc inferiora comparantur ad cœleſtia corpora, vt ad cauſas vnitè habentia, quæ hic diuiſim participantur. Patet hoc, quia corporeitas, & diaphaneitas, & lumen &c. ſunt eiuſdem rationis hic, & ibi.

Reſp. Caietani ad 2. Argum.

Reſp. Caietanus, quod maxima illa in antecedente aſſumpta, ex qua in primo conſequenti infertur diuerſitas rationis intelligitur formaliter, ideſt vt ſic, ità quod ſemper participatio diuiſim eius quod ſimpliciter, & vnitè eſt in cauſa; excludit identitatem rationis, etiàm Logicam ab illa re participata, non autèm ab alijs ſi quæ alia ſunt effectui, & cauſæ communia non ex vi talis participationis. Sic autèm contingit in obiectione allata. Corporeitas autèm ſi ibi vnitè eſt, ſcilicet abſque compoſitione materiæ, & formæ, vt putat Auerrois vniuocè non dicitur de illis, & iſtis; vndè ipſe Auerrois ſuper Porphyrium negat corpus eſſe genus prædicamenti ſubſtantiæ, & ponit corpus compoſitum; ſi autèm ex materia, & forma reſultat ibi etiam iàm patet, quod diuiſim etiàm ibi habetur. Propterea dicito, quod corpora cœleſtia, in quantùm aliquid habent vnitè, quod participatur hic diuiſim, vt videtur de virtutibus actiuis, quarum omnes, aut multas in vnita lucis natura habent, nihil habent eiuſdem rationis cum iſtis. Ità Caiet. art. 5. cit.

3. Argum Caietani contrà 3. cõſequens ex 1. cap. factum.

Arguit 3. Caietanus contrà tertiam propoſitionem deductam ex illo antecedenti ex duplici capite. Et primo ſic. Illa tertia conſequentia nec etiàm valet, ergo, &c. Probatur quia procedit à rerum conditionibus ad nominum conditiones: conſtat enim intellectum noſtrum, à quo dependent nomina natum eſſe adunata diuidere, & propterea poſſe intelligere, & ſignificare perfectionem puta ſapientiam abſque intellectione, & ſignificatione conditionum ſuarum, quas habet in

re

re puta; quod ſit idem cum alijs, aut non idem; vndè conſequentiæ iſtæ nihil valent ſapientia eſt in creaturis res diſtincta à iuſtitia, &c. ergo nomen ſapientiæ dictum de creaturis ſignificat ſapientiam cùm diſtinctione eius à iuſtitia &c. ſicut non valet. Quantitas in mixtis eſt res coniuncta colori: ergo nomen quanti dictum de mixtis, ſignificat quantitatem coniunctam colori, &c.

5. Argum. vt ſuprà ex alio capite.

Secundo obijcitur ex alio capite ſic. Quidquid ſit de illa tertia conſequentia ipſa tamen propoſitio conſequens in qua ſuſtentatur præſens poſitio. eſt in ſe falſa. Probatur hoc, ſapientiæ nomen abſolutè, aut ſignificat ſapientiam finitam, aut infinitam, aut vtrumque, aut neutro modo, ſed abſtrahit à finitate, & infinitate. Non primum quia ſic eſſet falſa iſta enunciatio Deus eſt ſapiens; non ſecundum quia ſic eſſet falſa iſta alia, Homo eſt ſapiens; non tertium quia vtraque prædictarum eſſet falſa; ergo quartum, & ſic: ergo dicendo homo eſt ſapiens, & Deus eſt ſapiens, ly ſapiens non magis ſignificat quid diſtinctum in prima, quam in ſecunda, quia ſimpliciter, & abſolutè, in vtraque prædicatur abſque additione aliqua. Imò huius poſitionis Auctor videtur deceptus, quia non diſtinxit intèr formale ſignificatum nominis, & materiale ſuppoſitum eiuſdem. Quamuis enim cum dico homo eſt ſapiens, ly ſapiens, gratia materiæ ſubiectæ prædicet rem diſtinctam, &c. quia ſcilicèt ipſa ſapientia in homine eſt res diſtincta ab eius eſſe, &c. ex formali tamèn ſuo ſignificato non prædicat niſi ſapientem eſſe, ſiuè limitatè, ſiuè non ibi ſit ſecundum rem.

Reſp. Caietan. ad Argum 5. pro ſecundo capite factum.

Reſp. Caiet. ad hanc vltimam obiectionem quod argumentum ſupponit ſapientiæ nomen abſolutè, non vt ſignificat ſpeciem qualitatis, ſed tranſcendentèr ſumptum ſignificat aliquam rationem formalem vnam ſimpliciter, quod quidem diſputatur, & concluditur eſſe falſum quia ſignificat rationem vnam formalem ſecundum analogiam, & non ſimpliciter. Quomodo autèm ratio vna ſecundum analogiam prædicetur de pluribus diffusè tractatum eſt à nobis in opuſculo noſtro, ſcilicet in præcedentibus Lectionibus. Vndè ad quæſitum dicendùm eſſet quod importat vtramque ſapientiam, ſed non per modum vniuoci, & ideò ſequela argumenti non valet, quæ hoc ſupponit. Ad id verò quod adduur in obiectione. Reſp. Caietanus, quandò dico Deus eſt ſapiens, ly ſapiens ex formali ſuo ſignificato importat ſapientiam eamdem formaliter iuſtitiæ &c. imò vt rectiùs loquar ſignificat non ſapientiam, ſed aliquid eminentèr præhabens rationem ſapientiæ. Quandò verò dico homo eſt ſapiens, ly ſapiens prædicat ipſam ſapientiæ rationem, vt patet ex Reſponſionibus reddendis quærentibus, quid eſt Deus vt ſapiens, & quid eſt homo vt ſapiens. Illud enim nomen formaliter ſignificat quod Reſp. quærenti quid eſt in quantùm habet illud nomen. Non eſt igitur deceptus Auctor, ſed rationem vniuocorum formalem formaliſſimè eſt intuitus iuxtà Ariſt. diffinitionem.

Reſp. Caiet. ad 3. Argum. ex 1. capite factum.

Reſp. Caietanus ad primam obiectionem ex primo capite adductam in quarto Argumento quod proceſſus iſte non arguit ex conditionibus rerum ad conditiones nominum abſolutè, ſed ex diuerſitate rationis formalis ſignificatæ per nomen in hoc, & in illo ad deſtruendam vniuocationem nominis, vt enim patet ex dictis, non ex identitate, aut diuerſitate reali, ſed ex identitate, & diuerſitate formali perfectionum intèr ſe intelligitur D. Thom. Nec licuiſſet etiàm ex formali identitate perfectionum intèr ſe deſtruere vniuocationem nominis, niſi ex formali identitate eorum, quæ ſecundum ſe non ſunt idem conſtaret ſequi tertiam rationem altiorem omnibus huiuſmodi diuerſis. Ex hoc enim quod non niſi tertia ratio eſt proximè liquet formalis diſtinctio eleuatæ, & non eleuatæ, ſeu identicè formaliter alijs, & non identicæ formaliter alijs. Ità Caiet. loc. cit.

Ar

Digitized by Google

Obiectiones quatuor allatæ à Caietano ex Scoto contrà Concluſionem affirmatiuam tertiam.

Arguitur vltimo ex Caiet. pro opnione Scoti 1. ſic. Huiuſmodi nomina habent conceptum certum in communi, ſtante dubitatione de conceptibus Dei, & creaturæ: ergo, &c. Secundò Proceſſus Metaphyſicales vtuntur vna ratione formali in huiuſmodi, & auferendo ab ea omnes conditiones imperfectionis, attribuunt eam Deo: ergo, &c. Tertiò quia alitèr Deus non eſſet naturaliter cognoſcibilis aliquo ſimplici conceptu, eo quod ille conceptus non clauderetur eſſentialiter, nec virtualiter in aliquo relucente in phantaſmate: ergo, &c. Quartò quia omnis comparatio eſt aliqualiter in vniuoco ex 7. Phyſ. Conſtat enim Deum eſſe perfectiùs ens, quàm creatura ergo, &c.

Reſp. Caietani ad illas quatuor obiectiones Scoti.

Reſp. Caietanus ad primam Scoti obiectionem, quod nil concludit niſi alietatem conceptus ſapientiæ puta in communi Dei, & creaturæ: ſed ex hoc inferre ergo vniuocus conceptus eſt ſophiſma conſequentis: quoniam conceptus analogus eſt etiàm alius ab inferioribus, non tamèn eo alietatis modo, quo eſt alius conceptus vniuocus ab vniuocatis, quia hic eſt alius, vt præciſus ab eis, ille verò vt continens eos, vt ſuprà in præcedentibus Lectionibus diximus.

Ad ſecundam.

Ad ſecundam obiectionem Reſp. Caietanus, quod Metaphyſicales proceſſus vtuntur vna ratione ſimpliciter in principio inquiſitionis, ſed in termino vtuntur vna ratione non ſimpliciter, ſed ſecundum analogiam. Sic eſt enim vna ratio ſapientiæ, quando eſt expoliata ab imperfectionibus; vndè non eſt par ratio, vt Scotus obijcit, de lapide, & ſapientia, quia ratio lapidis, nec in principio, nec in termino inquiſitionis poteſt remanere analogicè ſaluata formaliter in Deo, & lapide, quia ſemper lapidis ratio imperfectionem claudit.

Ad tertiam.

Ad tertiam obiectionem Reſp. Caietanus, quod Deus eſt cognoſcibilis conceptu ſimplici contento in obiecto relucente in phantaſmate participatiuè, vel imitatiuè nec opportet quod contineatur eſſentialiter, aut virtualiter: datur enim tertius modus.

Ad quartam.

Ad quartam obiectionem Reſp. Caietanus, quod comparatio fit etiàm in analogo, quod medium eſt intèr vniuocum, & æquiuocum, & ideò negatur aſſumptum. Cum enim dicitur Deus eſt perfectius ens creatura, comparatio fit in ratione entis vna ſecundum analogiam, & ſic communis vtrique, vt alibi docuimus. Ità Caiet. 1. p. q. 13. art. 5.

Appendices ad quintam Lectionem Metaphyſicalem in Tráctatu de Analogia nominum.

QVæ dicuntur in hac Lectione, ſi vis clariora, & meliora legas D. Thom. de potentia qu. 1. art. 7. & opuſc. 3. c. 17. & p. c. g c. 32. 33. cum Ferr. ibi & c. 34. Scotum 3. d. 3. q. 2. Capreolum 1. ſent. d. 22. q. 2. concl. 1 & d. 35. q. 2. art. 2. concl. 10. d. 30. q. 1. & 2. concl. 3. Et nota dictum Innoc. Papæ in Concilio Generali de Summa Trin. & Fide Catholica cit. à Ven. Porrecta in append. art. 5. q. 13. p. 1. Damnamus &c. meritò dixiſſe eſtote perfecti perfectione Gratiæ, ſicut & Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt perfectione naturæ vtraque videlicet ſuo modo, quia inter Creatorem, & creatura non poteſt tanta ſimilitudo notari, quin intèr eos ſit maior diſſimilitudo. Ecce quomodo Papa Innoc. ponit analogiam intèr creaturam, & Creatorem. Quid ſentiant Neoterici, & quàm ſint alieni ab hoc ſenſu analogiæ, vide Paſqualigum cit. in append. Lectionis ſequentis, & in ſua Met. diſp. 29. 30. &c.

LECTIO VI. METAPHYSICALIS.

IN TRACTATV DE ANALOGIA NOMINVM.

Vtrùm nomina per priùs dicantur de Creaturis, quam de Deo.

Ex Caietano 1. p. quæſt. 13. art. 6.

Titulus Caiet.

CAIETANVS ſuppoſitis in præcedenti Lectione, quæ dicta ſunt de nòminibus communibus Deo, & Creaturis, declarat in præſenti Lectione cum D. Thom. loc. cit. ſi per prius dicantur de Deo, quàm de creaturis, & dicit quod Titulus vt iacet in ſua amplitudine relinquitur.

1. Notabile Caietani in quo declaratur in quo ſenſu intelligatur quod per prius dicantur de Deo quãtum ad rem ſignificatam.

Quo ad primùm igitur notat Caietanus in art. 6. cit. qu. 13. quod quando dicitur ibi à D. Thom. quod nomina huiuſmodi communia, prius dicantur de Deo quantùm ad rem ſignificatam non eſt intelligendus in ſenſu materiali, ſed formali. Ità quod hoc opportet verificari de re formaliter ſignificata, & ratio aſſignata à D. Thom. neceſſariò complectitur vtrumque, ſcilicet & quod nomen ſaluetur formaliter, & quod illa ratio formalis eſt prior ſecundum rem cæteris, quia eſt cauſa cæterarum. Neutrum enim horum ſeorſim ſufficeret ad concludendum nomina prius dici de illo, vt patet inductiuè: ratio enim ſani in cauſa licet ſit prior ſecundum rationem ſani in animali, quia tamen ratio ſani non formaliter in cauſa eſt, poſterius de cauſa dicitur. Ratio quoque boni licet ſit formaliter in homine non tamen priùs dicitur de eo quàm de alijs. Nec te conturbet quiſpiam dicens, ergo non eſt eadem ratio omnibus nominibus communibus Deo, & alijs, eo quod quædam ſunt, quorum formales rationes, & ſi ſaluantur in Deo non ſunt cauſæ quod cætera ſint talia, quoniam illæ rationes formales nullam cauſalitatem habent. Memento auctoritatis ad Eph. 3. Flecto genua mea ad Patrem Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in Cœlo, & in terra nominatur. Si namque Paternitas Diuina, quæ relatio eſt, atque per hoc à cauſalitate aliorum remotiſſima, cauſa eſt cæterarum Paternitatum, à fortiori bonitas eſt cauſa omnis bonitatis, & ſcientia omnis ſcientiæ, & ſic de alijs; vndè ſi quæratur in quo genere cauſæ, nunquàm duo genera deſunt, ſcilicet finalis, & formalis exemplaris quidquid ſit de efficientia. Ità Caiet. art. 6. §. circà eiuſdem partis, &c.

Opinio aliquorũ confutata à D. Th. declarando Caiet. quanã ſit propria D. Thomæ.

Quo ad 2. Caietanus recitat opinionem aliquorum, quos refert, & confutat D. Thom. in cap. art. §. cit. vbi habet hæc. De alijs nominibus, quæ non metaphoricè dicuntur de Deo, eſſet eadem ratio, ſi dicerentur de Deo cauſaliter tantùm, vt quidam poſuerunt. Sic enim cum dicitur Deus eſt bonus nil aliud eſſet, quam Deus eſt cauſa bonitatis creaturæ. Et ſic hoc nomen bonum dictum de Deo

clau-

cluderet in ſuo intellectu bonitatem creaturæ. Vndè bonum per prius diceretur de creatura, quàm de Deo, ſed ſuprà oſtenſum eſt, ſcilicet in art. 2. qu. 13. quod huiuſmodi nomina non ſolùm dicuntur de Deo cauſaliter, ſed etiàm eſſentialiter. Cum enim dicitur Deus eſt bonus, vel ſapiens non ſolùm ſignificatur quod ipſe ſit cauſa ſapientiæ, vel bonitatis, ſed quod hæc in eo eminentiùs præexiſtunt. Vnde ſecundum hoc dicendum eſt, quod quantùm ad rem ſignificatam per nomen, per prius dicuntur de Deo, quàm de creaturis, quia à Deo huiuſmodi perfectiones manant in creaturis, ſed quantùm ad impoſitionem nominis per prius à nobis imponuntur creaturis, quas priùs cognoſcimus. Vndè & modum ſignificandi habent, qui competit creaturis, vt dicitur in art. 3. qu. 13. Ità Caietanus cum D. Thom. in fine art. 6.

Regula, ſeù concluſio 1. probata ex D. Thom ad diſcernendum quæ nomina per prius dicantur.

Quo ad 1. Prima concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. veluti Regula, ad diſcernendum quodnam ſit illud analogum quod per prius dicitur, & eſt tale analogum prius dicitur de eo, quod ponitur in aliorum diffinitione quam de alijs. Ratio D. Thom. formalizatur ſic à Caietano. In omni nomine analogo eſt vnum, reſpectum à cæteris: ergo illud vnum ponitur in aliorum diffinitione: ergo illud vnum eſt priùs cæteris ſecundum rationem illius analogi. Declaratur hoc exemplaritèr in hoc nomine ſani, quod dicitur de animali, & cadit in diffinitione ſani, quod dicitur de Medicina, quæ dicitur ſana in quantùm cauſat ſanitatem in animali; & in diffinitione ſani, quod dicitur de vrina, quæ dicitur ſana in quantum eſt ſignum ſanitatis animalis. Secunda conſequentia probatur, quia ratio quam ſignificat nomen eſt diffinitio, ac per hoc prius ſecundum diffinitionem illius nominis, eſt prius ſecundum eius rationem, quod nihil aliud eſt, quàm analogum prius dici de illo, quod diffinit cætera, quam de alijs. Ità Caietanus in principio Comment. art. 6. cit.

2. Concluſio Caietani ex D Thom probata, quod metaphoricè nomina per prius de creaturis dicuntur.

Secunda concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. ſic. Nomina metaphoricè dicta prius dicuntur de creaturis, quàm de Deo. Ratio D. Thom. formalizatur ſic à Caietano. Ratio horum nominum vt dicuntur de Deo, non poteſt intelligi abſque ratione eorumdem, vt dicuntur de creaturis, ergo, &c. hoc patet exemplaritèr, in communi quidem de ridere, in propoſito autèm de Leone. Sicut enim ridere dictum de Prato, ait D. Thom. nihil aliud ſignificat, quàm quod Pratum ſimiliter ſe habet in decore cùm floret, ſicut homo quando ridet ſecundum ſimilitudinem proportionis; ſic nomen Leonis dictum de Deo nihil aliud ſignificat, quàm quod Deus ſimiliter ſe habet vt fortiter operetur in operibus ſuis, ſicut Leo in ſuis. Conſequentia deducta ex illo antecedenti tenet ex Regula aſſignata. Ità Caietanus, &c.

3. Concluſio ex D. Tho. probata à Caietano quod nomina non dicuntur tantùm cauſaliter.

Tertia concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. vt hypothetica. Si nomina communia propriè dicta dicerentur de Deo cauſaliter tantùm, dicerentur per prius de creaturis, quàm de Deo. Ratio D. Thom formalizatur ſic à Caietano. Eorum ſignificatio vt de Deo dicuntur non poſſet intelligi ſine ſignificatione eorumdem in creaturis: ergo, &c. Antecedens patet in exemplo boni in art. 2. adducto quæſtione 13. Conſequentia verò tenet ex aſſignata regula. Ità Caietanus.

4. Concluſio ex D. Tho. probata à Caiet. quomodo per prius de Deo, & creaturis dicantur.

Quarta concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. ſic. Huiuſmodi nomina quo ad rem ſignificatam prius de Deo: quo ad impoſitionem autèm nominis prius dicuntur de creaturis. Ratio D. Thom. formalizatur ſic à Caietano, & prima pars probatur. Hæc nomina non ſolùm ſignificant Deum eſſe talem cauſaliter, ſed etiàm eſſentialiter, & à Deo emanant aliorum perfectiones, ergo quo ad rem

per

Digitized by Google

per priùs dicuntur de Deo quam de alijs. Probatur ſecunda pars: Creaturas priùs cognoſcimus, & nominamus,&c.ergo &c.Probatur ſecundo ex ſigno, habent modum ſignificandi quod conuenit Creaturis, ergo &c. Ità Caiet. a. 6. cit.

Arg. 1. Caiet. contra primã partem Concl. quartæ.

Quo ad 4. Arguit Caietanus contrà probationem primæ partis Concluſionis quartæ ſic. Si enim quandò dicitur Deus eſt bonus, ſenſum facit, quod Deus eſt cauſaliter, & formaliter bonus, iàm ſequitur primò quod ly bonus dictum de Deo non ſignificet vnum quod eſt contrà Ariſt. 4. Met. ergo &c. ſequitur ſecundò, intentæ Concluſionis oppoſitum, quoniam eſſet ſenſus, Deus eſt cauſa bonitatis aliorum, & in ſe ipſo bonitatem habens, vbi manifeſtè patet, aliorum bonitatem cadere in ratione Dei, vt bonus eſt.

Reſp. prima ad Arg. 1.

Reſp. Caiet. dupliciter, & primò quod illa Verba poſſunt dupliciter ſano modo intelligi. Primò vt intelligantur de poſſibili ſeorſim ideſt quod huiuſmodi nomina poſſunt dici, & verificari de Deo vtroque modo, ſcilicet, & cauſaliter, & formaliter, ſeorſim tamèn. Ita quod iſta, Deus eſt Bonus, eſt vera cauſaliter ſumpta, & eſt etiam vera formaliter ſumpta; & non quod ſimul importet vtrumq; Et ſic nullam ambiguitatem ingerit obiectio oppoſita, quia de vtraque ſimul ſignificatione loquitur.

Reſp. 2. ad Arg. 1.

Reſp. 2. Caiet. quod ſi exponantur illa verba, de vtroq; ſignificato ſimul, ſic opportet dicere quod huiuſmodi nomina dicuntur de Deo formaliter, & cauſaliter, ſed fundamentaliter, v.g. quandò dicitur Deus eſt Bonus, non ſolùm ſignificatur quod Deus eſt habens bonitatem, ſed etiàm quod Deus habet talem rationem bonitatis, qualis nata eſt fundare cauſalitatem bonitatis aliorum, ità quod ly talem, non modum, aut rationem aliquam addit ſuprà bonitatem Diuinam, ſed circumloquitur rationem formalem illam, ſecundum quam Deus dicitur bonus. Iàm definitum eſt, quod illa non eſt eadem cum noſtra niſi ſecundum Analogatam. Illa autèm ratio quamuis cauſalitatem non importet, fundat tamèn eam proximè, & ſimile eſt de alijs. Et ſic nulla remanet ambiguitas, quoniam ſecundum hoc, huiuſmodi nomina ſignificant vnum, nec opportet cointelligi bonitatem Creaturæ, quoniam non important cauſalitatem, ſed fundamentaliter tantùm. Vtraq; Reſp. eſt bona, prima tamen magis litteralis, eo quod contrà opinionem confutatam ibi loquitur D. Th. & conſtat quod opinio illa loquebatur de ſignificatione cauſalitatis non fundamentaliter, ſed formaliter, vt patet. Ità Caiet. a. 6 §. Ad hoc dicitur &c.

Arg. 2. Caiet. contrà idem vt ſuprà.

Arguit 2. Caiet. ad hominem contrà eamdem primam partem Concluſionis quartæ ſic. In art. 2. q. 13. ait D. Th. quod Deus eſt bonus, ſenſus eſt, id quod bonitatem in Creaturis dicimus, eminentius in Deo præexiſtit. Ecce quomodò in ſignificatione boni in Deo poſita, clauditur bonitas creaturæ, & per conſequens priùs dicitur de Creaturis. Et rurſus in art. 5. dicit, quod hæc nomina dicuntur de Creaturis in ordine ad Deum, ergo in ratione horum nominum, vt dicuntur de Creaturis clauditur Deus, ergo prius de Deo, ità quod Deus ponitur in definitione aliorum, cuius oppoſitum in hac prima parte Concluſionis quartæ tenetur, vt patet. Inſuper contrà primam Concluſionem, quæ eſt Regula, opponitur ſimpliciter, tùm quia patet ſapientiam analogicè dici de Deo, & alijs, & tamèn Creatura non dicitur ſapiens in ordine ad Deum, nec è conuerſò, vt patet, ſed vterque dicitur ſapiens abſolutè. Tùm quia in ratione hominis vt dicitur ſapiens non clauditur ſapientia Dei; nec in ratione Dei vt ſapiens eſt, clauditur ſapientia hominis: ergo cum totum oppoſitum dicatur hic, non benè probatur prima pars Concluſionis à nobis ex D. Th. Ità Caiet.

Reſp. vnica Ca-

Reſp. Caiet. vnica Reſp. quod ſcilicet ſecundum veritatem hæc nomina dicuntur

Digitized by Google

ietani ad omnia, quæ tanguntur in Arg. 2.

Analogicè ideſt proportionaliter, & prius de Deo quàm de alijs, quia cum de vtriſque dicantur formaliter, formalitas tamèn in Deo prior eſt ſecundum rem formalitate illa in alijs; non tamèn ſic eſt prior, vt ſcilicet definiens eſt priùs definito, ſed eſt prior, vt ſaltem cauſa exemplaris eſt prior exemplato;& propria ſicut omnia exemplata ſunt talia in ordine ad exemplar, ſic omnes Creaturæ dicuntur tales puta bonæ in ordine ad diuinam bonitatem. Et ſicut non opportet exemplata ſignificari cum ordine ad exemplar, quamuis illud habeant, ita non opportet bonitatem Creaturæ ſignificari in ordine ad diuinam bonitatem, quamuis ſecundum eſſe illam ſemper reſpiciant vt exemplar. Verba igitur art. 5. & ſimilia, hic non ſunt confutata, ſed expoſita, quod ſcilicet intelliguntur ſecundum eſſe, & non ſecundū ſignificari niſi fundamētaliter, pro quanto rationes formales per ea ſignificatæ in Creaturis fundant ordinem ad Deum vt cauſam. Verba tamen 2. art. non fuerunt inducta, vt definiretur ſignificatio nominis in Deo poſita, ſed vt exponeretur ex notioribus nobis, & ideò nihil obſtant; nulla enim comparatio, aut connotatio alterius clauditur in ratione huiuſmodi nominum, tàm cùm de Deo, quàm cùm de Creaturis dicuntur, ſed verè abſolutè dicuntur, cùm abſolutas ſignificent perfectiones, & per hæc patet ſolutio obiectorum in fine Argumenti quandò ſimpliciter arguitur. Ità Caiet. in fine &c.

Arg 3. Caiet. contrà primam Cōluſionem cum ſua Reſp. formali.

Arguit vltimò Caiet. contrà probationem illius Regulæ, ſeù primæ Concluſionis ſic ad hominem, S. Doctor in q. 10. de Verit. a. 11. dicit hanc propoſitionem non eſſe veram virtualiter, ſcilicet quod primum Analogatum poni debeat in rationibus Analogatorum.

Reſp Caietanus iuxtà prædicta in præcedentibus, quod Analoga inueniuntur duobus modis quædam enim ſignificant ipſos reſpectus ad primum Analogatum, vt patet de ſano; quædam verò ſignificant fundamenta tantùm illorum reſpectuum, vt communiter inuenitur in omnibus verè Analogis propriè, & formaliter ſaluatis in omnibus Analogatis. Propoſitio ergo illa vniuerſalis, in antecedente aſſumpta intelligenda eſt vniuerſaliter in primo modo Analogiæ; ità quod ſenſus eſt, quod in omnibus nominibus, quæ de pluribus Analogicè ideſt ſecundum diuerſos reſpectus dicuntur, opportet poni vnum. In quæſtione autem de Verit. de ſecundo modo Analogiæ dixit oppoſitum. Et hæc Reſp. addit Caiet. eſt vniuerſalior ea quam alibi aſſignauimus, quia iſta Reſp. habet etiam locum in Analogis ſecundum proportionalitatem, Metaphoricè tamen dictis, in his enim, etiàm vnum ponitur in ratione alterius propter prædictam cauſam. Ità Caiet. in principio Commentarij art. 6. c t. q. 13.

Appendices ad Lectionem 6. Metaphyſicalem in Tractatu de Analogia Nominum.

DE hac Lectione videas plura in Ferr. cum D. Th. in p. c. gent. c. 34. & Bannezium in hoc a. 6. p. p. q. 13. Conſulas etiàm Appendices Ven. Porrectæ quantùm expedit pro hac lect. ſcilicet art. 3. & 2. q. 13. Et in hac Appendice art. 6. aduertit quod Apoſt. tenet in illo ad Eph. 3. Flecto genua ad Patrem Domini Noſtri, Ieſu Chriſti ex quo omnis Paternitas &c. quod Paternitatis nomen de Deo, & Creaturis dictum conuenit prius Deo, quàm Creaturis, & de ſimilibus eſt idem Iudicium.

Quomodò autèm tribuatur Deo aliquod nomen commune cùm Creaturis Intèr Neotericos vide Paſqualigum in diſp. 29. ſect. 7. vbi poſt explicationem datam in alijs

Digitized by Google

alijs ſectionibus præcedentibus ad arbitrium ſuum ſecundum quàm conſtituit vnam Analogiam proportionis ſuo modo, hanc dicit non poſſe eſſe inter hoc nomen ens commune Deo, & Creaturis. Et tandèm ait, quod cum nomina ſignificent iuxtà noſtros conceptus, hinc fit, quod dùm illud nomen ſignificat rationem obiectiuam, quæ eſt in Deo, & valdè diuerſam ab ea, quæ eſt in Creaturis, quia tamen ratio illa in noſtro conceptu eſt cum proportione ad eam, quæ eſt in Creaturis, non ſit nomen æquiuocum, & hac ratione fortaſſe concludit Paſqualigus D. Th. in p. p. q. 13. a. 5. docuit nomina, quæ de Deo dicuntur, dici Analogicè. Vide (Bone Deus,) quomodò Neoterici iſti vellent recedere à doctrina D. Th. eiuſq; Interpretis, ſed nihilominus, quo magis quærunt recedere per ambages diſcurſuum, eo magis accedere velint, nolint, coguntur.

LECTIO VII.
METAPHYSICALIS
IN TRACTATV DE ANALOGIA NOMINVM.

Vtrùm hoc nomen Deus ſit commmunicabile.

Ex Caietano in p. p. q. 13. a. 9.

Declaratio Tituli lectionis facta à Caiet.

QVia ſcientia Metaphyſicæ vocatur ſcientia Diuinorum, ex eo quia vt diximus in lectionibus proœmialibus ſupra agit nonnulla de Deo, & de ſubſtantijs ſeparatis, quæ cognoſcuntur lumine naturali; ideò nonnulla quædam de Diuinis in quolibet Tractatu Metaphyſicali Caietanus permiſcet; vndè in hoc Tractatu de Analogia nominum, circà hoc nomen *ly* Deus inſtituitur hæc Lectio 7. in qua declarandum eſt quomodò hoc nomen Deus poſſit communicari, & de facto communicatus ſit ab ipſa gentilitate ſuis Idolis. Ità Caietanus.

Primum notab. Caietani declarans cum D. Th. quomodo dicatur communicabile.

Quo ad primum Caietanus in art. 9. q. 13. cit. notat cùm D. Th. quod *ly* communicabile ſtat dupliciter vno modo propriè, alio modo per ſimilitudinem. Propriè quidem communicabile eſt quod ſecundum totam ſignificationem nominis eſt communicabile multis. Per ſimilitudinem autem communicabile eſt, quod eſt communicabile ſecundum aliquid eorum, quæ includuntur in nominis ſignificatione. Hoc enim nomen Leo propriè communicatur omnibus illis, in quibus inuenitur natura, quam ſignificat hoc nomen Leo. Per ſimilitudinem verò eſt communicabile illis, qui participant aliquid Leoninum, puta audaciam, vel fortitudinem, qui metaphoricè Leones dicuntur. Ità Caiet. ex D. Th. in principio art. 9.

Notab. 2. Caiet. in quo ex D. Th.

Notat 2. Caiet. ibidem cum D. Th. quatuor Regulas ad diſcernenda nomina communicabilia ab alijs, & quam differentèr ſint communicabilia. Prima Regula,

Digitized by Google

traduntur duæ regulæ ad diſcernenda nomina communicabilia.

quæ ſpectat ad ſenſibilia eſt, quod omne nomen ſignificans naturam diſtinctam ab indiuiduo eſt communicabile propriè ſecundum rem, vel ſecundum rationem ſaltem; patet hoc à priori, quia omnis forma in ſuppoſito indiuiduante exiſtens, eſt ſecundum ſe prædicto modo communis, quia quo ad communitatem rei in natura hominis, eſt communis multis vel ſecundum rem, vel ſecundum rationem tantùm, & quo ad communitatem rationis tantùm patet ex natura ſolis hac ratione ſic. Natura ſpecifica intelligitur à nobis abſtrahendo à ſingulari: ergo eſſe in vno, vel in pluribus ſingularibus eſt præter intellectum naturæ ſpecificæ: ergo ſeruato intellectu naturæ ſpecificæ, poteſt etiàm, ſol intelligi, vt pluribus exiſtens. Sed nota, ait Caietanus, circà hanc Regulam, quod communicabilitas propriè ſubdiuiſa ibi inſinuatur, ſcilicet incommunicabilitatem ſecundum rem, & rationem ſimul, & ſecundum rationem tantùm, ſimulq; inſinuatur quod fundamentum communicabilitatis realis eſt intentio illius naturæ in multis, quæ vt Auicenna dixit, trifariam inuenitur, ſcilicet aut in actu ſimultaneo, vt patet in natura humana, cuius ſunt ſimul actu plura ſingularia aut in, actu ſucceſſiuo, vt dicitur de Phænice, quod vita ſequentis mortem exigit prioris; aut in potentia tantùm, vt domus mille angulorum, ſi nunquàm fiat. Fundamentum autèm communicabilitatis ſecundum rationem tantùm ex parte noſtri intellectus aſſignatum eſt; ſcilicet quod eſt cognitio naturæ abſq; cognitione indiuiduantium, & hæc pluribus modis, vt alibi patebit infrà. Secunda Regula, quæ ſpectat etiàm ad ſenſibilia eſt hæc, quod omne nomen ſingulare ſignificans eſt incommunicabile propriè, tàm ſecundùm rem quàm ſecundum rationem licet ſit communicabile Metaphoricè, & primum conſtat, quia ſingulare vt ſic eſt diuiſum ab omnibus alijs. Secunda verò etiam conſtat, quia non poteſt in apprehenſione intellectus cadere pluralitas huius indiuidui. Tertium patet inductiuè exemplo Achillis, ſicut aliquis poteſt dici Metaphoricè Achilles, in quantùm habet aliquid de proprietatibus Achillis, id eſt, fortitudinem. Ità Caiet. in c. art. 9. cit. q. 13.

Tertium notabile Caiet. ex D. Th. in quo traduntur aliæ duæ regulæ ad diſcernenda nomina communicabilia in formis ſeparatis.

Notat 3. Caiet. cum D. Th. duas alias Regulas ibidem, quæ ſpectant ad formas ſeparatas. Prima eſt. Omne nomen ſignificans formam non indiuiduam per aliud ſuppoſitum, ſed per ipſam ſecundum quod in ſe eſt, eſt incommunicabile propriè, & re, & ratione, quamuis non Metaphoricè. Primum conſtat à priori, quia ſunt per ſe ipſas ſubſiſtentes. Secundum etiàm, quia ſic intelligerentur ſecundum quod ſunt. Sed ſcito addit Caietanus quod huiuſmodi nominibus caremus, quia non poſſumus intelligere tales formas, ſecundum quod in ſe ſunt. Quarta Regula eſt, quod omne nomen, quod habemus ſignificans huiuſmodi formas per ſe ſubſiſtentes eſt communicabile propriè non ſecundum rem, ſed ſecundum rationem tantùm. Patet hoc vltimum à priori, quia huiuſmodi formæ intelliguntur à nobis non ſuo modo, ſed modo rerum compoſitarum, ſcilicet habentium formam in materia: ergò quantùm ad rationem nominum idem eſt Iudicium de nominibus ſignificantibus formas, ſiuè ſeparatæ ſint, ſiuè in alio, & patet antecedens ex ſigno, imponimus illis formis nomina concreta: ergo intelligimus illas modo compoſitorum. Antecedens patet, & conſequentia probatur, quia concreta ſignificant naturam in aliquo: ergo &c. Ità Caiet. ex D. Th. a. 9. cit.

Opinio S. Th. explicata à Caiet. contrà Hæreticos.

Quo ad ſecundum Caiet. in art. 9. cit. explicando ſententiam D. Th. ait, quod hoc nomen Deus, eſt incommunicabile ſecundum rem, communicabile autèm ſecundum opinionem: Manichæi enim, & Marchioniſtæ, & Secundinus pluralitatem ideò poſuerunt, quia opinionem propriam, vt omnes alij Hæretici faciunt, & non rei veritatem ſecuti ſunt; ſed hæc ipſorum opinio eſt falſa, quia Diuina ſecundum

men-

menſuram rerùm creatarum metiri voluerunt. S. Doctor tamèn tenet ſecundum rei veritatem, quod hoc nomen Deus eſt communicabile ſecundum rem non ſecundum totam ſuam ſignificationem, ſed ſecundum aliquid eius per quamdam ſimilitudinem. Ità Caiet. loc. cit.

Prima Concl. ex D. Th formalizata à Caiet. quod hoc nomen Deus eſt incommunicabile, & communicabile.

Quo ad 3. Caietanus in articulo eodem 9. cit. ponit ex D. Th. hanc concluſionem. Hoc nomen Deus eſt incommunicabile ſecundum rem, communicabile autèm ſecundum opinionem, & ſecundum ſimilitudinem. Probatur prima pars. Natura diuina ſignificata hoc nomine eſt incommunicabilis ſecundum rem: ergo &c. Secunda pars declaratur exemplo Solis, & confirmatur auctoritate Gloſæ ad Galat. 4. de Sole, qui eſſet communicabilis ſecundum opinionem ponentium multos Soles. Et ad Galatas dicitur, His, qui natura non ſunt Dij, ſeruiebatis. Gloſa interlinearis ait, non ſunt Dij natura, ſed opinione hominum. Tertia pars probatur in participantibus diuina, adiuncta auctoritate Pſalmi, Ego dixi Dij eſtis. Et D. Th. non adducit aliam probationem, quia prædicta Concluſio ſequitur manifeſtè ex prædictis Regulis. Ità Caiet. ex D. Th.

Secunda Concl. ex D Th. formalizata à Caiet. de nomine Diuino.

Secunda Concluſio, ait Caietanus, ponitur à D. Th. quia perficit doctrinam de communicabilitate diuinorum nominum ſic. Si eſſet aliquod nomen diuinum ſignificans naturam illam in quantùm hanc, illud eſſet omninò incommunicabile propriè ad extrà; manifeſtatur exemplo ficto in Sole. Si quis imponeret nomen Soli deſignans hoc indiuiduum, & inferitur etiàm à D. Th. dubium de hoc nomine apud Hebreos, Tetragrammaton. Addit Caiet. nota quod hæc Concluſio non ſolum ad doctrinæ huius complementum, poſita eſt, ſed ex vera, vt reor, dubitatione, quæ eſt de illo nomine, quod apud Hæbreos in tanta fuit reuerentia. Non enim nomen illud in actu exercito latet, quamuis in actu ſignato dicatur Tetragrammaton, & propterea S. Th. dubitatiuè in littera art. 9. loquitur dicens, ſicut fortè eſt nomen Tetragrammaton apud Hæbreos. Ità Caiet.

Arg. Caiet. ex D. Th. contrà primam Concluſionem.

Quo ad 4. Arguit Caietanus contrà prædicta. Cuicumq; communicatur res ſignificata per nomen, communicatur, & nomen ipſum: ſed hoc nomen Deus, vt dicitur in a. 8. q. 13. ſignificat diuinam naturam, quæ eſt communicabilis alijs ſecundum illud 2. Petri p. Magna, & pretioſa promiſſa nobis donauit, vt per hoc efficiamur diuinæ conſortes naturæ: ergo hoc nomen Deus ſecundum rem eſt communicabile.

Reſp ad Arg. ex D. Th.

Reſp. Caiet. ex D. Th. quod natura diuina non eſt communicabilis niſi ſecundum ſimilitudinis participationem, & ſic Argumentum probat tertiam partem Concluſionis primæ, & non aliter. Imò in Argumento, ſed contrà Sap. 14. dicitur incommunicabile nomen ſcilicet Deitatis lignis, & lapidibus impoſuerunt, cùm nec ipſis ſecundum ſimilitudinem ab eadem Sacra Scriptura comprobetur non poſſe communicari; & qui ità communicant damnantur vt Hæretici. Ità Caiet. ex D. Th.

Appendices ad Lectionem ſeptimam Metaphyſicalem in Tractatu de Analogia Nominum.

Circà has Lectiones Metaphyſicales, quando explicant aliquid diuinum, cum hic tradantur Tractatus Metaphyſicales, cum Metaphyſica ſit etiàm ſcientia diuinorum, quæ lumine naturali a fide correcto cognoſci poſſunt, non eſt abs re conſulere Venerabilem Porrectam in Appendicibus, cùm Caietanus interpretetur Metaphyſicam D. Th. diſperſam in ſua Summa, & hic in vnum collecta

per

Google

per Tractatus, vbi plurima Canonicè habes diſcipule Thomiſta, quibus te tueri poſſis ab Hæreticis; qui errare faciunt inuios, & non in via D. Th. ſequaces. De hac Lectione vide damnatos Gentiles per illam Scripturam Sap. 14. Incommunicabile nomen lignis, & lapidibus impoſuerunt, & loquitur de nomine Deitatis ait D. Th. in Argumento, ſed contrà. Itèm à Regulis Fidei traditis ab Auguſtino in lib. de Fide ad Petrum c. 19. Sic firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, neq; Angelos, neq; quamlibet aliam Creaturam eiuſdem naturæ eſſe, cuius eſt ſecundum naturalem diuinitatem ſuam Summa Trinitas, qui eſt vnus naturaliter Deus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, neq; enim vnius naturæ eſſe poterant, ille qui fecit, & ea quæ fecit, ex quibus monſtratur, quod hoc nomen Deus eſt nomen ſecundum rei veritatem incommunicabile, de quibus poteris videre, & legere S. Th. in p. p. q. 39. a. 4. & in p. ſent. d. 4. q. p. a. 2. & 3. ſent. diſt. 21. q. 2. a. 1. & 4. & de potentia q. 7. a. 3. &c.

LECTIO VIII.

METAPHYSICALIS

IN TRACTATU DE ANALOGIA NOMINUM.

Quomodò hoc nomen Deus dicatur de alijs Analogicè.

Ex Caiet. p. p. q. 13. art. 10.

Declaratio Tituli facta à Caiet. ex D. Th.

CAiet. circà Titulùm quæſtionis aduertit, quod ly Deus quandoq; verificatur de his tribus ſuppoſitis, ſcilicet de Deo vero, de Deo participatiuè, & de Deo opinatiuè, vt patet, quando Moyſes dictus eſt Deus Pharaonis, & Beelzebub Deus Acaron. Quandoque autem de ſolo vero Deo affirmatur, vt cùm dicitur, quod vnus eſt tantùm Deus, non vertitur hic in dubium an ly Deus vt ſignificat habentem veram Deitatem ſit Vniuocum: hoc enim eſt per ſe notum, eſſe non ſolùm vniuocum, ſed incommunicabile, vt dictum eſt in lect. præcedenti; & propria in omnibus alijs prædicatur negatiuè ſecundum illam ſignificationem. Quod diſputatur, & cadit in dubium, eſt, an cum verè affirmatur ly Deus de his tribus, quandò ſcilicet dicitur, quod Dominus ipſe eſt Deus, & quod Moyſes eſt Deus Pharaonis, & quod Beelzebub eſt Deus Acaron, ſumatur ly Deus vniuocè, vel æquiuocè, vel analogicè, ideſt vnam, vel plures ſignificationes habeat; ſi plures, an omninò, aut ſecundum quid illas habeat. Ità Caiet. ex Reſp. ad primum.

Vnicum Caiet. notabile pro intelligentia maioris

Quo ad primum notat Caiet. ex D. Th. a. 10. cit. pro intelligentia iſtius propoſitionis aſſumptæ ad probandam Concluſionem, ſcilicet vniuoca eamdem rationem omninò, æquiuoca diuerſam omninò, Analoga primam in alijs clauſam rationem ha-

Digitized by Google

habent; optimè notabis, ait Caietanus, hanc propoſitionem aſſumptam à D. Th. ad effugandam à te, & ab alijs ignorantiam prauæ diſpoſitionis in materia de Analogia &c. In Analogicis enim, ait D. Th. in corpore a. 10. cit. oportet quod nomen ſecundum vnam ſignificationem acceptum, ponatur in definitione eiuſdem nominis ſecundum alias ſignificationes accepti, ſicut ens de ſubſtantia dictum ponitur in definitione entis ſecundum quod dicitur de accidente, & ſanum dictum de Animali ponitur in definitione ſani ſecundum quod dicitur de vrina, & medicina: huius enim ſani quod eſt in Animali, vrina eſt ſignificatiua, & medicina eſt factiua, ſicut accidit in propoſito. Ità Caiet. ex D. Th. loc. cit.

aſſumptæ infrà ad probandam Concluſionem.

Quo ad 3. Cietanus ponit hanc Concluſionem ex D. Th. a. 10. cit. ſic. Hoc nomen Deus dicitur de his tribus non vniuocè, nec æquiuocè, ſed analogicè.

Concluſio Caiet. reſponſiua quæſiti ex D. Th. cum ſua ratione formalizata quo ad omnes eius tres partes.

Probatur à Cietano ex D. Th. quo ad primam partem ſic. Vniuoca eamdem rationem omninò, æquiuoca diuerſam omninò, Analoga primam in alijs clauſam rationem habet: ſed ly Deus dictum de his non primo, nec ſecundo, ſed tertio modo ſe habet: ergo illud nomen eſt Analogum. Maior conſtat ex dictis in prima adnotatione ſuprà. Minor probatur inducendo in ſingulis: conſtat enim quod participatiuè Deus, & ſimiliter opinatus Deus, abſq; veri Dei ratione intelligi nequit, ſed benè è conuersò; ſicuti depictus, aut opinatus Leo abſq; veri Leonis cointellectione intelligi non poteſt; vndè S. Th. ait in fine corporis. Similiter cùm Idolum nominamus Deum, hoc nomine Dei intelligimus ſignificari aliquid, de quo homines opinantur quod ſit Deus, & ſic manifeſtum eſt, quod alia, & alia eſt ſignificatio nominis, ſed vna illarum ſignificationum, clauditur in ſignificationibus alijs, & ſic fit manifeſtum etiàm, quod hoc nomen Deus Analogicè dicitur. Ità Caietanus ex D. Th. in art. 10. cit.

Quo ad 4. Arguit Caietanus primo ex D. Th. contrà Concluſionem ſic. Vbi enim eſt diuerſa ſignificatio non eſt contradictio affirmantis, & negantis: æquiuocatio enim impedit contradictionem: ſed Catholicus dicens idolum non eſt Deus contradicit Pagano dicenti Idolum eſt Deus: ergo hoc nomen Deus vtrobiq; ſumptum, & per naturam, & ſecundum opinionem vniuocè dicitur.

Arg. 1. Caiet. ex D. Th contrà Concluſionem.

Reſp. Caiet. ex D. Th. diſtinguendo maiorem. Vbi enim eſt diuerſa ſignificatio tantùm, & non prædicatio, non eſt contradictio affirmantis, aut negantis concedo; vbi eſt enim diuerſa non ſignificatio, ſed prædicatio tantùm nego: quia nominum multiplicitas non attenditur ſecundum nominis prædicationem, ſed ſecundum ſignificationem. Hoc enim nomen Homo de quocumq; prædicetur, ſiuè verè, ſiuè falsè dicitur vno modo; ſed tunc multipliciter diceretur, ſi per hoc nomen Homo, intenderemus ſignificare diuerſa; puta ſi vnus intenderet ſignificare per hoc nomen Homo, id quod eſt verè Homo, & alius intenderet ſignificare eodem nomine lapidem, vel aliquid aliud. Ad minorem dic, diſtinguendo, Sed Catholicus dicens Idolum non eſt Deus, contradicit Pagano dicenti Idolum eſt Deus, in quantùm quod vterq; vtitur hoc nomine Deus ad ſignificandum verum Deum concedo, quia vtrobiq; eſt eadem ſignificatio tantùm, cum diuerſa tamen prædicatione, eiuſdem nominis idem ſignificantis, ſed &c. inquantùm eſt eadem prædicatio nego minorem, ſcilicet quod contradicat &c. quia cum Paganus dicit Idolum eſſe Deum in tali caſu non vtitur hoc nomine, ſecundum quod ſignificat Deum opinabilem, quia ſic verum diceret cum ſit eadem prædicatio cùm etiàm Catholici interdùm in tali ſignificatione hoc nomine vtantur, vt cum dicitur Omnes dij Gentium Dæmonia. Deus igitur vt ſignificat verum Deum prædicatur de Idolo falsè quidem ſecundum Catholicum, verè autem ſecundum Paganum, quia eſt eadem ſignificatio vtrobiq;

Reſp. Caiet. ex D. Th ad Arg. 1. diſtinguendo maiorem.

Diſtinguit min. Arg.

Declaratio totius Reſp.

ſed

Digitized by Google

ſed eiuſdem nominis idem ſignificantis diuerſa prædicatio nominum autem multiplicitas non attenditur ſecundum nominis prædicationem, ſed ſecundum ſignificationem. Et ideò D. Th. ad ſecundum, & tertium ait quod ſimilia Argumenta procedunt ſecundum diuerſitatem prædicationis nominis, & non ſecundum diuerſam ſignificationem. Ità Caiet. ex D. Th. a. 10. cit. ad primum.

Arg. 2. Caiet. ex D. Th. contrà vt ſuprà cum ſua Reſp. formalizata.

Arguit Caiet. ibidem ex D. Th. 2. Illud quod eſt in intellectu, eſt ſimilitudo eius quod eſt in re, vt dicitur in p. perihermen. c. p. ſed Animal dictum de Animali vero, & de Animali picto dicitur æquiuocè: ergo hoc nomen Deus dictum de Deo vero, & de Deo ſecundum opinionem æquiuocè dicitur.

Reſp. Caiet. ex D. Th. diſtinguendo minorem: ſed Animal &c. dicitur æquiuocè purè nego; dicitur largè, concedo. Philoſophus enim largo modo accipit æquiuoca ſecundum quod includunt analoga in ſe; quia & ens quod Analogicè dicitur, aliquando dicitur æquiuocè prædicari de diuerſis prædicamentis, æquiuoca enim largè ſumpta ſunt idem quod Analoga, licet purè æquiuoca ideſt à caſu ſint ab Analogis diuerſa. Ità Caiet. ex D. Th. loc. cit.

Arg. 3 Caiet ex D. Th. contrà vt ſuprà.

Arguit 3. Caiet. ibidem ex D. Th. ſic. Nullus poteſt ſignificare id quod non cognoſcit: ſed Gentilis non cognoſcit naturam diuinam: ergo cum dicit Idolum eſt Deus non ſignat veram Deitatem, hanc autem ſignat Catholicus, dicens vnum eſſe Deum: ergo hoc nomen Deus non dicitur vniuocè, ſed æquiuocè de Deo vero, & de Deo ſecundum opinionem.

Reſp. Caiet. ex D. Th. ad 3. Arg.

Reſp. Caiet. ex D. Th. diſtinguendo minorem, ſed Gentilis non cognoſcit ſecundum id quod de ipſo non cognoſcit concedo; ſecundum id quod de ſe ipſo cognoſcit nego: ipſam enim naturam Dei pro vt in ſe eſt, neq; Catholicus, neq; Paganus cognoſcit, ſed vterq; cognoſcit eam ſecundum aliquam rationem cauſalitatis, vel excellentiæ, vel remotionis vt dictum eſt in q. 12. p. p. a. 12. & ſecundum hoc in eadem ſignificatione accipere poteſt Gentilis hoc nomen Deus, cum dicit Idolum eſt Deus, in qua Catholicus accipit ipſum, dicens, Idolum eſt Deus. Si verò aliquis eſſet, qui ſecundum nullam rationem Deum cognoſceret, nec ipſum nominaret, niſi fortè ſicut proferimus nomine, quorum ſignificationes nominamus. Ità D. Th. & Caiet. hic, & alibi.

Appendices ad Lectionem 8. Metaphyſicalem in Tractatu de Analogia Nominum.

VEnerabilis noſter Porrecta, in hoc vnicus, & ſingularis pro defendendis Concluſionibus S. Doctoris in tota ſua ſumma contrà Hæreticos, & Gentiles, in Appendicibus huius art. 10. q. 13. explicat, quomodò iſti ponentes Deitatem, vel aliquid diuinitatis aliquo modo in rebus inanimatis ſecundum propriam opinionem adorandis, damnantur apertè ab Apoſtolo Rom. 1. quandò dixit, Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem Imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium; proptèr quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis, & coluerunt, & ſeruierunt Creaturæ potiùs quàm Creatori, qui eſt Deus benedictus in ſæcula. Hic Apoſtolus ait Porrecta, tacit mentionem de vitio ſodomitico, tangendo forſitan Idolatriam Cainanorum, qui Sodomitas fortè præ Amore illorum infatuati, adorandos dicebant.

Ad hoc ſpectant Ophitæ Sethiani, Angelici, Heliognoſtici, Gollitidiani, Dæmoniaci Atheitæ, Muſoritæ, Muſcaronitæ, Rancitæ, qui omnes dicebant adorandos

dos eſſe ſerpentes, & quod ſerpentem, qui decæpit Euam, dicebant eſſe Chriſtum; Itèm adorandum eſſe Caim, Seth, Angelum, Solem, Mariam Virginem vt Deum. Iudam illum proditorem, Sodomitas, Chore, Datan, & Abiron, Dæmones, Mures, Muſcas, Ranas, Arbores, & Marcionem, qui dicebat Serpentem meliorem eſſe Creatore, & Serpentem Æneum, eique ſacrificandum eſſe. Contrà hos omnes eſt Eſaias 43. Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit, & 45. cap. extrà me non eſt Deus. Et Deuteronom. cap. 6. ait Dominum Deum tuum adorabis, & ipſi ſoli ſeruies; & ex hac Auctorit. cauendum eſt venenum Hæreticorum qui negant adorationes Sanctorum; vndè Scripturam hanc malignè interpretantes, dicunt Chriſtianos exhibere Sanctis adorationem latriæ, de qua ſola illa Scriptura loquitur. Qualem verò cultum veri Fideles exhibeant Sanctis D. Thom. & Caietanus explicant in 3. p. qu. 25.

LECTIO IX.

METAPHYSICALIS

IN TRACTATV DE ANALOGIA NOMINVM.

Vtrùm hoc nomen Perſona de tribus perſonis Diuinis, & de Creata, & Increata prædicetur Analogicè.

Ex Eminentiſſimo Caietano in toto ſuo Opuſculo de Analogia, & in 1. p. q. 29. & q. 30. & alibi.

CAIETANVS ponit titulum in ſua formalitate de hoc nomine Perſonæ in Diuinis cuius ratio tranſcendit omnes perſonas Diuinas, & perſonam creatam, & increatam, includendo in ly creatam etiàm perſonam Angelicam, quæ tranſcendit ſuam ſingularitatem; vnde quærendo ſub hac formalitate explicita in ly perſona, implicitè formaliter etiàm quærit, quæ ſit iſta tranſcendentia, quæ cauſat analogiam proportionalitatis, ſcilicet an non ſolum requiratur, quod ratio tranſcendens ſit intrinſece in omnibus analogatis, ſed etiàm requiratur dependentia cum inæqualitate, ſcilicet ſola dependentia in participanda ratione communi, quæ ſit per prius, & ſimpliciter in vno, & per poſterius ſecundum quid in alio, vel etiàm requiratur cum illa vt cauſa adæquata tranſcendentia cum inæqualitate Logica, ſcilicet ſecundum rationem communem ita vt ratio participata ſit ſimpliciter in vno, & ſecundum quid in alio, & tranſcendentia etiàm concurrat ex eo quod inferiora conueniunt, & differunt; non verò quæritur ſecundum rationem particularem, quia ex hac cauſatur tantùm analogia Phyſica. Ità Caietanus explicat titulum, & non alitèr loc. cit.

Declaratio tituli Lectionis, eiuſq; ſenſus facta à Caietano.

Digitized by Google

1. Notabile Caietani, quomodo hoc nomen Perſonæ nec æquiuocè, nec uniuocè dicatur de perſona creata, & increata.]

Quo ad primum. Notat Caietanus in Reſp. ad 4. art. 4. qu. 29. in 1. p. quod diuerſa ratio minùs communium non facit æquiuocationem in magis communi, licet enim ſit alia propria diffinitio equi, & aſini, vniuocantur tamèn in nomine animalis, quia communis diffini io animalis conuenit vtrique. Vndè non ſequitur quod licet in ſignificatione perſonæ Diuinæ contineatur Relatio, non autèm in ſignificatione Angelicæ perſonæ, vel humanæ, quod nomen perſonæ æquiuocè dicatur licet nec etiàm dicatur vniuocè, cùm nihil de Deo vniuocè dici poſſit, & de creaturis, vt oſtenditur à D. Tho. in 1. p. q. 13. art. 5. & in præcedentibus lectionibus. Et ſic addit Caietanus quod tàm perſona humana, quàm Angelica, & Diuina conueniunt in ratione perſonæ communitèr acceptæ, ſcilicet in eſſe ſubſtantiam indiuiduam naturæ intellectualis, licet proprijs rationibus diſtinguantur; nàm perſona humana eſt ſubſtantia indiuidua per materiam ſignatam in ſe indiuiſam, & ab omni alia diuiſam; & perſona Angelica eſt ſubſtantia indiuidua per realem additionem ſubſiſtentiæ vt quod; & perſona Diuina eſt ſubſtantia indiuidua, ideſt relatio non vt relatio, ſed vt forma hypoſtatica in ſe indiuiſa, & ab alia forma oppoſita hypoſtatica in eadem natura relatiuè relatione oppoſitæ originis diuiſa. Itá Caietanus.

2. Notabile Caietani, in quo expl. quod Perſona Diuina ſignificat in Diuinis aliquod prædicatũ in quid.

Notat 2. Caietanus ibidem cum D. Thom. quod perſona Diuina ſignificat aliquod prædicatur in quid commune de Diuinis Perſonis, & hoc probat S. Thom. in 1. p. qu. 29. art. 1. & 4. & in qu. 30. art. 4. quia hoc nomen perſona ſignificat ſubſiſtens in natura, quod de tribus perſonis ſubſiſtentibus in illa natura prædicatur vt dictum commune vniuocè ad modum ſpeciei quidditatiuæ, & hoc prædicatum quidditatiuum ſubſtantiale perſonale, quod ſignificat perſona per modum ſubſtantiæ primæ, quæ dicit ſuppoſitum non debet abſtrahi, neque oportet vt abſtrahatur ab vltimis diſtinctiuis perſonarum, quinimò oportet vt abſtrahatur à ſubſiſtente in natura Diuina ſecundum ſe abſolutè accepto, in qua ratione communi omnes tres perſonæ conueniunt, & nequaquam vt ſtat ſub illo vltimo diſtinctiuo, in quo differunt, ſcilicet per eaſdem rationes, non vt ſunt formæ hypoſtaticæ, ſed vt ſunt relationes ad inuicem oppoſitæ realiter. & incompoſſibiles in eadem perſona. Commune enim prædicatum quidditatiuè multis commune debet abſtrahi ab illis quo ad id, in quo illa conueniunt, & non ab vltimatè diſtinctiuis, per quæ illa omninò differunt, & in nullo conueniunt. Itá Caietanus loc. cit.

3. Notabile Caietani in quo explicatur quomodo hoc nomen Perſona ſit commune communitate rationis.

Notat 3. Caietanus in 1. p. qu. 30. art. 4. quod hoc nomen Perſona non eſt impoſitum ad ſignificandum indiuiduum ex parte naturæ, ſed ad ſignificandum rem ſubſiſtentem in tali natura: hoc autem eſt commune ſecundum rationem omnibus perſonis Diuinis vt vnaquæque eorum ſubſiſtat in natura Diuina ſubſiſtentis diſtincta ab alijs, & ſic hoc nomen Perſona, ait D. Thom. eſt commune communitate rationis, non ſicut genus, vel ſpecies, ſed ſicut indiuiduum vagum; & quia indiuiduum vagum, vt aliquis homo ſignificat naturam communem cum determinato modo eſſendi, qui competit ſingularibus, vt ſcilicet per ſubſiſtens ſit diſtinctum ab alijs, dubitamus, ait Caietanus, an modus eſſendi prædicetur eſſentialiter de indiuiduis, & poſſumus Reſpondere, quod cum in Diuinis dicimus Pater eſt Deus, & rursùs Pater eſt Perſona Diuina, licet prædicatum ſecundæ, reſpectu prædicati primæ dicat modum illius, ac propterea dicatur commune vt indiuiduum vagum reſpectu tamèn ſubiecti eſt prædicatum eſſentiale. Tùm ex ratione communi, quia modus ſubſiſtendi eſt eſſentialis ſingularibus ſubſtantiæ, tùm ex ratione ſpeciali, quia perſona Diuina ſignificat Relationem, quam conſtat

ſtat eſſentialiter prædicari de Paternitate, vel Filiatione; & eſſet ſimile de colore reſpectu albedinis, & nigredinis, ſi albedo, & nigredo conſtituerent ſingularia ſubſtantiæ. Ità Caiet. loc. cit.

Notat 4. Caietanus contrà Scotum in art. 4. qu. 29. cit. quod Ratio ſubſtituentis per modum hypoſtaſis in Diuinis non abſtrahit ab abſoluto, & reſpectiuo, ſed eſt ratio ſubſiſtentis Relatiua, & ſic perſona Diuina eſt Relatiuum per ſe ſubſiſtens in natura Diuina oppoſitum relatione oppoſita originis alteri correlatiuo. Et iſta ratio ſubſiſtentis relatiua in Diuinis à nobis abſolutè concipi poteſt vt de facto ſignificetur nomine Perſonæ Diuinæ, & hoc quoad modum ſignificandi. Et Perſona Diuina ſignificando huiuſmodi rem reſpectiuam ſignificat ſubſtantiam primam Diuinæ naturæ. Et Perſona Diuina ſignificando ſubſtantiam primam Diuinæ naturæ ſignificat relationem originis ſubſiſtentem, & hoc quo ad rem ſignificatam. Et Relationes Diuinæ per ſe ſubſiſtentes concipi, & ſignificari poſſunt, & vt quod, & vt quo ad differentiam relationis non per ſe ſubſiſtentis, quæ concipitur vt id quo aliud refertur. Itaque cum dico Perſona Diuina, Pater in Diuinis, ſignifico non relationem in concreto, ſed concretum, & relatiuum per ſe ſubſiſtens, & vt quod. Cùm vero dico Paternitas Diuina ſignifico relationem in concreto, & vt quo, & vt eſt id quo Pater eſt Paternitas, & vt forma hypoſtatica conſtitutiua Patris, & diſtinctiua illius ab alia perſona relatiuè oppoſita, quæ eſt Filius. Ità Caietanus de Diuinis Metaphyſicando loc. cit.

4. Notabile Caietani, in quo declaratur quid ſi, illud in Diuinis, quod non abſtrahit ab abſoluto, & reſpectiuo.

Notat 5. & vltimò Caietanus recolendo ex dictis circà illa verba D. Thom. art. 4. qu. 30. cit. ſcilicet dicendum eſt, quod etiàm in rebus humanis hoc nomen Perſona eſt commune communitate rationis dubitari poſſet, an dicatur vniuocè de perſona create, & increata. Reſp. Caietanus cum D. Thom. eodem modo philoſophandum eſt de hoc nomine perſona quod eſt commune Deo, & creaturis, vt diximus de alijs nominibus communibus Deo, & creaturis in præcedentibus lectionibus ex qu. 13. art. 5. 6. & 7. quod dependentia cum inæqualitate in eſſe priùs, & perfectius in vno quàm in alio cauſat analogiam proportionis, & attributionis in huiuſmodi nominibus communibus enti creato, & increato: recolendo ſemper quod huiuſmodi nomina quantùm ad rem ſignificatam priùs ſunt in Deo, quàm in creaturis: ſed quantùm ad modum ſignificandi, ideſt quantùm ad nominis impoſitionem, vt explicat S. Thom. in ſecundo ſcripto ad Annibaldum quæſt. vnica art. 2. in corp. & quantùm ad modum cognoſcendi intellectus noſtri, qui prius cognoſcit creaturas, & per creaturas cognoſcit Creatorem, prius ſunt impoſita creaturis ad ſignificandas perfectiones creaturarum, & poſteà demptis imperfectionibus eleuata ſunt ad Dei perfectiones cognoſcendas. Ità Caietanus ex D. Thom. loc. cit.

Notabile 5. Caiet. in quo dicitur, quod in humanis hoc nomen Perſona eſt etiam commune communitate rationis.

Quoad 2. Caietanus in qu. 30. art. 4. circà communitatem perſonæ, in tribus ſuppoſitis, de quibus prædicatur refert cum D. Thom. duas opiniones. Prima quod eſt communitas negationis fundata ſuper diffinitionem Ricardi, propter hoc, quod in diffinitione perſonæ, ponitur ly incommunicabile. Altera dicit quod eſt communitas intentionis fundata ſuper diffinitionem Boetij, eo quod in diffinitione Perſonæ ponitur ly indiuiduum. Vtraque reprehenditur a D. Thom. & ait quod perſona eſt nomen ſignificans in Diuinis Relationem per modum hypoſtaſis, & in communi ſubſtantiam primam rationalis naturæ ac per hoc nec negationis, nec intentionis eſt nomen.

Duæ opiniones de perſona referuntur ex D. Thom. à Caietano.

Et contrà Scotum in 1. ſent. diſt. 23. & 25. tenet Caietanus, ſcilicet quod hoc nomen nec eſt relatio, nec ſubſtantia prima, aut ſecunda, nec aliquid poſitiuum quid.

Opinio D. Tho. contrà Scotum de-

Digitized by Google

clarata à Caietano quod hoc nomẽ Perſonæ non ſit commune communitate intentionis, aut negationis, ſed rei ſignificatæ.

quidditatiuum Diuinis perſonis ſignificatur nomina Perſonæ in Diuinis: ſed cum ipſa communitas attendatur penès ſignificatum ſequitur quod non ſit communitas intentionis, aut negationis, ſed rei ſignificatæ, & ſic hoc nomen Perſonæ ſit commune tribus Perſonis Diuinis ſecundum rationem non ſicut genus, vel ſpecies ſed vniuocè ſicut indiuiduum vagum. Et in 1. p. qu. 29. art. 4. vt rectè fundet Caietanus ſuam ſententiam, quod ſola tranſcendentia in nomine Perſonæ Diuinæ cum alijs duabus perſonis Diuinis non fundat analogiam, ſed vniuocè prædicetur de ipſis; & quod ſolum analogicè analogia proportionalitatis cum ſola dependentia dicatur hoc nomen Perſonæ de creata, & increata ideò dixit contrà Scotum Caietanus, quod aliud eſt loqui de rebus, & aliud de conceptibus; quamuis enim à rebus ſub conceptibus vltimatè diſtinctiuis non poſſit abſtrahi aliquid commune dictum in quid de illis conceptibus præter tranſcendentia, & in hoc concordamus cum Scoto; A rebus tamen ipſis abſolutè quantumcumque ſimplicibus poteſt abſtrahi aliquod prædicatum commune vniuocum, quaſi generis, vel ſpeciei, & non ſolum quaſi proprium, & in hoc diſcordamus à Scoto, cum nulla ſit cauſa in propoſito, quod ſi Perſona Diuina ſignificat aliquod commune prædicatum in quid de Diuinis Perſonis, quod illud opporteat eſſe commune conſtitutiuis perſonarum quo ad vltimos ſuos conceptus abſtractè à præciſè ſumptis, hanc enim conditionem quam non opportet eſſe veram, nec ab ipſo Scoto prob. ſupponit illud motiuum Scoti. Ità Caiet. qu. 29. art. 4. cit. in Reſp. ad ſecundam obiectionem Scoti.

Quenã ſit trãſcendentiæ determinata opinio Caiet. declaratur.

Opinio igitur Caietani eſt, quod ſola Tranſcendentia non eſt ſufficiens radix, cauſa, & fundamentum analogiæ, ſed exigitur dependentia in participanda ratione communi. Et de hoc nomine Perſonæ Diuinæ pro vt eſt commune ſolùm tribus Diuinis Perſonis, eſto ſit ibi tranſcendentia, tenet non dici analogicè, ſed vniuocè. De alijs verò nominibus tenet cum D. Thom. & cum Antiquis Thomiſtis, tenet requiri dependentiam.

1. Concluſio Caietani ex D. Tho. cum ſua probatione quod ſola tranſcendentia non eſt cauſa analogiæ.

Quò ad 3. Caietanus ponit hanc concluſionem ex D. Thom. in 1. p. qu. 29. art. 4. & qu. 30. art. 4. Hoc nomen Perſona, quæ in Diuinis Perſonis tranſcendenter dicitur, non eſt analogum, ſed vniuocè commune, & per conſequens ſola tranſcendentia non eſt ſufficiens cauſa analogiæ.

Probatur à Caietano ex D. Thom. iſta concluſio, & quo ad explicitum, & quò ad implicitum ſub tali forma. Cauſa vniuocationis in nominibus eſt cauſare formaliter dumtaxat conuenientiam, & fundare vnitatem perfectam in ratione communi, ità vt formaliter non includatur in ſuis differentijs, à quibus participaret diuerſitatem; cauſa verò analogiæ eſt cauſare nedum conuenientiam, & fundare ſe in vnitate ſecundum quid, ſed etiàm cauſare diuerſitatem in illa ratione communi quam nomen dicit: ſed hoc nomen Perſona cum ſua tranſcendentia in Diuinis, quæ eſt communis ſecundum ſuum ſignificatum tribus Perſonis Diuinis, dicit ſolam conuenientiam, & nequaquam diuerſitatem, imò vnitatem perfectam, quæ non includitur formaliter in differentijs, ſeù vltimis conceptibus diſtinctiuis perſonarum in Diuinis: ergo vera concluſio, & per conſequens ſola tranſcendentia non eſt ſufficiens cauſa ad cauſandam analogiam. Maior eſt doctrina ſanctiſſimi Præceptoris, qui vbique ponit hanc ſolam differentiam intèr vniuocationem, & analogiam, & hæc eſt eadem omninò doctrina, quam ſolam, ait Caietanus, tradidimus in toto opuſculo de analogia nominum, & in præcedentibus Lectionibus, vndè eſt clarior ipſo ſole. Minor probatur à D. Thom. vbique locorum ſuæ doctrinæ, & præcipuè in 1. p. qu. 29. & 30. ſub tali forma. Prædicatum ſubſtantiale perſonale commune in quid de Diuinis Perſonis eſt quidditatiuum, & vni-

Probatio Minoris in ratione principali eiuſdem primæ concluſionis.

vniuocum ? ergo debet abſtrahi, vt de facto abſtrahitur ab illis quo ad id in quo illæ conueniunt, & non poteſt abſtrahi ab vltimatè diſtinctiuis, per quæ illæ omninò differunt, et in nullo conueniunt, ergo vera eſt Minor. Antecedens, ait Caietanus, & aſſertum D. Thom. in Reſp. ad 2. art. 4. qu. 29. ibi ait D. Thom. quid, quandoque quæris de natura, quam ſignificat diffinitio vt cum quæritur quid eſt Homo? Reſp. animal rationale mortale. Quandoque verò quæris ſuppoſitum, vt cùm quæritur quid natat, in Mari? Reſp. Piſcis, & ſic quærentibus quid tres, reſponſum eſt tres Perſonæ. Hinc nil aliud vult D. Thom. niſi quod perſona ſecundum diuerſas conſiderationes ſignificat vtrumque d'uerſimodè, & eſſentiam, & ſuppoſitum. Pro maiori claritate legas notabile ſuprà vbi dicitur, quod Perſonæ Diuinæ conueniunt in conſtitui per Relationes oppoſitas originis, non vt Relationes ſunt, ſed vt ſunt formæ hypoſtaticæ, & ſunt tres ſubſiſtentes in concreto in natura Diuina; & differunt per eaſdem relationes non vt ſunt formæ hypoſtaticæ, ſed vt ſunt Relationes ad inuicem rationaliter oppoſitæ, & incompoſſibiles in eadem perſona. Videas igitur, quomodò hoc prædicatum quidditatiuum ſubſtantiale perſonale, quod ſignificat perſona, non debet abſtrahi, neque oportet vt abſtrahatur ab vltimis diſtinctiuis perſonarum, quin imò oportet vt abſtrahatur à ſubſiſtente in natura Diuina, non vt ſtat ſub vltimo illo diſtinctiuo, ſed ſecundum ſe, & abſolutè accepto in qua ratione communi, tres Perſonæ omnimoda vnitate perfecta conueniunt. Ità Metaphyſicè concludit Caietanus loc. cit. ex D. Thom.

Secunda Concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. in 1. ſent. loc. cit. in 2. loco huius Lectionis. Hoc nomen Perſona in rebus humanis eſt commune communitate rationis non vniuocè, ſed analogicè de perſona creata, & increata. In hac re interuenit dependentia in participanda ratione communi; ergo hic interuenit vera cauſa adæquata analogiæ. Probatur antecedens, ait Caietanus, in tantùm Medicina, & vrina analogicè conueniunt in ratione ſani cum animali, quia vtra que denominatur ſana per dependentiam à ſanitate animalis. Et ens eſt analogum attributionis reſpectu Dei, & Creaturarum, ſubſtantiæ, & accidentis, quia dicitur de creatura dependenter à ſubſtantia, Diuina, & de accidente à ſubſtantia prædicamentali, & alia ratio non inuenitur à D. Thom. & etiàm analogum dicitur proportionis, quia priùs dicitur de vno, quàm de alijs; & hæc eadem Metaphyſica applicatur huic nomini perſonæ, pro vt eſt commune Deo, & creaturis, quod quidem explicamus ſic. Ideò Perſona non dicitur vniuocè de creata, & increata, quia in Deo eſt relatio & forma hypoſtatica per ſe ſubſiſtens ac infinita; in Angelis verò eſt forma ſubſiſtens per ſe ip um, & ſe ipſa incommunicabilis; in nobis verò eſt ſubſiſtens incommunicabilis ratione materiæ ſignatæ, quæ in quantùm vna eſt indiuiſibilis, licet in quantùm multiplex ſit diuiſibilis, per conſequens hoc nomen Perſonæ dicendum non eſt vniuocè, ſed analogicè de Perſona creata, & increata. Ità Caiet. pluribus in loc. cit.

2. Concluſio ex D. Tho formalizata à Caietano in ſua ratione, ſcilicet quod hoc nomen Perſona in creatis dicitur analogicè.

Corrolarium ex his duabus concluſionibus infert Caietanus, ſcilicet quod analogia attributionis ſemper cauſatur ex dependentia; analogia verò proportionalitatis poteſt cauſari ex dependentia, & ex inæqualitate. Pro prima parte Corrolarij explicanda vtitur ſemper D. Thom. exemplo ſani vtpotè clariori quo ad nos, analogata ſani dependent à forma intrinſeca exiſtente in animali. Secunda pars Corrollarij patet inductiuè ex ſuperioribus, & infrà magis patebit in Tractatu ſecundo Metaphyſicali de conceptu entis, & in bono, & in bonitate, & in calore ſolis, & ignis, Et hæc omnia declarat D. Thom. in qu. 7. de potentia art. 7. ad 3. vbi

Corrollariū in quo explicat. quod analogia proportionalitatis poteſt cauſari ex dependentia, & inæqualitate Attributionis verò ex dependentia ſemper.

vbi habetur quod magis, & minus poteſt tripliciter conſiderari, & ità prædicari. Vno modo ſecundum ſolam quantitatem participati ſicut nix dicitur albior pariete, quia perfectior eſt albedo in niue, quàm in pariete, vndè talis diuerſitas ſecundum magis, & minus non diuerſificat ſpeciem; alio modo ſecundum quod vnum participatur, & aliud ſecundum eſſentiam dicitur, ſicut ſi diceremus, quod bonitas eſt melior quàm bonum. Tertio modo ſecundum quod eminentiori modo competit idem aliquid vni, quàm alteri, ſicut calor ſoli, quàm igni. Et hi duo modi, ait D. Thom. impediunt vnitatem ſpeciei, & vniuocam prædicationem. Ità Caiet. ex D. Thom. loc. cit.

1. Argum. Caietani quo vtitur Magiſter Gonet pro ratione ſuæ ſentent.

Quò ad quartum. Arguit primò Caietanus contrà ſe ipſum, & propriam ſententiam. Si in hoc nomine perſonæ daretur aliqua ratio vniuoca, deberet etiàm dari perfecta præciſio conceptuum, ità diſtinctio rationis per modum excludentis, & excluſi, & per conſequens aliqua compoſitio rationis tanta quanta eſt compoſitio ex genere, & differentia: ſed hoc diuinæ ſimplicitati repugnat: ergo ratio perſonæ non eſt vniuoca, ſed analoga reſpectù trium perſonarum; non attributionis, eo quod ratio perſonæ intrinſecè, & eſſentialiter in qualibet ex tribus perſonis reperitur, ergo proportionis eo ferè modo, quo dicunt Philoſophi ens eſſe analogum ad duo indiuidua eiuſdem ſpeciei. Maior conſtat de ſe, quia cum ratio vniuoca, debeat eſſe perfectè vna, nec vllam in ſuo conceptu importare diuerſitatem, debet eſſe perfectè præciſa à differentijs inferiorum, quia non poteſt dari perfecta præciſio ex parte vnius extremi, quin detur etiàm ex partè alterius.

Reſp. Caiet. ad ſuum Argum. primum ſeu ad rationem Gonet.

Reſp. Caietanus, quod ex illa ratione vniuoca huius nominis perſonæ, quæ eſt perfectè præciſa ſecundum rationem à ſubſiſtente in natura Diuina, non vt ſtat ſub illo vltimo diſtinctiuo, ſed ſecundum ſe, & abſolutè, non ſequitur diſtinctio rationis per modum excludentis, & excluſi, & per conſequens ibi non interuenit tanta comparatio rationis, quanta eſt comparatio ex genere, & differentia; imò cum illa ratio ſit perfecte vna nullam in ſuo conceptu importat diuerſitatem, & ideò eſt vniuoca importaret vtique diuerſitatem, & diſtinctionem rationis, & compoſitionem quaſi ex genere, & differentia, ſi eſſet commune communitate rationis hoc nomen perſonæ ſicut genus, vel ſpecies, ſed ſolùm eſt commune ſicut indiuiduum vagum, quod dicit modum particulariter exiſtendi. Et his ſtantibus, ait Caietanus, nulla cauſa eſt in propoſito, quod ſi perſona Diuina ſignificat aliquod commune prædicatum in quid de Diuinis perſonis, quod illud oporter eſſe commune conſtitutiuis perſonarum quo ad vltimos ſuos conceptus abſtractè, & præcisè ſumptis: hanc enim conditionalem ſupponit illud motiuum Scoti, quam non oporter eſſe veram, nec ab ipſo Scoto probatum. Ità Caiet. in Reſp. ad ſecundam obiectionem Scoti art. 4. qu. 29. cit. §. Ad has obiectiones attentè legatur ibi Caietanus cum D. Thom.

Argum. Caiet. contrà propriã expoſitionem D. Th.

Arguit 2. Caietanus contrà ſuam explicationem de communitate huius nominis Perſonæ ſic: S. Thom. in 1. p. q. 30. art. 4. in corp. vocat communitatem huius nominis communitatem rationis, & nos in expoſitione huius nominis dicimus quod eſt communitas rei, quià attenditur hæc penès ſignificatum: communitas negationis, aut intentionis non eſt communitas rei, quomodò ergo remanet legitimè interpretata Mens Sanctiſſimi Præceptoris? quomodo autem vocet D. Thom. communitatem rei, & communitatem rationis, iam diximus in ſuperioribus.

Reſp. Caiet. ad ſuã propriã obiect.

Reſp. Caiet. ibidem art. 4. cit. quod medium comparatum ad vnum extremum ſapit naturam alterius extremi, & ſic quando dicimus homo eſt vna ſpecies prædica-

bilis

illis de hoc vel illo homine, non comparamus hanc communitatem cum communitate Diuinæ eſſentiæ, quæ à S.Tho. vocatur communitas rei, ſed comparamus illam cum intentione ſpecieitatis, & dicimus quod eſt communitas rei propter hanc rationem, quia communitas attenditur penès ſignificatum: ſed quando dicimus homo eſt ſpecies prædicabilis de hoc vel illo homine, illud nomen Homo non ſignificat intentionem ſpecietatis, ſed rem, quæ denominatur ſpecies. Communitas ergo hominis eſt quidem communitas rationis, quia ratio facit illam, non tamèn eſt communitas intentionis, aut negationis, ſed eſt communitas rei per hoc nomen Homo ſignificata, qui eſt vnus ſpecie, aut communis ſolùm per intellectum, vndè eius communitas eſt communitas non realis, ſed per intellectum, dicitur tamèn communitas rei ſignificatæ per nomen Homo, quia hoc nomen Homo non ſignificat intentionem, ſed rem ſub intentione, & ſic eſt communitas rei, & non intentionis, pro vt res ſub intentione diſtinguitur ab intentione, & communitas rei ſub intentione diſtinguitur à communitate intentionis; & ſic communitas rei ſub intentione comparata ad communitatem rei, quæ eſt vna numero in pluribus, eſt communitas rationis, & non rei. S. Thom. igitur comparando communitatem naturæ, quæ eſt vna ſpecie per intellectum, & cum ſui numerali multiplicatione in pluribus ſuppoſitis à parte rei inuenitur, vocauit communitatem rationis in comparatione ad eſſentiam Diuinam, quæ vna numero à parte rei ſinè ſui numerali multiplicatione in pluribus reperitur ſuppoſitis; & nedum in comparatione ad iſtam communitatem, ſed etiàm abſolutè, ac ſimpliciter, ideſt ſecundum ſe conſiderata communitas naturæ humanæ, quæ eſt ſolùm vna, & communis per intellectum, & in pluribus ſuppoſitis cum ſui reali numerali multiplicatione reperitur, eſt communitas rationis. Ità Caietanus loc. cit. concordat D. Thom.

Arguit 3. Caietanus ex motiuis Scoti. Aliquis homo, nec perſona, cum ſint tantùm quinque prædicabilia in ipſis inuenitur, ergo nec quoad prædicationem vniuocam inuenietur ille modus particulariter exiſtendi. Tùm ſecundò quia quilibet homo contrahit hanc naturam humanam per hunc ſignatum modum exiſtendi omninò alteri incommunicabilem: ſed ab eo quod eſt nullo modo incommunicabile abſtrahi non poteſt ratio communis communicabilis: ergo perſona rationem communem vniuocam ſignificare non poteſt. Tùm tertiò quia nil datur commune vniuocum ſubſtantiæ primæ, & ſecundæ, & inſuper non datur vniuerſalis in Diuinis, ergò &c. *Motiua Scoti allata tria à Caiet. quæ ſunt etiam Neotericorum.*

Reſp. Caietanus ad primum in prædicabilibus, quod aliquis homo prædicatur in cuiuſmodi. Interroganti enim quid eſt Petrus? Reſp. eſt Homo, Iterum interroganti cuiuſmodi homo particularis, vel vniuerſalis per ſe ſubſiſtens ſeparatum à ſingulis hominibus, vt pretendebat Plato, vel exiſtens ſolùm à parte rei? Reſpond. quod ſunt per ſe ipſos, & per eſſentiam ſuam homines, loquendo de illo, vt exiſtens à parte rei ſolùm in particularibus hominibus, qui non ſunt homines per participationem hominis Platonici qui non datur. *Reſp. Caietani ad 1. motiuum.*

Ad ſecundum Reſp. Caietanus, quod modus particularis omninò incommunicabilis dupliciter conſiderari poteſt, primò vt hic ſignatus homo; ſecundò ſimpliciter vt modus. Id quod eſt commune non eſt hic modus, neque vltima differentia hæc conſtitutiua huius modi: ſed eſt modus per ſubſiſtendi indeterminatus quod ab illis abſtrahitur, & eſt illis communis. Ità Caietanus cap. de indiuiduo, & p. p. qu. 29. art. 4. & alibi. *Reſp. Caietani ad 2. motiuū Scoti.*

Ad 3. Reſp. Caietanus in art. 4. qu. 29. cit. quod Perſona ſtat pro ſubſtantia prima, Nec per hoc propriè datur vniuerſale in Diuinis, quia propriè vniuerſa- *Reſp. Caiet. ad 3. motiuum Scoti.*

le

Digitized by Google

le eſt illud quod multiplicatur ſecundum eſſe numerale, & ideò negat S. Thom. in 1. p. qu. 3. art. 5. dari propriè vniuerſale in Deo. Et Relatio prædicatur de hac, vel illa relatione Diuina, & ſimiliter perſona cum ſola reali oppoſitione relatiua ſecundum tamèn idem eſſe numerale, quod eſt ipſa Dei eſſentia. Ità Caiet. 1. p. qu. 29. art. 4.

Reſp. Caietani ad aliam Scoti inſtantiam.

Et ad id quod addit Scotus cit. à Caietano 1. p. qu. 29. art. 4. ſcilicet quod modus naturæ non prædicatur eſſentialiter, ſed quaſi per modum proprij, & cùm modus per ſe exiſtendi incommunicabiliter ſit modus omnium ſubſtantiarum particularium non erit prædicatum eſſentiale vniuocum, ſed quaſi per modum proprij. Reſp. Caietanus, quod modus particularitèr exiſtendi per ſe incommunicabilitèr prædicatur per modum proprij reſpectu naturæ, ſed reſpectu ſubſtantiæ ſingularis eſt prædicatum formale conſtituens formaliter, ſubſtantialiter, indiuidualiter primam ſubſtantiam. Ità Caietanus loc. cit.

Appendices ad Lectionem nonam Metaphyſicalem in Tractatu de Analogia nominum.

NEoterici, quin videant Caietanum in fonte, ad arbitrium inſurgunt contrà ipſum, & auctoritate D. Tho. & ratione. Auctoritate quidem D. Tho. ex 10. Met. lect. 1. & qu. de verit. 2. art. 11. & opuſc. 13. cap. 1. vbi ait nulla differentia alia poteſt accipi, de cuius intellectu non ſit ens, vndè manifeſtum eſt, quòd ens non poteſt habere differentias, ſicut genus habet, & ideò ens genus non eſt, ſed eſt de omnibus prædicabile analogicè, ſimiliter dicendum eſt de alijs Tranſcendentibus, ergò de mente D. Tho. ſola tranſcendentia, &c. Deindè ratione inductiua de ipſa Perſona Diuina. Omnes tres Perſonæ conueniunt in ratione ſubſiſtentiæ relatiuæ non ſimpliciter, ſed conueniunt vt in ſe includit modos, Paternitatis, Filiationis, & ſpirationis paſſiuæ, qui ſunt diuerſi ſimpliciter, & per conſequens Perſonæ Diuinæ, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus cum ſola tranſcendentia conueniunt in ſubſiſtentia relatiua ſecundum quid, quamuis in Diuinitate conueniant ſimpliciter. Et patet hoc, quia in analogia proportionalitatis licet in noſtro caſu æqualiter participetur ratio communis, ſufficit tamèn ad fundandam analogiam, quod ſit communis proportionaliter ſolum, non omninò vnà, quia verè non deſcendit ad tres perſonas, vt omninò eadem, ſed vt diuerſa ſimpliciter, & vt ſecundum quid, ſcilicèt proportionaliter tantùm vna, quæ conſiſtit in hoc quod ità ſe habet Filius ad Filiationem, & Spiritus Sanctus ad ſpirationem paſſiuam, ſicut Pater ad Paternitatem. Vel ſicut Paternitas conſtituit primam Perſonam, ſcilicet Patrem, ità Filiatio conſtituit ſecundam perſonam, ſcilicèt Filium, & ſpiratio paſſiua tertiam perſonam, ſcilicet Spiritum Sanctum. Qui moti hac ratione, & auctoritate D. Tho. Caietanum impugnant ſunt Ferr. 1. cont. Gent. c. 23. Ortiz tract. 4. cont. 3. Lerma lib. 6. q. 12. & iſti Neoterici pro eorum parte contra Caietanum citant Magiſtrum Ferro in q. 30. p. 1. art. 4. §. circa illa verba, &c. Sed immeritò, & falsò, quia ibi loc. cit. defendit cum D. Tho. & Caietano, & alijs Thomiſtis, quod hoc nomen Perſona dicitur analogicè ſolummodo de Perſona creata, & increata, ſicuti, & Magiſter Nazarius ſtat mordicus in hac re cum Caietano: falsòque etiàm citant Magiſtrum Herreram quaſi dicat eſſe communiorem intèr Thomiſtas affirmatiuam ſententiam. Qui omnes cum Caietano Reſp. ad auctoritatem D. Tho. quod in ly ſimiliter eſt dicendum de alijs Tranſcendentibus, non eſt interpretandum, quod intelligat de alijs tranſcen-

dentibus

Digitized by Google

dentibus ſine dependentia, & cum ſola tranſcendentia, aliter; ait Caiet. quandò D. Th. exemplificat Analogiam proportionalitatis cùm vnico exemplo de ſano, quæ eſt vnius ad alterum, vel duorum ad tertium intelligendus eſſet cum ſola Analogia attributionis, quod dumtaxat detur hæc. Si ſapientes ſunt Neoterici illi, ad inſtar ſapientum neceſſario inſpiciendi ſunt omnes contextus D. Th.

Ad rationem Neotericorum Reſp. prædicti cum Caietano quod nil clarius in D. Th. p. p. q. 29. a. 4. & q. 30. vbi habet quod licet ratio perſonæ ſit communis, non eſt tamen ſicut vniuerſale, ideſt non ſicut genus, vel ſpecies, ſed ſicut indiuiduum vagum, quod dicit modum particulariter exiſtendi, qui quidem modus, ait Caietanus contrà Scotum, dicit perſonam, & perſona ſignificat per ſe ſubſiſtentiam, quæ eſt quid poſitiuum, & non negatiuum, vt vult Scotus, quæ ſubſiſtentia prædicatur vniuocè de quidditate prædicamenti ſubſtantiæ, tamquam modus exiſtendi illius, & per modum indiuidui vagi, & reſpectu ſingularium prædicamenti ſubſtantiæ eſt quidem prædicatum eſſentiale, ac ſubſtantiale non tamen ſpecificum, ſed perſonale quidditatiuum vniuocum, quod debet abſtrahi ab his, quibus eſt communis, quoad id in quo illa conueniunt, & non ab vltimatè diſtinctiuis, per quæ omninò illa differunt, & in nullo conueniunt vt de facto ſic abſtrahitur. Et quando D. Th. in fine corp. a. 4. cit. concludit quod hoc nomen perſona ſecundum rationem eſt commune tribus diuinis perſonis, non ſpecificando qua communitate an vniuoca, vel analoga, hoc fecit, quia ſatis in ſuperioribus ſufficienterq; dixit, ait Caiet. eſſe prædicatum quidditatiuè vniuocum. Imò Argumentum quod Caiet. fecit in primo loco ſupra contrà ſe ipſum, eſt ipſamet ratio Gonet noſtri pro ſua ſententia affirmatiua contrà Caiet. qui abundè ex D. Th. eidem rationi Reſpondet.

Pro Caietano extrà Scholam ſtat Scotus cum ſuis diſcipulis, & Suarez cùm alijs recentioribus. Intèr Thomiſtas plurimi facio ſententiam Sapientiſſimi noſtri Io. à S. Thoma, qui pro Caiet. ait ſolam tranſcendentiam non poſſe cauſare Analogiam ſimpliciter, per defectum inæqualitatis, & ideò ſuſtinendus eſt Caietanus, quod hoc nomen Perſona in Diuinis cum ſola tranſcendentia prædicatur vniuocè, quia ratio perſonæ eſt communis tribus diuinis, & multiplicatur in illis, & ideò non æquiuoca, quia non ſolùm nomen, ſed etiàm res ſignificata per nomen eſt illis communis; nec etiàm eſt Analoga, quia licet actù includat perſonas ad quas deſcendit, non tamen iſta ratio oppoitet quod abſtrahatur à conceptibus illarum vltimatè diſtinctiuis, ſed &c. vt ſuprà, & ſic remanet vniuoca, licet non omnino vt ratio Animalis, ad tollendam à Deo compoſitionem rationis, ſed ad modum ſpeciei, & vt indiuiduum vagum, quia ipſa ratio perſonæ diuinæ eſt actus puriſſimus, & nullatenus in potentia. Ità Io: à S. Thoma.

Hinc tota Schola Thomiſtica, & quamplures alij extrà Scholam, præter aliquos ex Societ. & P. Linczum lib. 1. Met. tract. 2. c. 3. & P. Franciſcum Bonæ ſpei tenent quod ſola dependentia cùm inæqualitate poteſt cauſare, & de facto cauſat vtramq; Analogiam attributionis, & proportionis. Quia tamen res eſt difficilis ſumma cum animi attentione attendenda ſunt hæc in Analogo, ſcilicet conceptus, vnitas, & abſtractio eiuſdem Analogi ab inferioribus, ne digrediamur ab Analogo ad vniuocationem, quia Analogum non importat confuſionem conceptuum in vno communi, & tertio conceptu, ſed quod ſolum importat quandam conceptuum confuſionem cum vnitate proportionali abſtracta, vt declaratum eſt præcedentibus Lectionibus cum Caietano.

TRACTATVS SECVNDVS METAPHYSICALIS DE CONCEPTV ENTIS.

LECTIO PRIMA METAPHYSICALIS.

Quodnam ſit illud ens, quod dicitur Tranſcendens quidditatiuum an ens ſit participialiter, vel etiam ens nominaliter.

Ex Caiet. in c. 4. de ente, & eſſentia pag. mihi 220. & pluribus in locis Commentariorum.

Explicatio Tituli eiuſque verus ſenſus data à Caiet.

CAietanus ponere debebat in hoc Tractatu 2. de conceptu entis in primo loco, verum intèr vniuerſaliora ens ſit primo cognitum à noſtro intellectu; & in ſecundo loco, an pro hoc ſtatu ens concretum quidditati ſenſibili ſit primo cognitum à nobis: ſed quia hæc duo examinauit Caiet. in ſua Phyſica nuperrimè edita in primo Phyſicorum; ideò in hoc proprio loco, quia lectio Metaphyſicalis eſt explicat in c. 4. de ente, & eſſentia pag. mihi 220. 21. & 22. quomodò iſtud ens, quod eſt tranſcendens quidditatiuum dicatur, vel debeat nominari ens participialiter, vel ens nominaliter, & motiuum difficultatis dat Sanctiſſimus Præceptor in ſuo modo loquendi. Nunquàm inuenies, ait Caietanus, Sanctum Doctorem dicentem, quod ens ſit prædicatum aut eſſentiale, aut quidditatiuum, neq; rurſus quod ſit accidentale, ſed tantùm inuenies in ſuis doctrinis, quod doctè, & verè affirmet eſſe prædicatum ſubſtantiale, ex quo quaſi reſoluta difficultas videtur, quod iſtud ens tranſcendens, non prædicetur quidditatiuè, & eſſentialiter, benè tamen ſecundum ipſum ſubſtantialiter: ſed quia ly ſubſtantialiter aliquando accipitur pro ly eſſentialiter, ideò benè explicandi ſunt termini, tollendo de medio omnem æquiuocationem. Ità Caiet.

Primum notab. Caiet. quid ſit ens nominaliter, & participialiter explicatur.

Quo ad primum accedit immediatè Caietanus ad explicationem huius nominis entis, in c. de ente, & eſſentia, quod ly ens poteſt nominari, & ab eſſe eſſentiæ, & ab eſſe exiſtentiæ vt ly lucens poteſt nuncupationem trahere, vel à luce, vel à lucere, adeò vt ſeruata proportione poſſemus dicere, quod lucere reſpondet exiſtentiæ (nàm & lucere eſt Verbum, & exiſtentia ſumitur à Verbo exiſtere) lucem verò reſpondere eſſentiæ, verumq; enim nomen eſt. Ens quod ſumitur ab eſſentia, idem valet quod lucens ſumptum à luce; & ſic ens dicitur nominaliter, quià à nomine ori-

Digitized by Google

originem ducit; ens autèm quandò ſumitur ab exiſtentia, idem pollet quod lucens ſumptum à lucere, & ſic dicitur ens participialiter, quia à Verbo ſum deriuaturly eſt, & actum eſſendi referr. Cùm igitur ex Ariſt. p. Periherm. c. 2. nomen in ſuî ſignificatione nō importet tempus, verbū autèm ibidem c. 3. ſignificet tempus, inſerendum eſt quod differet ens ſumptum ab hoc nomine eſſentia, ab ente accepto ab hoc verbo ſum, quod illud ſignificabit abſq; vlla temporis differentia, ſiuè res fuerit, ſiuè non. hoc autem non ſignificabit illud niſi quatenus actu in tempore exiſtit. Rurſus cum omni rei creatæ accidat vt exiſtat, poteſt enim exiſtere, & non exiſtere, nulli autem rei accidat vt habeat eſſentiam, alias eſſet res, & non res, ſequitur quod prædicatum entis vt ſpectat ad exiſtere, ſeù vt ab ipſo ſumitur non attineat in rebus creatis ad quæſtionem quid eſt, (quæſtionis enim huius terminus eſt ſola quidditas, ac eſſentia) ſed ad quæſtionum an eſt, per quam concluditur eſſe; prædicatum autèm entis ſumptum ab eſſentia terminabit quæſtionem quid eſt. Stante igitur hac declaratione Caietanus explicat ſi illud ens quod dicitur tranſcendens ſiuè ſit participialitèr, ſiuè nominalitèr, dicat quid, an ſolum dicat an eſt. Ità Caiet.

Secundum notabile Caiet quod prædicata ſunt triplicis generis.

Notat 2. ibidem in c. 4. quod prædicata ſunt triplicis generis: quædam enim ſunt primò eſſentialia, & quidditatiua, & hæc ſunt ea, ex quibus coaleſcit definitio; ſecundò quædam ſunt accidentia quæ rem accidentalem, & extraneam dicunt, vt album de homine; tertiò quædam ſunt media intèr hæc, & vocantur prædicata ſubſtantialia, quippè quæ nec quidditatem, nec accidens dicunt, ſed quid ſubſtantiale, ità vt neque ponuntur in definitione, neque rem extraneam dicunt, & huiuſmodi prædicatum eſt ens, quia ſic prædicatur de rebus, quod non eſt accidens, nec ponitur in definitione, quoniam hæc abſtrahit ab exiſtentia, non tamèn ab ordine ad ipſam. Et ſic omnia loca S. Th. non egent alia interpretatione, quia vbiq; locorum quando tractat de entis prædicato, nunquàm dicit, quod ſit eſſentiale, aut quidditatiuum, nec rurſus, quod ſit accidentale ſed tantùm quod ſit prædicatum ſubſtantiale, & hoc benè nota. Ità Caiet. loc. cit.

Notab. 3. Caiet. in quo dicitur quod ſola illa prædicata eſſentialia ſunt ponenda in definitionibus, quæ explicant aliquem gradum.

Tertiò notat ibidem in fine Comment. c. 4. Caietanus, quod omnia quidèm eſſentialia prædicata ſunt in definitionibus locanda, dummodò alium gradum eſſentialem definiti explicent: propoſitio tamen illa dicenda eſt vera abſolutè, quod ſcilicet omnia prædicata eſſentialia conueniunt naturis abſolutè ſumptis, & conſideratis; ob eandem rationem prædicata quoque negatiua, quamuis fundamentalitèr accepta (non loquimur de ipſis ſumptis formaliter, & vt per opus intellectus tribuuntur noſtris) conueniant cuiuis naturæ acceptæ ſecundum ſe, & vt ſic, ac ſubindè ſint prædicata eſſentialia, non tamèn in earū definitionibus ſunt ponenda, quoniam iſtæ negationes ſic ſumptæ, nil aliud ſunt quàm genus, & differentia propria rei, & ſic nullum alium gradum eſſentialem definiti explicant. Et fundamentum, addit Caietanus, quare de homine dicantur negationes naturarum, quæ diſparatæ ſunt, nihil aliud eſt, quàm eiuſdem hominis natura: nàm quia homo eſt Animal rationale, ideò non eſt Leo, non Ceruus &c. Per enim illam eamdem formam, & materiam (èn genus, & differentia radicaliter) per quam habeo vt ſim homo, habeo vt non ſim Capra, non Bos &c. Ex his venimus in cognitionem, nobiſq; manifeſtatur quod ſcilicet ens tranſcendens, & alia tranſcendentia an conueniant naturis, & an in definitione ſit ponendum ens, & per conſequens ſit tranſcendens prædicatum quidditatiuum, & eſſentiale. Ità Caiet. loc. cit.

Notab. 4. Caiet. in quo explicatur quomodo ens non debet dicere quid.

Notat 4. Caiet. confirmando in p. p. q. 3. art. 5. ſuas prædictas doctrinas de ente an dicat, vt tranſcendens, quid. Probat D. Th. ibi ens non poſſe eſſe genus alicuius quia omne genus habet differentias, quæ ſunt extra generis eſſentiā; nulla autem

differentia poteſt inueniri, quæ ſit extrà ens, quia non ens non poteſt eſſe differentia, vndè relinquitur quod Deus non ſit in genere. Addit in hoc loco Caietanus, hic poſſumus dubitare primò de ſignificatione entis, ſecundò de prædicatione eiuſdem, an ſcilicet prædicetur in quid, quod quidem per rationem factam oportet quod hoc teneat Aduerſarius, dùm dicit Deum eſſe in genere; tertiò poſſet dubitari de communitate eiuſdem ad omnes reales rationes formales, an ſcilicet in omnibus claudatur intrinſecè, vt ex 3. Met. aſſumitur. De his omnibus in Comment. de ente, & eſſentia iàm ſcripſimus, nec cenſeo replicandum, præcipuè, quia ſiuè propter illam cauſam adductam, ſiuè propter aliam deſtruitur poſitio Aduerſarij, & ab omnibus acceptatur. Et ratio facit hunc ſenſum, quod differentias oportet eſſe extrà genus, ſic quod nec genus ponatur intrinſecè in formali ſignificato differentiæ, nec è conuerſò, quamuis genus ponatur in ratione differentiæ extrinſecæ, ſed vt additum, ſicut ſubiectum ponitur in ratione paſſionis: nullæ autèm inueniuntur rationes reales diſtinguentes ens, in quarum formalibus ſignificatis non claudatur intrinſecè ens. Et ſcito quod Scotus in p. ſent. diſt. 3. q. 3. tenet oppoſitum, quantùm ad hoc quod putat eſſe quaſdam differentias, ſcilicet vltimas non includentes formaliter, & intrinſecè ens; de Paſſionibus infrà dicetur; de Differentijs autèm licet in hoc loco dicendum eſſet, quia tamen oportet nouos terminos ingerere, quia Scotus de differentijs ſumptis non à formis, ſed à realitatibus vltimis, loquitur, ideò expedit potiùs quæſtionem ſpecialem, ac magis diffuſam facere, prætèr ea quæ dicta ſunt, de hac re in Comment. de ente, & eſſentia.Ità Caiet. loc. cit.

Notab. 5 Caiet. in quo explicatur quod ens eſt primũ prædicatum intèr tranſcendentia.

Notàt vltimò Caiet. ex p. 2. q. 94. differentiam intèr ens, & bonum quantùm ad ſignificari, & apprehendi. In his quæ in apprehenſione hominum cadunt, quidam ordo inuenitur. Illud enim quod primò cadit in apprehenſionem eſt ens, cuius intellectus includitur in omnibus, quæcumq; quis apprehendit, & ideò primum principium indemonſtrabile conſiſtit in hoc, ſcilicet eſt, & non eſt, affirmare, & negare, quod fundetur ſuprà rationem entis, & non entis, & ſuper hoc principium omnia alia fundantur, vt dicit Philoſophus in 4. Met. & in p. p. q. 5. a. 2. in corp. ait D. Th. Ratio ſignificata per nomen eſt id quod concipit intellectus de re, & ſignificat illud per vocem. Illud ergo eſt priùs ſecundum rationem, quod priùs cadit in conceptione intellectus; primò autem in conceptione intellectus cadit ens, quia ſecundum hoc vnumquodq; eſt cognoſcibile in quantùm eſt actu vt dicitur 9. Met. tex. 20. Vndè ens eſt proprium obiectum intellectus, & ſic eſt primum intelligibile, ſicuti ſonus eſt primum audibile, & ſic ſecundum rationem prius eſt ens, quàm bonum. Ità Caiet. ex D. Th.

Opinio circà trãſcendens ens antiquorum recitata à Caiet.

Quo ad 2. difficultas non eſt an ens tranſcendat omnes differentias rerum, ſed an ex hoc quod tranſcendit ſit prædicatum quidditatiuum. In cap. 4. de ente, & eſſentia §. in hoc loco &c. Caietanus ait, quod Auicenna, Alpharabius, & Algazel opinantur quod ens non conueniat naturæ abſolutè ſumptæ, vndè non valet, homo eſt ſubſtantia, ergo homo eſt ens, eò quod ens ſignificat aliquid additum eſſentiæ rei, quod non eſt de eius ratione. S. Thomas cuius opus de ente, & eſſentia exponendum nos ſuſcepimus, ſuper 4. Met. lect. 2. ſuper Tex. Comm. 3. & Comm. 8. reprehendit in hoc expreſsè Auicennam, & eſto ſit difficile videre in quo ſent. S. Th. differat ab illa Auicennæ, cùm ipſe teneat nil aliud à Deo eſſe ens per eſſentiam ſuam, ſed per aliquid additum ſuæ eſſentiæ, expreſsè tamen dicit in quolib. 2. q. 2. a. 1. quod ens non eſt prædicatum eſſentiale, & in p. c. g. c. 39. dicit ens non cadere in conceptu ſubſtantiæ, quod eſt genus generaliſſimum, propter quod à quibuſdam dicitur diſtinguendo ens in ens nominaliter, & in ens partici-

pia-

Digitized by Google

pialiter quod primum prædicatur de omnibus quidditatiuè, & intrinſecè, ſic enim vnumquodque eſt ens per eſſentiam ſuam, ſecundum cum idem ſonet quod exiſtens non eſt prædicatum quidditatiuum, ſic nil aliud à Deo eſt ens per eſſentiam ſuam, & ſic ſecundum iſtos ens nominaliter conuenit naturæ abſolutè, non autem ens participialiter, & addunt quod primum eſt diuiſum in decem prædicamenta, & eſt tranſcendens conuerſum cum alijs propriè loquendo, non tamen ſecundum, & ideò reprehenſibilis erat Auicenna à D. Th. dicunt iſti, quia hanc diſtinctionem Auicenna omiſit.

Opinio S. Th. circà hoc tranſcendens ens, explicatur vt propria.

Mihi tamen, addit Caiet. non videtur itá difficile, indagare differentiam opinionis D. Th. ab illa Auicennæ. Dico igitur, quod ens participialiter eſt id quod eſt tranſcendens diuiſum in decem prædicamenta, quod ex eo patere poteſt, quia S. Th. in p. p. q. 5. & 6. & in quæſt. de Verit. q. 21. oſtendit bonum, quod etiam diuiditur in decem prædicamenta, vt dicitur p. Eth. conuerti cum ente participialiter, & non cū ente nominaliter, vt clarè patebit infrà in Concluſione. Auicenna igitur attendens ad id à quo nomen entis ſumitur, ſcilicet à ly eſt, pronuntiauit abſolutè, quod ens eſt prædicatum extrà eſſentiam rei. S. Thomas autem attendens ad id, ad quod nomen entis impoſitum eſt ſcilicet à ly quid eſt, Auicennæ non adhæſit. Ipſum enim quid eſt non prædicat aliquid extrà eſſentiam rei. Et inſuper aduertens, quod ipſum quo res eſt, ſcilicet actualis eſſentia, non eſt extraneæ naturæ ab ipſo quod eſt, ſed per principia propria ipſius quod eſt, conſtruitur, inter prædicata accidentalia ens annumerare noluit: hoc enim poteſt aſſeri de quocumq; alio extrà eſſentiam rei, nihil enim extrà eſſentiam rei per propria principia ipſius rei conſtituitur, niſi rei exiſtentia. Quodcumq; enim aliud per principia propria alterius generis conſtituitur, ſcilicet genus proprium, & differentia propria, & vniuerſaliter propria illius prædicamenti principia. Et hæc eſt ratio, qua S. Th. arguit Auicennam in 4. Met. Ità Caiet. loc. cit. de ente, & eſſentia 9. Auicenna autem &c.

In quo S. Th. arguat, & reprehendat Auicennam explicat Caiet.

Concl. Caiet. habens tres partes cū prob. 1. p. quod ens participialiter eſt diuiſum &c.

Quo ad 3. ens participialiter, quod eſt tranſcendens diuiſum in decem prædicamenta non eſt prædicatum quidditatiuum, non tamen accidentale, ſed ſubſtantiale.

Probatur prima pars à Caietano ſic. Ex eo quod S. Th. p. p. q. 5. & 6. dicit quod quia bonum, & ens conuertuntur, eo modo quo res eſt ens, ità eſt bona: ſed non eſt ens per eſſentiam ſuam: ergo nec bona: ergo vt fallacia vitetur æquiuocationis, non niſi de ente participialiter poteſt eſſe ſermo; ergo ens participialiter eſt diuiſum in decem prædicamenta; omnes propoſitiones patent ex notabilibus ſuprà, & ex ijs quæ diximus in explicanda mente S. Thomæ contrà Auicennam in 2. loco huius Lectionis. Ità Caietanus loc. cit.

Prob. 2. p. eiuſdem Concl. facta à Caiet. quod ens trāſcendens nō ſit prædicamentum quidditatiuum.

Probatur 2. pars à Caiet. ſub hac forma, quod non ſit prædicatum quidditatiuum, & eſſentiale. Ea tantùm prædicata eſſentialia ponuntur in definitione, quæ alium gradum ſuprà res, vel ſuprà naturas dicunt: ſed de ente ſpecialiter manifeſtatur ipſum neutiquam poni poſſe in definitionibus: ergo vera ſecunda pars &c. Maior, & minor explicata fuit à nobis ſuprà in ſecundo, tertio, & quarto notabili; non enim alium gradum dicis de homine dicendo illum eſſe ens, vnum hominem &c. quàm ſi dicas hominem tantùm. Et ideò Ariſt. 7. Diuin. 43. dicebat nil aliud adeſſe in definitionibus niſi primum genus, & differentiam, conſtat autem quod tranſcendentia non habent differentiæ rationem (omnia enim in ipſis conueniunt) neq; generis; & eadem eſt ratio de alijs Tranſcendentibus, at de ente hoc ſpecialiter manifeſtatur, vt patet ex dictis. Ità Caietanus loc. cit.

Pro-

Digitized by Google

Prob. facta à Caiet pro 3 p. eiuſdem Concl. quod ſit prædicatum ſubſtantiale, & non accidentale.

Prob. 3 pars à Caiet. quod ens, & alia tranſcendentia ſint prædicata non accidentalia, ſed ſubſtantialia, ens, & tranſcendentia conueniunt ſecundum ſe, & vt prædicata ipſis naturis: ergo non poſſunt eſſe prædicata accidentalia, ſed medio modo ſe habentia intèr prædicata eſſentialia, & accidentalia. Conſeq. patet ex dictis; prob. antecedens, quia de qualibet natura prædicatur vt ſic, & ſecundũ ſe quod ſit ens, vna, vera &c. quoniã proprietates entis, & aliorum tranſcendentium inbibuntur in naturis inferioribus, nullum gradum ſuper ipſas dicentes, & ſic conſtat eſſe prædicata, quæ naturis omnibus formaliter conueniunt. Sed & probatur etiam à Caietano quod & cauſalitèr, & concomitatiuè quoq; conueniunt. Cauſalitèr quidem, quoniam ab his tranſcendentibus habet vnaquæq; natura vt conſtituatur in eſſe, & in ratione quidditatis, & naturæ. Concomitatiue autèm, quoniam ſi ſit aliqua natura, ſtatim conſequitur vt eam ens, & omnia tranſcendentia comitentur, conſequitur enim vnitas &c. At non conueniunt tranſcendentia naturis ſecundum ſuam abſolutam conſiderationem acceptis, ſed & quatenus habent eſſe in ſingularibus, & in intellectu; nam homo in hoc, & in illo ſingulari, & in intellectu exiſtens ſortitur rationem entis, vnius &c. & pro vt etiam obiectiuè eſt in intellectu debetur ſibi aliquod eſſe licet non reale, ſed rationis, & aliqua indiuiſio, & aliqua eidem intellectui conformitas &c. cùm hac tamen differentia, quod in ſua abſoluta conſideratione conueniunt ei tranſcendentia abſolutè, ac ſecundum hoc, & illud eſſe, non abſolutè, ſed hoc vel illo modo limitato vt ens vnum ſpecie, vnum numero, & modis conſimilibus. Ità Caiet. loc. cit.

Arg. 1. Caiet. contra 3 p Concl. cum ſua confirmatione.

Quo ad 4. arguit Caiet. in c. 4. de ente, & eſſentia §. In hoc loco &c. contrà 3. p. Concluſionis. Si tranſcendentia, quæ ſunt res vnum &c. conuenire aſſerantur naturæ abſolutè ſumptæ, erunt prædicata quidditatiua, & ſi ſic ponentur in definitione (nulla enim definitio eſt completa niſi omnia prædicata quidditatiua includat) ſed tranſcendentia poni in definitione omnes negant: ergo &c. Confirmatur ex littera S. Th. in c. 4. vbi habetur, quod quæ inſunt naturæ abſolutè, ſunt de definitione illius; ſi autem ex alia parte tranſcendentia dicantur non conuenire naturæ, iàm verificatur quod homo ſecundum ſe ſumptus non eſt aliquid, nec res, nec vnum quid, quod omnino negatur.

Reſp. Caiet. ad Arg. 1.

Reſp. Caiet. ex prob. 3. p. Concluſionis, vbi dictum eſt, tranſcendentia non eſſe prædicata propria naturæ ſecundum ſuam abſolutam conſiderationem neq; ſecundum eſſe in ſingularibus, neque ſecundum eſſe in intellectu: bene tamen ſunt prædicata communia naturæ quomodolibet acceptæ conuenientia non ſolùm concomitatiuè, ſed & cauſaliter, & de natura quidem tàm ſecundo, quàm tertio modo accepta patet; ex hoc enim quod homo in ſingularibus inuenitur, entis, vnius, rei, & reliquorum rationem habet; ſimiliter ex hoc quod habet eſſe in intellectu ens, eſt aliquo modo indiuiſum &c. vt diximus &c. De natura autèm primo modo ſumpta ex dictis patere poteſt, & ex eo, quod in quocumque inuenitur poſterius tranſcendens, inuenitur, & prius; manifeſtum eſt autem de poſterioribus tranſcendentibus, quæ ſunt vnum, verum &c. quod conueniunt naturæ abſolutè. Vndè de homine abſolute loquendo illa eſt vera homo eſt ens. Vndè & S. Th. dicit ſuper 10. Met. quod ens prædicat naturas decem generum, ſecundum quod ſunt actu, vel potentia, & non tantum ſecundum quod ſunt actu.

Reſp. Caiet. ad Confirm. Arg.

Ad confirmationem ex D. Th. dicitur quod tranſcendentia duo habent, & quod in nullo definiri poſſunt per rationem dictam, & quod in quolibet conceptu includantur, vt dicitur de ente 3. Met. tex. Comm. 10. quod quidem ſecundum ideo dictum arbitror, quia tranſcendentia quemlibet gradum comitantur, & ideò con-

Digitized by Google

conceptui nulli deſunt, & ſic dico, addit Caietanus, quod ea quæ naturæ abſolutè conueniunt in cuius ratione cadunt, conueniunt rei in eo quod talis. Homo enim in eo quod homo eſt ens, res, aliquid &c. & ſic ex his diligens Lector habes vndè diuerſa dicta S. Th. ſanè intelligere debeas. Ità Caiet. propè finem cap. 4.

Arguit 2. Caiet. ibidem, ex hac tertia parte Concluſionis ſequuntur duo. Primò quod ens poneretur in definitione, quod eſt contrà Ariſt. 8. Met. tex. Comm. 16. Secundò ſequitur quod eſſet negatio in definitione, vt ſuprà in quæſt. de Vniuocatione entis deduximus. *2. Arg. Caiet. contrà 3. p. concl. ex n ſua Reſp. duplici.*

Reſp. Caietanus ex dictis, & dicit primò quod non opportet omnia prædicata ſubſtantialia poni in definitione, ſed ea tantùm, quæ explicant alium gradum eſſentialem definiti, qualia non ſunt tranſcendentia de quibus dictum eſt, quod eundem gradum prædicant, quem genus, vel differentia important. Vndè 8. Met. Comm. 19. dicit Ariſt. quod ideò nec ens ponitur in definitione, nec vnum, quia ens ſtatim eſt vnumquodque: Definitio enim tunc completa eſt, cùm omnes rei gradus explicantur à prima potentia vſque ad vltimum actum intrinſecum, quod ſine tranſcendentibus, quæ nullum gradum addunt, fit. Secundo dicimus de ipſo ente, quod quia ens importat aliquo modo ipſum eſſe, quod pertinet ad quæſtionem an eſt, & non ad quæſtionem quid eſt, ideò à prædicatis quidditatiuis aliqualitèr declinat. Ità Caiet. ante reſolutionem q. 6. c. 4. de ente, & eſſentia.

Appendices ad Lectionem 1. Metaphyſicalem in Tractatu Secundo de Conceptu Entis.

FErrarienſis intèr Thomiſtas coætaneus ipſi Caietano vult contrà Caietanum ipſum, quod ens nominaliter ſit illud quod eſt diuiſum in decem genera, & per conſequens, quod ſit prædicatum quidditatiuum, & hoc defendit in p. cont. Gent. cap. 5. Mag. Ripa Venetus noſter acerrimus propugnator doctrinæ Caietani ſuper cap. 4. de ente, & eſſentia q. 1. 2. 4. ait, Iud co ego ipſe probabiliter poſſe ſuſtineri cum Ferrarienſi aliiſq; Thomiſtis illud diuiſum eſſe ens nominaliter acceptum. Sed mihi multò probabilius eſt dicere, cùm Caietano in præſenti, quod ſit ens participialiter. Et adductis hinc, & inde rationibus conciliare nititur hos duos inſignes viros, quia dùm Ferr. habet quod ens, vt ſumitur ab eſſentia partitur in decem genera, non intelligit, quod nulla ratio habeatur ipſius eſſe, ſed ſolum vult, quod tale ens primò, & principaliter ſignificat ipſam eſſentiam, ſecundariò autèm ipſum eſſe, vt habetur non ſemel in illo loco cit. p. c. g. c. 5. Caiet. verò, quandò dicit, quod illud diuiſum eſt ens participialiter, non intelligit, quod nulla ratio habeatur ipſius eſſentiæ: clarè enim c. 5. q. ſua 11. ad 4. dicit quod hominis eſſentia abſolutè in reali prædicamento ſubſtantiæ reponitur, ſed vult quod potiſſima ratio huius entis diuiſi attendatur ex ipſo eſſe, vt enim eadem q. ad 8. dicit, reponitur ipſum quid in genere ſubſtantiæ, quoniam eſt capax eſſe ſubſtantialis. Et ſic vterq; Doctor vult, quod ens quod in prædicamenta ſcinditur includat & eſſentiam, & exiſtentiam; & verè illud quod eſt, conſtat & eſſentia, & exiſtentia, ſed Ferr. vult vt potiſſimum ſumatur ab eſſentia; Caietanus verò vt ab eſſe ſecari in prædicamenta. Concludit tandèm Ripa quod rationes Caietani ſunt concludentes, vnde ſuam ſententiam probabiliorem reddunt: ex eo quia maximè habenda ratio eſt ipſius exiſtentiæ, quàm ipſius eſſentiæ cum hæc ponatur in cathegoria cum ordine ad exiſtentiam Lege Ripam loc. cit.

Pro pleniori adhuc intelligentia huius Lectionis Metaphyſicalis, & ſententiæ

Ca-

Digitized by Google

Caietani quæ ſatis eſt conformior menti S. Thomæ eiuſq; contextibus in ſua Summa, attendenda eſt illa differentia, quam ponit Scotus intèr prædicationem quidditatiuam, quam appellat formalem, & intèr prædicationem eſſentialem, quam expellat identicam. Legendus eſt etiàm Iauellus in 4. Met. q. 5. vbi ait, ſuſtinendum eſſe in via Thomiſtica, quod ens eſſentialiter quidditatiuè, & in primo modo per ſe prædicatur de paſſionibus ſuis, & vltimis differentijs contrà Caietani ſententiam expreſsè.

Legas controuerſias de hac re factas ab inſignibus viris, & famoſiſſimis Doctoribus Salmanticenſibus, ſcilicet ſapientiſſimum in primis Io: à S. Thoma, Godoy, Bannezium &c. & à Doctoribus Sorbonenſibus, Toloſanis Gonet, Goudin &c.

Intèr Neotericos, mihi videtur eſſe inſinuandum diſcipulis Thomiſtis, vt benè, & diligentèr aduertant, quod ipſi in ſtabiliendis ſuis ſententijs declinando à terminis adhibitis à D. Th. qui vbiq; habet proprietatem dicendi verborum, iuxta Oraculum Pontificium, citant D. Thomam pro ſua parte, & quin videant Caietanum fideliſſimum eius Interpretem, probant ſuas rationes ſub alijs terminis, & deindè deſcendendo ad Argumenta ſoluenda aduerſariorum, velint, & nolint oportet quod iuxta mentem D. Th. & Caiet. defendant propriam ſententiam quam in rationibus eorum obſcurarunt. Sumamus, & ponamus exemplum in Appendice huius Lectionis primæ. Paſqualigus Clericus Regularis Theatinus vir omni veneratione dignus in ſua p. p. Metaphyſicæ diſp. 38. quærendo an ens ſit de eſſentia omnium interiorum ſect. 2. num. 1. poſt recitatam contrariam opinionem Scotiſtarum dicit quod illa ſententia quæ dicit quod ens prædicatur de ſuis inferioribus, ſcilicet differentijs, omnibuſq; alijs realitatibus eſſentialiter, & quidditatiuè, & dicit quod hæc ſententia extrà Scholam Thomiſtarum communis eſt, & citat pro hac ſententia D. Th. c. g. c. 25. & q. 31. de Verit. a. 1. & p. p. q. 3. a. 4. citat etiàm Caietanum de ente, & eſſentia q. 1. Concl. 2. Capreolum in p. ſent. diſt. 8. q. 1. Soncin. 4. Met. q. 19. Iauellum ibidem q. 5. Sotum in Antepradic. c. 4. Fonſecam 4. Met. c. 2. q. 2. ſect. 2. Suarezium in Met. diſp. 2. ſect. 5. num. 16. Hurtadum in Met. diſp. 2. ſect. 4. Auerſa in ſua Phyſica q. 3. ſect. 5. & in hoc ſecuti ſunt doctrinam Ariſt. 3. Met. tex. 10. qui vt probet eos non eſſe genus ex eo argumentatur, quia ſi eſſet genus deberet eſſe extrà differentias, exiſtimat autèm abſurdum quod ens ſit extrà differentias &c. Hucuſq; Paſqualigus.

Modò quis non videt clara luce meridiana, Paſqualigum (quidquid ſit de alijs Neotericis, quos nolui videre, ſufficit mihi vnus pro mille) declinare à modo loquendi vtriuſque Thomæ, & Aquinatis, & Caietani, dum hi negant vbiq; ens eſſe prædicatum quidditatiuum, & eſſentiale de ſuis inferioribus. Et ideò Caietanus cum veris Thomiſtis aſſert in doctrina D. Th. illud vnum notatu dignum, inquiunt enim, non enim inuenies S. Doctorem vnquàm dicentem, quod ens ſit prædicatum, aut eſſentiale, aut quidditatiuum, neque ruſus quod ſit accidentale, ſed tantùm comperies ipſum, vere, & docte affirmantem eſſe prædicatum ſubſtantiale &c. Sed quod miror de Paſqualigo in Reſp. ad Argumenta ſupra facta à Caiet. Reſp. ſect. 3. num. 4. & 5. iuxta doctrinam Caiet. & D. Th. ſcilicet quod ens ex hoc non ponitur in Definitionibus, nec differentiarum, quia ſcilicet cum ſit ratio tranſcendens conferens vnicuique propriam realitatem non poteſt poni vt pars quædam particularis definitionis, ſcilicet nec genus, nec vt differentia. Legas ibi &c.

II.

LECTIO II. METAPHYSICALIS IN TRACTATV DE CONCEPTV ENTIS.

Vtrùm Conceptus entis Mentalis repreſentatiuus ſit vnus vel multiplex.

Ex Caietano in ſuo Opuſcolo particulari de Conceptu Entis.

Explicatio Tituli Lectionis eiuſque motiuum affertur à Caietano.

IN Opuſculo citato, ſic incipit Caietanus. Amantiſſime Frater (Franciſcus de Ferraria) Ex acceptis veſtræ ſollicitudinis litteris percipio ego, libellum noſtrum de Analogia nominum, vos perlegiſſe, duoque Dubia de Conceptu Entis mentem veſtram tenere, ſoluique à me familiaritèr flagitaſtis. Ego autèm quamprimùm compleui expoſitionem librorum de Anima, cuius fini incumbebam, cum veſtras recepi, reſpondere curaui, ne præclaro ingenio tuo deeſſem. Intelligas igitur, quod quidquid eſt imago alicuius ſimilis alteri, vt etiàm imago illius alterius, quatenùs ipſi primò aſſimilatur: ac per hoc omnis conceptus Creaturæ eſt conceptus Dei, ſicuti omnis Creatura, eſt aliqua ſimilitudo Dei. Hinc ergo fit, quod cum vnum proportionalitate vt ſic habeat ſingula membra proportionabiliter, oportet, quod habeat etiam vnum conceptum mentalem repreſentatiuum illius vnius proportionabiliter, & cùm idem ſit iudicium de ſimilitudine rerum intèr ſe, idem erit conceptus mentalis, & rerum. Stante igitur hac declaratione conſolidamus veritatem per ſequentes Doctrinas ex D. Thom. Ità Caietanus loc. cit.

1. Notabile Caietani in quo explicatur quot modis habeat analogum vnum conceptum mentalem.

Quò ad primùm adnotat Caietanus in opuſc. cit. hanc Doctrinam, quod duplex eſt modus, quo analogum habet vnum conceptum mentalem. Quemadmodum enim oſſis natura ſimilis eſt naturæ ſpinæ in ſuſtinendo carnes animalium, in quo analogantur, ità conceptus mentalis oſſis vt ſuſtinens carnes, eſt ſimilis oſſi, & ſpinæ, ſed ipſi oſſi determinatè, ſpinæ autèm implicitè; ſicuti etiàm ipſum os non eſt ſimile ſpinæ determinatè, ſed quatenus ſpina ſuſtinet carnes ſicut ipſum os, ac per hoc cum ens analogum ſit vnum hoc pacto, ſcilicet hoc primo modo, habet vnum conceptum à mente in rebus impreſſum. Alter autèm modus ſuper ipſius intellectus opere, quo natus eſt adunata diuidere, fundatur, & eſt tunc conceptus ſimilis vnus numero in mente repreſentans analogum quidem determinatè, nullum autèm eorum, quæ fundat analogiam, explicitè; eſt autèm inter hos duos conceptus non ſolùm dicta ex radicibus differentia, ſed etiàm, quia primus ad quid rei ſpectat analogi, & ſecundus ad quid nominis: neutèr tamen perfectè repreſentat analogum. Ita Caietanus, qui addit immediatè; quod cum conceptus mentales ſint imagines rerum repreſentatarum, niſi ſint fictitij, quemadmodum in mente conceptus adæquatus analogi non eſt vnus, ſed

Quomodo ens abſtrahat à ſuis

M exigit

inferioribus, & ex hoc duplex conceptus.

exigit repreſentationem omnium fundantium analogiam, ità ſignificatùm analogi adæquatum, & perfectum non poteſt ſic abſtrahi, vt obijciatur, repreſentetur, aut concipiatur abſque fundantibus rebus. Vndè ſicuti in mente duplex conceptus imperfectus reperitur, ità res ſignificata extrà poteſt obijci dupliciter imperfectè, ſcilicet vel in vno explicitè in quo cætera obijciuntur indeterminatè, vel in nullo explicitè, ſed omnia implicitè in ſolo formaliſſimo ſignificato explicitè. Ità quod vt vnico verbo dicam, quia ens eſt primo notum, in quod fit omnis reſolutio, in quod omnia addunt, ideò per modum analogi totum hoc interpretandum eſt, cum quo ſtare poteſt quod ens ſecundum perfectum, adæquatum que conceptum non abſtrahit, vt magis clarè infrà apparebit, à naturis prædicamentalibus, ſicut nec analogum à fundantibus analogiam, & in hoc pendet tota vis claritatis huius rei, vt ſemper animaduertas, ſecundum analogorum morem, hæc dici. Ità Caietanus ad Franciſcum Ferrarienſem.

2. Notabile Caietani, in quo oſtenditur prædicta Doctrina vera ex diffinitione Animæ ſecunda per primā demonſtrata.

Adnotat ſecundò Caietanus pro maiori explicatione prædictæ Doctrinæ in 2. de Anima cap. 2. exemplum de diffinitione Animæ ſecunda per primam demonſtrata contrà Ariſt. & D. Thom. quod ſcilicet ſua ratio ex particularibus, & quod ex illis particularibus nihil habetur niſi ſimilitudinarium. Et ſoluit idem Caietanus dicendo, quod hæc prima præmiſſa, quo viuimus, & ſentimus dupliciter non eſt vna ſimplex propoſitio, ſed eſt vna proportionalis, quoniam vt in littera patet, non dicitur ibi, quo viuimus, & ſentimus dupliciter, & poſt modum diſtinguit, quo ſcimus, & ſanamur, ſed fit proportionalis, cum aduerbio cauſali præpoſito, & dicitur. Quoniam quo viuimus, & ſentimus dupliciter ſicuti quo ſcimus, & ſanamur. Vbi apertè videmus, quod Auctor ex hoc quod dicit, quod quo viuimus dicitur dupliciter non qualitercumque ſed ſic, ſicuti quo ſcimus de ſcientia, & anima, & quo ſanamur de ſanitate, & corpore procedit, facit proceſſum non à ſimili, ſed proportionalem. Hæc enim eſt ratio proportionalium in 5. Met. cap. de vno, ſcilicet ſe habere vt aliud ad aliud. Hoc autem ſcilicet quod quo viuimus dicatur dupliciter, ſicuti quo ſcimus de Scientia, & Anima, &c. pro per ſe noto aſſumpſit Ariſtoteles, & verè ſic eſt, & vſus loquentium ſic comprobat. Et ideò proceſſus iſte non poteſt dici ex particularibus, ſed regularis eſt in proportionalibus, ſcilicet quod conſtante proportionalitate ex aliquibus proportionalibus manifeſtioribus occultiora manifeſtentur; vt ſi ex habitudine cordis ad membra concludatur ſimilis habitudo eius, quod proportionale eſt cordi ad membra in animalibus corde carentibus. Exercuit igitur naturalis Philoſophus, à ſenſibus non recedens, proportionalem proceſſum ad declarandum ſuæ demonſtrationis initium, dùm ex eo quod conſtat, quod id quo viuimus dupliciter dicitur, ideſt de anima, & de corpore, ſicuti quo ſcimus de ſcientia, & anima, & quo ſanamur de corpore, & ſanitate; ex habitudine horum, quia ſcilicet alterum horum eſt vtrobique forma, & ſpecies, vt actus ſuſceptibilis, intulit, quod ſic eſt in quo viuimus. Stat ergo proceſſus ſolidus nulla tacita propoſitione, niſi hac per ſe nota, quod intèr illa duo, quorum vnum eſt forma, &c. illud quo primò viuimus eſt forma, quæ etiàm non eſt tacita omninò: quoniam in medio termino appoſitum aduerbium primò inſinuauit in præcedentibus fuiſſe ſub intellectum. Ità Caietanus loc. cit. de Anima pag. mihi 82. & 83.

Caiet. explicat ſuam propriā opinionem de conceptu entis.

Quoad ſecundum Caietanus explicat propriam ſententiam in opuſc. cit. de conceptu entis, & dicit quod conceptus formalis proprius, repreſentatiuus, & adæquatus entis, vt ſic eſt vnus, quem ſequitur Ferrarienſis in 1. contrà Gentiles cap. 34. & 35. adhibens diſtinctionem de conceptu quid nominis, & de conceptu

quid

qñid rei, & dicit quod per primum poteſt eſſe vnus conceptus entis non verò per poſteriorem v. g. in ſano ſi de eo formetur conceptus rei ſignificatæ non eſt vnus, ſed multiplex. Vnus animalis, quod formaliter propriè ſanum eſt: alij aliarum rerum, quæ per varias habitudines, ſeù denominationes à ſanitate animalis extrinſecus ſanæ appellantur. Sic in præſenti audito nomine entis, poteſt formari conceptus confuſus comprehendens quidquid habet eſſe, vel habitudinem ad eſſe, quia eſt tantùm conceptus quid nominis; ſi tamèn re vera concipiantur res illo nomine ſignificatæ non formatur vnus conceptus, ſed plures. Sic explicant, & intelligunt Caietanum Metaphyſici, quibus non placet, vt videbimus in Appendice huius Lectionis, iſta diſtinctio, & dicunt, quod nihil deſeruit iſta diſtinctio ad conceptum formalem entis: ſed per ſequentem Concluſionem explicat Caietanus ſuam propriam ſententiam ex doctrinis à ſe allatis ſuprà.

Concluſio Caiet. de conceptu entis quod ſit ſimpliciſſimus cum ſua probatione.

Quo ad tertium Caietanus in ſuo illo paruo Opuſculo cit. ad Ferrarienſem ponit hanc ſuam concluſionem. Ens, etiàm vt analogum, habet conceptum ſimpliciſſimum. Probatur à Caietano ſub tali forma. Simplicitas compoſitioni opponitur, ſed ens vnum analogia non eſt vnum compoſitione aliqua: ergo erit vnus ſimpliciſſimus. Maior conſtat de ſe. Minor probatur, & primò quod non habeat compoſitionem admixtam, & hoc monſtratur ex exercitatione reſolutionis. Si ſubſtantiam, ait Caietanus, vis reſoluere in ens, ſi in conceptum diſtinctum entis reſolutio quæritur reſoluetur in ipſam naturam ſubſtantiæ, quatenus eſſe fundat, quod eſt ſimpliciſſimum cui,& addit ipſa ſubſtantia,& addit tranſcendentia. Si autèm in conceptum confuſum ipſius quod eſt, reſolues, etiàm ipſum, quod eſt, eſt ſimpliciſſimum, cui & addit ipſa ſubſtantia, & addit tranſcendentia, ergo vera eſt Minor. Sed occaſio errandi multis eſt, quia in reſolutione diſtincta, quærunt reſoluere in vnum analogia ſicut conſueuit reſolui in vnum vniuocatione; ità quod & ſingula reſolubilia reſoluuntur in conceptus ſimplices, obiectiuos, & mentales, & omnia in conceptum obiectiuum, & mentalem ſimplicem, & vnum proportionaliter. Plura (addit Caietanus ad Ferrarienſem,) nunc non mihi occurrunt ad propoſitum dicenda, imò prolixior fui acutiſſimo ingenio tuo, quo ex vnico verbo concepiſſes omnia. Penè vale, & prò me orare digneris. Romæ die 27. Februarij 1509. Ità Caietanus.

Prima obiectio Ferrarienſis cōtrà Caietanum, & ſecunda ad hominē.

Quò ad quartum. Arguit Ferrarienſis contra Caietanum oſtendens ipſi ſuam difficultatem, & primò ſic. In Commentarijs de ente, & eſſentia tu ſuſtines vnum conceptum mentalem repreſentatiuum entis; & in Tractatu de Analogia nominum videris hoc negare: ergo Doctrina tua quò ad rei veritatem non eſt conſtans.

Secundò arguit ad hominem. In præfato libello ſuſtines analogum non abſolui ab his, de quibus analogum dicitur. Et tamèn D. Thom. in quæſt. de veritate qu. 1. art. 1. ait, ens habere conceptum vnum ſimplicem, ad quem omnia prædicamenta, & tranſcendentia addunt, in quem reſoluuntur, qui eſt primò motus. Hæc enim ſibi inuicem aduerſari videntur, quandoquidem ſi ens abſolui non poteſt à naturis rerum, non erit ſimpliciſſimus, nec primo motus, nec in quem vltimo reſolutio fiat, & ad quem omnes addunt.

Reſp. Caietani ad primam obiect. Ferrarienſis.

Reſpond. Caietanus ad primum, nego in primis, quod ego teneam in Tractatu de analogia nominum oppoſitum, ſed dico, quod conceptus iſte vnus numero in mente ſecundum eſſe repreſentatiuum, nec repreſentat vnam ſolam naturam, ſed vltrà vnam, quàm determinatè repreſentat, a qua eſt impreſſus, repreſentat implicitè cæteras ſimiles illi primo repreſentatæ, ſecundum id in quo propor-

tionaliter eis ſimilis eſt, idem enim eſt iudicium de ſimilitudine rerum inter ſe, & conceptus mentalis, & rerum; & addit Caietanus magis infrà. Et de perfecto, ſeù adæquatè explicitè conceptu analogi interpretandum eſt cùm à me, vel ab alio ſcriptum inuenitur, quod non poteſt analogum vnum numero mentalem conceptum habere, ſed vnum analogia tantùm.

Reſp. Caiet. ad 2. obiectionem. Reſpond. Caietanus ad ſecundum, quod prædicta non contrariantur Doctrinæ S. Thom. Ens enim primò notum ordine Generationis eſt ſecundum conceptum imperfectum, ordine autem diſtinctæ cognitionis eſt ſecundum conceptum perfectum. Ens igitur habere conceptum ſimpliciſſi num conſonat dictis. Ità Caietanus loc. cit.

Appendices ad Lectionem ſecundam Metaphyſicalem in Tractatu de conceptu entis.

PRo hac Lectione ſecunda Metaphyſicali Neoterici dicunt, quod conceptui formali, proprio, & adæquato entis vt ſic, vt vni ac diſtincto ab alijs concep ibus formalibus aliarum rerum, & obiectorum, de facto correſpondet in mente Conceptus obiectiuus ſimpliciter vnus, quia conceptus formalis habet totam ſuam rationem, & vnitatem ab obiecto. Sed pace iſtorum Neotericorum, qui pro iſta vnitate conceptus formalis, & obiectiui entis vt ſic citant antiquos Thomiſtas, ſcilicet Capreolum in 1. ſent. diſt. 2. qu. 1. concl. 1. & 9. & Soncinatem, & Iauellum in 4. Met. qu. 1. Sotum in Prædicamentis, quò ad vſque non explicent quænam ſit vnitas iſta, non benè poſſunt citare illos, nec vnquam loquentur in ſenſu formali, vt vnitas vniuocationis diſtinguitur ab vnitate nominis analogi, puta iſtius, quod dico ens, vt faciunt, & loquuntur Caietanus, & Ferrarienſis, quos ſequuntur Thomiſtæ citati, & præter hos, adeſt ex Modernis Thomiſtis Ioannes Martinez tom 1. contr. 6. art. 4. & Zumel 1. p. quæſt. 13. art. 1. quæſt. 2. concluſione 4. Ortiz in Log. Conf. 4. concluſione 3. Et Iauellus loc. cit. manifeſtè dicit, in ſenſu formali loquendo de iſto vno conceptu formali, & obiectiuo quatenùs vnus eſt, quòd non ſit vnus ſimpliciter, & formaliter, ſed quod ſit vnus vnitate analogiæ, & ibi nititur concordare Scotum cum D. Thom. aſſerendo, quod Scotus non diſcordat a via noſtra, niſi in nomine ſed de hoc in ſequentibus. Magiſter Fr. Thomas Minaldus Abellinenſis Ordin. Prædic. in ſua abbreuiata Metaphyſica nouiſſimè edita lib. 1. dub. 7. ſequendo in omnibus ſententiam Caietani, aſſerit, quod audito nomine entis, non eſt neceſſarium quod intellectus plures formet conceptus entitatiuè diſtinctos, vndè concludit, quod conceptus formalis entis eſt materialiter, & entitatiuè vnus, licet formaliter ſit multiplex. Quo fundamento hoc dicat, ſi ſecundum veram mentem D. Thom. & Caietani, dicetur infrà in ſequentibus.

Quæ habet inter Neotericos Paſqualigus de conceptu formali entis in diſp. 33. ſect. 1. non ſunt hic omittenda. Quidquid dicet de Fonſecæ ſent. 4. Metaph. cap. 2. quæſt. 2. ſect. 4. confutando ipſum ex eò quia dicit conceptum formalem entis confuſum eſſe vnum, non autem diſtinctum, remittimus Lectorem ibi ſect. 2. num. 4. hoc quod debemus hic conſiderare eſt, quod poſt recitatam ſententiam in num. 2. ſect. 1. ipſius Caietani, & Ferrarienſis in num. 3. ponit propriam in num. 5. dicendo, quod conceptus formalis entis eſt vnus ſimpliciter, & præciſus à quocumque alio, & citat omnes Scotiſtas; Capreolum, Soncinatem, Flandriam, Sotum inter Thomiſtas, & extrà Suarezium in Metaph. diſp. 2. ſect. 1.

Digitized by Google

ſect. 1. num. 9. & Auerſa. Et dicit eſſe veriſſimam etiàm ſi ens conſideretur vt analogum. Et quando in ſect. 3. num. 3. putat eſſe contrà Caietanum, ſtat pro Caietano, dùm aſſumit rationem, & fundamentum Caietani, quod ſcilicet licet ens includat inferiora implicitè, non vt quoddam aggregatum per accidens, ſed proportionaliter vt participantia illam rationem, interueniendo ibi ratio conuenientiæ, & vnitas analoga, poteſt tamèn concipi adhuc vnico conceptu formali, & ſic ens etiàm ſi ponatur analogum habebit vnicum conceptum formalem ſimpliciſſimum. Et hoc eſt quod dicit Caietanus. Ad quid ergo relegare ipſum à propria ſententia?

LECTIO III.

METAPHYSICALIS

IN TRACTATU DE CONCEPTU ENTIS.

Vtrùm ens, & eſſentia ſignificent immediatè, vel mediatè ipſa Prædicamenta, vel aliorum naturas.

Ex Caietano Cap. p. de ente, & eſſentia, & alibi.

Declaratio tituli, eiuſque ſenſus data à Caietano.

CAIETANVS quærendo ſub illa formalitate Tituli, quærit, & explicat in hac Lectione quod explicant alij ſub alia formalitate, ſcilicet vtrùm cõceptus obiectiuus entis vniuerſaliſſimè ſumpti ſit perfectè vnus, & præciſus ab inferioribus ſaltèm per intellectum ſi non à parte rei; vel ſub hac alia formalitate, vt quærunt alij, ſcilicèt, An ens ſit vniuocum, vel analogum, quia ſi ens mediatè dicat naturas rerum, &c. eſt vniuocum, ſi verò immediatè, & in omnibus inueniatur, eſt analogum: quià, addit Caietanus, ſignificare mediatè in propoſito eſt ſignificare aliquid mediante aliquo ſuperiori, ſicut animal ſignificat ſpecies ſuas mediatè, ſcilicèt mediante natura ſenſibili, non enim animal ſignificat hominem, niſi quia homo eſt ſubſtantia animata ſenſibilis. Significare autèm immediatè eſt ſignificare aliquid non per aliquam naturam, ſeù realitatem ſuperiorem, ſed per ipſam primò ſicut animal ſignificet gradum ſenſitiuum immediatè vt patet. Senſus igitur tituli eſt, An ens ſignificat aliquem gradum, ſeù aliquam realitatem abſtrahibilem à naturis prædicamentalibus communem eis, ſicut ſuperius eſſentiale ſuis inferioribus; vel ſic immediatè ſignificet prædicamenta, ſeù ipſas naturas prædicamentales. Ità Caietanus explicat in hoc ſenſu titulum Lectionis ſuprà; vndè quemadmodum ens prædicatur de Homine, & Boue, & ſimilibus quæ ſunt in generibus, ità eſſentia prædicetur de humanitate, & bouineitate, quæ in generibus reponuntur: quià per nomen eſſentiæ intelligitur natura rei, & eſt aliquod commune

ne naturis rerum, & ſe habet vt quo; per nomen verò entis intelligitur id quod habet naturam illam, & ſe habet vt quod, & ſe habet vt commune omnibus habentibus aliquam naturam. Hic eſt verus ſenſus huius dubitationis valdè difficilis. Ità Caietanus.

Primum notabile Caietani, in quo diffusè ponit proceſſum iſtarum abſtractionum,

Quò ad primum. Notat primò Caietanus loc. cit. contrà Scotum, declarando diffusè quomodo fiant abſtractiones in conceptibus entis. Cùm enim Socrates conueniat cùm Platone in humanitate, & non cum Brunello, ab eis poteſt abſtrahi humanitas communis, & prior eis; & indè ex alia parte cùm homo conueniat cum Brunello in ſenſibilitate, & non cùm Planta ab eis poteſt abſtrahi animalitas communis, & prior eis; & indè cùm animal conueniat cùm planta in vegetabilitate, & non cum lapide, poteſt abſtrahi ab eis vita ipſa quæ eſt communis, & prior eis; indè cum viuum conueniat cum lapide in corporeitate, & non cùm intelligentijs, poteſt abſtrahi ab eis corporeitas communis, & prior eis; indè cum corpus conueniat cùm intelligentijs cum ſubſtantialitate, & non cùm accidentibus, ab eis poteſt abſtrahi ſubſtantialitas communis, & prior eis; indè cùm ſubſtantia conueniat cùm accidente in entitate reali, & non cùm entibus rationalibus, ab eis eſt abſtrahibilis entitas communis, & prior eis, & cùm realitas vltimò abſtrahibilis ſit illa quàm ſignificat ens immediatè, opportet quòd prædicamentales realitates, ſeù naturæ ſub entis ſignificatione mediatè claudantur. Ità Caietanus quæſt. 2. in de ente, & eſſentia cap. 1.

Notabile 2. Caietani in quo explicatur quod ſit conceptus formalis, & obiectalis,

Notat ſecundò pro intelligentia ly conceptus, quòd conceptus eſt duplex formalis, & obiectalis. Primus eſt Idolum quoddam, quòd intellectus poſſibilis format in ſe ipſo, & eſt repreſentatiuum obiectaliter rei intellectæ, quod à Philoſophis vocatur intentio, ſeù conceptus, à Theologis verò verbum. Conceptus autèm obiectalis eſt res per conceptum formalem repreſentata, in illo terminans actum intelligendi, v. g. conceptus formalis Leonis eſt imago illa, quàm intellectus poſſibilis format de quidditate leonina, quandò vult ipſam intelligere; conceptus verò obiectalis eiuſdem, eſt natura ipſa leonina repreſentata, & intellecta. Nec putandum eſt cùm dicitur nomen ſignificare conceptum, quod ſignificet alterum tantùm: ſignificat enim Leonis nomen vtrumque conceptum ſic et diuerſimodè; eſt namque ſignum conceptus formalis vt medij, ſeù quò, & eſt ſignum conceptus obiectalis vt vltimi, ſeù quòd. Vndè eſt idem loqui de conceptu entis, & ſignificatione eius. Ità Caietanus loc. cit. poſt concluſiones.

Notabile 3. Caietani, in quo oſtenditur, quod ly ens eſt aliquid inuentum in omnibus non addendo gradum.

Notat 3. & vltimo Caietanus ibidem, quòd ex quo res ſignificata per hoc nomen ens, eſt aliquid inuentum in omnibus, & non eſt gradus diſtinctus contrà ſpecificos, & genericos, quid ſit, declarandum eſt. Gradus igitur quicumque genericus, vel ſpecificus, vel differentialis, vel indiuidualis, habet in ſe vnum, quod multis modis poſſit concipi, & ſecundum quod quilibet gradus eſt habens eſſe, nomine entis importatur, & ad conceptum obiectalem entis pertinet; pro vt verò talis gradus abſolutè conſideratur, nomine proprio ſignificatur, & conceptus obiectalis illius eſt, v. g. Humanitas ex ſua propria perfectione formali, qua diſtinguitur contrà reliquas vniuerſi perfectiones habet quòd per conceptum formalem humanitatis repreſentetur, & cognoſcatur, & ſignificetur, humanitatis nomine. Humanitas etiàm vt ſic habet, quod ſibi debeatur, ſeù conueniat eſſe quidditatiuum, & actualis exiſtentiæ; & ſic repreſentatur conceptu formali entis tanquàm pars ſui obiectalis conceptus, & entis nomine ſignificatur. Similiter animal hæc duo habet, & ſic de alijs. Vndè conceptus obiectales entis ſunt naturæ genericæ, & ſpecificæ vt habentes eſſe, ſic enim fundant analogam ſimi-

litu-

Digitized by Google

ſimilitudinem, de qua loquimur, & propterea ens, & paſſiones eius, in quolibet gradu præciſè accepto ſaluantur; quilibet enim gradus vt ſic habet in ſe vnde ſit, & indiuiſus ſit, & conformabilis intellectui, & appetitui, &c. quòd à ponentibus ens abſtrahibile à gradibus ſpecificis, & genericis, ſaluari non poteſt, prout in Tractatu noſtro de nominum analogia ſuprà oſtendimus. Ità Caietanus declarat ſuam ſententiam loc. cit.

Opinio Scoti recitata, & declarata à Caietano.

Quò ad 2. Caietanus in quæſt. 2. loc. cit. pag. mihi 300. recitat opinionem Scoti ex 1. ſent. diſt. 3. quæſt. 1. & 3. ſent. diſt. 8. quæſt. 2. vbi opinatur, quòd ens ſignificat decem prædicamenta mediatè. Imaginatur enim, quòd à quibuſcunque ſimilibus ſit abſtrahibilis vna realitas obiectiua vtriuſque communis, & prior vtroque. Et ſic cum ſubſtantia, & accidens habeant ſimilitudinem in ente, ab eis eſt abſtrahibilis vna ratio obiectalis vtriſque communis, & prior ſubſtantia, & accidente, quæ nomine entis ſignificatur. Ità ſentit Scotus, contrà quem ne repetamus, & digrediamur iterùm ad analogiam entis, & comparationem tranſcendentium ad prædicamenta, an ſint eorum prædicata quidditatiua, vel non vna tantùm, vel duplici ratione diſputabimus in hoc loco contrà ipſum. Sufficiat ſcire pro nunc, addit Caietanus, quod opinio S. Thomæ in his duabus propoſitionibus conſiſtit. Prima eſt hæc. Ens ſignificat vnum conceptum formalem communem ſubſtantiæ, & accidenti, Deo, & Creaturæ, ſcilicet in repreſentando. Secunda eſt hæc. Ens ſignificat vt conceptum obiectalem aliquod reale inuentum in omnibus, diſtinctum ſecundum rationem à proprijs conceptionibus omnium generum, nullum gradum exprimens ſuprà naturas genericas, ſpecificas, & indiuiduales. Et ſic opinamur, qualitèr ab omnibus entibus vt ſimilibus abſtrahibilis eſt conceptus entis non modo Scotiſtico; vt etiàm ex his habetur veritas dicti S. Thomæ loc. cit. quod eſſentia ſignificat aliquid commune omnibus naturis omnium generum, & ſpecierum, non enim intendit quod eſſentia ſignificet aliquam naturam communem omnibus naturis, ſed quòd ſignificat omnes naturas, vt aſſimilantur in hoc, ſcilicet quod entia ſunt. Quælibet enim naturæ ſunt; ſi conſideretur, quibus res ſunt, eſſentiæ rationem habent; ſicut quælibet res habent entis rationem, vt ſunt habentes eſſe, ſeù quæ ſunt. Ità Caiet. in fine quæſt. cit.

Opinio S. Thom. expreſſa à Caietano de conceptu entis.

Prima concluſio Caiet. contra Scotum, quod ens non ſit vniuocum.

Quò ad 3. Concluſio prima ponitur à Caietano negatiua ſic contrà Scotum: Realitates prædicamentales, ſeù naturæ clauduntur mediatè ſuo entis ſignificatione, & realitas vltimò abſtrahibilis eſt illa, quàm ſignificat ens immediatè, quòd eſt idem, ac negare conceptum vniuocum præciſum in ente, ſcilicet quod non prædicatur de ſuis inferioribus per aliquam realitatem communem, vt quid ſuperius, & commune vniuocè omnibus, &c.

Prima probatio per auctoritatem Ariſtotelis.

Caietanus in hoc loco ait, non arguo ratione, quia opporteret egredi limites, ſed tantùm auctoritate. Et primò ex Ariſt. 8. Met. tex. Comm. 15. ſoluens quæſtionem, quare quidditas ſit vna, dicit, quòd in ſubſtantijs ſeparatis non eſt quærenda alia cauſa, quia in eis non eſt niſi forma, quæ ſtatim ſe ipſa eſt ens, & vna: quemadmodum ens ſtatim ſe ipſo eſt ſubſtantia, & quantitas, & cætera prædicamenta, non expectans aliud faciens ipſum naturas prædicamentales. Ex qua auctoritate arguitur ſic. Ens ſignificat quamdam realitatem priorem Prædicamentis: ergò expectat aliquid contrahens ipſum ad Prædicamenta, ſed conſequens eſt contrà Ariſtotelem: ergò à deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis ens non ſignificat realitatem priorem Prædicamentis. Ità Caietanus.

Se-

Digitized by Google

Secunda probatio per auctoritatē Ariſtotelis.

Secundò probatur alia auctoritate deſumpta ex 10. Met. Comm. 18. vbi dicitur, quòd hoc nomen ens, vnum, &c. ſignificat id quòd ſignificat in prædicamento ſubſtantiæ, & quantitatis, & qualitatis prima ſignificatione ſine medio, & non mediante aliquo communi. Quid clariùs in Ariſtotele? Ità Caietanus loc. cit.

Secunda Concl. Caietani quod ens ſignificat vnū conceptum formalem, & quomodo communis ſubſtantiæ, & accidenti cum ſua probatione.

Secunda Concluſio. Ens ſignificat vnum conceptum formalem in repreſentando communem ſubſtantiæ, & accidenti, Deo, & Creaturæ.

Probat Caietanus hanc ſuam Concluſionem ſub tali forma. Omnia ſimilia quæcumque ſimilitudine etiàm analoga, ſeu imitatiua ſecundum id in quo aſſimilantur poſſunt per eamdem imaginem repreſentari: ſed Deus, & Creaturæ, Subſtantia, & Accidens habent ſimilitudinem intèr ſe ſaltèm analogam: ergò ſecundum id in quo aſſimilantur poſſunt per eamdem ſimilitudinem repreſentari; ſed aſſimilantur in eſſe: ergò eadem ſimilitudine poterunt repreſentari in quantùm habent eſſe: ſed ſimilitudo illa eſt formalis conceptus entis, ergo &c. Proceſſus clarus eſt, & propoſitiones ab omnibus ſunt conceſſæ. Maior dilucidatur, quàm ſic ex notioribus ſuademus. Vbicumque inuenitur agens producere ſui ſimilitudinem in alio, ſi id aliud producat aliud ſimile ſibi ſecundum id quo ipſum aſſimilatur primo, oportet tertium aſſimilari vtrique ea ratione, quia quidquid eſt ſimile alicui, in eò quòd illud eſt alteri ſimile, eſt ſimile vtrique; ſicut ſpecies Socratis in oculo meo producta ab imagine Socratis in ſpeculo, eſt ſimilitudo repreſentatiua vtriuſque, & figuræ Socratis in ſpeculo, à qua immediatè eſt cauſata, & figuræ Socratis in ſe ipſo, à qua eſt immediatè cauſata: ſed ità eſt modo, vt intèr habentia analogam ſimilitudinem, ſcilicet Deum, & Creaturam, ſubſtantiam, & accidens reperiatur huiuſmodi habitudo in ordine ad conceptum formalem ergò &c.

Inductiuè prob. à Caietano Maior rationis probatiuæ

Fit autèm hoc exemplariter manifeſtum ſic. Sapientia Diuina producit ſapientiam humanam, quæ eſt quædam ſimilitudo ſui imperfecta tamèn, ſapientia autèm humana producit ſimilitudinem ſui in intellectu noſtro, quæ nil aliud eſt, quam ſapientia in eſſe intentionali, ſicuti ſapientia extrà, eſt ſapientia in eſſe naturali. Cùm autem ſimilitudo iſta ſapientiæ in intellectu repreſentet ſapientiam humanam ſecundum id, in quo illa aſſimilatur ſapientiæ Diuinæ, quia repreſentat eam ſecundum propriam rationem formalem, ſequitur de neceſſitate, quòd hæc vnica ſimilitudo repreſentet vtramque, ſcilicet humanam, & Diuinam, vtpote ſimilis vtrique, licet ab humana ſit immediatè exemplata, à Diuina verò mediatè. Ex hoc exemplo in terminis inuere ſpecialibus propoſitum noſtrum in terminis tranſcendentalibus puta in ente; cùm enim eſſe Creaturæ aſſimiletur eſſe Diuino, à quo exemplatum eſt, & eſſe accidentale aſſimiletur eſſe ſubſtantiali, à quo emanat, ſimilitudo producta in intellectu ab eſſe ſubſtantiali, ſiuè accidentali in quantùm aſſimilantur, erit omnium repreſentatiua imago, & cum conceptus non requiratur ad intellectionem, niſi vt obiectaliter repreſentet rem, vnico conceptu intellectus in Deum, & Creaturam feretur, & ſimiliter in ſubſtantiam, & accidens: nec oportet ponere plures conceptus, & multiplicare entia ſine neceſſitate. Quòd autem hæc dicta ſint non ſolum ſecundum mentem

Ratio iſta probatiua concluſionis eſt iuxta viam D. Thom.

S. Thom. ſed etiam ſecundum expreſſam ſententiam patet in quæſtione de potentia Dei quæſt. 7. art. 5. in corp. vnde hanc rationem accepit, & in eadem quæſt. art. 6. vbi circa finem corporis quæſtionis adducit exemplum de ſpeculo, & dicit expreſsè, quòd ſic ſe habet conceptus noſter ad Deum, & Creaturas, ſicut ſpecies rei viſæ in ſpeculo, ità quod Deus ſe habet vt res producens ſimilitudinem

ſuam

ſuām in ſpeculo, creatura vt ſpecies in ſpeculo, conceptus noſter vt ſimilitudo extractā à ſpecie in ſpeculo vtriuſq; repreſentatiua; vndè nullus mentis compos poteſt hoc negare in eius via. Ità Caiet. in medio quæſt. cit.

3. Concl. Caiet. cum ſua prob. quod ens ſecundum ſuū conceptum obiectalē eſt aliquod reale inuentum in omnibus,

Tertia Concluſio ponitur à Caiet. ſic; ens ſignificat vt conceptum obiectalem aliquod reale inuentum in omnibus. Probatur à Caiet. hæc Concluſio ſic. Conceptus obiectalis entis eſt id quod repreſentatur per eius conceptum formalem; ſed eius conceptus formalis repreſentat id, in quo aſſimilantur omnia entia realia, quod opportet in eis quod ſit eſſe: ergo conceptus obiectalis entis eſt aliquid reale inuentum in omnibus. Secunda propoſitio aſſumpta licet ex dictis patere poſſit, declaratur tamèn adhuc, ſicut conceptus formalis Animalis repreſentat fundamentum ſimilitudinis genericæ, & conceptus formalis hominis repreſentat fundamentum ſimilitudinis ſpecificæ, & vniuerſaliter quælibet Imago communis pluribus in repreſentando repreſentat fundamentum ſimilitudinis intèr illa plura, vt patet in exemplo ſupra poſito de ſpecie in oculo communicata à ſpecie Socratis in ſpeculo: quoniam illa repreſentat non ſimilitudinem intèr ſpeciem in ſpeculo, & Socratis cum ſit relatio, ſed fundamentum illius ſimilitudinis puta qualitates, & lineamenta, quæ ſunt in vtroque. Sic conceptus formalis repreſentat fundamentum Analogicæ ſimilitudinis in eſſe inter omnia entia realia exiſtentia, & in omnibus eſſe abſq; opere intellectus ex eo patet inde quod ſimilia ſunt extrà Animam; cum autem hoc fundamentum repreſentatum ſit conceptus obiectalis entis, vt dictum eſt, patet conceptum obiectalem entis eſſe aliquid reale inuentum in omnibus, quod eſt poſitum in Concluſione. Ità Caiet. in probatione primæ partis Concluſionis.

Iſtud reale inuentum in omnibus diſtinguitur ratione à proprijs conceptionibus obiectalibus omnium generum.

Iſtud tamèn reale inuentum in omnibus eſt diſtinctum ſecundum rationem à proprijs conceptionibus obiectalibus omnium generum: quia ſi conceptus obiectalis entis inuenitur in omnibus, & nullus conceptus obiectalis proprius ſubſtantiæ, aut accidentis inuenitur in omnibus, ſequitur maniſeſtè, quod non ſunt idem omninò, & quod ſaltèm ratione diſtinguatur conceptus entis à proprijs omnium conceptibus obiectalibus. Ità Caiet. Concluſione 4.

4. Concl. Caiet. cum ſua prob. quod conceptus obiectalis entis non addit gradum,

Quarta Concluſio ponitur ſic à Caietano ibidem. Ens vt ſignificat conceptum illum obiectalem, pro vt ſuprà, nullum gradum exprimit ſuprà naturas genericas, ſpecificas, & indiuiduales. Probatur à Caietano ſic ſub tali forma. Si conceptus obiectalis entis eſſet aliquis gradus, ſupra gradus genericos, & ſpecificos, tunc conſideratis præcisè gradibus ſpecificis, & genericis cùm eorum præcisè paſſionibus, non eſſet in eis vt ſic inuenire paſſiones entis: ſed hoc eſt falſum; ergo à deſtructione conſequentis &c. Conſequentia declaratur: quia enim Animal dicit alium gradum ab homine, ideò homini ſecundum differentialem conceptum præcisè non inſunt paſſiones Animalis, vt oſtendit falſitas iſtius reduplicatiuæ, Homo inquantùm rationalis eſt bipes, circumloquendo per ly bipes paſſionem Animali propriam; & ſimiliter ſi ly ens dicit alium gradum à ſubſtantia, ſequitur, quod conſiderata præcisè ratione conſtitutiua ſubſtantiæ, ſubſtantia non eſt vna, nec vera, nec bona &c. quæ nominant paſſiones entis &c.

Falſitas conſequentis probatur ſic. Homo in quantùm rationalis præcisè eſt vnum quid vnitate, quæ eſt paſſio entis, homo inquantùm rationalis dicit alium gradum ab ente ſecundum ſe: ergo paſſio entis conuenit alijs gradibus ab ente præcisè vt ſic acceptis, quod eſt oppoſitum conſequentis. Prima propoſitio aſſumpta habetur ex Scoto in 2. ſent. d. 3. q. 1. tenente vnitatem mediam minorem vnitate numerali, & maiorem generica eſſe paſſionem entis, & ſequi naturam ſpecificam ratione vltimæ differentiæ, Manifeſta quoq; fit pro nunc eadem propoſitio. Ho-

mo in quantùm rationalis eſt indiuiſibilis formaliter, ſuppoſito quod rationale ſit vltima differentia: ergo homo in quantùm rationalis eſt vnus formaliter: vnitas enim nihil aliud eſt quàm indiuiſio: ſed de hoc cum vnitate naturæ agetur amplior erit ſermo; nunc autèm ſufficiat, quod in gradibus ſpecificis præcisè acceptis, & ſimiliter genericis eſt inuenire paſſiones entis, quod erat probandum, & conſequentèr quod ens non ſignificat diſtinctum gradum à naturis ſpecificis, & genericis, quod eſt noſtra Concluſio. Quid autem ſit res ſignificata per hoc nomen ens inuentum in omnibus, cùm non ſit gradus diſtinctus contrà ſpecificos, & genericos, iàm declaratum eſt ſuprà in notabilibus allatis. Ità Caiet. in tota quæſt. cit.

1. Arg. Caiet. contrà 3. Concl.

Quo ad 4. Caiet. arg. cont. præd. Si ens eſt quid reale inuentum in omnibus ſequitur quod continet inferiora: ergo vel continet copulatiuè, vel diſiunctiuè, vel vt gradus communis ab eis præciſus, non primum quia hæc propoſitio ſubſtantia eſt ens, eſſet falſa, ſiquidem hunc ſenſum faciet ſubſtantia eſt ſubſtantia, & accidens; non ſecundum vt volunt aliqui Thomiſtæ, quia tunc in conceptu entis explicitè repreſentaretur hoc totum diſtinctè ſubſtantia, vel accidens, quod eſt experientia falſum, dum enim concipimus ens, experimur nos explicitè concipere ſolùm rationem eſſendi extrà nihil; remanet ergo tertium concedendum, ſcilicet vt gradus communis ab eis præciſus: ergo ens dicit conceptum perfectè præciſum ab inferiobus.

Reſp. Caiet. ad 1. Arg.

Reſp. Caiet. negando ſequelam, non enim eſt ſufficiens diuiſio in antecedenti, & conſequenti poſita: quia datur alius modus continentiæ explicatus à nobis ſuprà, nimirùm in ſimilitudine proportionali, atq; adeò cùm dico ſubſtantia eſt ens, prædicatum non appellat propriam, & explicitam rationem ſubſtantiæ, & propriam rationem accidentis copulatiuè, aut diſiunctiuè, neq; appellat tertium conceptum ab ipſis præciſum, ſed dicit rationem ſubſtantiæ vt ſimilem proportionaliter accidenti in eſſe, vel è conuerſò. Et ratio huius eſt, vt toties diximus, quod prædicatio Analogi non eſt prædicatio vnius rationis, ſed plurium, vt proportionaliter ſimilium, qua proptér cum dico ſubſtantia eſt ens, idem eſt ac ſi dicerem, ſubſtantia ità ſe habet ad ſuum eſſe, ſicut ſe habet accidens ad ſuum eſſe. Ità Caiet. vniformitèr docet vbique in ſuis opuſculis &c.

2. Arg. Caiet. contrà 3. Concl.

Arguit 2. Caiet. Quæ ſunt inuicem ſeparabilia, ſiuè in eodem, ſiuè in diuerſis debent eſſe perfectè diſtincta ſaltèm per intellectum: ſed ſic ſunt ens, & ſua inferiora: ergo ens non eſt quid reale inuentum in omnibus. Probatur Minor, quia ens reperitur in accidente, vbi non reperitur ſubſtantia, & viceuerſa in ſubſtantia, vbi non reperitur accidens.

Reſp. Caiet. ad 2. Arg.

Reſp. Caiet. quod verificatur maior, quandò ſunt inuicem ſeparabilia adæquatè, non autem inadæquatè. Modò ratio illa entis, quæ eſt in ſubſtantia non eſt adæquata, ſed inadæquata ſolùm entis ratio, & ideò nihil prohibet, quod hæc diſtinguatur ab accidente, & præſcindatur ab eo; implicat verò quòd ratio entis adæquata præſcindatur ab inferioribus, quia ſicut ratio entis inadæquata, puta ea, quæ eſt in ſubſtantia non præſcinditur à ſubſtantia, ità adæquata entis ratio, quæ eſt in ſubſtantia, & accidente, & in differentijs, etiàm vltimis non præſcinditur ab eis. Ità Caiet.

Inſtantia Caiet. contrà Reſp. ad 2. Arg. cũ ſua Reſp.

Inſtat Caiet. ergo concipiendo ens in communi, concipio etiàm omnia Analogata, quod experientia videtur falſum.

Reſp. Caiet. ad Inſtantiam quod concipiendo ens in communi, non concipio omnia Analogata explicitè, & ſecundum proprias differentias, ſed implicitè, & confusè, quatenus conueniunt in vnitate proportionali entis. Qualis autèm ſit con-

conceptus iſte confuſus entis in communi, & quomodo ingrediatur illa vnitas proportionalis in illo conceptu confuſo explicabimus, per ſequentem Lectionem. Itá Caiet. loc. cit.

Appendices ad Lectionem 3. Metaphyſicalem in Tractatu de Conceptu Entis.

MAgiſter Ripa Venetus noſter Caietaniſta in q. p. ad cap. 2. de ente, & eſſentia pag. mihi 220. & 221. inſinuat quod Ferrarienſis in p. c. g. cap. 32. & Iauellus in 4. Met. q. p. nimis faciliter dicunt, non eſſe differentiam intèr Scotum, & D. Th. ſed differre in ſolo nomine: Declarant enim Scotum, quid intendat per illum conceptum vniuocum, in hoc, quod conceptus ille eſt ita vnus, vt eius vnitas ſufficiat ad contradictionem affirmando, & negando per ipſum de eodem, & quod ſufficit etiàm pro medio ſyllogiſtico, vt extrema vnita in medio ſic vno ſinè fallacia æquiuocationis concludantur vt vnum intèr ſe: ſed hoc etiam facit, ſubſumit Iauellus Analogum illo quidem modo Analogiæ in quo ponimus ens ergo non diſcordat in re Scotus a D. Th. ſed in ſolo nomine, quia quod Scotus dicit Vniuŏcum S. Th. dicit Analogum: ſed pace tantorum virorum dicendum eſt cum alijs Thomiſtis iſtam concordiam parare laqueum Thomiſtis, vt incidant in illum lapſum, quem vitare ſuadet Caietanus, ne ab Analogia digrediamur in Vniuocationem; & per hanc concordiam poſſumus dicere, quod qui ſentiunt cum D. Th. Caiet. & Capreolo ens dicere vnum conceptum Analogum, non diſſentire, vel idem in re ſentire cum alijs, & Scotiſtis, & nominalibus, & Neotericis, qui perfectam præciſionem cum tranſcendentia entis componunt, & volunt quod conceptus entis ſit perfectè præciſus ab inferioribus. Et tamèn D. Th. Caiet. &c. & ex exteris Vaſquezius, Rubius, Suarez in Met. diſp. 28. ſect. 2. Conimbricenſes &c. vno ore clamant conceptum entis non eſſe perfectè præciſum ab inferioribus, ſed eſſe vnum vnitate Analogica proportionali, & quod ens eſt quid reale inuentum in omnibus, & loquendo tàm de conceptu formali, quàm obiectali; ſi enim repreſentatur in conceptu formali vt quid inuentum in omnibus rebus, quatenus conueniunt in hoc ſolum ſcillcer quo ad rationem entis, in quantùm ſunt ſimilia; quomodo perfectè præciſus ab inferioribus.

Intèr Neotericos Paſqualigus in ſua Met. diſp. 34. ſect. 2. haud fidelitèr recitat ſententiam Caietani cui tribuit ens non importare vnum conceptum obiectalem communem pluribus nec aliquam rationem communem pluribus, ſed importare inferiora ipſa in confuſo pro vt faciunt quoddam aggregatum; & præfert ſententiam ſuam, vtpotè D. Th. in p. p. q. 5. a. 3. ad primum, quod ſcilicet conceptus entis ſit obiectiuè vnus, atq; communis, non determinando modo qua vnitate ſit vnus an perfecta, & Vniuoca, an verò imperfecta. Vide quæſo, amantiſſime Lector, quomodò Neoterici iſti repreſentant Caietanum loquentem ad arbitrium eorum, quaſi quod interpretando D. Th. non declarauerit Caiet. in præſenti Lectione, quænam vnitas tribuenda ſit ex D. Th. ipſi conceptui obiectali entis, de quo in præſenti, vndè potiùs ſtandum ſit Interpretationi eorum de mente D. Thomæ; legas ipſum in ſect. 1. & 2. diſp. 34. cit.

In diſp. verò 3ε. ſect. 1. & 2. manifeſtum eſt, quod Neoterici pro quibus loquitur Paſqualigus, non legerint Caietanum, ex cuius dictis ſatis apparet euidenter, quod cum ens ſecundum Caietanum, ſit vt quid reale inuentum in omnibus non poteſt de ipſo dici, quod ſit perfectè, & adæquatè præciſus ab inferioribus, vt di-

cit Paſqualigus in exponenda propria, & Neotericorum ſententia quod ſcilicet conceptus obiectiuus entis communiſſimè ſumpti, quantùm eſt ex parte ſui præſcindat ab inferioribus; & ratio potiſſima quam adducit, eſt ipſum Argumentum Caietani cui reſpondet, defendendo illam vnitatem proportionalem propriam ipſius entis Analogi, in 4. loco præſentis Lectionis. Legas ipſum Paſqualigum in tota ſect. 3. & ſect. 4. & in ſect. 5. ponit aliam Concluſionem dicendo quod inferiora non præſcindunt omninò, & adæquatè ab ente, ſed tantùm inadæquatè, vndè iſta præciſio eſt tantum adæquata ex parte vnius extremi, non verò ex parte vtriuſq; en quomodo in vna Concluſione intendunt loqui contrà Interpretem Caietanum fideliſſimum, & in alia loquuntur cum ipſo confundendo ingenia Diſcipulorum: ſed tu Thomiſta Diſcipulus, eſto cautus, & fige pedem in fundamento Doctrinæ D. Th. eiuſque Interpretis. Et legas ipſum Paſqualigum in diſp. 36. ſect. 2. vbi cum D. Th. Caietano, Ferrarienſi, Capreolò, Flandria, Soncinate, Suarezio loquitur vniformitèr reijciendo ſententiam Scotiſtarum, defendendo, quod ens nullo modo diſtinguitur à parte rei ab inferioribus, & quod ſententia Scotiſtarum, eſt impoſſibilis. D. Th. p. c. g. c. 26. ratione 4. & Ferr. c. 34. & Caietanus citatur in de ente, & eſſentia c. 1. q. 2. Et poſtea in ſect. 3. vt habeat aliquid contrà Caietanum, & ſtet ex aliqua parte pro Scoto defendit quod opinio Scoti non eſt adeò improbabilis, quemadmodum iſti exiſtimare videntur, ſi cum debita intelligentia accipiatur, ait Paſqualigus, fatendo nihilominus in ſectione 4. reſpondendo obiectionibus Scoti, & Scotiſtarum, quod ideò ipſis Reſpondet, quia oppoſita ſententia Thomiſtarum cit. euidentiorem probabilitatem, imò certitudinem habet, propter quam conatur illam ſequi ſic coactus &c. In diſp. verò 37. reiecta ſententia Soncinatis de contractione entis ad inferiora, quod non contrahitur immediatè, ſed mediatè, ideſt per diuerſos modos eſſendi; & reiecta illa Suarezij, quod contrahitur per modum cuiuſdam expreſſionis conceptus, quo concipiatur aliquod ens contentum ſub ente, quia conceptus formalis eſt confuſus, & indeterminatus; & relicta illa Scotiſtarum de contractione ex natura rei, ſtatuit propriam, quod contrahitur per compoſitionem ex ratione indeterminata entis, & coarctatiuo ipſius. Legas ipſum.

LE-

LECTIO IV. METAPHYSICALIS IN TRACTATV DE CONCEPTV ENTIS.

In quo conſiſtat iſta Conceptus entis confuſio, ita vt dicatur ens analogum Deo, & Creaturis, ſubſtantiæ, & accidenti.

Ex Caiet. in opuſculo de Analogia, & in de ente, & eſſentia.

Declaratio Tituli eiuſque ſenſus facta à Caiet.

DEclarat Caietanus Titulum, quod cum proportio quam importat ens, non dicat proportionem ſubſtantiæ, vel accidentis, quia ſubſtantia dicit proportionem ad eſſe in ſe, accidens ad eſſe in alio, & neutrum importet ens, ſed ſolum proportionem in communi, hoc eſt ſe habere ad eſſe abſolutè non hoc vel illo modo; & cum concipiantur omnes iſtæ proportiones vt dictum eſt in præcedenti Lect. in Reſp. ad vltimum non explicitè ſecundum proprias differentias, ſed implicitè, & confusè, ideo hic ſumitur motiuum ad explicandum quomodo Analogum importet non confuſionem conceptuum in vno communi, & tertio conceptu, quia hoc nunquàm ſomniauimus, ſed importet quamdam conceptuum confuſionem, in qua non vnum abſq; alio, neque ratio vnius abſq; alia eiuſdem ratione omninò concipitur, ſed vnius, & eiuſdem ratio abſq; alia ratione partim accipitur, & vndè conſiſtat propriè iſta confuſio, quando concipio ens vt Analogum commune Deo, & Creaturis, ſubſtantiæ, & accidenti; rem fateor, addit Caietanus, eſſe valdè difficilem, & ſubtilem.

Primum notab. Caiet. in quo declarat modus abſtractionis in quo imbibitur illa permixtio rationum, & conceptuum Analogatorum.

Quo ad primum ex ſuo opuſculo de Analogia nominum Caietanus applicat conceptui confuſo entis pro vt Analogum eſt, quod ſcilicet ens in ſe includit, & identitatem ſubſtantiæ, & accidentis, & etiàm rationes eorumdem diuerſas, hoc eſt amplectitur ſubſtantiam, & accidens, & penès ea quibus fundant Analogiam, & penès ea quibus differunt: quoniam illæ met res, vt fundant Analogiam, ſe ipſas quoq; vt diuerſificantur includunt; tùnc ſi comparetur ens vt includit identitatem proportionalem ſubſtantiæ, & accidentis cùm ſe ipſo vt eorumdem diuerſitatem colligit, videbimus in ipſo quemdam abſtractionis modum, ob quem non tantùm abſtrahit à ſubſtantia, & accidente, quæ eius ſunt analogata, ſed etiàm à rationibus eius, ſcilicet rationis entis in ſubſtantia, & rationis entis in accidente, hoc modo, ſcilicet, quod quia rationes illas analogicè connectit, hoc eſt quo ad proportionem, ipſas offert conſiderandas vt ſcilicet ſunt coniunctæ, & vnitæ, & eædem proportionaliter; & eſto ad inuicem quoque ſint ſimpliciter diuerſæ, & hanc quoq; diuerſitatem, vt diximus, includat, adeò tamèn proportionaliter vnit, vt non manifeſtando illam diuerſitatem, ſed eam quaſi remouendo non quo ad eſſe, ſed quo ad repreſentatiuum, illas rationes vt ſimiles ſubijciat intellectui, quaſi confunden-

do

do illam rationum diuerſitatem, hoc eſt offerendo vnam: tanquam alteri quoquẽ conuenientem, quoniam ens, vt diximus, præcipuè repreſentat in eo quod ſimiles, quomodo patet quod vna ſit quoque omnium aliarum proportionaliter, & in hoc ſtat hæc aliqualis confuſio, ſeù permixtio rationum non in eo quod (iterùm dicimus) quaſi Analogum importet, vel ponat quamdam rationem communem rationibus particularibus, vel quaſi rationes illas penitus vniat, (hoc ſemper refutauimus) ſed dicimus quod ens vt Analogum vtrumq; claudit in ſe, & identitatem, & diuerſitatem ſuorum Analogatorum: conſideratum enim ſecundum identitatem quam claudit, ſi comparetur ſibi ipſi, vt diuerſitatem quoque rationum in ſe complectitur, dicimus quod admittit abſtractionem quamdam, ſeù potius quendam abſtractionis modum, ratione cuius nedum ab Analogatis, ſed ab ipſis etiàm rationibus, vel diuerſitate rationum abſtrahere dicitur. Ità Caiet. loc. cit.

Scundũ notab. Caiet. in quo magis explicatur illa identitas proportionalis duplici via.

Notat 2. Caietanus pro maiori explicatione iſtius identitatis proportionalis repreſentatæ in conceptu confuſo entis, duplicem modum loquendi, vnum pro viris ingenioſis acutiſſimis, alterum pro iunioribus faciliorem. In ente igitur Analogo non tantum puram confuſionem ſignificationum in voce reperiri, ſed & quamdam confuſionem conceptuum, quæ fit, in eo in quo proportionaliter conceptus illi conueniunt, ità tamèn vt non tàm conceptus, quàm eorum diuerſitas confundatur, hoc eſt non confunduntur ipſi conceptus Analogatorum proprij hi enim remanent, ſed fit confuſio in diuerſitate ipſorum conceptuum, hoc modo, quod non inſpiciuntur conceptus illi penès id in quo ad inuicem diſſident, ſed iuxtà ea in quibus communicant proportionali identitate, & ſi cernantur conceptus illi ſecundùm ea, in quibus non conueniunt, magis tamèn obijciuntur intellectui, iuxta ea, in quibus ſunt vniti, ideò non propriè confunduntur conceptus, ſed ipſorum diuerſitas ea eſt, quæ permiſcetur, quæ occultatur, quoniam magis elucet id, in quo ſunt annexi, & ipſorum identitas, quàm eorum diuerſitas. Et quoniam Analogi præcipua ſignificatio eſt talis identitas, (in hoc enim ſtat Analogia formaliter, licet ex conſequenti plura oporteat eſſe, & ea non penitus eadem, quæ Analogiam conſtituunt) ideò ſæpè talem quoque Confuſionem exprimimus, dùm dicimus Analogum abſtrahere ab omni rationum diuerſitate, affirmantes, quod confusè pro omnibus ſupponit; & hoc ideò addidimus, ſumma animi attentione opus eſſe, ne Analogum fieri contingat vniuocum, hoc eſt ne ipſi, ab Analogia digredientes, Vniuocationem tribuamus. Hinc tutior eſt modus ſecundus loquendi circà Analogum pro ijs, qui non tanto pollent ingenio, ſi non aliquid vnum exprimeretur, ſed res ipſæ ſimul quæ analogatæ ſunt v. g. dicendo ſubſtantia, & accidens Analogum ſunt, quin dicatur quod ſit ens, nàm illa vnica voce poteſt videri, quod importatur vnitas, & rei, & conceptus, de quibus tamen nihil dubitat Vir Doctus, qui naturam Analogi probe tenet, nunquàm extrema penitus vnita ponentis, ſed ea diuiſa ſimpliciter relinquentis, & proportionaliter dumtaxat coniungentis. Ità Caiet.

Caiet. oſtendit euidẽter ex Textu Scoti quod in re diſcordat à D. Th. quia Scotus verè vult, quod ens ſit vniuocum, & D. Th dicit quod eſt Analogum.

Quoad ſecundum Caietanus apertiſſimè affirmat, quod ex iſto importare quamdam conceptuum confuſionem in p. & 2. notabili ſupra explicata non poteſt non niſi inferri vera Analogia in ente, ſi debemus loqui, vt decet Metaphyſicos in ſenſu formali, iuxtà quem Latini antiquiores, & Græci loquendo dicunt penitùs eſſe excludendam ab Analogia entis ipſam formalem vniuocationem; quia permiſcere ibi vniuocationem, eſt ab vti valdè vocibus, quia ſi intentio Scoti, addit Caietanus, in ſuo modo loquendi in p. ſent. diſt. 3. q. 2. ſit loqui de abſtractione, & præciſione ſecundum quid, & de vnitate quoq; conceptus formalis ſecundum quid (hæc enim mutuo ſe conſequuntur) non oportebit dicere, quod ens ſit verè vniuocum,

ſed

ſed ſecundum quid, quod eſt eſſe Analogum ; & quis non videt quod ea quæ verè Analogo conueniunt, tribuuntur vniuoco ? & quis non videt, quod eſt nomina permutare, quæ tamèn in acceptione propria ſibi erant in promptu ? ſed ſenſus Scoti in iſtis verbis loc. cit. quæ recitat Caiet. (ſcilicet vniuocum dico, cuius vnitas ſufficit ad contradictionem affirmando, & negando ipſum de eodem, ſufficit etiàm pro medio, ſyllogiſtico, vt extrema vnita in medio ſic vno, ſinè fallacia æquiuocationis concludantur intèr ſe vnum (& ſtatim ſubdit) & vniucationem ſic intellectam probo tripliciter in ente.) Senſus igitur Scoti eſt, quod ens ſit verè, & propriè vniuocum, ità vt ab illo remoueat Analogiam, & vult conceptum obiectiuum entis poſſe abſtrahi à membris diuidentibus. Modò ſtantibus his quis non videt, quod Scotus infert veram vniuocationem in ente, cum prædicta requirantur ad omnimodam abſtractionem, & præciſionem, & ad totalem quoque vnitatem conceptus formalis in repreſentando. Si ſic eſt quomodo poteſt concordari Scotus, ſi non in nomine, cum D. Th. in re?

Sent. Ariſt. quæ eſt D. Th. declaratur à Caiet.

Opinio igitur S. Th. ait Caiet. vera & germana de ente, eſt illa propria quam tradit Ariſt. & millies in mille locis repetit, quod ens eſt Analogum, & vnitas conceptus formalis, & obiectalis ipſius entis, & ſecundum quid, & non omnimodè vna, & per conſequens Analoga, quam ſequuntur cùm Auuerroi omnes Græci, & cùm D. Th. omnes nobiliores Latini. B. Albertus Magnus, Alenſis, Ægidius Romanus, quem vbiq; refert Caietanus, Capreolus, Ferrarienſis p. c. g. c. 32. & 33. & Sotus addit in Antepræd icamentis q. 1. quod iſta ſententia de Analogia entis eſt ità expreſſa ab Ariſt. vt ad verba Ariſt. S Thomas nec vnum addat de proprijs.

Opinio S. Th. de ente pro vt eſt commune Deo, & Creaturis quod ſit Analogum declaratur à Caiet.

Et quod dico, addit Caietanus, de ente comparato ad ſubſtantiam, & accidens, dico etiàm de eodem comparato ad Deum, & Creaturas, & Reſp. deſumitur ex S. Th. p. p. q. 13. a. 5. & quandò S. Th. pluries dicit ens prius non eſſe primo Analogato nihilq; Deo prius eſſe ſecundum intellectum vtitur Analogo ex parte diuerſitatis rationum. Quælibet ſi quidem eius ratio ſecundum ſe, cùm proprium Analogatum in ſe claudat, & in ſui abſtractione ſecum illud trahat, conuertitur cum illo, vt alibi diximus, & ideò prior ſecundum conſequentiam, aut abſtractior ſuo Analogato negatur, ac per hoc primo Analogato, & Deo nil eſt prius, quia eius ratio ſecundum Analogi nomen, quæ ipſo prior ſecundum ſe non eſt, ſed conuertitur. Cæterum ratio illa in Deo, vt eadem eſt proportionaliter alteri rationi ſecundum idem nomen, eſt ſuperior, & ſecundum conſequentiam prior, Logicè loquendo, vt diximus in Lectionibus p. tract. Logicè dico, quia Phyſicè loquendo Analogum nec eſt prius ſecundum conſequentiam omnibus Analogis quia ab eorum proprijs abſtrahere non poteſt, quamuis vt ſaluetur in vno ſit priùs altero, nec poteſt eſſe ſine primo Analogato, vbi Analogata conſequentèr ſe habent. Vndè ſi quis falli non vult, aduertit Caietanus, ſolertè ſermonis cauſam coniectet, & extremorum conditiones medio applicaturum ſe recolat; ſic enim facilè erit omnia ſana exponere, & veritatem aſſequi, quæ eſt à prima veritate, cuius cognitio ex hoc exaltetur, & firmetur opuſculo hoc meo completo in Conuentu S. Apollinaris Papiæ ſuburbio die prima Nouembris 1498.

1. Concl. Caiet. cum ſua probatione, ſcilicet quod ex illa confuſione conceptuum, infertur vera Analo-

Quo ad 3. Caiet. ponit hanc primam Concluſionem ex D. Th. p. p. q. 13. a. 5. ex illa Confuſione conceptuum in ente explicata, quæ repreſentatur in conceptu formali, & eſt in conceptu obiectiuo, benè infertur Analogia entis ad Deum, & Creaturas.

Probatur à Caiet. ex D. Thomæ ratione vnica ſic ab ipſo formalizata. Omnia nomina dicta de Deo, & Creaturis dicuntur Analogicè; ergo ens quod dicitur de

Deo,

Digitized by Google

gia in ente pro vt eſt commune Deo, & creaturis.

Deo,& Creaturis erit Analogum. Probatur conſequentia Creatura in ratione entis non adæquat virtutem Dei; ergo ens non Vniuocè, ſed Analogicè dicitur de Deo, & Creatura. Antecedens eſt clarum: quoniam Deus ex ſe, & ſua quidditate habet ipſum eſſe, imò eſt ipſum eſſe, Creatura autem non ex ſe, ſed à Deo, & eatenus habet eſſe, quatenus illud recipit à Deo &c. Conſequentia deducitur quoniam dum effectus non adæquat virtutem cauſæ, tunc nomen commune cauſæ, & effectui non Vniuocè, ſed Analogicè dicitur de vtroque. In eo enim ſita eſt vera Vniuocatio, & ſecundum eandem omninò rationem nomen de aliquibus dicitur. Et ſic optimè intelligimus, addit Caietanus, quod quando ratio conuenit effectui limitatè, cauſæ autem illimitatè, ità vt in effectu importetur ratio quædam ab omnibus alijs diſtincta, in cauſa autem illa ratio formaliter, & intrinſecè omnem aliam perfectionem claudat, tunc nomen quod hanc rationem ſignificat non dicitur vniuocè de cauſa, & effectu, ſic eſt ratio omnium nominum dictorum de Deo, & Creaturis, & præſertim ipſius eſſe. Cùm itaque ratio eſſe in Deo ſit formaliter omnia, non autèm ſic in Creaturis, optimè deduxit S. Thomas, quod non ſecundum eandem rationem dicitur de ipſis, ſed Analogicè. Et quamuis in Creatura eſſe ſit res diſtincta ab eius bonitate, non tamèn oportet vt nomen ipſius eſſe ſignificet ipſum met eſſe cùm diſtinctione à bonitate, ſed ex identitate, & diſtinctione formali omnium, quæ dicuntur de Deo à Creaturis notabiliter deduxit differentiam quoque nominum S. Doctor. Ità Caiet. loc. cit.

2 Concl. Caiet. cum prob. 1 p quod ens commune ſubſtantiæ, & accidenti non ſit vniuocum.

Secunda Concluſio ponitur à Cier. contrà Scotum de ſola Analogia attributionis, quia proportionis conceditur. Ens commune ſubſtantiæ, & accidenti non eſt Vniuocum, ſed Analogum analogia quoq; attributionis.

Probatur à Caietano tali ratione contrà Scotum, quod non ſit vniuocum relicta illa ſequela, quod ſi eſſet vniuocum eſſet genus &c. abſtrahendo igitur ab hac ſequela, probat Caiet ſic. Ens non eſt vniuocum omnibus ſubſtantijs, ergo multo minus erit ſubſtantiæ, & accidenti. Conſequentia videtur clara, quoniam ſi aliquid non eſt ſecundum eandem rationem communem aliquibus, quæ magis conueniunt, multo minus erit ijs, quæ tantam non habent conuenientiam. Antecedens probatur, quoniam differentiæ vltimæ ſunt ſubſtantiæ ſaltem ex reductione, & tamèn ſubſtantijs, & vltimis differentijs ens non eſt vniuocum: ergo &c. probatur illud non eſt vniuocum, quod non dicitur ſecundum eandem rationem: ſed ens non dicitur ſecundum eandem rationem de ſubſtantijs, & vltimis differentijs ergo &c. Maior patet. Minor eſt Scoti vbi vult ens quidem dici formaliter de reliquis entibus, & quidditatiuè, de vltimis verò differentijs nequaquam; conſtat autem quod dùm ratio vnius eſt in aliquo quidditatiuè, & formaliter, in alio verò non inuenitur hoc modo, non eſt ſecundum vtramque rationem in vtroque: ergo non vniuocè, ſi non vniuocè, ergo Analogicè; quod non æquiuocè conſtat de ſe, & ex dictis, Ità Caiet. loc. cit.

Prob. 2. p. Concluſionis ſecundæ quod ſcilicet ſit etiam Analogum analogia attributionis.

Probatur ſecunda pars à Caiet. tali forma quo ad Analogiam attributionis. Vbi ratio importata per aliquod nomen non inuenitur æqualiter in inferioribus, ſed in vno abſolutè, in alio verò non niſi in ordine ad illud ibi non eſt æquiuocatio, ſed expreſſa attributionis Analogia: ſed in ratione importata ab hoc nomine ens, res ità ſe habet, quod de ſubſtantia dicitur abſolutè, de accidente verò non niſi in ordine ad ſubſtantiam: ergo in ente dicto de ſubſtantia, & accidente non vniuocatio, ſed manifeſta erit attributionis Analogia. Minor conſtat ex differentia inter Vniuocationem, & Analogiam. Minor eſt expreſſa doctrina Ariſt. 7. Met. & Diuinorum 2. & 15. Cùm enim ratio importata per ens ſit eſſe, hoc de ſe manifeſte ſit, quod primo,

mo & abſolutè conuenit ſubſtantiæ : accidenti verò non niſi meritò ſubſtantiæ, quoniam eſſe accidentis, eſt in eſſe. Et eatenùs ſunt entia, quatenùs ſunt entis entia, ideſt quatenùs reſpiciunt ſubſtantiam, &c. Ità Caietanus.

Quò ad quartum. Arguit Caietanus. Nullus conceptus eſt producibilis in intellectu noſtro qui non contineatur eſſentialiter, vel virtualiter in obiecto relucente in phantaſmate : ſed conceptus non vniuocus Deo, & obiecto relucenti in phantaſmate, eſt non contentus tam eſſentialitèr, quàm virtualitèr in obiecto relucente in phantaſmate, ergò nullus eſt conceptus producibilis in intellectu noſtro niſi ſit vniuocus obiecto relucenti in phantaſmate, hoc autem eſt creatura : ergò omnis conceptus ſimplex, quem de Deo habemus eſt vniuocus creaturæ, & per conſequens ipſe conceptus entis erit vniuocus. Maior patet. Minor declaratur quia obiectum creatum continet eſſentialiter conceptum increatum, vt de ſe notum eſt, non autèm virtualitèr, quia priùs non includitur virtualitèr poſteriori, ſed è conuerſo. Ità arguit Caietanus ex Scoto. *Primum Arg. Caietani ex Scoto, quod conceptus entis ſit vniuocus.*

Reſp. Caietanus negando minorem. Ad probationem dicitur, quòd aliquid continere virtualitèr aliud poteſt intelligi dupliciter. Vno modo ſicuti cauſa virtute ſua continet effectum ; alio modo ſicut effectus continet virtutem cauſæ participando illam ſic: Hoc ſtante minor eſt falſa. Etenim effectus quilibet virtualitèr cōtinet ſecundo modo Deum. Nec opportet quòd continens hoc modo ſit priùs, imò neceſſariò eſt poſteriùs ; quod ſi mihi dixeris, quòd hoc eſt abuti vocabulis, quando apud omnes continere virtualiter non attribuitur niſi cauſæ. Dico quòd ſi fiat vis in verbo, falſa eſt maior, eò quòd datur triplex modus continendi, ſcilicet eſſentialitèr, virtualitèr, & participatiuè, ſicut effectus continet in ſe cauſam. Ità Caietanus. *Reſponſio ad 1. Argum. Scoti ipſius Caietani.*

Arguit Caietanus ſecundò ex Scoto. Omnis inquiſitio Metaphyſicalis de Deo procedit conſiderando rationem formalem alicuius, & auferendo ab ea imperfectionem, quæ reperitur in creaturis, ponit illam in Deo attribuendo ſibi ſummam omninò perfectionem : ergò omnis inquiſitio de Deo ſupponit intellectum habere conceptum eumdem vniuocum, quem accipit ex creaturis. *Secundum Argumentum Caietani ex Scoto.*

Reſp. Caietanus concedendo antecedens, & negat conſequentia. Sufficit enim ibi analogia illius rationis formalis. *Reſp. Caiet. ad 2.*

Arguit tertiò Caietanus ex Scoto. Cùm ſubſtantia non immutet immediatè intellectum noſtrum ad aliquam intellectionem ſui, ſed tantùm accidens ſenſibile ſequitur quòd nullum conceptum quidditatiuum habere poterimus de ea, niſi aliquis talis poſſit abſtrahi à conceptu accidentis : ſed nullus talis quidditatiuus abſtrahibilis eſt à conceptu accidentis, niſi ens vniuocum accidenti, & ſubſtantiæ : ergò, &c. Probatur aſſumptum in maiori quòd ſubſtantia non immutet. Quidquid ſua præſentia immutat intellectum, abſentia illius poteſt naturalitèr cognoſci ab intellectu, quando immutatur, vt dicitur in ſecundo de anima, quòd viſus eſt tenebræ cognoſcitiuus, quando lux non eſt præſens, eò quòd tùnc viſus non immutatur : ergò ſi intellectus naturalitèr immutatur à ſubſtantia immediatè ad actum circà ipſam, ſequitur quòd quando ſubſtantia non eſt præſens, poſſet naturalitèr cognoſci, quòd non ſit præſens, & ſic naturalitèr poſſet cognoſci in hoſtia conſecrata, non eſſe ſubſtantiam panis, quòd eſt manifeſte falſum. *Tertium Arg. Caietani ex Scoto probans idem vt ſuprà.*

Reſp. Caietanus, quod falſum ſupponitur in Argumento, ſcilicet quod ſubſtantia non immutet intellectum per propriam ſpeciem. Ad probationem dicitur, quod quantitas, & accidentia in Euchariſtia agunt, & patiuntur totum id, quod ageret, & pateretur ſubſtantia, ſi eſſet : ſicut enim acceperunt modum eſſendi *Reſp. Caiet. ad Argum. 3. Scoti.*

Digitized by Google

ſubſtantiæ, ſcilicet abſque ſubiecto, ità agere, & pati eius. Ideò ex multis hoſtijs ſenſatis generatur in intellectu ſpecies intelligibilis ſubſtantiæ Panis, & eius quidditatiua cognitio, ſicut ad nutritionem agunt, ac ſi eſſet ibi Panis: non enim minùs ex illis accidentibus nutrimur, quàm ex alijs hoſtijs non conſecratis, ſicut ex non minùs conſecratis generantur Vermes, & Cineres, quàm ex non conſecratis. Ad argumentum igitur dicamus, quòd Panis abſens immutat, quoniam non eſt omninò abſens, remanſit enim ibi accidens ſuum, quòd eſt vice Panis; quapropter non eſt ſimile de viſu reſpectu tenebræ, nec eſt contrà nos Auctoritas Ariſtotelis, quoniam hæc omnia habent locum, vbi eſt ſimpliciter abſentia obiecti, quàm hic non concedimus quò ad operationes. Ità Caietanus in Reſponſione ad quartum Scoti cap. 2. de ente, & eſſentia quæſt. 3. pag. mihi 303.

Quartum Argum. Caietani ex Scoto probans quod ens non ſit analogũ Deo, & creaturis. Arguit 4. Caietanus contrà primam Concluſionem ſic. Proportio importat determinatum exceſſum intèr res in quibus inuenitur: ſed Creaturæ infinitè diſtant à Deo, ergò nullam dicunt proportionem ad ipſum: ergò intèr Deum, & Creaturam nulla datur analogia proportionis, ſiuè attributionis. Quòd non attributionis probatur. Implicat quòd Creatura denominetur intrinſecè ens à propria entitate, & poſteà extrinſecè ab entitate Diuina: ergò nequit denominari extrinſecè ens, & per conſequens non poteſt eſſe analogum attributionis. Antecedens probatur, quia ſi Vrina, & Medicina, eſſent intrinſecè ſanæ non poſſent denominari extrinſecè ſanæ à ſanitate animalis, ergò, &c.

Reſp. Caiet. ad Argum. 4. Reſp. ad Argumentum Caietanus, quòd ſi Sanctus Thomas, & Antiquiores Thomiſtæ negant aliquam analogiam attributionis intèr Deum, & Creaturas, loquuntùr de attributione fundata in certa, & determinata proportione vnius ad alterum, quæ reperiri non poteſt intèr ens finitum, & infinitum, cuiuſmodi ſunt Deus, & Creatura; non autèm loquuntur de attributione quæ dicit ſolam habitudinem cauſalem vnius entis ad alterum. Ità Caietanus.

Argum. 5. Caietani ex Aureolo. Arguit quintò, & vltimò Caietanus ex Aureolo. Sumatur ratio illa entis vna, quàm tribuimus Enti vt ens, vel eſt prorsùs eadem cum rationibus entium particularium ſub ipſo contentorum, vel eſt alia. Si prorsùs eadem: ergò omnia ſunt eadem intèr ſe, quia quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem intèr ſe; ſi alia, hoc non erit, niſi quia rationes particularium entium rationi illi faciunt additionem: ſed enti non poteſt addi ens, quoniam idem non additur ſibi ipſi, & certè quòd additur rationi entis, vt ens eſt, nequit eſſe eſſentialiter ens.

Reſp. prima Caiet. ad Argum. 5. Reſp. primò Caietanus, quòd rationes entium particularium omnes ſimul, ſunt idem cum ratione entis, ſi ipſius entis ratio ſumatur omninò diſtincta, tunc enim nihil addunt, ſed negatur quòd ità ſint eædem intèr ſe, non enim identificantur alicui tertio, quòd ſit aliud ab ipſis, vel illis ſuperiùs tanquàm vniuocum: ſed fallitur Arguens, dicendo ſunt eædem rationes entium particularium cùm ratione entis, vt ſic: ergò ſunt eædem alicui tertio, hoc enim non ſequitur, quoniam nihil tertium ab eiſdem omninò præciſum ponunt.

Reſp. ſecunda Caiet. ad 5. Arg. Reſp. ſecundò Caietanus, quòd ſi accipiatur ratio entis, vel penitùs confuſa, vel partim confuſa, & partim diſtincta addunt huic rationi, rationes entium particularium, non aliquem gradum, ſiuè naturam, ſed ſolùm expreſſionem. Subſtantia namque, & Accidens, eatenùs addunt ſuprà ens, quatenùs exprimunt modum ipſius, qui entis nomine non exprimitur: quoniam ſubſtantia ens in ſe, accidens ens in alio, quos modos non exprimit ens ex S. Doctore quæſt. 1. de verit. art. 1. & quæſt. 21. art. 1. ſi addunt, declarat Capreolus, non eſt additio ſub ratione entis, & ſub aliqua ratione magis determinata, & magis actuali,

Digitized by Google

actuali, ſed eſt additio alicuius repreſentati in particulari ad ſe ipſum, vt eſt repreſentatum in confuſe. Hi enim modi Subſtantiæ, & Accidentis, eſſe ſcilicet in ſe, & in alio non addunur ſimpliciter enti: Hos enim dicit ens, ſed qui iàm in ente repreſentabantur in communi per rationem Subſtantiæ, & Accidentis, repreſentatur in particulari. Addunt igitur nec aliquid, nec nihil, ſed addunt aliqualiter, quando exprimunt explicitè id quòd implicitè in ente claudebatur. Ità Caietanus cum D. Thom.

Appendices ad Lectionem quartam Metaphyſicalem in Tractatu de Conceptu Entis.

NOta quòd Caietanus in Prædicabilibus cap. 1. pag. mihi 35. poſt probationem Concluſionis, quòd ens non eſt genus, addit, Circà hanc partem dubium eſt, An ſit ens vniuocum, & an ſit ſecundum nomen ſolum commune, vel an ſit ambiguum, ſeù analogum, &c. ſed quia hæc Logicales metas tranſcendunt, ſi ſubtiliter tractanda ſunt, differantur vſque ad Metaphyſicam, &c. ex his Lector Thomiſta vide, quàm ardens erat deſiderium Caietani exponendi ad lucem nedùm Phyſicam, ſed & Metaphyſicam, quæ tamèn ex ſuis Commentarijs collecta in præſenti ſæculo conſpicitur. Et de Conceptu Entis quòd ſit Analogum Deo, & Creaturis, Subſtantiæ, & Accidenti, conſtantèr ſe habet Caietanus noſter; vndè habenda ſemper eſt præ oculis Doctrina ſua toties repetita, ſcilicet quòd duplicia ſunt analogata. Quædam ſecundum determinatam habitudinem vnius ad alterum; quædam ſecundum proportionalitatem, v. g. Subſtantia, & Accidens ſunt analogata primo modo ſub ente; Deus autèm, & Creatura ſecundo modo. Infinita eſt enim diſtantia intèr Deum, & Creaturam. Differunt autèm hæc plurimum, quoniam analogata primo modo ità ſe habent, quòd poſterius ſecundum nomen analogum diffinitur per ſuum prius, putà Accidens in quantùm ens per Subſtantiam; Analogata verò ſecundo modo non: Creatura enim inquantùm ens non diffinitur per Deum; vndè analogata primo modo habent nomen commune, & rationem ſecundum illud nomen ſecundum quid eamdem, & ſecundum quid diuerſam per hoc quod analogum illud ſimpliciter, ideſt ſine additione aliqua de primo dicitur, de alijs verò non niſi diuerſimodè reſpiciendo primùm quod cadit in eorum rationibus, ſicuti in exemplo de ſano manifeſtum eſt. Analogata verò ſecundo modo habent nomen commune, & rationem ſecundum illud nomen aliquo modo eamdem, & aliquo modo diuerſam, non proptèr hoc, quòd illud ſimpliciter dicatur de primo, & de alijs relatiuè ad primùm, ſed habent rationem eamdem ſecundum quid propter identitatem proportionis, quæ in eis inuenitur, & ſecundum quid diuerſam proptèr diuerſitatem naturarum ſuppoſitarum illis proportionibus, v. g. Forma, & materia ſubſtantialis, & forma, & materia Accidentium ſunt analogata quædam ſub nominibus formæ, & naturæ habent enim nomen commune, & rationem ſecundum nomen formæ, ſiuè materiæ eamdem, & diuerſam hoc modo, quia forma ſubſtantialis ità ſe habet ad Subſtantiam, ſicut forma accidentalis ad Accidens; ſimilitèr materia ſubſtantiæ ità ſe habet ad Subſtantiam, ſicut materia accidentis ad Accidens; vtrobique enim ſaluatur identitas proportionum cùm diuerſitate naturarum, & vnitate nominis. Hunc modum Analogiæ exprimit Commentator 12. Met. comm. 28. & clariùs Ariſt. 1. Eth. cap. 7. Ità Caietanus.

Quem ſequuntur communitèr Thomiſtæ, & intèr exteros, ſcilicet quòd ens

Digitized by Google

formaliter ſit analogum vtraque analogia. Suarez tamèn Tom. 1. Met. diſp. 28. ſect. 3. Vazquez, & Rubius volunt quòd ens formaliter ſit tantùm Analogum Analogia attributionis.

Intèr Thomiſtas plurimi eſt facienda Doct. ſapientiſſimi Io: à S. Tho. qui in q. 13. Log. art. 4. vult quòd ens formaliter ſit tantùm Analogum Analogia proportionalitatis, & virtualitèr ſolùm Analogia attributionis. Magiſter Ripa in cap. 2. de ente, & eſſentia quæſt. 1. art. 2. pag. mihi 198. refert aliquos qui opinantur ens eſſe purè æquiuocum tùm ad Deum, & Creaturas, ad Subſtantiam, & Accidens; & Rabbi Moyſe citatur à D. Thom. quæſt. 7. de potentia art. 7. Capreolus ſoluit 48. Argumenta illorum qui dicunt eſſe vniuocum. Et Flandria ſoluit 33. Et Magiſter Thomas Minaldus in ſua Metaph. abbreuiata cum Doctrina Caietani ſoluit alia quamplurima in lib. 1. dub. 2. 3. 4. & 5.

Intèr Neotericos autèm qui opinantur contrà Caietanum adeſt Paſqualigus, qui in ſua Metaphyſica diſp. 29. ſect. 1. recitata fidelitèr ſententia Caietani in ſect. 4. dicit quòd ex eò quòd ens non eſt quid analogum reſpectu Dei, & Creaturæ dicens conceptum communem, non poteſt eſſe nec analogum attributionis reſpectu Dei, & Creaturæ, ità vt Creatura dicatur ens per attributionem ad Deum. Et ſect. 5. fatetur nec eſſe analogiam proportionis, quæ in eo conſiſtit quòd Creatura participet rationem entis, quæ eſt in Deo aliquo modo, & cum aliqua proportione, ſeu ſimilitudine (ſic Paſqualigus declarat ſuam Analogiam proportionis) ex hac negatione analogiæ intèr Deum, & Creaturas, infert Paſqualigus ex D. Thom. opuſc. 42. cap. 1. & ex Caietano 1. p. quæſt. 13. art. 5. infert Deùm non eſſe ens, ſed eſſe ſuprà ens, ſicuti ſapientia non ſignificat ſapientiam in Deo, ſed aliquid eminentèr prahabens rationem ſapientiæ, ſed nihilominùs ſtante hac aſſertione D. Thom. & Caietani, quòd ibi ſit vera Analogia proportionis, & attributionis, iàm ſuprà ex Doctrina Caietani oſtenſum eſt. In Sectione tamèn 2. Diſp. 30. concedit aliquam Analogiam, & quòd Deus poſſit dici Analogicè ens, quatenùs ſcilicet illud cauſat, non autèm quia in ſe ſit tale. Vidè Paſqualigum qui non ſoluit rationes Caietani, licèt eas adducat.

TRA-

TRACTATVS TERTIVS METAPHYSICALIS DE ENTE, ET ESSENTIA SVBSTANTIALI, ET ACCIDENTALI.

LECTIO PRIMA METAPHYSICALIS.

Quid ſit eſſentia in ſubſtantijs compoſitis.

Ex Caiet. cap. 2. de ente, & eſſentia q. 4. & 1. p. q. 75. art. 4.

Declaratio Tituli, eiuſque ſenſus facta à Caietano.

CAIETANVS in ſua Phyſ. qu. 10. ſub alia formalitate Tituli declarat hanc difficultatem, & ibi quærit An Materia ſit pars quidditatis naturalis, & quæ ad naturalem Philoſ. ſpectant ibi tradit. In hoc autèm loco, ſcilicet in cap. 2. de ente, & eſſentia poſt quàm in 1. cap. comparando eſſentiam ſubſtantiæ, & accidentis intèr ſe, dixerit D. Thom. quòd ſubſtantia verè, & propriè habet eſſentiam, & quòd eſt ens ſimpliciter, & de quo ens per priùs, & abſolutè prædicatur, & quod accidens habet eſſentiam ſecundum quid, & eſt ens ſecundum quid, & de quò ens ſecundum quid, & per poſterius prædicatur, & ideò analogicè dici de ſubſtantia, & accidente, vt etiàm oſtenditur in 7. Met. in principio. In hac Lect. modò quæ Metaphyſicalia ſunt, applicat ipſis eſſentijs ſubſtantiæ, & accidentis, & à notioribus inchoando in ſecundo capite de ente, & eſſentia, explicat per præſentem Lect. Metaphyſicalem in hoc Tract. 3. quid ſit eſſentia in ſubſtantijs compoſitis, an ſola Materia, vel ſola Forma; ſi vtrumque dicit, an materia dicenda ſit verè pars quidditatis ſubſtantiæ naturalis, pro vt deffinit S. Doctor in 6. Met. comm. 33. & in 1. p. quæſt. 75. art. 4. Ità Caietanus explicat Titulum loc. cit. cap. 2.

Notabile vnicum Caietani, in quo declaratur eſſentia ſubſtantiæ, & accidentis, &c.

Quò ad primùm. Caietanus in ſecunda parte cap. 2. de ente, & eſſentia circà illam propoſitionem aſſumptam à D. Thom. ſcilicet illùd quòd eſt proprium accidentibus ex imperfectione ſuæ eſſentiæ non conuenit ſpecificis ſubſtantijs; notat, quod licèt formæ partis, putà Animæ conueniat etiàm diffiniri per aliquid extrà eſſentiam eius, ac per iſtud videatur non eſſe proprium accidentibus, ſed commune eis, & formis partium; in rei tamèn veritate proprium eſt accidentium, eò quòd diffinitio non eſt niſi rerum exiſtentium in recta linea prædicamentali habentium ſpeciem completam, cum diffinitio componatur ex genere, & differentia; ſola autèm accidentia intèr entia, & ſpecie completa, ſunt per additamentum diffinibilia, & ideò proprium accidentibus dixit eſſe, tali modo diffiniri;

vndè

Digitized by Google

vndè & Anima diffinitur per aliud extrà eſſentiam ſuam pro quantò participat de Accidentis natura, ideſt de ly eſſe in alio. Ità Caietanus in fine probationis ſecundæ Concluſionis.

Opinio Antiquorum Philoſophorũ, vt Platonis recitata à D.Tho. & explicata à Caietano.

Quò ad ſecundùm. Caietanus recitat opiniones Antiquorum Philoſophorum, circà materiam an ſit pars quidditatis naturalis, & dicit quòd Commentator in 6. Met. Comm. 21. & 34. tenet, non eſſe partem quidditatis, ſed indiuidui. S. Doctor in fine corp. art. 5. quæſt. 75. p. 1. refert opinionem Platonis ſuſtinentis, quòd hæc Anima eſt hic Homo, quià Plato tenet quod animæ ſenſitiuæ operatio eius propria eſt ſinè corpore, vndè ſi ſecundùm Platonem ſentire eſt proprium Animæ, iàm Homo eſt anima vtens corpore: ſed S. Thom. deſtruens poſitionem Platonis illam, defendit, quòd homo non eſt anima, ſeù forma tantùm, ſed quòd ſua eſſentia dicit aliquid compoſitum ex anima, & corpore, & per conſequens, quod materia eſt etiàm cùm forma pars quidditatis ſubſtantiæ naturalis compoſitæ. Ità Caiet. loc. cit.

Prima concluſio Caietani ex D.Th cum ſua probatione primæ partis, quod nec ſola forma nec ſola materia ſit pars compoſiti.

Quò ad tertium. Prima concluſio ponitur à Caietano in 2. p. cap. 2. cit. ſic: Nec materia ſola, nec forma ſola eſt eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ; & iſta eſſentia in ſubſtantijs compoſitis non ſignificat aliquam relationem intèr materiam, & formam, aut aliquid additum compoſito ex materia, & forma, ſed ſignificat compoſitum ex materia, & forma.

Probatur prima pars à Caietano ſic. Illud quod eſt eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ eſt principium cognoſcendi illam: ſed materia ſola non eſt principium cognoſcendi illam: ergò materia ſola non eſt eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ. Maior patet ex eo quòd vnumquodq; cognoſcitur quidditatiuè per eſſentiam ſuam, vndè omnes aliæ cognitiones oriuntur. Minor habetur ex 9. Met. tex. Comm 20. vbi dicitur, quòd principium cognoſcendi eſt actus, & non potentia. Ità Caiet. loc. cit. vbi aliam dat rationem, &c.

Probatur ſecunda pars à Caietano ſub tali forma ſic. Quòd ſcilicet non ſit ſola forma. Illud eſt eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ, quòd per eius diffinitionem ſignificatur: ſed ſola forma per eius diffinitionem non ſignificatur, ergò ſola forma non eſt eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ. Maior eſt de ſe nota. Minor probatur quia diffinitiones naturales per hoc differunt à Mathematicis, quia iſtæ ſignificant ſolam formam, ideſt formam abſque materia ſenſibili, naturales verò ſignificant formam, & materiam ſenſibilem. Ità Caiet. loc. cit.

Probatio ſecundæ partis quod nõ ſignificat relationem, nec aliquod additum.

Secunda pars Concluſionis principalis, ſcilicet quòd non ſignificat relationem, nec aliquod additum probatur à Caietano ſub tali forma ſic. Omnis relatio media intèr materiam, & formam, & ſimiliter omne additum compoſito ex materia, & forma eſt accidens extraneum ſubſtantiæ: nulla eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ eſt accidens extraneum: ergò &c. Minor eſt de ſe nota. Maior probatur. Omne adueniens enti ſimpliciter faciens formaliter ens tale, eſt accidens extraneæ naturæ à ſubſtantia: ſed omnis relatio media intèr materiam, & formam. & omne additum compoſito adueniunt enti ſimpliciter, & faciunt ens tale: ergò omnia huiuſmodi accidentia ſunt extraneæ naturæ à ſubſtantia compoſita. Minor huius proſyllogiſmi declaratur. Primò ex eò quòd forma ſubſtantialis adueniens materiæ facit eſſe ſimpliciter, & hoc aliquid, vt dicitur in ſecundo de Anima tex. Comm. 2. Secundò ex eò quòd generatio terminata ad formam ſubſtantialem eſt generatio ſimpliciter, terminata verò ad formam accidentalem eſt generatio ſecundum quid vt dicitur 5. Phyſ. tex. comm. 7. cùm enim materia Socratis acquirit formam ſubſtantialem, tunc ſine additione dicitur Socrates fieri; acquiſita autèm forma

ſub-

ſubſtantiali, cum magnitudinem acquirit, non dicitur Socrates fieri ſimpliciter, & ſinè additione, ſed fieri magnus. Ità Caiet. ex D. Thom. loc. cit.

Probatio tertiæ partis Concluſionis quod ſcilicet eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ dicit vtrũque, ſcilicet formã & materiam.

Tertia pars Concluſionis principalis, ſcilicet quòd dicit vtrumque, & materiam, & formam. Probatur à Caietano ſic ſub tali forma ex Boetio, Auicenna comm. 7. & 27 7. Met. Id quo tanquàm principio completo denominante ſubſtantia compoſita eſt ens, vt compoſitum: ſed eſſentia ipſius ſubſtantiæ compoſitæ èſt id quo tanquàm principio completo denominante ſubſtantia compoſita eſt ens: ergò eſſentia ipſius ſubſtantiæ compoſitæ eſt compoſita. Minor eſt de ſe clara, dicitur enim, & eſt Socrates ens propter ſuam eſſentiam quàm habet. Maior declaratur ſic. Quandocumque aliqua res ex pluribus principijs conſtituitur non eſt talis ex altero eorum vt completo principio, ſed ex complectente vtrumque: ſed ſubſtantia compoſita eſt ens ex pluribus principijs conſtitutum, ſcilicet materia, & forma: ergò non ex altero tanquàm principio completo, ſed complectente vtrumque eſt, & dicitur ens: ſed id quòd complectitur vtrumque eſt compoſitum: ergò id quod ſubſtantia compoſito tanquàm completo principio denominante eſſe, opportet eſſe completum, quod erat probandum. Maior huius pro ſyllogiſmi exemplaritèr in ſaporibus declaratur in littera tanquàm ex notioribus, & declaratio eſt manifeſta per ſe; quia enim, ait S. Doctor ex Actione calidi dirigentis humidum cauſatur Dulcedo, & quamuis hoc modo Calor ſit cauſa dulcedinis, non tamèn denominatur Corpus dulce à Calore, ſed à Sapore, qui Calidum, & Humidum complectitur. Quomodò autèm in fine probationis verificetur dictum D. Thom. quòd ſola forma ſuo modo ſit cauſa eſſendi dicetur infrà in alia Lectione ſuper caput 5. de ente, & eſſentia. Ità Caietanus.

Secunda Concl. Caietani ex D. Th. cum ſua prima declaratione, quod materia communis ſit pars ſpeciei in rebus naturalibus.

Secunda concluſio ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 75. art. 4. vt magis declaratiua præcedentis ponitur à Caietano ſic. Materia eſt pars ſpeciei in rebus naturalibus, non ſignata, ſed communis, & ſic homo non eſt anima tantùm, ſed eſt aliquid compoſitum ex materia, & forma.

Declaratur primò à Caietano ex D. Thom. in cap. 2. de ente, & eſſentia. Primò ex 8. Met. tex. comm. 15. & 16. vbi Ariſtoteles aſſignat cauſam, quare diffinitio compoſitorum eſt vna, quia ex actu, & potentia natum eſt fieri vnum: quidditates autem ſimplices ſeipſis habent ſtatim vnitatem, eò quòd formæ tantùm ſint, ex quibus habetur, quòd ſi eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ eſſet ſola forma, non opporteret aſſignare cauſam Ariſt. proptèr quid ſit vna, forma enim ſe ipſa eſt vna: ſed quia eſt compoſita, ideò dixit quòd habet vnitatem ex eò quòd altera pars eſt actus, & altera potentia. Similitèr 9. Met. comm. vltimò ait, quòd in quidditatibus compoſitorum accidit error, non autèm in quidditatibus ſimplicium proptèr multitudinem partium, ex quibus ſunt compoſitæ illæ quidditates, vndè ex earum compoſitione error accidere poteſt, qui in ſimplicibus, cùm careant partibus, locum non habet, ex quibus apparet ipſum opinari eſſentiam compoſiti eſſe compoſitam, & non ſimplicem, & quòd quidditas ſubſtantiæ materialis differt à quidditate ſeparata, ex eò quòd iſta eſt eſſentialiter ſimplex, illa verò eſt eſſentialitèr compoſita. Ità Caiet. loc. cit.

Ratio probatiua concluſionis ſecundæ formalizata à Caietano.

Probatur modo ipſa concluſio ſecunda à Caietano ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 75. art. 4. ſub tali forma. Illud eſt homo, quòd operatur operationes hominis: ſed ſentire ſpectans ad partem ſenſitiuam, eſt intèr alias, operatio hominis, quàm tamèn ſola anima non operatur: ergò homo non eſt anima tantùm, ſed eſt aliquid compoſitum ex anima, & corpore. Minor iàm probatur à D. Tho. & Caiet. in ar. 3 q. 75. 1. p. ad 4. quòd ſcilicet ſentire non eſt operatio animæ tantùm. Ità Caiet. ex D. Th. loc. cit.

Quò

Argum. Caiet. contrà 1. concluſ.

Quò ad quartum. Arguit primò Caietanus contrà primam concluſionem ſic. Significari per diffinitionem contingit dupliciter vno modo vt pars rei diffinitæ, alio modo vt ſubiectum rei diffinitæ, ſeù vt deferens rem diffinitam: ſed per diffinitionem naturalem ſignificatur ſola forma vt res diffinita, & materia ſignificatur vt quidditatem deferens: ergò ſola forma erit res diffinita: ergò eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ eſt ſola forma.

Reſp. Caiet. ad primum Argum.

Reſp. Caietanus ex doctrina D. Thom. allata in Adnotatione ſuprà, quòd Argumentum concludit de eo, quòd conuenit ipſi ex imperfectione ſuæ eſſentiæ, ſcilicet diffiniri per additamentum, ſcilicet per ſubſtantiam, vndè hoc non poteſt conuenire ſubſtantijs ſpecificis, quæ habent perfectionem oppoſitam illi imperfectioni.

Argum. 2. Caietani contrà idem.

Arguit ſecundo Caietanus contrà ſecundam Concluſionem ex D. Tho. quæſt. 75. art. 4. Anima humana eſt ſubſtantia quædam, non verò virtualis, ergò particularis, ergò hypoſtaſis, vel perſona, ſed non niſi humana, ergò ſola forma dicitur ab hoc compoſito, quod dico homo.

Reſp. Caiet. ad ſecundum Argum.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. negando ly ergo eſt perſona. Valeret illatio ſi anima eſſet quid completum in ſpecie. Vndè manus, vel pes non poteſt dici hypoſtaſis, vel perſona, & ſimilitèr nec anima, cùm ſit pars ſpeciei humanæ. Ità Caietanus ex D. Thom.

Argum. Caiet. contrà 2. Concluſ.

Arguit tertiò Caietanus contrà 2. Concl. præcipuè contrà idquòd dicitur, quòd ſi animæ ſenſitiuæ operatio eſſet ſinè organo, hæc anima eſſet hic homo. Contrà ſic. Aut eſt ſermo de homine in quantùm homo, aut abſolutè, aut in quantùm animal. Si primùm ſequitur, quod hæc anima intellectiua eſſet de facto hic homo; probatur hoc, quia operatur omnes operationes hominis, ſcilicet intelligere, & velle. Homo enim in quantùm homo conſtituitur per gradum rationalem. Si ſecundum quià iàm reſtant modò operationes communes ſenſitiuæ toti coniuncto non dicitur animam operari omnes operationes hominis, ergò quia tunc reſtant vegetatiuæ communes toti, iàm non poteſt dici, quod anima habeat operationes hominis. Si dicatur tertiùm iàm ſequitur quòd hæc anima non eſſet hic homo ſimpliciter, ſed cùm nota ſpecificationis, ſcilicèt inquantùm animal, quòd contradicit litteræ art. 4. cit. & contradicit rationi, quia ſic etiàm non poſſet dici, quòd hæc anima eſt homo inquantùm eſt intellectiuus.

Reſp. Caietanus, diligentèr aduertendum eſſe, quòd quia homo eſt de genere ſubſtantiarum ſenſibilium, ly inquantùm homo non reduplicat partem intellectiuam puram, quia nec homo eſt purè intellectualis, ſed partem intellectiuam, & ſenſitiuam ſimul dici; quia homo eſt naturæ rationalis, cuius actus à phantaſia, & ſenſu dependet, non autèm à vegetatiua, & elementari parte niſi remotè, & per accidens. Quia ergo de integritate hominis vt ſic non eſt niſi ratiocinari, quod conſtat ex intellectu, & ſenſu, ideò omnes operationes hominis formaliter loquendo habet anima, ſi tam intelligere, quàm ſentire eſt ſibi proprium. Reſp. igitur ſtat in hoc, quòd nec anima intellectiua habet omnes operationes hominis vt ſic; nec operationes, vegetatiuæ, aut elementaris partis in homine, ſunt opera hominis vt ſic. Ità Caietanus ex D. Thom. 1. p. quæſt. 75. in fine Comment. art. 4.

Ap-

Digitized by Google

Appendices ſuper Lectionem 1. Metaphyſicalem in Tractatu de Ente, & Eſſentia.

PRo Intelligentia pleniori huius lectionis videas D. Th. in 3. ſent. diſt. 5. q. 3. a. 2. & d. 22. q. 1. a. 1. in corp. & 2. c. g. c. 56. cùm Ferr. ibi, & de potentia q. 5. a. 10. in c. & B. Albertum Magnum d. 3. a. 33. & nota auctoritatem D. Aug. 9. de Ciu. Dei c. 3. cit. à D. Th. in Argumento, ſed contrà, vbi commendat Varronem, quod hominem nec animam ſolam, nec ſolum corpus, ſed animam ſimul, & corpus eſſe arbitratur. Nota etiam vèrba Gen. in c. 1. & 2. recitata in Append. art. 4. q. 75. in p. p. à Venerabili Porrecta; formauit hominem de limo terræ, & inſpirauit in eum ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. Dicitur hic abſolutè ipſe homo anima viuens ideſt omni vita cuicumque animæ conuenienti. Viuit enim in homine vita vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua. Factus eſt ergò homo non anima viuens, quaſi quod anima intellectiua ſola ſit homo, ſed factus eſt in animam viuentem, quia homo eſt quid conſiſtens ex corpore illo formato de limo terræ, & ex ſpiraculo illo vitæ in faciem eius inſpirato. Ità Ven. Porrecta.

Mag. Ripa Venetus occaſione dicti S. Doctoris in c. 2. de ente, & eſſentia, quod eſſentia rei compoſitæ ſubſtantialis non eſt ſola materia, quia materia non eſt de ſe principium cognoſcendi, mouet cum Caiet. in ſequenti Lectione an materia poſſit ex ſe cognoſci, videas ibi pag. 184.

LECTIO II.
METAPHYSICALIS
IN TRACTATV DE ENTE, ET ESSENTIA.

An ex hoc quod eſſentia compoſita dicit materiam vt ſui compartem, hæc ſit de ſe cognoſcibilis.

MOtiuum huius Lectionis explicandæ, ait Caietanus, eſt fundamentum ſectionis præcedentis, pro conſolidanda ratione D. Th. qua probauit materiam ſolam non poſſe dicere eſſentiam compoſitam, quia eſſentia eſt id quo res cognoſcitur, & materia non poteſt, proprio conceptu cognoſci, ſi principium ſupra quod fundatur ratio D. Th. non eſt verum, iam de ſe ruit ratio. Igitur neceſſariò per inquiſitionem Metaphyſicam, debemus explicare, quomodò materia ex ſe ipſa non poſſit agnoſci, cùm actus ſit ratio intelligendi, vt conclamant omnes Metaphyſici. Et non eſt ſenſus addit Caietanus, an moueat, intellectum noſtrum ad ſui cognitionem, quia hoc nullus vſque

Motiuum difficultatis, & declaratio Tituli, eiuſque ſenſus facta à Caietano.

modo ſomniauit ex Philoſophis, ſed an proprio conceptu poſſit, qui ſanè ità ſit ei proprius, vt in eo nullus reſpectus includatur ad formam, ſiuè perfectè, & diſtinctè, ſiuè in communi, & in confuſo. Suppoſitis ijs quæ diximus in noſtra Phyſica de potentialitate materiæ excludente omnem actum entitatiuum Phyſicum, (quia de Metaphyſico videbimus infra) quod ſit pura potentia non potens exiſtere abſq; forma, ità quod iſta potentia non ſit qualitas conſequens eam, ſed prorsùs ſit eius eſſentia. Suppoſitis igitur his. Titulus facit hunc ſenſum, an ſtante iſta eſſentialitate materiæ, habeat proprium conceptum ſuæ cognoſcibilitatis ex ſe, vel potiùs neceſſariò pendeat ab habitudine ad formam per quam eſt actualiter in rerum natura pars compoſiti ſubſtantialis. Ità Caiet.

Notab 1. Caiet. in quo aſſignatur radix cur materia non ſit de ſe cognoſcibilis.

Quoad primum notat Caietanus, quod tota explicatio huius difficultatis Metaphyſicalis, pendet ex notitia materiæ eiuſdem, quia ex p. p. q. 77. a. 3. habemus, cùm D. Th. quod cum materia ſit potentia ſecundum id quod eſt, ad actum dicitur, & eſt; nimirum quia potentia ſecundum ſuam entitatem non eſt res abſoluta ab actu, & obiecto, quamuis ſit res abſoluta à termino, & propria non eſt in genere relationis. Imaginamur enim ſecundum D. Th. quod potentiæ, & habitus, & alia huiuſmodi ſunt entitates quædam mediæ intèr abſolutas omninò, & reſpectiuas totaliter, ità quod non per aliquid ſuperadditum, ſed per ſuas eſſentias eſſentialiter habent ordinem ad actus, ità quod abſq; eis intelligi, etiàm in prima intellectus operatione non poſſint, non quia earum differentiæ ſint, ſed quia earum differentiæ ſumuntur ordine ad illos, ordine autem dico non relationis, prædicamentalis, ſed tranſcendentalis. Et hæc eſt radix prima, & vltima in diſcurſu tàm de potentijs, quàm in ſimilibus, ſcilicet de Motu, Materia prima Actione, Paſſione, Habitu &c. Ità Caiet.

Notab. 2. Caiet. in quo dicitur quod materia propria eſſentia potitur, & quomodò.

Notat 2. Caiet. in p. 2. q. 1. art. 3. in Reſp. ad primum quin repetamus, quæ ſcripſimus ſuprà primam partem, notentur verba S. Doctoris dicentis, hoc ipſum eſt de ratione actus, vt ſcilicet ſit ab aliquo quantùm ad actionem, & vt ſit ad aliquid quantùm ad paſſionem; ex his verbis patet, quàm conformis ſit doctrina S. Th. ſuperius tradita de diſtinctione Intrinſeca quarumdam rerum, ſcilicet perſonarum, actuum, motuum, & huiuſmodi per extrinſeca, à quibus res earum abſolui nequeunt; & hæ ſubtilitates addit Caiet. vel à paucis penetrantur, vel ſi penetrantur, nolunt eas penetrare, vt ſaluent proprias phantaſias. Materia vtique eſt ſubſtantia abſoluta à termino, ſed non ab actu, & ſic non eſt in Prædicamento Relationis, cum potiſſimùm actus, quem reſpicit ſit de genere ſubſtantiæ, qui licet terminet habitudinem materiæ, non tamèn terminat vt terminus, & hoc idem diximus in c. 7. de ente, & eſſentia. Differunt valdè hi duo modi loquendi, hoc terminat, & hoc terminat, vt terminus; Materia ſi quidem habet eſſentiam à forma diſtinctam, & abſque forma habet ſuam eſſentiam, quod nequit dici de ijs, quæ ſunt in genere relationis: horum enim eſſe, in nullo alio eſt quàm ad aliud ſe habere, & hoc perempto, perimitur, & illud, vt eſt videre in Patre, ac Filio formaliter acceptis; quapropter dicimus materiam propria eſſentia potiri, quæ tamèn de neceſſitate nobis innoteſcit per ordinem, quem ad aliud importat. Ità Caiet. loc. cit.

Notab 3. Caiet. in quo declaratur quod potentia de ſe neceſſariò dicit ordinem ad actum.

Notat 3. & vltimò Caietanus alibi, quod ſi quis contendat materiam poſſe concipi conceptu entis, conceptu ſubſtantiæ abſque vllo ordine ad formam, vel actum, hoc conceſſo, & non admiſſo, hæc notitia erit adeò confuſa materiæ, vt non digna ſit vocari notitia; vel enim aliquid ei proprium concipitur vel nihil; ſi nihil non datur locus ipſi controuerſiæ, ſi verò hoc nihil velis vocare cognitionem confuſam, vel confuſiſſimam, vt putarunt nonnulli, quo contrarias de notitia materiæ opiniones appa-

Digitized by Google

apparentèr conciliarent; erit quæſtio de voce. Si aliquid proprium (quo modo certè dicendum eſſet ſi materiam vt ens ab alijs diſtinctum velis contemplari) id facere nequibis niſi conceperis ipſam vt eſt potentia: hoc enim eſt ſibi proprium, & eſſentiale, & hoc ab alijs differt; hanc autem potentiam, vt videbimus, implicat, quod apprehendas etiam prima operatione intellectus abſque aliqua habitudine ad actum &c. Cùm ergo materia, concludit Caietanus, non poſſit proprio conceptu cognoſci, iàm redditur valida ratio S. Th. in c. 2. de ente, & eſſentia, non poſſe ſolam materiam dicere eſſentiam, quia eſſentia eſt id quo res cognoſcitur. Ità Caiet. multis in loc. cit.

Caiet. firmat ſententiam D. Th. de materia quod non eſt de ſe cognoſci cum auctoritate antiquorum Philoſophorum.

Quo ad 2. Caietanus recitat opinionem antiquorum, qui conueniunt, licet ſub alijs verbis. Potentiam cognoſci non poſſe niſi per actum, vndè Alexander Aphrodiſeus lib. 7. Diuin. Comment. 35. ait materiam eſſe ignotam de ſe, & per actum dumtaxat cognoſci. Et Plato in Timæo docet materiam eſſe adulterina quadam ratione vix opinabilem vt refert Themiſtius in 3. de Anima c. 34. & ſimplicius p. Phyſ. tex. 32. cum Ariſtotele multis in locis in Met. ait materiam eſſe ſcibilem Analogia, & quod ſecundum ſe prorſus eſt ignota, & in 7. Met. per definitionem negatiuam patefecit dicens; quod materia nec eſt quid, nec quale, nec quantum &c. quos ſequitur B. Albertus Magnus 5. Diuin. tract. 6. c. 10. vbi ait quod materia in ſe ſubſiſtens non intelligitur niſi per Analogiam ad formam, & poſteà ait, id quod nec forma eſt, nec formam habet neq; habet Analogiam ad formam, non eſt deſignabile per nomen aliquod, & ſui nulla poteſt eſſe penitùs notitia. Secundum hanc doctrinam Philoſophorum loquutus eſt D. Th. vbiq; locorum ſuæ Doctrinæ; & nos, addit Caietanus, cum ſuis veris diſcipulis vt Ægidius Romanus quolib. 2. q. 15. & Capreolus in 2. ſent. diſt. 27. q. vnica in Reſp. ad tertium contrà ſecundam Concluſionem interpretati ſumus mentem Sanctiſſimi Præceptoris, ſcilicet quod ità eſſentialiter dicit ordinem ad actum, vt abſque ipſo nequeat etiam prima intellectus operatione intelligi ſic in p. p. q. 77. a. 3. & p. p. q. 15. a. 3. ad tertium, & q. 66. a. 1. & 87. art. 1. & alibi cum Auuerroi 8. Diuin. circà tex. 3. lect. 16. & vlt. ſuper 4. Met. & 1. Phyſ. in principio Comm. 69. Et quandò Capreolus docet loc. cit. Materiam habere propriam intentionem, & rationem, ſubdit tamèn, hanc intentionem, vel rationem eſſe in ordine ad formam, quamuis de hoc videatur dubius in p. ſent. diſt. 22. q. p. ad 5. Aureoli contrà quartam Concluſionem. Ità Caiet.

Concluſio vnica de Materia quæ non poteſt de ſe cognoſcendi ponitur à Caiet. cum ſua probatione.

Quo ad 3. Ponitur hæc vnica Concluſio à Caiet. ex D. Th. cuius ratiō formalizatur ab ipſo, & Concluſio eſt hæc. Materia, quæ dicitur pars quidditatis naturalis, nunquam poteſt ex ſe cognoſci.

Probatur à Caietano ſub tali forma. Quod eſt in ſe entitas purè potentialis, & cuius eſſentia, & ſubſtantia eſt in poſſe, vt dicebat Auuerroes in Met. nunquam poteſt cognoſci abſq; habitudine ad formam: ſed materia quæ eſt pars quidditatis naturalis ſi conſideretur in ſe eſt huiuſmodi: ergo nunquam poteſt cognoſci abſq; habitudine ad formam. Maior, vt vidimus in ſecundo loco huius Lectionis, eſt omnium antiquorum proloquium, quod ſola eſſentia eſt id quo res cognoſcitur, ſolus enim actus, inquit Ariſt. eſt ratio intelligendi: vnumquodq; enim cognoſcitur in quantùm eſt in actu, & materia vt talis, & omne tale ſic non poteſt cognoſci niſi cùm habitudine ad formam. Minor declarabitur in lect. ſequenti per rationes Metaphyſicales, ſcilicet quia natura materiæ ità eſt pura potentia, vt in ſe nullo perfruatur actu nec entitatiuo, nec Metaphyſico. Ità Caiet.

Arg. 1. Caiet. ad hominem.

Quo ad 4. Arg. a Caiet. contra Concluſionem ad Hominem. D. Th. in p. Phyſ.

lect. 15. in principio, & de Verit. q. 3. a. 5. ad 3. ait quod materia prima, quamuis ſecundum ſe conſiderata eſſe non poſſit ſinè forma, cum implicet contradictionem, poteſt tamen ſecundum ſe conſiderari. In alio vero loco, ſcilicet in 8. Met. lect. 1. dicit, quod materia non eſt ſeparabilis à forma ſecundum rationem, & intellectum, ergo vel hic, vel ibi dicit falſum.

Reſp. Caiet ad Arg. 1. ad hominem.

Reſp. Caiet. quod licet materia habeat conceptum diſtinctum, & proprium, quia dicitur de ea, quod eſt pura potentia, quod eſt ſubiectum primum tranſmutationis, quod ex ea inexiſtente fit aliquid, quippè quod iſti conceptus ipſi congruunt; nihilominus hæc non ità per ſe intelliguntur, vt habeantur iſti conceptus ſinè habitudine ad formam, imò de neceſſitate in his cadit habitudo ad formam, aliàs non intelligerentur, nec formarentur. Et ſic intelligitur D. Th. loc. cit. de Verit. & in Metaphyſicis, & non alitèr. Ità Ciet.

Inſtantia Caiet. contrà Reſp.

Inſtat contra hanc Reſp. Caiet. concedendo, & admittendo quod ſit aliquis proprius conceptus materiæ, & poſteà aſſerere quod in tali conceptu aliquid includatur extrà eam videntur hæc contradicere ergo &c.

Reſp. Caiet. ad Inſtantiam.

Reſp. Caiet. quod quando dicitur quod adeſt proprius conceptus materiæ, eius naturam explicamus: ſed deindè quandò aſſerimus quod in hac natura aliquid extrinſecum, neceſſariò connotatiuè clauditur ideſt ordo ad aliquid extrinſecum quidem à re, ſed non à conceptu rei, implicantia non admittimus, imò iuxtà naturam rei, de qua loquimur, neceſſaria aſſerimus: materia enim prima iàm diximus, eſt entitas talis, quæ licet ſit abſoluta à relatiuo, & termino, non tamèn eſt abſoluta ab actu, quem neceſſariò exigit in ſui exiſtentia, ſicuti nec ſcientia ab obiecto. Ità Caiet.

Arg. 2. Caiet. contrà Concl.

Arguit 2. Caiet. Omne quod eſt cognoſcibile à nobis eſt eſſe: ſed materia eſt: ergo &c. Probatur Minor. Potentia in materia non eſt eſſentia, ſed quædam qualitas conſequens eam, & dicitur de ea in ſecundo modo dicendi per ſe, & ſic abſq; potentia poterit concipi materia in prima notione, quia non dicit eam in primo modo perſeitatis, & ſic erit abſq; potentia, quæ neceſſario dicit ordinem ad actum cognoſcibilis in ſe.

Reſp. Caiet. ad Arg. 2.

Reſp. Ciet. quod cognoſcibilitas non eſt paſſio entis vt ſic, ſed entis in actu, vt colligitur ex Ariſt. & D. Th. mille in locis. Deindè omne quod eſt eo modo cognoſcitur, quo eſt, ſi abſolutum eſt extrà ſe, nihil reſpiciens, ſic cognoſcitur; ſi neceſſario aliquid extrà ſe reſpiciat, & non ſit abſolutum, vel à termino vt relatiua, vel ab actû vt materia, vel ab obiecto vt ſcientia, abſque his certè non poterit cognoſci. Inſuper dicitur, quod omne quod eſt poteſt cognoſci aliquo conceptu proprio, non tamen ſinè alio, à quo neceſſario dependet in ſenſu iam explicato. Ità Caiet.

Appendices ad Secundam Lectionem Metaphyſicalem in Tractatu de Ente, & Eſſentia.

CIrca hanc Lectionem conſideranda eſt Phantaſia Zabarellæ, qui cùm Flaminio Ciconia Vicentino conatur afferre rationes probantes quod poſſit dari notitia abſoluta materiæ primæ, vt eneruet rationem D. Th. in c. 2. de ente, & eſſentia cit. contrà quem mirantur omnes Phyſici, quod hucuſque non tradiderit hanc abſconditam materiæ entitatem, ſupra quam fundat abſolutam de materia prima notitiam. Imò magis mirantur de ipſo Doctores, quod diſputando contrà Scotum dicentem actum entitatiuum materiæ, nil aliud eſſe, quam entitas mate-

te-

teriæ. Subdit Zabarella. Hanc entitatem actum appellare, ità vanum eſt, vt nec mente quidem concipi poſſit, cum potius ipſi naturæ materiæ contrarius ſit, & omnes Philoſophi attribuerint ipſi nomen potentiæ, & quod ſit ens poteſtate. Ità Zabarella, contra quem, quis non videt contraria, & pugnantia inter ſe aſſerere; ſi tù ò Zabarella aſſeris quod ſecundum Philoſophos materia eſt potentia in primo modo dicendi per ſe, quomodo in alio loco affirmare potes, quod eſt qualitas conſequens ad eſſentiam materiæ, ſi qualitas eſt ipſa potentia materiæ ergo accidens ſuperueniens eſſentiæ materiæ ergo fundatum ſuprà aliquem actum, ergo poterit eſſe abſq; forma, ſed tu negas Scoto etiàm actum entitatiuum quomodo ergo &c. Caiet. igitur contrà Zabarellam pro principio vniuerſali totius Phyſicæ Ariſt. bene ſtat. Et de Phyſica Ariſt. & Metaphyſica quod ſit vniuerſaliter acceptata in toto Chriſtiano Orbe, vtpotè expoſita, & interpretata ab Angelico Præceptore quià intèr alias magis conformis Phyſicæ, Chriſtianæ, & Catholicæ, & acceptata in Schola, & Academia præcipuè Pariſienſi, Sorbonenſi, & Toloſana, & nequaquam ab iſtis proſcripta, & exulata, videas, & legas attente librum contrà Democritos, Epicuræos, ſeù Athomiſtas, noſtri Sapientiſſimi, nec non eruditiſſimi Magiſtri Picinardi, nunc Theologi celeberrimi in antiquiſſima Vniuerſitate Patauina pro Schola D. Th. & Ariſt. contrà ipſos enim ità luculentèr inuehit, vt ocularibus demonſtrationibus oſtendat ſolam Phyſicam eſſe damnatam in Pariſienſi Schola non Ariſtotelis, ſed Platonis, quæ ſub nomine Ariſtotelis inimici eius domeſtici præ inuidia euulgarunt; legas ipſum in cap. 9. quia in alijs capitibus demonſtrat, quàm malè, & peſſimè negent Athomiſtæ nedum formas ſubſtantiales, ſed etiàm accidentales in Euchariſtiæ Sacramento.

D. Thomam, & Caietanum ſequuntur omnes alij Thomiſtæ antiquiores. Legās Iauellum in q. p. 8. Met. §. quantùm ad 2. partem &c. vbi probat contrà Scotum, & Gregorium cùm Thomiſtis ratione Metaphyſicali, negando omnem actum à materia, hanc non eſſe cognoſcibilem niſi per formam.

Nota etiàm Reſp. quam dat B. Petrus Bergomenſis in ſua Tabula aurea d. 849. p. Arg. allato in 4. loco à Caietano ad hominem: ibi enim diſtinguit, quod Materia intelligatur abſq; forma poteſt accipi dupliciter vno modo abſque hoc quod forma intelligatur perfectè, & determinatè, & ſic materia aliquo modo poteſt intelligi abſq; hoc quod forma intelligatur illo modo; ſecundo quod materia intelligatur abſq; hoc quod forma intelligatur, confusè; & ſic nullo modo poteſt intelligi niſi intelligatur aliquo modo forma, quantum ad quid rei ſaltèm confusè, & citat D. Th. ſuper Boetium de Trin. c. 23. ſed iudicio meo Reſp. Caiet. allata videtur firmior, & ſolidior in via D. Th. &c.

IE-

Digitized by Google

LECTIO III. METAPHYSICALIS IN TRACTATV DE ENTE, ET ESSENTIA.

Vtrùm Materia, de qua in præcedenti Lectione excludat omnem Actum.

Ex Caietano q. 8. c. 5. de ente, & eſſentia, & alibi.

Explicatio Tituli eiuſque Germanus ſenſus datus Metaphyſicè loquendo, à Caiet.

DIfficultas hæc explicata fuit à Caietano ſemel in ſua Phyſica lib. 1. 11. q. etiam ſecundum potentiam Dei abſolutam, & ordinariam, ſed quiâ Scotus Metaphyſicauit quendam actum reponendum in ipſa materia, qui ſit alienus à forma, ideò Caietanus ſecundum veram Metaphyſicam occurrit in præſenti ipſi Scoto diſputando contrà ipſum, quod ex D. Th. & Ariſt. omnis actus eſt à forma, & quod omnis exiſtentia eſt actus; & libentèr in hoc loco hanc explicat difficultatem, quia viri præclariſſimi aliundè cenſent poſſe proficiſci exiſtentiam, & non à forma. Et addit Caietanus; ſentio ego cùm D. Th. ſequendo Ariſtotelem, & Auuerroim quod materia dicitur pura potentia, & non potentia, quæ eſt in genere qualitatis, quia in ſecunda ſpecie qualitatis locantur potentiæ illæ, quæ ordinantur ad operationes, & quæ ſunt principia operandi diſponentia ſubiectum in quo ſunt ad actus ſecundos vndè in iſta ſerie non eſt connumeranda potentia materiæ primæ quæ non eſt ad opus, vel ad actum ſecundum, ſed ad eſſe, & ad actum primum, quia iàm diximus cum Ariſt. in prædicamentis quod potentiæ illæ ſunt affectiones entis in actu, & ſubiecti iàm exiſtentis. Senſus igitur difficultatis eſt, an materia prima quæ dicit puram potentiam reſpicientem non opus, vel actum ſecundum, ſed eſſe primum, & actum primum careat toto actu entitatiuo, & tota exiſtentia, ſed hanc habeat prorsùs à forma, ſecundum quam conſiderationem ſolet dici ens, ſed nominale, & non participiale, primum dicit conſiderata ſecundum ſe; ſecundum dicit quando exiſtit exiſtentia formæ, quam illi communicat forma, & de qua participat, quando eſt ſub forma. Ità Caiet. in ſuis Commentarijs, &c.

Primum not ab. Caietani, in quo declarat quid ſit ſecundum Scotum actus entitatiuus Materiæ primæ, & potentia eius obiectiua.

Quoad primum Caietanus explicat vbi conſiſtat ſecundum doctinam Scoti, & Antonij Andreæ in lib. 7. Met. q. 6. iſte actus entitatiuus, quem Scotiſtæ volunt eſſe proprium materiæ primæ non emendicatum à forma. Dicunt igitur, quod potentia obiectiua, eſt omne illud, quod nondum eſt, poteſt tamèn ab aliqua potentia productiua poni in eſſe, vt Rana generanda, eſt in potentia obiectiua Cæli, & Roſa generanda eſt in potentia obiectiua radicis; & in vno Verbo Scotus vult, quod obiectum cuiuſcumque potentiæ productiuæ antequàm producatur ſit in potentia obiectiua, & huic potentiæ correſpondet actus obiectiuus, qui eſt illa met res, quæ erat in potentia obiectiua, nàm poſtquam producta eſt dicitur eſſe in actu obiecti-

uo,

Digitized by Google

ùo, quia quòd poterat produci, & habere eſſe productum eſt, & habet eſſe extrà ſuam cauſam productiuam. Hic igitur actus vocatur a Scoto entitatiuus, quia poſtquam producta res eſt, iàm eſt extrà nihil & conſequentèr eſt in genere entium. Et illud, quod dicit Scotus eſſe in potentia obiectiua nos dicimus eſſe in potentia actiua agentis, & licet non ſit productum poteſt tamen produci, & illas conditiones, quas ponit Scotus in potentia obiectiua, verificantur de potentia actiua: Per potentiam enim obiectiuam, ait Scotus, res ponitur poſſe eſſe, & hoc nos etiàm dicimus de eo quod eſt in potentia agentis; ſecundo potentia obiectiua non eſt vna plurium; alia enim eſt potentia, qua Roſa eſt producibilis, & alia qua Homo, & alia qua Leo &c. Hoc idem ſecundum nos attribuitur potentiæ actiuæ proximæ, quoniam diſtincti effectus, ſunt à diſtinctis agentibus, qui agunt diſtinctis potentijs actiuis. Dico autem proximæ: quoniam non inconuenit ab vna potentia actiua ſuperioris, & remoti agentis, vt ab vna potentia ſolis, plures effectus in his inferioribus producuntur. Cùm ergo ea, quæ attribuit Scotus potentiæ obiectiuæ poſſint ſaluari per potentiam actiuam qua res producibilis eſt, non eſt neceſſe ponere cùm ipſo tres potentias, ſcilicet actiuam, & paſſiuam, quam dicit ſubiectiuam, & tertiam quam dicit potentiam obiectiuam. Nos Thomiſtæ cum Sanctiſſimo Præceptore tenemus etiàm tres, cum hac differentia, quod ex parte agentis ponimus, & actiuam, & paſſiuam, qua ſcilicet agens poteſt aliquid producere, vel ex parte producibilis, qua ſcilicet ab agente poteſt produci; nam alio modo Roſa generanda in vere eſt potentia actiua agentis naturalis, & alio modo intelligentia quæ eſt producibilis ab agente primo. Primæ potentiæ correſpondet potentia paſſiua, ſcilicet potentia materiæ, qua poteſt recipere formam roſæ. Intelligentia autèm eſt in mera potentia agentis primi actiua, & ei non correſpondet potentia materiæ ex qua producatur. Vndè in via Thomiſtica Roſa generãda dicitur eſſe in potentia paſſiua materiæ; & intelligentia in potentia actiua agentis tantùm, & ideò eſt in ipſa tantùm quia eſt obiectum producibile ab eo. Via hæc noſtra eſt magis conſona Philoſophiæ Ariſtotelis, & Comment. quam tenet S. Doctor in lib. 9. Met. & alibi, & præcluditur via ipſi Scoto ponendi actum entitatiuum, qui correſpondeat potentiæ obiectiuæ. Ità Caiet.

In via Thomiſtica docet Caiet. quot potentiæ ponendæ ſunt ad excludendam potentiam obiectiuam Scoti.

Secundò notat Capreolus cùm Caiet. quomodo materia intelligatur verè eſſe ens, & extrà ſuas cauſas, & extrà nihil, & tamen non debeat admittere in ſe actum entitatiuum; in 2. ſent. d. 13. ad 6. Scoti aſſerit quod ens poteſt ſumi ſex modis, & docet quod materia poteſt dici ens, quatenus omne illud quod eſt quouis modo pars intrinſeca rei ſubſiſtentis dicitur ens, & quatenus illud dicitur ens, de quo poteſt formari propoſitio affirmans de ineſſe, quo pacto priuationes, & negationes reales, & entia rationis entia poſſunt dici; non autem dicitur ens, vel quia ſubſiſtat propria ſubſiſtentia, vel quia ſit ſubiectum actus eſſendi, vel quia ſit principium formale rei ſubſiſtentis per actum eſſendi, vel quia ad rem ſubſiſtentem pertineat actuando illam: & ſicut partes alicuius totius verè ſunt in rerum natura, & exiſtunt, & non per eſſe proprium, ſed per illud totius, ità de materia Philoſophantur Metaphyſici Thomiſtæ cum ſuo Sanctiſſimo Præceptore. Et attentis his omnibus, addit Caiet. ſoluuntur infinita ferè motiua æquiuoca aduerſariorum, & Neotericorum. Ità Caiet.

Secundum notab. Caiet. in quo Metaphyſicè explicatur quomodo materia prima ſit ens, & de ſe tamen non dicat actum entitatiuum.

Notat 3. Caiet. in pluribus locis ſuorum Comment. & ex D. Th. quod vbi eſt exiſtentia, ibi de omnimoda neceſſitate eſt forma, quoniam vbi eſſe, ibi actus, & vbi actus ibi forma, non tamèn prorſus neceſſario vbi eſt forma, ibi eſt eſſe, nàm poterit forma impediri, & præueniri, ne ab ea fluat eſſe, quod aptum eſt ab ea

Tertium notab. Caiet. in quo exprimitur quod eſſe neceſſitate phyſica

ſluit à forma non tamèn ſemper neceſſitate Logica.

proficiſci; & ideò in p.p. q. 50. a. 5. §. ad hoc dicitur &c. docuimus quomodo eſſe ſequatur formam, ſcilicet neceſſitate Phyſica, non autèm Logica, ſemper vtique à forma emanat eſſe, & non implicat, quin præueniatur, quod non ſine magno miraculo credimus eueniſſe in Myſterio Sanctiſſimæ Incarnationis; quia addit Caietanus, diſtinguendum eſt de medio, ſcilicet de media actione, & de media forma: ex coniunctione enim aliquorum immediatè, ideſt ſinè media forma non poteſt concludi inſeparabilitas, vt de forma reſpectu materiæ conſtat, & de albedine reſpectu ſuperficiei. Quando verò aliqua duo ſic ſe habent, quod coniunguntur vniuerſaliter abſq; media actione coniungente, tunc illa duo oportet eſſe inſeparabilia ab inuicem, quia quæcumq; eadem generatione generantur, eadem quoque corruptione corrumpuntur. Talis autèm immediatio actionis non inuenitur intèr materiam, & formam, & alia huiuſmodi, quoniam conſtat præexiſtentibus ſubiectis agens ſua actione coniungere illa: ſed intèr formam quamcumq; & exiſtentiam rei nulla mediat actio iungens hanc illi, quoniam non priùs fuit forma, & per aliam actionem iungitur exiſtere, ſed ipſum fieri formæ ad illam coniunctionem terminatur, & propterea inſeparabiliter ſe habent. Et addit Caiet. infra, exiſtere eſt prædicatum accidentale reſpectu cuiuſcumque naturæ citrà Diuinam, ideſt non per ſe ſimpliciter, ſed per ſe, ideſt non per accidens, Phyſicè. Dicitur prædicatum per ſe reſpectu formæ, quia perſeitate Phyſica illi coniungitur quoniam formam productam neceſſario comitatur exiſtere, & non per accidens, & hoc eſt verum in tota Phyſica. Et hæc diſtinctio, addit Caietanus, eſt præ oculis ſemper habenda, quia deſeruit, & ad multa Theologalia, & Philoſophica in multis materijs, vndè eſt multùm vtilis, & neceſſaria. Eſſe igitur per ſe, & inſeparabilitèr comitatur formam productam, quantùm eſt ex ſe, ſeù ſibi dimiſſam. Anima Chriſti producta, non ſibi dimiſſa eſt, ſed præuenta à Verbo Diuino, & ad illius eſſe aſſumpta eſt. Hæc etiam tetigimus in noſtra Phyſica. Ità Caiet. loc. cit.

Opinio Scoti in quo ſenſu ſit contrà propriam D. Th. explicat Caiet.

Quoad 2. Caiet. explicando diligenter in quo ſenſu ſumitur opinio Scoti contrà D. Th. in concedendo materiæ primæ actum entitatiuum, diſtinguit cum alijs Thomiſtis quod actus tripliciter ſumitur primò formalis dicitur, & eſt idem quod eſſe datum à forma; ſecundò eſt actus, ideſt exiſtentia, & eſt ipſum exiſtere ſignatum per ly eſt in propoſitione de ſecundo adiacente; tertiò dicitur actus entitatiuus explicatus vt in notabili 1. & 2. In primo ſenſu omnes concordant quod materia non eſt, nec poteſt eſſe ſinè forma vt in 8. Met. tex. 3. conſtat. Materiam dico, ait Ariſtoteles, quæ non eſt hoc aliquid ens actu, potentia autèm eſt hoc aliquid imò ponere oppoſitum implicat, vt ait D. Th. In ſecundo ſenſu concordat Scotus cùm D. Th. in negatiua tantùm, quia tenet Scotus omnem exiſtentiam materiæ eſſe à forma. Quantùm autem ad eſſe actu, & quo ad actum entitatiuum diſcordat D. Th. à Scoto, quia etiàm eſſe actu in naturalibus non eſt niſi à forma, vt docet vbiq; cum D. Th. & Commentatore. Et Scotus in illa p. q. diſt. 12. dicit quod Materia non ſolùm eſt in potentia obiectiua tantùm, ſed & in potentia quoque ſubiectiua exiſtens in actu, vel actus, & non curo, ait Scotus, quodcumque dicatur ſecundum quod omne illud dicitur eſſe actu, vel actus, quod eſt extrà ſuam cauſam, vbi videtur quod Scotus non facit ibi differentiam forſitan intèr actum exiſtentiæ, & entitatiuum, vt eius rationes videtur probare non nihil exiſtentiæ ipſi materiæ ſecundum ſe tribuendum. Et in hoc ſenſu ſequuntur Scotum Trombeta 8. Diuin. q. p. Antonius Andrea 7. Diuin. q. 7. Henricus de Gandauo quolib. 4. in fine q. 16. Alenſis q. 1. ſuper Textum quartum, Gregorius Ariminenſis 2. ſent. diſt. 13. quæſt. 2. art. 3.

Con-

Digitized by Google

Concludit igitur Caietanus cum Ariſtotele, Auicenna, Platone, cum D.Thō. Capreolo, Ferrarienſi, & Iauello; & extrà Scolam cum Durando, Ægidio, Ianduno, Achillino, Zimara, & Zabarella, & alijs, quòd vtique materia habet propriam eſſentiam, quæ remouet omnem actum à ſe, cum hic ſit à forma, & quod omnis forma eſt actus, & omnis actus, vel eſt forma, vel à forma, & pro eodem perpetuò accipiunt Ariſtot. & Diu. Thom. has duas voces actum, & formam, & quòd alius eſt primus, & alius ſecundus, & quod ens diuiditur prima ſui diuiſione ſubſtantiæ in actum, potentiam, & compoſitum ex his. Ità Caietanus loc. cit.

Opinio D. Tho. eſt communis apud antiquos Philoſophos & Doct. Thomiſt.

Quò ad tertium. Prima Concluſio Metaphyſicalis ſic ponitur à Caietano. Hoc enſequòd dicimus eſſe materiam eſt ità purè potentiale, vt excludat prorsùs à ſe omnem actum.

Concluſio 1 Caietani cum ſua probatione quod materia à ſe excludit omnem actum.

Probatur à Caietano ſub tali forma. Accipiatur materia in quouis eſſe, vel quomodocunque ipſa ſpectetur, ſemper ratio conſtitutiuà ipſius eſt eſſe potentiam differentiaque eſt eſſentialis, ergò &c. Probatur antecedens. Accipiatur quæuis notio, quiuis ſtatus materiæ, peto, aut eius entitas eſt actus, aut potentia, & non datur medium, quoniam hæc duo in Metaphyſicis ſufficientèr diuidunt ens. Si dicatur primùm, iàm perit, & ruit bona pars Phyſicæ, & pereunt multa, quæ de Platone, & ab alijs doctiſſimis viris audiuimus: ergò opportet dicere quod ſit potentia excludens à ſe omnem actum. Et certè ſi eſſet actus iàm non omnes actus poſſet recipere, vt ex Platone, & Commentatore argui poteſt, & cùm in bona Phyſica nullus actus in rei veritate ſit niſi formalis, & à forma erumpens, vt diximus, iàm materia in eſſentia ſua nudè conſiderata actum haberet formalem, imò eſſet actus formalis, quòd quidem nullus vnquàm docuit, imò oppoſitum ſemper aſſertum eſt. Quòd verò ſi ſubiectum generationis non eſſet ens in potentia, generatio eſſet alteratio, iàm in noſtra Phyſica eſt probatum. Ità Caietanus.

Secunda Concluſio ſic ponitur à Caietano. Sicut nulla datur potentia obiectiua diſtincta ab actiua, & paſſiua, ità nec etiàm datur vllus actus, vel entitatiuus, vel exiſtentiæ diſtinctus à forma.

Secunda Concluſ. Caietani cum probatione primæ partis, ſcilicet quod nō datur potentia obiectiua diſtincta ab actiua.

Probatur prima pars à Caietano. Si daretur potentia obiectiua diſtincta realiter ab actiua, & paſſiua, iàm aliquid eſſet antequàm ſit: ſed hoc implicat, ergò, &c. Probatur ſequela, quia id dicitur in potentia obiectiua, quòd ab agente poteſt produci, ergo nondùm eſt productum, vndè ſi illa potentia obiectiua ſit quid reale iàm quid illius reale præeſt, antequàm ſit, & ſic non datur Creatio, quæ eſt ex nihilo ſui, quia erat in potentia obiectiua, vt aliqua res, & ſic ex illa re dicetur produci. Quapropter, addit Caietanus, potentia obiectiua nil aliud eſt, dicimus nos, quàm non repugnantia terminorum, ſiuè quod in idem reddit, eſt potentia Logica, & extrinſeca denominatio, per quam aliquid poteſt dici eſſe in potentia agentis, & ideo in re non diſtincta à potentia actiua, vel paſſiua. Ità Caietanus.

Probatur ſecunda pars à Caietano ſic. Non datur ex dictis potentia obiectiua, ergò non dabitur actus ei reſpondens, qui ſit alius ab actu formali, qui non poteſt vllo modo conuenire materiæ, ſecundum ſe: ergò ſequitur quòd neceſſario nullum includat actum. Et ideò Ariſt. dixit in 9. Diuin. tex. 16. quod materia, & eſt potentia, & tunc ſolùm eſt in actu, quando eſt ſub forma. Et dicere quòd Ariſtot. ſentit eſſe in actu formali, quando eſt ſub forma, & quando eſt in ſe ipſa ſit ſub alio actu entitatiuo eſt facere ridiculum, & nugaciſſimum Ariſtotelem

Probatio ſecundæ partis qua Caiet. probat quod nō datur actus à forma diſtinctus.

lem in ſuis verbis, quia ſi datur hic actus entitatiuus, & exiſtentiæ alius à forma, temerè Ariſtoteles loquutus fuiſſet, vbique appellans formam actum, quoniam iàm darentur actus, qui non ſunt formæ: quapropter vt vetus Philoſophus ſapiens debebat diſtinguere ſic. Hæc vox actus dupliciter ſumitur vno modo qui eſt forma, & vera pars compoſiti, & alio modo qui eſt actus, & potentia ſimul. Et tamèn patet lippis, & tonſoribus, quòd Ariſtoteles nullum alium actum ſomniauit à forma. Ità Caietanus, qui dedignatus eſt impugnare hunc actum alium à forma in quæſt. 8. cap. 5. de ente, & eſſentia, ſed in ſuis Commentarijs de eſſentia materiæ primæ ità, & non alitèr diſcurrit.

Argum primum Caietani contrà ſecundam partē concluſionis ſecundæ. Quò ad quartum. Arguit Caietanus primò ſic. Si materia haberet omnem actum à forma, cùm dicatur quòd omnis exiſtentia eſt à forma, iàm incorruptibile penderet à corruptibili, & ipſa ampliùs non eſſet incorruptibilis, ſed millies eſſet corruptibilis, ſed hoc in Phyſica vera non eſt admittendum: ergò dicendum eſt materiam habere proprium actum, qui ſit alius à forma. Prob. ſequela, quia in deſitione formarum recedentium ab ea millies amitteret eſſe, maximè quia formæ ſunt corruptibiles, vel ſi acquirit nouum eſſe annihilatur, vel annihilatio eſt cum nouo eſſe.

Confirm Argumentum primum ex Durando. Confirmat Caietanus in 3. p. quæſt. 17. art. 2. ex Durando de natura aſſumpta à verbo. In tali caſu, vt dictum eſt in Argumento haberet eſſe nouum in ipſa materia, & etiàm ipſa natura aſſumpta dimiſſa: ergò eſt corrupta. Probatur à Durando ſequela dupliciter, tùm quia perdidit eſſe ſimpliciter, & acquiſiuit aliud eſſe ſimpliciter; tùm quia niſi hoc ſufficiat ad corruptionem ſimpliciter naturæ, & quòd nullum aliud eſſe recipiat, ſequitur quod nunquàm poterit eſſe corruptio ſine annihilatione. Ità Caietanus ex Durando.

Reſponſio Caiet. ad Argumentum. Reſp. Caietanus ad Argumentum, quod materia, quia nullam de ſe valet habere exiſtentiam. Si hæc corrumpatur, quatenùs eſt illius formæ, cui ſubeſt, non poteſt dici materia corrumpi, quoniam nihil ſui emittit, & idcircò dicitur, quòd materia nunquàm corrumpitur. Et hoc, vel quia nunquàm exiſtentiam abſolutè amittit, cum nullum detur inſtans, in quo ſit abſque exiſtentia licèt hanc, vel illam amittat; vel quia eſt talis natura, ad cuius conſtitutionem ſufficit eſſentia, quàm nunquàm deperdit. Ità Caietanus.

Reſponſio Caietani ad Confirmationem Durandi. Ad Confirmationem ex Durando Reſp. Caietanus, quod corruptio ſimpliciter naturæ compoſitæ qualis eſt Humanitas Chriſti non attenditur penès eſſe actualis exiſtentiæ, ſed penès eſſe eſſentiæ, quòd ex eo clarè patet, quòd Humanitas Chriſti per mortem corrupta eſt ex hoc quod Anima ſeparata eſt à Corpore. Et in hoc omnes conuenimus, quamuis ſecundum D. Thom. & multos nullum eſſe actualis exiſtentiæ fuerit per Chriſti mortem corruptum. Quando igitur ex perditione eſſe corruptio ſimpliciter infertur, niſi ſit ſermo de eſſe eſſentiæ, aut de eſſe, vt includit eſſe eſſentiæ, negatur ſequela. Et per hoc patet quòd ſubiuncta probatio Durandi nihil valet, ergò annihilatio, quia ſi non perdit vnum eſſe exiſtentiæ, & acquirit aliud, oportet etiàm nullum aliud acquirere. Nihil valet, inquàm, quia ſtat quòd perdat vnum, & nullum aliud acquirat, & non annihiletur, ſed corrumpatur per expoliationem materiæ ab illa forma. Si enim in ipſa dimiſſione humanitatis à Chriſto Anima illa ſepararetur à Corpore, tunc humanitas Chriſti perderet vnum eſſe, & nullum aliud acquireret, quia non eſſet, & tamèn annihilata non eſſet, quia remaneret, & materia cùm forma cadaueris, & anima intellectiua cum noua exiſtentia modo ſuprà expoſito. Ità Metaphyſicè, & non alitèr diſcurrit Caietanus loc. cit. ſect. 3. p. quæſt. 17. cit.

Arguit

Arguit vltimò Caietanus ex D. Thom. 3. p. quæſt. 17. art. 2. In Chriſto Domino eſt vnicum eſſe exiſtentiæ, adeò vt Humanitas à Verbo aſſumpta ſicut caret perſonalitate propria creata, itá exiſtentia propria, cum per illam hypoſtaſis Filij Dei exiſtat: ergò iàm de facto materia exiſtit abſque exiſtentia formæ, ſupplente de facto Diuina Omnipotentia.

Arguit ſecundò Caietanus.

Reſp. Caietanus, falſiſſimum eſſe, quod materia in Chriſto Domino exiſtat abſque forma, adeſt enim ibi Anima Sanctiſſima, quæ eſt forma humanitatis informans illam materiam, non minùs quàm mea anima informet meam; quòd autèm ab ipſa non proueniat exiſtentia; Hoc nihil obſtat, quia preuenitur exiſtentia illa ab exiſtentia Verbi, & communicatur humanitati iàm ſub forma manenti. Et fieri non poteſt, vt diximus, quòd à forma non emanet eſſe, & non emanat, niſi in caſu præuentionis. Et inſuper Verbum Diuinum, quamuis non ſit forma humanitatis, illi hærendo, vel eam informando, eſt in ſe tamèn actus perfectiſſimus, ac ſimpliciſſimus, & illa humanitas non eſt ſola materia, ſed ex materia, ac forma coaleſcit. Vndè ex eò quòd ei Verbum impartitur eſſe, arguere quòd aliud à forma eſſe tribuat materiæ primæ, vel nudæ, vt omninò puerile, ac impertinens in tota Phyſica naturali, nedùm in Metaphyſica, ſed etiàm in Phyſica ſemper abominati ſumus in noſtris Commentarijs, & Opuſculis. Itá Caietanus.

Reſponſio ad Argumentum ſecundum.

Appendices ad Lectionem tertiam Metaphyſicalem in Tractatu de ente, & eſſentia.

De hoc principio vniuerſali, ſcilicet quod omnis actus eſt à forma, & quod materia eſt purum ens potentiale, leges primæ notæ viros præclariſſimos Thomiſtas, intèr Hiſpanos Sotum, Panneſium, ſed ſuprà cæteros noſtrum profundiſſimum Metaphyſicum Io: à S. Thoma, Godoy. Intèr Pariſienſes, & Toloſanos Capreolum, Goudin; & illos qui nouiſſimè Phyloſophicum, & Theologicum curſum ediderunt in lucem. Et ipſum Iauellum in quæſt. 2. 9. Met. qui ex Doctrina Ariſtòt. in 9. Diuinorùm, vbi Ariſt. quinque rationibus deſtruit opinionem Megaricorum, ſiuè Zenonis, qui Megaris ſuam tradidit Phyſicam, & hoc effatum quod actus eſt potentia ſunt idem, ex quo concludebat Ariſtot. ſecundum illos quod erat tollere de medio generationem ſimplicitèr, omnes motus, & corruptiones, & Artes, &c. docet inquàm Iauellus, quempiam non poſſe cogi ex doctrina Ariſtotelis ad ponendam potentiam obiectiuam diſtinctam realitèr ab actiua, & paſſiua, & quòd potentia reſiſtitiua reducitur ad actiuam, quamuis diſtinguatur ratione ab actiua: eadem enim potentia dicitur actiua inquantùm corrumpit, vel remittit contrarium; & dicitur reſiſtitiua inquantùm retardat actionem agentis contrarij.

Leges etiàm, ſi vis, Magiſtrum noſtrum Ripam, qui totus inſudat ſuper caput quintum de ente, & eſſentia in quæſt. 2. per octo articulos in defenſione iſtius principij vniuerſalis in tota Metaphyſ. & Phyſica naturali iuxtà Doctrinam Ariſt. D. Thom. eiuſque Interpretis, ſcilicet quòd diuiſio illa data ab Ariſt. de ente in ens potentiale omninò, & in ens actuale omninò, quod eſt forma, à qua proficiſcitur omnis actualitas, & actus concludens quòd nullus bonus Philoſophus verus, & Germanus, poteſt ipſam negare.

Sed parcas mihi, Diſcipule Thomiſta, ſi meum aperio ſenſum in hac Appendice circà Doctrinam mei amantiſſimi, nec non ſapientiſſimi Magiſtri Fr. Seraphi-

Digitized by Google

ni Picinardi Brixienſis Theologi in Vniuerſitate Patauina pro Scola Ariſt. ex D. Thom. Inuehit plenus eruditionibus, & Doctrinis, hic noſter Doctor contrà Athomiſtas perculſos in illa Philoſophica nouitate contrà Phyſicam Ariſtotelis introductam, vbi negatur, præcipuè in 6. capite, quæcumque forma accidentalis realitèr intrinſecè Phyſicè à ſubſtantia diſtincta. In hoc loco certè profundiùs penetrabis naturam actus ſubſtantialis, & accidentalis.

Circà diuiſionem entis traditam ab Ariſt. 5. Met. tex. 14. vbi ait, Item ipſum eſſe, & ipſum ens quoddam eorum, quæ dicta ſunt potentia dici poſſe ſignificant, quoddam actu, &c. Paſqualigus intèr Neotericos in ſua Metaphyſica diſp. 31. num. 13. tenet, quod non eſt admodum vſitata, ità vt cenſeatur diuidere ipſum ens, & quòd nec etiàm rectè tradatur, probat ratione ibi, etiàm procedendo de actu, & potentia Metaphyſicè conſideratis; vndè in diſp. 32. defendit opinionem Neotericorum, quòd vera, & adæquata diuiſio entis prima eſt in ſubſtantiam, & accidens. Quidquid ſit de hoc non facit ad propoſitum in hac Lectione controuerſia Paſqualighi, quia non quæritur de diuiſione entis in ente actu, & ente in potentia, an ſit prima, & adæquata, quia de hoc alias. Sufficit modo ſcire quòd in Metaphyſica Ariſt. datur, & inuenitur diuiſio entis in ens actu, & in ens in potentia.

LECTIO IV.

METAPHYSICALIS

IN TRACTATV DE ENTE, ET ESSENTIA.

Vtrùm Ens in quantum Ens habeat cauſam effectiuam?

Ex Caietano in 1. p. q. 44. art. 2.

Declaratio Tituli eiuſque ſenſus reſtrictiuus datus à Caietano præſenti Lectioni.

TITVLVS, ait Caietanus, eſt reſtrictiuus, & non vniuerſalis, ideſt occaſione quæſiti de materia prima in præcedentibus lectionibus, reſtringimus declarationem entis in quantum ens cum D. Thom. in 1. p. quæſt. 44. art. 2. ſecundum illam diuiſionem Ariſtotelis in ens actuale, & in ens potentiale, ad cauſam effectiuam, an ens in quantùm ens illam habeat. Et non ampliamus titulum in illa vniuerſalitate ſecundum quam Metaphyſici cum Ariſt. quærunt, in quæſt. 1. 6. Met. ſuprà illum Textum, principia, & cauſæ quæruntur entium, palàm autèm quia in quantum entia, &c. ſcilicet ad principia, & cauſas, vt medium ad demonſtrandum, quia cuiuſcumque ſcientiæ ſubiectum habet principia, & cauſas, vt declarauimus in 1. poſt. ex quibus demonſtrantur quæ demonſtranda ſunt de ſubiecto, & modo conuenienti vnicuique ſcientiæ, ſcilicet vel à priori, vel à poſteriori. Et cum in quæſtione

proæ.

proæmiali ſuprà ſtatutum ſit ens in quantùm ens eſſe ſubiectum in Metaphyſicâ certum eſt quòd prima cauſa vt cadit ſub conſideratione Metaphyſic: habet principia, & cauſas apud intellectum noſtrum, quæ ſunt vel conceptus, vel effectus primæ cauſæ, ex quibus aliqua de Deo demonſtramus, vt conſtat in 12. Met. Vndè Ariſt. in loc. cit. cum omnibus Metaphyſicis in illo Textu non intelligit de principio effectiuo, nec materiali, nec formali propriè ſumpto, nec de finali, quia ſi ſic intelligeret, quodlibet contentum ſub ente, vt eſt ſubiectum Metaphyſicæ haberet huiuſmodi principia iuxtà illud quod conuenit alicui tali in quantùm tale, conuenit omni tali. Prima cauſa autem non habet effectiuum principium cum ſit primum Ens, & cauſa omnis entis, nec materiale, nec formale, cum ſit omninò ſimplex, nec finale, cum ad ipſum ordinentur omnia tanquàm ad melius. Intelligitur ergò Ariſt. ibi per ly cauſas, & principia entis media quibus probantur proprietates entis de ente, quæ vt ſic dicuntur cauſæ, & principia formalia in cognoſcendo: hanc ergò amplitudinem Tituli relinquimus, & iam hæc in 1. poſt. oſtendimus, vndè hic ampliùs non ſunt repetenda.

Quærimus ergò reſtrictiuè occaſione entitatis materiæ, An ens in quantùm ens, comprehendendo ens potentiale, ſit à Deo effectiuè. Et nolumus hic repetere quæ diximus in noſtra Phyſica lib. 1. quæſt. 8. deſumpta quoquo ex hac quæſt. 44. cit. explicando tex. 28. Ariſtotelis in 12. Met. & tex. 9. 5. Phyſ. in Metaphyſica, quod cauſæ entis inquantùm ens ſunt cauſæ facientes ſubſtantiam ex pura potentia. Et in Phyſica, quod in generatione ſubſtantiali fiat ens ſimpliciter ex non ente ſimpliciter, & per conſequens fit ens ſecundum quod ens, vt toties in ſua Phyſica repetit Ariſtoteles, quòd per tranſmutationem ſubſtantialem fiat ens in quantùm ens; cum materia ſecundum ſe neque quid, neque quale, neque aliquid eſt aliorum generum, vt dicitur 7. Met. tex. 8. His igitur omiſſis, onus aſſumimus explicandi præſentem Lectionem in ſenſu modo declarato, ſcilicet reſtrictiuo ad cauſam effectiuam. Ità Caietanus.

Omittuntur ea quæ ſunt dicta in Phyſicis, & purè Metaphyſicalia hic traduntur.

Quò ad 1. Caiet. in q. 44. cit. notat ex D. Thom. tres ordines cauſarum efficientium paulatim ſucceſſu temporis à Philoſophis inuentos. Primò ordinem cauſarum tranſmutationum accidentalium, ſecundò ordinem cauſarum tranſmutationum ſubſtantialium; & tertiò ordinem cauſarum. Conuenientia intèr primos duos ordines conſiſtit in hoc, quod vtrobiq; Philoſophi cauſas particulares agentes aſſignauerunt rebus, quia vtroq; mòdo conſiderauerunt ens particulare particulariter, ſcilicèt in quantùm eſt tale ens, vel in quantùm eſt hoc ens, & patet hoc, quia ſicut ſubiectum per formam accidentalem contrahitur ad determinatum modum eſſendi, ità materia prima per formam ſubſtantialem ad determinatam entitatem ſpecificam. In tertio ordine cauſarum eſt cauſa entium inquantùm ſunt entia, & inueſtigata dicitur hæc cauſa ex conſideratione entium non ſolùm ſecundum quod ſunt hæc vel illa, vt in duobus primis ordinibus, dictum eſt, ſed ſecundum quòd ſunt entia. Et in hoc tertio ordine ſupponitur quod ens in quantùm ens habeat cauſam effectiuam, quod eſt id quod aſſumpſimus ad explicandum. Ità Caietanus loc. cit.

Primum notabile Caietani in quo oſtenduntur ex D. Tho tres ordines cauſarum.

Secundò notat Caietanus circà hos ordines cauſarum, in quo ſenſu ſumendum ſit ens, ſeù eſſe; tres conditiones ponuntur à D. Thom. ſcilicet eſſe accidentale, eſſe ſubſtantiale, & eſſe abſolutè, quæ intèr ſe non vniformitèr diſtinguuntur. Nàm intèr eſſe ſubſtantiale; & accidentale manifeſta eſt diſparatio. Eſſe autèm abſolutè non eſt tertia res, ſed ſe habet ad illa, quaſi ſicut animal ad tale, & tale animal. Et propterea, quamuis ſemper cùm fit aliquod eſſe ſiuè ſubſtantiale, ſiuè accidentale, fiat eſſe, ſicut fit homo fit animal, & cùm fit album fit coloratum,

Secundum notabile Caietani, in quo explicatur in quo ſenſu Philoſophi ſumpſerint ens.

tum, non tamèn eſſe ſemper fit per ſe, ſed quandoque per accidens, & quandoque per ſe. Et cùm fit eſſe per accidens ab omni cauſa fit, & hoc non facit ad præſentem quæſtionem; quandò autèm fit eſſe per ſe, à ſola cauſa entis, in quantùm ens fit, & hoc inſinuat illa nota ſpecificationis in litera art. 2. cit. ſcilicet *ly* in quantùm entia; & proptereà ibi dicitur à S. Doctore quod conſiderantes Phyloſofi cauſas tranſmutationum tàm ſubſtantialium, quàm accidentalium, conſiderauerunt res ſub quadam particulari conſideratione, ideſt ſecundum quamdam rationem ſpecialem, & non ſecundum rationem vniuerſaliſſimam, ideſt conſiderauerunt in quantùm ſunt hæc puta homo, bos, aſinus, &c. vel vt talia, puta graue, rarum, album, dulce, &c. & non in quantùm ſunt, vt exponitur in hac Lectione. Ità Caietanus loc. cit.

Opiniones antiquorum circà tranſmutationem materiæ, & quomodo Ariſtoteles peruenerit ad hanc veritatem, quod ens in quantum ens habet cauſam effectiuam.

Quò ad ſecundùm. D. Thom. in art. 2. quæſt. 44. cit. refert, quod Antiqui Philoſophi paulatim intrauerunt in cognitionem veritatis: A principio quaſi groſſiores exiſtentes non exiſtimabant eſſe entia niſi corpora ſenſibilia, quorum qui ponebant in eis motum non conſiderabant motum niſi ſecundum aliqua accidentia, vt puta ſecundum raritatem, & denſitatem per congregationem, & ſegregationem, & ſupponentes, quòd ipſa ſubſtantia corporum eſſet increata, aſſignabant aliquas cauſas huiuſmodi accidentalium traſmutationum, vt puta, amicitiam, litem, intellectum, aut aliquid huiuſmodi. Vlteriùs verò procedentes diſtinxerunt per intellectum intèr formam ſubſtantialem, & materiam, quàm ponebant etiàm increatam, & perceperunt fieri tranſmutationem in corporibus ſecundum formas eſſentiales, quorum tranſmutationum cauſas vniuerſaliores ponebant, vt obliquum circulum ſecundum Ariſt. lib. 2. de Gen. tex. 56. vel idæas ſecundum Platonem. Sed quia materia, ait S. Doctor per formam contrahitur ad determinatam ſpeciem, ſicut ſubſtantia alicuius ſpeciei per accidens ei adueniens contrahitur ad modum determinatum eſſendi, vt homo contrahitur per album; ideò alij erigentes ſe ad conſiderandum ens in quantùm ens, & conſiderantes cauſas rerum non ſolùm ſecundum quod ſunt hæc, & talia, ſed ſecundum quod ſunt entia, concluderunt cum Ariſt. & D. Thom. quod hoc, quod eſt cauſa rerum inquantùm ſunt entia, opportet, quod ſit cauſa rerum non ſolum vt talia per formas accidentales, & vt hæc per formas ſubſtantiales, ſed etiàm ſecundum omne illud, quod pertinet ad eſſe illorum quocumque modo, & ſic iuxtà hanc poſitionem opportet ponere, quòd etiàm materia prima ſit creata ab vniuerſali cauſa entium, quod eſt Deus Glorioſus. Ita Caietanus loc. cit.

Vnica Concluſio quod ens in quantùm ens habet cauſam vniuerſaliſſimam effectiuam cũ ſua probatione.

Quò ad tertiùm. Caietanus ponit hanc vnicam concluſionem ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 44. art. 2. Ens in quantùm ens habet cauſam effectiuam, quæ eſt Deus cauſa vniuerſaliſſima.

Probatur vnica ratione à Caietano ex D. Thom. ſub tali forma. Illud quod eſt cauſa ſecundum omne illud quod pertinet ad eſſe ipſorum entium quocumque modo, eſt cauſa entis in quantùm ens: ſed Deus eſt cauſa ſic: ergò eſt cauſa entis in quantùm ens: ergò ens in quantùm ens habet veram cauſam effectiuam: ſed materia prima eſt aliquo modo ens, ſcilicet eſt ens potentiale reale: ergò etiàm ipſa cadit vt effectus ſub cauſa vniuerſaliſſima effectiua totius entis in quantùm ens. Maior infertur ex præmiſſa differentia à S. Doctore in art. 2. cit. intèr cauſam entium in quantùm entia, & intèr cauſas tranſmutationum: nimirùm quòd iſtæ ſunt cauſæ entium in quantùm hæc vel talia; & illa eſt cauſa entium in quantùm ſunt entia, quod eſt eſſe cauſam cuiuſcumque realitatis, ſiuè potentialis, ſiuè actualis, quæ ſpectet quomodocumque ad eſſe ipſorum entium, Minor principalis, &

Minor

Minor ſubſumpta non habent difficultatem, quia ſunt ipſa principia Metaphyſica tradita in lib. 12. Met. & ſic fiunt manifeſtæ conſequentiæ prædictæ. Itâ Caietanus ex D. Thom.

Quò ad quartùm. Caietanus arguit primò ſic. Si enim ens in quantùm ens haberet cauſam effectiuam omne ens haberet cauſam effectiuam ſecundum quod eſt eos, & ſic Deus vt ens eſſet cauſatus: hoc eſt impoſſibile, ergò &c. Probatur ſequela à Caietano, valet enim, eſto ly in quantùm teneatur ſpecificatiuè, vt patet cum dicitur, ens in quantùm ens eſt ſubiectum Metaphyſicæ: ergò omne ens ſecundum quod ens eſt ſubiectum Metaphyſicæ. *Primum Arg. Caiet. contrà conclusionem.*

Reſp. Caietanus, quod à ſpecificatiua ad vniuerſalem, nec valet conſequentia ſimplicitèr, nec cum nota ſpecificationis formalitèr loquendo. Non enim valet Socrates, eſt Criſpus ſecundum quod capillatus: ergò omnis capillatus vt ſic eſt Criſpus, &c. In propoſito ergo dicimus, quod in iſta ens in quantùm ens habet cauſas, etiàm ſi ly in quantùm teneatur ſpecificatiuè formalitèr loquendo nullum alium ſenſum facere poteſt niſi hunc, ſcilicet quod ens habet cauſas non ſolùm ſecundum rationes ſpeciales eſſendi, puta humanum, equinum, &c. ſed etiàm ſecundum ipſam entis rationem, quamuis non in quolibet, quia non in Deo. Non ſolùm enim Socrates dependet quia eſt homo, vel animal, ſed etiàm quia eſt &c. Inſtantia verò allata nihil nocet, quia tenet gratia materiæ. Itâ Caietanus loc. cit. ad ſecundum dubium, &c. *Reſp. Caiet. ad Argum. primum.*

Arguit ſecundò Caietanus ibidem, quod non valeat iſta conſequentia. A, eſt cauſa entium in quantùm entia: ergò eſt cauſa omnis eius, quod pertinet ad eſſe eorum. Probatur. A, eſt cauſa hominis in quantùm homo: ergò eſt cauſa omnis eius, quod pertinet ad eſſe hominis, non valet, inquàm, fingamus enim idæas Platonicas eſſe per ſe cauſas ſenſibilium, idæa hominis eſſet cauſa hominum vt ſic, & tamen non cauſaret materiam, quæ tamen eſt pars hominis. Et idem eſt iudicium, de quocumque tranſmutante. Itâ Caietanus, &c. *Argumentum ſecundum Caietani contrà idem vt ſuprà.*

Reſp. Caietanus quod formaliter loquendo in omni materia valet A eſt cauſa effectiua per ſe. B, in quantùm B, ergò eſt cauſa omnis eius, quod pertinet ad eſſe B, vt ſic, alioquin non eſſet ſufficiens, & per ſe propria cauſa B, & ſic propria cauſa hominis in quantùm homo eſt cauſa eius omnis quod pertinet ad hominis eſſe vt ſic, & ſimiliter cauſa entis in quantùm ens eſt cauſa omnis eius quod pertinet ad ens vt ſic, & in hoc non eſt differentia. Sed diſparitas eſt in vlteriori conſequentia gratia materiæ. Cùm enim intèr ens, & reliqua ſpecialia puta hominem, animal, &c. tantùm diſtet, quod in alijs aliud eſt materia abſolutè, & aliud materia vt eſt eius, quoniam materia abſolutè eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, vt autèm eſt propria hominis eſt ab agente hominem. In ente verò idem eſt materia, & materia vt entis: quoniam materia abſolutè non niſi entis eſſe poteſt, ideò in terminis ſpecialibus non valet conſequentia, ſeù ſequela, A, eſt per ſe cauſa hominis, ergò eſt cauſa omnis eius quod pertinet ad hominem, ſed opportet addere ly vt ſic; & poſtmodum non valet vlterior ſequela, ergò eſt cauſa omnis eius, quod pertinet ad eſſe hominis, & non valet etiàm, ergò cauſa materiæ, quæ eſt pars hominis, ſed in ly ens termino vniuerſaliſſimo vtique valet primò A, eſt cauſa entis vt ens, ergò eſt cauſa omnis eius quod pertinet ad ens vt ſic, & valet vlteriùs, ergò eſt cauſa omnis eius quod pertinet ad ens, & inſuper valet, ergò eſt cauſa materiæ quæ eſt pars entis. Itâ Caietanus. *Reſponſio ad ſecundum Argum. ipſius Caietani.*

Arguit tertiò Caietanus ſic contrà explicationem Tituli. Repugnat perfectioni vniuerſali primæ cauſæ quod habeat principia etiàm ſecundum rationem: ergò repu- *Arg. Caiet. 3. contrà Tituli explicatum.*

Digitized by Google

repugnat primo principio habere principium etiàm ſecundum rationem: Prob. hoc : quia ſi primæ cauſæ competit principium ſecundum rationem, licèt non ſecundum rem : ergò non erit omnibus modis primum : plus eſt enim eſſe primum ſecundum rem, & ſecundum rationem, quàm eſſe primum duntaxat ſecundum rem.

Reſp. prima Caietani ad tertium Argum. contrà ſingulum explicatũ.

Reſp. primò Caietanus, quod licet primo principio totius entis repugnet principium habere in genere entis, quoniam vt ſic eſſet aliquid prius eo, comparando tamèn ipſum ad intellectum noſtrum in ratione cognoſcendi non inconuenit aſſignare ſibi principium, & eſt illud, à quo incipit noſtra cognitio de prima cauſa, quod quidem eſt poſteriùs ſecundum rem, vtpotè effectus illius; ſecundum cognitionem autèm noſtram eſt priùs, quia priùs cadit in noſtro intellectu quàm cognitio primæ cauſæ.

Reſponſ. ſecunda Caietani ad idem Argum. tertium.

Reſp. ſecundò, quòd eſſe primum, & ſecundum rem, & ſecundum rationem ex parte rei intelligibilis, plus eſt quàm eſſe primum ſolum ſecundum rem : ſed eſſe primum ſecundum rem, & ſecundum rationem ex parte rei intelligibilis, non autèm ex parte noſtri intellectus, qui plerumque accipit cognitionem à poſteriori, non minuit omnimodam primitatem conuenientem primæ cauſæ, quoniam prioritas rationis ſumpta ex parte noſtri intellectus, prouenit ex debilitate ipſius intellectus.Ità Caietanus.

Appendices ad quartam Lectionem Metaphyſicalem in Tractatu de ente, & eſſentia.

PRo intelligentia maiori quod materia prima, licèt ſit ens potentiale, habeat cauſam effectiuam videnda ſunt, quæ habet D. Thom. in 2. ſent. diſt. 1. quæſt. 1. art. 2. & 3. & diſt. 17. quæſt. 1. art. 2. cum Ægidio ibi, & D. Bonauentura. Et in 2. contrà Gent. cap. 6. 15. & 16. cum Ferr. ibi, & opuſc. 3. cap. 68. & 69. & opuſc. 15. cap. 9. Et de materia prima præcipuè, quod ſit concreata à Deo, legas D. Thom. 1. ſent. diſt. 36. quæſt. 1. art. 2. & de verit. queſt. 3. art 5. & de potentia quæſt. 3. art. 5. & quæſt. 4. & opuſc. 3. cap. 69. 98. 229. 230. & nota Reſponſionem D. Tho. ad primum quæſt. 44. art. 1. quod licet entia ſimpliciter, ideſt Deus, & entia vt entia poſſint intelligi ſinè habitudine ad cauſam; entia tamèn vt per participationem ſunt entia, non poſſunt intelligi ſine habitudine ad cauſam. Eſſe igitur cauſatum non eſt de ratione entis, ſed de ratione entis creati vt creati, ideſt vt entis per participationem.

Venerabilis Porrecta in Appendice art. 1. quæſt. 44. refert, & nàrrat omnes phantaſias Ethnicorum, & Hæreticorum qui diuerſas cauſas citrà Deum attribuunt pro libito creaturis tùm ſpiritualibus, & corporalibus. Et in Appendice art. 2. videbis ibi quomodo aliqui non dubitarunt aſſerere, quod materia Elementorum, ex qua Mundus eſt factus, non fuerit facta à Deo, ſed Deo coæterna. Et videbis ibi citatum Hermogenem, qui introduxit materiam non natam, imò comparauit eam Deo non nato, & credidit ipſam eſſe matrem Elementorum, & Deum, multaſque alias phantaſias ridiculas ibi notabis.

Intèr Neotericos Paſqualigus, qui habet rem cum ipſis, pro vt recedunt ab obiecto Metaphyſicæ, non eſſe ens in tota ſua latitudine, multa habet contrà declarationem Tituli factam a Caietano in diſp. 18. ſect. 1. 2. 3. & 4. ibi enim vult quod nec Deus, nec intelligentiæ ſpectent ad obiectum Metaphyſicæ, ità vt pro ipſo nulla ſit illa Gloſa data à Metaphyſicis ſuprà illum Textum Ariſt. in 6. Met. in principio quæſt. 1. quod ſint ibi principia, & cauſæ ſecundum rationem in ente

in

in quantùm ens, prout comprehendit Deum: quia ait Paſqualigus, ſi in 12. Met. tractatur de Deo, & Intelligentijs, ab Ariſt. tractatur de Deo, non tanquàm de obiecto, ſed tanquàm de vltimo fine, & prima cauſa, quia nondum aderat Theologia, ad quam deberet reduci, vndè ſi Deus eſt ens, non verè eſt ens, ſed aliquid eminentius ente; & in diſp. 19. num. 14. dicit quod Ariſt. in Met. agit de Intelligentijs, quia cum non adeſſet Theologia, cui aſſignarentur pro obiecto ipſæ intelligentiæ reduxit earum tractationem ad Metaphyſicam, tanquàm ad Scientiam, cum qua ſaltem ratione nobilitatis obiecti magis congruerent. Non audeo ego ponere cenſuram in hac re, ponant alij &c.

LECTIO V.

METAPHYSICALIS

IN TRACTATV DE ENTE, ET ESSENTIA.

In quo ſtatu verificetur de eſſentia, quod ſit quid reale poſitiuum.

Ex Caietano c. 4. de Ente, & Eſſentia q. 6. & c. 5. q. 11. & alibi multis in locis.

NON aſſumimus in præſenti Lectione, ait Caietanus, ad explicandum ſi ſit aliquid reale poſitiuum ipſa eſſentia pro vt eſt in ſingularibus, vt diſtinguit D. Th. in quolib. 8. a. 1. & in p. p. q. 19. a. 2. ad 3. quia certum eſt, eſſe quid reale apud omnes Philoſophos, vt notat etiam S. Doctor in c. p. de ente, & eſſentia circà diuiſionem eiuſdem ſtatus eſſentiæ, certum eſt, inquam, quia ſua potentia ad eſſe exiſtentiæ eſt completa extrà ſuas cauſas Phyſicè complemento, & perfectiuo Phyſico quod eſt eſſe vltima actualitas; nec etiam aſſumimus ad explicandam ipſam pro vt eſt in intellectu, quia certum eſt, quod habet ibi eſſe rationis tantùm. Quod controuertimus eſt an ſit quid reale actuale actualitate ſaltèm Metaphyſica, quia conſideratur eſſentia ſecundum ſe extrà intellectum, antequàm ſit in ſe, & hoc dupliciter vel vt conſideratur terminus ſimplicis intelligentiæ, vt Roſa in Hyeme, quatenus eſt in potentia ad Roſam exiſtentialiter in Vere; vel ſecundum ſe pro vt nondùm concipitur vt vniuerſalis formaliter, ſeù vt ſpecies ſecundum Prædicabile, pro vt ſolet dici quod ens eſſentiæ antequam exiſtat eſt ens reale Metaphyſicum, ſcilicet ens reale actuale actualitate eſſentiæ, & hæc diuiſio habet fundamentum in D. Th. in multis ſuæ doctrinæ locis, quod ſcilicet res habet triplex eſſe; in ſingularibus, ſcilicet, & hoc eſt eſſe reale actuale Phyſicum; ſecundò in cauſis, & hoc eſt eſſe vniuerſale, quia actu eſt in cau-

Vera explicatio controuerſiæ einſq; ſenſus data à Caietano.

la realis virtus ad producendum, & ſic dicitur eſſe realiter in eius potentia; & tertiò pro vt habet eſſe in intellectu, & hoc eſt eſſe actuale rationis.

Explicatur Controuerſia à Caiet. exemplo intellectus agentis.

Et Caietanus ad declarandam hanc Controuerſiam dat exemplum Metaphyſicale ex D. Th. in p. p. q. 87. a. 1. in Reſp. ad ſecundum de Intellectu Agente noſtro, ſcilicet quod propriiſſimè loquendo non eſt intelligibilis in potentia, neq; in actu, ſed ſe habet vt actus intelligibilium materialium in actu; non in potentia quia non eget aliquo faciente ipſum de intelligibili in potentia, in actu; nec eſt intelligibile in actu, quia experimur non eſſe ſufficiens perfectiuum intellectus noſtri obiectiuè ſecundum ſe, quod tamen exigitur ad intelligile in actu: experientia tamen docet eſſe actum aliorum non vt Lux, quia hæc habet quod in ſe ſit Lux & ideò viſibilis per ſe, & etiam vt ex ea emanet lumen diffuſum in alio, & ideò vt lumen aliorum. Intellectus agens eſt ſecundo modo tantùm lumen, ſcilicet, & habitus aliorum, non verò vt in ſe lucidum. Hæc enim omnia naturæ, & ordini Vniuerſi conſonant, quia ſi intellectus agens poneretur ſeparatus à poſſibili eſſet Lux in primo ſenſu: ſed quia ponitur pars poteſtatiua animæ eſt lux in ſecundo ſenſu. Hæc poſſunt applicari in præſenti Controuerſia pro actualitate Metaphyſica, an poſſit attribui vt realis ipſi eſſentiæ ſecundum ſe conſideratæ. Ità Caietanus loc. cit.

Primum notab. Caiet. in quo oſtenditur, quod eſſentia habet propriam realitatem.

Quo ad primum notat Caiet. in q. 6. c. 4. de ente, & eſſentia §. quo ad ſecundum &c. quod ens reale dupliciter accipitur vno modo vt diſtinguitur contrà ens fabricatum ab intellectu; alio modo vt diſtinguitur contrà non exiſtens actu. Primo modo omnis res prædicamentalis eſt ens reale ſiuè ſit, ſiuè non ſit. Secundo modo id tantum, quod realiter exiſtit extrà ſuas cauſas, eſt ens reale, quia vt docet S. Doctor in q. de potentia Dei q. 3. a. 5. ad 2. res antequàm exiſtat, eſt nihil, & Ariſt. dicit quod deſtructis primis ſubſtantijs, impoſſibile eſt aliquid remanere, quæritur ergo an eſſentia dicatur ens reale ſaltem in prima acceptione, ſi non in ſecunda. Et addit Caietanus in c. 5. de ente, & eſſentia q. 11. contrà Scotum, quod hæc propoſitio eſſentia habet propriam realitatem aliam à realitate exiſtentiæ non eſt voluntarie dicta vt vult Scotus; quia falſum eſt quod eſſentia ſit indifferens ad eſſentiam, & non eſſentiam, ſicuti, & falſum eſt quod ſit indifferens ad eſſe, & non eſſe, quia nihil eſt indifferens ad aliqua duo, quorum alterum ſibi determinat in ſua definitione; conſtat autem quod eſſe eſt de intellectu ipſius eſſe, & eſſentia eſt de intellectu ipſius eſſentiæ. Quod autem eſſe Roſæ in Hyeme non ſit, ſed in Vere, hoc ideò eſt, quia eſſentia Roſæ, cui ſemper ſua prædicata quidditatiua adſunt, ad actum eſſendi non peruenit, & hoc ideò non eſt, quia eſſe ipſius ſit indifferens. Quando autem Scotus addit, quod eſſentia eſt indifferens ad eſſentiam, & non eſſentiam, quia non eſt ab æterno, non videtur hoc cum fundamento dicere: ex negatione enim actus eſſendi ab æterno, benè ſequitur, quod Roſa ſit indifferens ad eſſe, & non eſſe, ſed non quod ſit indifferens ad Roſam, & non Roſam, quia vt veri Phyſici dicunt vt Auicenna, Algazel, & B. Albertus, ſiuè Roſa ſit, ſiuè non ſit ſemper eſt Roſa, & ſemper eſt ſubſtantia corporea &c. Si aliquo termino menſuræ in his vti licet. Ità Caietanus in Reſp. ad primum Scoti loc. cit.

Secundum notab. in quo oſtenditur quod eſſentia ſecundum ſe habet ſuam vnitatẽ negatiuam tamen.

Notat 2. Caietanus q. 6. c. 4. cit. quod illa eſſentia, ſeù quidditas, ſeù natura quæ conſideratur ſecundum ſe, eſt res exigens ipſam ſolitariè inueniri, ſed non extrà animam, ideſt habet ſuam vnitatem communem negatiuè. Et hoc poteſt intelligi dupliciter extrà animam. Vno modo poſitiuè, alio modo negatiuè; illa res eſt communis poſitiuè, quæ indiuiſa manens in pluribus ſuppoſitaliter diſtinctis inuenitur. Illa verò eſt communis negatiuè, quæ nulli ſuppoſito eſt propria. Primo modo rem communem nullam recolo aſſerentem dari extrà animam niſi eſſentiam

di-

diuinam ſecundum Fidem Catholicam. Secundo modo videtur à quibuſdam poni res extrà animam communis, & quia hoc alienum à veritate mihi videtur do rationem iſtam, quia omnis res exiſtens in rerum natura eſt particularis: nulla vnitas communis extrà animam pluribus ſuppoſitaliter diſtinctis eſt res particularis, ergo nulla talis vnitas eſt in rerum natura. Maior eſt Peripateticorum ſententia. Minor probatur ſic. Omnis res particularis eſt alicui vni ſuppoſito propria, aliter non eſſet particularis, patet ex terminis: ſed nulla vnitas communis extrà animam pluribus ſuppoſitaliter diſtinctis eſt alicui vni ſuppoſito propria: ergo nulla talis vnitas eſt particularis. Ex quo manifeſtè habetur quod eſſentia de qua in præſenti, conſiderata ſecundum ſe, eſt res quædam, & habet ſuam vnitatem, non tamèn extrà ſuas cauſas exiſtit in rerum natura, ſed eſt vna negatiuè communis: & hic ſemper eſt recolenda illa diſtinctio data à D. Th. in p. ſent. diſt. 33. & in p. cap. de ente, & eſſentia, & 6. Met. lect. 9. ſcilicet de triplici eſſe in creaturis, ſcilicet eſſe eſſentiæ, exiſtentiæ, & veritatis propoſitionis, & quod hæc eſſentia ſecundum ſe, præciſo eſſe quod habet in ſingularibus, & præciſo eſſe quod habet in intellectu, eſt verè eſſentia realis, quia quod conuenit ſecundum ſe, in omni ſtatu conuenit, & ſic cùm Logicis, & Metaphyſicis fatemur, quod eſt communis negatiuè. Ità Caiet. loc. cit.

Notat 3. Caietanus in cap. de ſubſtantia in prædicam. pag. mihi 128. & 29. quod aliquid dicitur de alio dupliciter vno modo abſolutè, & ad hoc ſufficit habitudo, & connexio terminorum, & hoc modo dicitur animal de homine, & tamèn de nullo, ſicut nulla Roſa exiſtente, ſubſtantia dicitur de Roſa, & tamen de nulla Roſa, & hoc vult Porphyrius, quando dixit quod deſtructis ſingulis Animalibus, remanet adhuc animalis ratio, & non contradicit Ariſt. in hoc; alio modo ſecundum realem exiſtentiam dicitur aliquid de aliquo, quando prædicatum ineſt ſubiecto in rerum natura exiſtenti, & Ariſt. intelligitur ſecundum realem exiſtentiam, & non ſecundum eſſe intellectuale, quia dixit, quod deſtructis primis ſubſtantijs impoſſibile eſt aliquid remanere, & hoc Ariſt. dixit impatiens doctrinæ Præceptoris ſui Platonis, qui eas quas nos ſecundas ſubſtantias diximus non ſuſtentari in iſtis indiuiduis dixit, ſed per eſſe ſeparatas ab iſtis ſecundum eſſe reale, & ex hoc nos fundamus realitatem in eſſentia. Et eo magis fundamus hanc realitatem in eſſentia, addit Caietanus, ex illa auctoritate D. Th. opuſc. 48. tract. 2. c. 2. circà medium, vbi dicitur. In Creaturis eſſe eſſentiæ, & eſſe actualis exiſtentiæ differunt realiter vt duæ diuerſæ res. Sed hoc magis eluceſcet in lectione ſequenti, vbi attendendo ad Myſterium Incarnationis iàm habemus, quod Verbum Diuinum in ſententia D. Th. per ſe ipſum de facto ſuppleuit exiſtentiam humanitatis, & non ſuppleuit ipſam humanitatem, quaſi de ſe eſſet quid rationis, & Chymericum, ſed ſuppleuit ens realiſſimum actuale, actualitate Metaphyſica, & non Phyſica, quia habebat rationem veræ, & realis potentiæ ad illam exiſtentiam Diuinam, ſicut ad actum in propria ſua potentia reali recipiendum. Ità Caiet. qui vt Metaphyſicus nil clarius loqui poteſt &c.

Notab. 3. Caiet. in quo oſtenditur unde fundetur realitas in eſſentia.

Quo ad ſecundum Caiet. obſeruat, quod ſi dicatur ſecundum aliquos, quod produxit eſſentias Deus ex aliqua reali potentia paſſiua receptiua exiſtentiæ, iàm fuit ipſum quod quid eſt Creationis, quæ eſt emanatio totius eſſe ex non ente, quod eſt nihil; & ſic datur occaſio dicendi, quod Deus creauit omnia ex nihilo exiſtentiæ, non autèm ex nihilo eſſentiæ. Et apud S. Thomam non ſolùm nihil exiſtentiæ, ſed nihil ſimpliciter totius entis ſupponitur ad Creationem. Conſiderata igitur eſſentia, vt eſt poſitiua obiectiuè rei poſſibilis, nullo modo eſt aliquid poſitiuum ab æter-

Opinio S. Tho. de realitate attributa ipſi eſſentiæ ſecundum ſe conſiderata explicatur à Caiet.

no prætèr Deum abſolutè ſumptum; conſiderata verò eſſentia pro vt in ſtatu Metaphyſico, abſtracta à ſtatu Phyſico, ſecundum ſua prædicata quidditatiua, dicimus cum S. Doctore q. 3. de potentia a. 1. ad 2. quod in illo ſtatu aſſerendo Deum illam non repugnantiam Logicam, non eſt ens purè Chymericum, nec purum ens rationis, & fabricatum ab intellectu, nec eſt ſola Omnipotentia Diuina, vndè non dicit poſſibilitatem extrinſecam, ſed cùm dicat intrinſecè eſſentiam ex D. Th. p. p. q. 25. a. 3. & ex Ariſt. 5. Met. optimè ſaluatur, quod ſit aliqua realitas realis ſecundum illa prædicata in hoc ſtatu ei competentia, quia eſſe poſſibile intrinſecum effectus, non eſt eſſe actuale cauſæ, quia nil eſt cauſa ſui, nec eſſe poſſibile effectus eſt ipſa potentia cauſæ, quia eſt ens actu, & non eſt effectus, nec eius poſſibilitas niſi in virtute. Erit igitur aliquid reale cum D. Th. in mille locis, non Phyſicum extrà cauſas exiſtens, ſed Metaphyſicè dicens prædicata quidditatiua, quæ ſecundum ſe, & ſemper vt vnum negatiuè conueniunt ipſi, & in iſta connexione fundatur veritas propoſitionum, quæ formari poſſunt de quidditatibus, vt ſunt entia Metaphyſica, ſcilicet in potentia. Ità Caiet.

Opinio Scoti pro vt opponitur doctrinæ D. Thomæ declaratur à Caietano.

Et deindè Caietanus explicans opinionem Scoti, pro vt eſt contraria S. Doctori, ait quod oppoſitum docet Scotus in 3. ſent. diſt. 6. q. 1. cum enim dicat S. Doctor in c. 5. de ente, & eſſentia, quod omnis eſſentia, vel quidditas poteſt intelligi ſinè hoc, quod aliquid intelligatur de eſſe ſuo, quod aduenit extra, & facit compoſitionem cùm eſſentia, cùm nulla eſſentia ſine ijs, quæ ſunt partes eſſentiæ intelligi poſſit. Scotus ſe opponit in p. ſent. diſt. 8. q. 2. dicens, quod omnis creatura eſt compoſita ex actu, & potentia, non receptiua, ſed obiectiua ſola; per conſequens affirmat, & defendit quod nulla poteſt poni forma receptiua in ſubſtantia cuiuslibet Creaturæ, & ſic cum Deus ſit actus non poſſibilis, ideſt non potens terminare actionem alicuius agentis ſui factiui, intelligentiæ apud me, ait Scotus, erunt compoſitæ ex actu, & potentia obiectiua tantùm, & non receptiua. Et ſic cùm apud Scotiſ potentiæ obiectiuæ tantū, correſpondeat actualitas entitatiua, eſſentiæ non erunt quid actuale. Et quis non videt, quod hæc Scotica Doctrina opponitur D. Thomæ? in q. 11. c. 5. de ente, & eſſentia probat intelligentias, & quamlibet Creaturam, eſſe compoſitas ex actu, & potentia, ſicut ex duabus rebus diſtinctis realiter eſſe, ſcilicet, & eſſentia. Et addit Caiet. in p. p. q. 15. a. p. contrà Scotum, quod quamuis eſſe obiectiuum in communi non ſit reale, eſſe tamèn obiectiuum apud intellectum diuinum eſt reale, & non coincidit cum illo eſſe diminuto poſito à Scoto, contrà quem ibi rationes ſunt allatæ. Ità Caiet. in loc. cit.

Vnica Concluſio cum ſuis partibus negatiuis ponitur à Caietano cum ſingulis probationibus ſuis.

Quo ad 3. vnica Concluſio ponitur à Caietano. Eſſentia, ſeù quidditas, ſeù natura conſiderata in ſtatu Metaphyſico ſine vlla cauſa effectiua, vt dicens dumtaxat prædicata quidditatiua non eſt ens quid chymericum, nec eſt purum ens rationis, nec eſt ſola omnipotentia, ſed eſt aliquid reale actuale actualitate Metaphyſica.

Probatur prima pars negatiua à Caietano ſic. Si eſſet ens purum chymericum eſſentia Roſæ in Hyeme, æquè repugnaret ponenda in Vere in eſſe extrà ſuas cauſas, ac repugnaret chymera, & Hirco ceruus patet de ſe: ergo &c.

Probatur 2. pars negatiua. Si eſſet purum ens rationis, iàm ſequitur, quod qui cognoſceret omnia poſſibilia in ſe ipſis, ſolùm cognoſceret ens rationis, vt fabricatum ab intellectu humano. Patet hoc etiàm de ſe: ergo &c.

Tertia pars negatiua probatur.

Probatur 3. pars negatiua. Omnipotentia de facto videtur in Verbo ab omnibus Beatis, ſed implicat contradictionem, quod in ea omnia poſſibilia videantur, vt probat D. Th. in p. p. q. 12. a. 8. & in 3. p. q. 19. & alibi &c. & ſaltem de facto non omnia vident: ergo &c.

Pro;

Digitized by Google

Probatio partis affirmatiuæ, ſcilicet quod eſſentia habeat ſuam realitatem,

Probatur à Caietano pars affirmatiua ex D. Th. c. 5. de ente, & eſſentia q. 10. ratione 3. ſub tali forma ſic. Id quod conuenit naturæ ſpecificæ abſq; omni cauſa effectiua ſumitur vt realitas diſtincta realiter ab illo cum quo componit realiter, & quod conuenit illi non niſi per aliquam cauſam effectiuam: ſed eſſentia dicens prædicata quidditatiua conuenientia eidem abſque omni cauſa effectiua ità ſe habet quod ſcilicet eſt realitas componens cum exiſtentia conueniente rei niſi per aliquod efficiens: ergo eſſentia rei dicens prædicata quidditatiua erit aliquid reale componens &c. Maior ex iam probatis, ſcilicet quod non ſit ens chymericum, non ens rationis, purum &c. de ſe redditur manifeſta quod ſit aliqua realitas poſitiua. Minor probatur quo ad primam partem, quia quo ad ſecundam patebit in ſequenti lectione. Secluſa omni cauſalitate effectiua reſpectu Roſæ, quæro an iſta propoſitio ſit vera, Roſa eſt ſubſtantia corporea; ſi ſic, habetur intentum. Si non ergo Roſa abſolutè ſumpta non eſt in prato, & prædicata primi modi poſſunt intelligi non ad eſse rei, & definitio ſeparatur à definito, quæ omnia non ſunt imaginabilia. Hæc ratio, addit Caiet. videtur deriuata ab antiquis, ſcilicet Platone, Alpharabio, Auicenna, Algazele, Boetio, B. Alberto Magno &c. licet ab Ariſtotele nil manifeſti in hac re habeamus. Ità Caiet.

Primũ Arg. Caiet. ex Scoto contrà partem affirmatiuam Concluſionis cũ ſua Reſp.

Quo ad 4. Arguit Caietanus ex Scoto. Si in qualibet Creatura eſt compoſitio ex eſſentia tanquàm re, cum exiſtentia tanquàm ex alia re, accipiamus alteram componentem, ſcilicet eſſentiam, quæro modo an ſit ſimplex, an compoſita. Si ſimplex, ergo non quælibet res creata eſt compoſita; ſi compoſita iterùm quæretur de partibus eius, & ſic in infinitum &c. Reſp. Caiet. quod obiectio procedit ex malo intellectu, quando enim dicitur à nobis, quod quodlibet aliud à Deo eſt compoſitum, ly quodlibet diſtribuit non niſi pro his, quæ propriè ſunt, & verè habent eſſe, quæ in rei Veritate ſecundum Ariſt. ſunt ſola ſubſiſtentia. Omne ergo ſuppoſitum tàm ſubſtantiale, quàm accidentale, ſi ſic loqui licet, eſt compoſitum ex actu, & potentia, & realitèr diſtinctis, ſcilicet quidditate, & eſſe: Socratis enim quidditas, vt declarauimus, realiter vt res à ſuo eſſe, & huius Albi albedo diſtinguitur realiter à ſua propria exiſtentia non enim ſumus adeò inſenſati, vt dicamus omnem entitatem qualitercunque ſumptam eſſe compoſitam: componentia enim per vltimam reſolutionem, quis negat eſſe ſimplicia? Dicimus ergo in propoſito, intelligentias cùm ſubſiſtunt habere in ſe quidditatem, & exiſtentiam adunatas, vt potentiam, & actum, & ſic compoſitas eſſe ex duabus rebus realiter diſtinctis. Sententia igitur noſtra non eſt ridicula, vt imponit Scotus. Ità Caiet. q. 11. c. 5. in fine pag. mihi 345.

Arg. 2. ex Scoto contrà idem ſuprà.

Arguit 2. Caiet. ibidem. Nulla res componit cum ſua realitate: ergo nulla quidditas differet vt res à ſua realitate, quæ eſt exiſtentia. Tenet conſequentia quia exiſtentia eſt ipſa realitas rei, nihil enim aliud eſt dicere rem eſſe realiter, quam exiſtere, & è conuersò. Antecedens eſt clarum: ridiculum enim eſt dicere, quod aliquid componat cum ſua realitate.

Confirm. Arg. 2.

Confirmatur. Homo verus non componit cum ſua Veritate, nec Homo affirmans cum ſua affirmatione, ergo quidditas vt res non componit cum ſua exiſtentia. Conſequentia patet ex eo, quod rei exiſtentia nil aliud eſt quàm poſitio veritatis, & affirmatio huius. Antecedentis oppoſitum non videtur benè intelligibile.

Reſp. ad Arg. 2.

Reſp. Caiet. ad Arg. ſecundum quod ſicuti eſſe eſt duplex, ſcilicet eſſentiæ, & exiſtentiæ ità duplex eſt realitas, ſcilicet eſſentiæ, & exiſtentiæ, & licet nulla res componat cum ſua realitate eſſentiæ, cum hoc tamen ſtat, quod componat cum realitate exiſtentiæ. Vndè eſſentia hominis abſolutè in reali prædicamento ſubſtantiæ nimirũ reponitur poſita autẽ in rerũ natura ſit realis realitate exiſtentiæ. Ità Caiet.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Caiet. ad Confirm.

Reſp. Caiet. ad Confirmationem eodem modo. Verum etiàm conuertitur cum ente, & re, vndè ſimpliciter Homo dupliciter eſt verus, ſcilicet veritate eſſentiæ, & exiſtentiæ. Homo verus veritate eſſentiæ non componit cum tali veritate, quæ nil aliud eſt, quàm fundamentalis conformitas ad ſua prædicata quidditatiua; componit autèm cum ſua veritate exiſtentiæ, ideſt cum eſſe quod fundat hanc veritatem, Homo eſt, ſimiliter idem dicitur de Affirmatione &c. Ità Caiet. in Reſp. ad 4. & . Scoti &c.

Arg. 3. Caiet.

Arguit 3. Caiet. Iſtud eſſe eſſentiæ, quod eſt quidditas, & dicit prædicata quidditatiua, & quod nos dicimus realitatem actualem actualitate Metaphyſica, vel eſt aliquid extrà Deum, & Creatura, vel in pura potentia poſſibili. Non primum quia eius actione haberet eſſe exiſtentiæ, & eſſet extrà cauſas; nec ſecundum quia ſi à Deo non eſt, cum non ſit Deus erit purum nihil: ergo, & Phyſicè, & Metaphyſicè ipſa eſſentia excludet omnem realitatem.

Reſp. Caiet. ad Arg. 3.

Reſp. Caietanus ad 3. quod ipſa eſſentia non eſt extrà ſuas cauſas, nec producta, nec creata, hoc modo in præſenti lect. non conſideratur, ſed conſiderata à Metaphyſico abſtracta ab omnibus his, fatemur vtique eſſe in ſtatu poſſibili, & vt dicit hanc poſſibilitatem, dicit non repugnantiam terminorum, quæ fundant veritatem huius propoſitionis, ſcilicet quod ſi eſſentia, debet habere eſse, facit compoſitionem cum ipſo, non vt purum nihil, non vt Chymera, non vt ens rationis, nec vt eſt omnipotentia, ſed vt pura actualitas dicens potentiam actualem realem in ordine ad ſuum eſse quod recipit, ex hoc quod ponitur extra ſuas cauſas. Et vt alij dicunt, iſta poſſibilitas creaturarum conſequitur necesſaria reſultantia eo ipſo quod Deus eſt ens per eſsentiam, & fons omnium perfectionum, quia ſunt quaſi riuuli deriuati, & contenti in fonte totius eſse, de quo S. Th. in 2. c. g. c. 84. & p. p. q. 16. a. 6. & q. de Verit. a. 4. & 8. & quolib. 8. a. 1. vbi ab intellectu Diuino, & ejus Idæis ponit omnem veritatem deriuari. Ità Caiet. loc. cit.

Appendices ſuper Lectionem 5. Metaphyſicalem in Tractatu de Ente, & Eſſentia.

CVm hæc Lectio, præcedens, & ſubſequens examinent in via Thomiſtica duo principia quæ paſſim occupant totam Phyſicam naturalem, ideò diligentèr enucleanda eſt Doctrina Thomiſtica, vt in ſcientijs Philoſophicis, & Theologicis remota à Diſcipulis Thomiſtis omni prorsùs æquiuocatione rectè ſine vllo prorſus errore incedant in via D. Thomæ. Quid igitur ſentiat Caiet. cum D. Th. & antiquis Philoſophis primæ notæ viris, & cùm antiquis Thomiſtis, ſufficientèr vidimus in hac præſenti ſua lectione, reſtat modò videndum, quomodo in via D. Thomæ in hac controuerſia interpretentur D. Th. & Caietanum. Et in hac Appendice citabo Thomiſtas Neotericos primæ Claſſis, ex quibus al j modernuli tranſcti. plerunt ſua, vel vt meliùs dicam obſcurarunt ſenſum D. Th. & Caiet. Io: à S. Thoma princeps Iuniorum huius ſeculi Thomiſtarum, & aliorum extrà Scholam in Phyſicis legendus eſt omninò, & nos ſequti ſumus in manuſcriptis noſtris Phyſicalibus, & Metaphyſicalibus, quandò multis annis elapſis de Cathedra legebamus Cremonæ, & Genuæ ſecundo, & Placentiæ ſecularibus, & Religioſis Phyſicam. Io: Martinez de Prado in ſua Metaphyſica obſeruatus à nobis fuit contr. 7. a. p. in ſua p. p. Metaph. quod poſtquam duas recitauerit opiniones, ſcilicet. Primam quæ aſserit Creaturas poſſibiles antequam recipiant eſse ſeù exiſtentiam in tempore dici entia realia actualia actualitate eſsentiæ, & in potentia ad exiſtendum: in hac ten-

ten-

tentia citat Capreolum contrà Aureolum, & Goſredum, & Caietanum, & Nazarium, Scotum, qui mirantur de iſta ſententia poſse dubitare virum alioquin ſanum, & doctum; & extrà Scholam citat Baſilium, Albertinum, & alios &c.

Recitat deindè ſecundam quæ aſserit, eſsentiam ante exiſtentiam, ſcilicet vt Creatura poſſibilis ſimpliciter, & in actu eſse nihil Phyſicum, & non ens ſimpliciter in actu, & quod ſolùm ex vi terminorum intrinſecè habet non repugnantiam Logicam: pro hac citat ex Thomiſtis Soncinatem 19. Met. q. 4. Heruæum, Banneſium, Zumel, Arauium, Io: à S. Th. in Phyſicis. Extrà Scholam citat Aureolum, Suarezium, qui num. 1. in diſp. 31. Met. ſect. 1. ait hoc eſse certum ſecundum fidem, & citat alios. In hac Controuerſia Io: Martinez doctiſſimè ſegerit, & ait quod fautores vtriuſq; ſententiæ ſolis vocibus diſcrepant. Et hic in medium ſe ponit Doctiſſimus noſter Mag. Picinardus Theologus in præſentiarum Vniuerſitatis Patauinæ, qui in ſua Phyſica dogmatica lib. 3. contrà ſectam Parmenidis confundentis Creaturam cùm Deo a. 2. in Reſp. ad quintum ſic ait. Eſsentia poſitiua obiectiuè rei poſſibilis ab æterno, nullo modo poteſt eſse aliquid poſitiuum ab æterno præter Deum abſolutè ſumptum: benè tamen prætèr Deum quo ad aliquas rationes virtualiter diuerſas in ipſa eſsentia, intellectu, & omnipotentia; adeò vt in vno priori ſigno pro vt contenta in eſsentia Diuina vt eſt cauſa, ſit quid poſitiuum; in alio verò ſigno poterit ibi, pro vt acquirit eſse in intellectu Diuino, dicitur eſse quid poſitiuum etiàm prætèr eſsentiam Diuinam formaliter, & vtroque modo præcedit reſpectu rei poſſibilis ad attributum omnipotentiæ, de qua videas ibi Picinardum, qui tandèm concludit vtramque ſententiam recitatam à Io: Martinez de Prado eſse probabilem, & quod prima poteſt ſe tueri ab errore Vuiclef, qui tenebat eſsentias creaturarum ab æterno eſse quid poſitiuum ſubiectiuè in ſe præter Deum eſsentialiter improductum ab ipſo, hoc idem tenens etiàm quo ad eſse exiſtentiæ. Longè igitur remotiſſima eſt hæc ſententia à cenſura Suarezij, imò dicit cum ipſo idem prorſus. Secunda tamen opinio, ait Picinardus, mihi videtur longè probabilior, & ſecurior, & nequaquam videtur fauere prædicto errori Vuiclef, damnato per Decretum Concilij Conſtantienſis; & verè Caiet. ſentit, vt vidimus ſuprà, illam non repugnantiam terminorum intrinſecam quam dicit ſecunda ſententia eſse realem, & non ens rationis, nec chymæricum, etto ex eius notabilibus explicet ſuum ſenſum iuxtà primam ſententiam.

Alij verò Modernuli plus audaces audent, vt auctorizent ſuas phantaſias citare pro ſua parte Caietanum, quaſi quod non ſemper ſuſtinuerit cum D. Th. q. 3. de potentia a. 5. ad 3. & p. p. q. 10. a. 3. ad 3. quod entia vera, & neceſsaria ſunt æterna, quia ſunt in intellectu æterno, & quod Creatura antequàm eſse habeat eſt nihil, niſi fortè in intellectu Diuino, vbi non eſt Creatura, ſed Creatrix eſsentia, vt explicat noſter Picinardus; imò audent ponere ex ſua parte Caietanum, quando agitur de diſtinctione eſsentiæ ab exiſtentia quaſi quod tenuerit quod in tali diſtinctione comparat eſse ad eſsentiam cum ipſis pro vt in potentia obiectiua, & pro vt in ſtatu poſſibilitatis quia potentiam obiectiuam Scoti ſemper impugnauit &c. Minaldus in ſua Metaphyſica parua lib. 2. dub. 9. ſtat pro Caietano, declarando eius ſententiam quam tuetur cum alijs Thomiſtis &c.

Intèr Neotericos legas Paſqualigum in ſua Met. diſp. 75. ſect. 2. & 3. vbi ponit has duas Concluſiones; prima ſcilicet eſt quod rerum eſsentiæ non habent aliquid actualitatis, antequam producantur, ſed eam totam recipiunt à cauſa producente; ſecunda eſt quod rerum eſsentiæ, ſeù poſſibilia antequam producantur, non ſunt aliquid in ſe ipſis, ſed omninò nihil ſunt hoc eſt nullum participant eſse, nec etiàm

poſſi-

Digitized by Google

poſſibile, quo in ſe ipſis aliquid ſint. Deindè in ſect. quarta ponit hanc tertiam quod ſcilicet quamuis in ſe ipſis nihil ſint, dicunt tamèn connexiones prædicatorum eſſentialium, quæ dantur ab æterno, & omninò neceſſariæ ſunt, ità vt implicet aliter ſe habere. Citat pro hac D. Th. p. p. & de verit. &c. Caiet. c. 4. de ente, & eſſentia q. 10. & p. poſt. c. 9. &c.

Deindè in ſect. 5. eiuſdem diſp. 76. ſtatuit aliam Concluſionem: conſiderando enim Paſqualigus, quod licet eſſentiæ rerum non ſint aliquid in ſe ipſis, & ex alia parte contradiſtinguantur à nihilo, & habeant inter ſe propriam diuerſitatem eſſentialem, non ſecus ac habent in ſtatu actualitatis, & inſuper importent rei poſſibilitatem poſitiuam, videtur ipſi, quod hæc omnia ſaluari non poſſunt, quin dicant veram rationem entis; & ideò ponit ſuam vltimam reſolutionem per hanc Concluſionem. Rerum eſſentiæ ſiuè conſiderentur in vniuerſali, ſiuè ſunt vt immerſæ in indiuiduis, præciſa actualitate, ſeù exiſtentia, adhuc dicunt veram rationem entis, non in ſe ipſis antequam extrahantur de Diuina Potentia, atque de Diuinis Idæis, quia tamèn antequam producatur eſſentia, poteſt extrahi de diuina potentia, atq; Idæa ſecundum eſſe obiectiuum, quo res promouetur ad eſſe intentionale, idcircò ſecundum hoc eſſe obiectiuum, rerum eſſentiæ important veram rationem entis, ità vt nedum dicant rationem entis pro vt in intellectu per actum intellectionis repræſentantur, ſeù pro vt elucent in illo actu intellectionis, ſed etiàm pro vt ſunt terminus, & obiectum eiuſdem intellectionis, ità vt intellectio illa repræſentet aliquid quod dicat veram rationem entis. Ità Paſqualigus declarat ſuam vltimam reſolutionem, & putat habere ex ſua parte Caietanum, qui hoc idem teneat, & citat ipſum pro ſe ex cap. 4. de ente, & eſſentia q. 6. vbi docet, ait Paſqualigus, ens reale dupliciter accipi, & pro vt contradiſtinguitur ab ente rationis, & pro vt contradiſtinguitur ab ente exiſtente, quod eſt idem notabile Caiet. allatum in primo loco in præſenti Lectione ſupra. Ex his potes conijcere, mi Thomiſta amantiſſime, quantùm Neotericis placeant ſubtilitates noſtri profundiſſimi, & Eminentiſſimi per omnia Caiet. &c. Vnde & num. 2. 3. 4. & 5. ſect. 5. probat Paſqualigus hanc ſuam vltimam reſolutionem, per rationes, quæ ſunt conformes doctrinæ D. Th. & Caiet. licet in 4. ratione procedat recurrendo ad diuinas Idæas, & ad ipſam Omnipotentiam, & dicit idem, quod dicit Caiet. licèt ſub alijs terminis, contrà Scotum de Roſa poſſibili in Hyeme, & producenda in Vere, quod non eſt indifferens ad eſſentiam, & non eſſentiam Roſæ; vt patet in num. 7. & 8. eiuſdem ſect. 5. Et in Reſp. ad Argumenta conijcies, quod Paſqualigus defendendo illud ſuum eſſe obiectiuum in intellectu à quo pendent eſſentiæ rerum, quia obiectum intellectus non poteſt eſſe niſi ens, licet hanc rationem veram entis, quam tribuit eſſentijs rerum, non explicet per actualitatem Metaphyſicam tributam à Caiet. & ab alijs Thomiſtis primæ notæ, in re tamen, & implicitè illam concedit: quia reſpondendo ad Argumentum Hurtadi in num. 5. ſect. 5. ſic ſe explicat. Si loquamur de ente eſſentialiter, ſeù nominaliter ſumpto, falſum eſt quod negari poſſit de poſſibilibus. Verè enim dicitur, ſiue Homo exiſtat, ſiuè non (& hoc eſt quod dicit Caiet. ſiuè Roſa exiſtat, ſiuè non) quod ſit ens, ſubſtantia, animal rationale, & alia prædicata eſſentialia verè illi attribuuntur, quamuis non exiſtat, quod ſignum eſt, in poſſibilibus obiectiuè conſideratis reperiri veram rationem entis (Caiet. & alij dicunt veram actualitatem Metaphyſicam). Legas Paſqualigum loc. cit.

LE,

LECTIO III.
METAPHYSICALIS
IN TRACTATV DE ENTE, ET ESSENTIA.

Vtrùm in compoſito vniuerſalitèr eſſentia diſtinguatur vt res à re ab exiſtentia.

Ex Caietano Cap. 5. de ente & eſſentia quaſt. 11. & in p. p. quaſt. 6. art. 3. & quaſt. 54. art. p. & in 3. p. quaſt. 17. art. 2.

Explicatio Controuerſia data à Caietano.

DE Compoſito Phyſico, ait Caietanus, iàm habuimus expoſitionem in noſtra Phyſica lib. 2. Phyſ. quæſt. 14. vbi multa aſportauimus ex noſtra quæſt. 11. ſuper caput quintum de ente, & eſſentia, vndè non eſt cur in Metaphyſicis eadem repetamus; ſed quia hoc quæſitum eſt omni parte ſubtiliſſimum, & apud alios difficillimum veram Metaphyſicam in expoſitione huius Lectionis debemus tradere, quàm tradit ſanctiſſimus Præceptor in omni loco, & maximè In illa Controuerſia apud Theologos Metaphyſicos celeberrima in 3. p. quæſt. 17. art. 2. qui cum D. Thom. tenent in Humanitate Chriſti cum non adſit ibi ſuppoſitum creatum ad quod ſpectat eſſe exiſtentiæ, nec ibi adeſſe exiſtentiam creatam, ſed cum ſuppoſito Diuino exiſtentiam Diuinam adeſſe; ideò adamuſſim, & Metaphyſicè diſcutienda eſt iſta difficultas in ſenſu vniuerſali præcipuè contrà illos, qui tenent non ſolùm in Deo, ſed in omni re eſſentiam identificari cum eius exiſtentia. Hæc enim Controuerſia eſt fundamentum, & quoddam vniuerſale principium in magna parte Doctrinæ S. Thomæ, & Ariſtotelis Phyſicæ.

Explicatio veri ſenſus Controuerſia data à Caietano ex D. Thom.

Et cum eſſentia ab aliquibus ſumatur pro actuali ſola actiuitate, quàm vocant Metaphyſicam, & quæ de ſe dicit prædicata quidditatiua; & ab alijs ſumatur eſſentia antecedentèr ad exiſtentiam, ſcilicet ad actum exiſtentiæ, ſcilicet quod vltrà actualitatem Phyſicam ipſius eſſe ſit neceſſaria alia actualitas realis eſſentiæ, vel è conuersò. Et ab alijs dicatur quod in eſſentia actuali actualitate Phyſica, qua extrahitur extrà cauſas efficientes ipſa res, conſiderandum ſit id quod eſt in actu, & conſideranda ſit ipſa actualitas qua eſt in actu, & primum vocetur eſſentia, ſecundum exiſtentia; & primum ſe habeat vt pars materialis, ſecundum vt pars formalis, vt album de materiali dicit corpus, & de formali albedinem, quapropter, concludit Caietanus, eſtò in primo ſenſu poſſit quæri, ſatiùs tamèn nobis eſt in ſenſu vniuerſali Metaphyſice loquendo quærere, & exponere difficultatem in hoc tertio ſenſu; ex eo maximè quia S. Doctor in opuſc. 15. cap. 8. ad quartum in hoc tertio ſenſu magis quàm in primo ly eſſentia, vocat Metaphyſicam, & dicit diſtingui tanquam res à re ab exiſtentia. Ait enim S Doctor eſt igitur in quocumque prætèr primum, ſcilicet Deum, aliud ipſum eſſe tanquàm

Digitized by Google

actus, & aliud ſubſtantia rei habens eſſe, tanquàm rei potentia receptiua, ſcilicet huius actus quod eſt eſſe. Ità Caietanus explicat Controuerſiam, &c.

Primum Notabile Caietani verè aureum, in quo Metaphyſicè exponitur quomodo eſſentia ſit potentia eſſentialis, & non eſſentialis in ordine ad eſſe.

Quò ad primùm, Notat Caietanus contrà aduerſarios, quod eſſentia poteſt dici, & eſſentialis, & non eſſentialis. Eſſentialis quidem in eo ſenſu, quoniam eſt ad eſſe, & per conſequens ad id quod non eſt accidens; non eſſentialis verò dicitur, quoniam non eſt ad formam, imò forma ea eſt, quæ ad ipſum eſt in potentia; rursùs eſt in potentia ad eſſe quod ſe habet vt actus primus, quem potentia reſpiciens eſt eſſentialis. Et addas, quod eſſentia non eſt in actu exiſtentiæ antequàm ipſum actum recipiat, licet ſit in actu formali, quapropter ſimul recipit eſſe, & per illud exiſtit. Et quando ſimul tempore materia acquirit formam, vndè prouenit compoſitum, ſeù eſſentia, quæ ſimul recipit eſſe, cùm hæc omnia eodem fiant inſtanti, ideò debiles redduntur illæ interrogationes, quando quæritur quid ſit eſſentia antè exiſtentiam, quamuis enim nomine eſſentiæ, addit Caietanus, vt ſic, accipiatur id quod ſignificatur per deffinitionem, quod quidem eſt ſemper manens, ac perpetuæ veritatis, attamèn cùm loquimur de eſſentia pro illo tempore ac ſtatu, in quò immediatè eſt futura ſub eſſe, loquimur quodammodò de eſſentia non vtcumque: ſed tarè de hac, hoc eſt de ea, quæ eſt ſub eſſe, & conſideratis ſeorſim meritis vtriuſque; quo fit vt nedùm ſumatur id quod exprimitur per diffinitionem, ſed & ſuppoſitum ipſum includens ſubſiſtentiam, ratione cuius conſtituitur capax actus eſſendi,& ſic comparatum eſſe,quòd ei extrinſecè adueniet(quòd quidem in ſui ratione, ac diffinitione non includit)habet rationem potentiæ. Hinc ingenium verè Diuinum, & Metaphyſicum S. Doctoris, elicit, quòd eſſentia ſic accepta, præciſa per conſiderationem ab exiſtentia, eſt quid realiſſimum, quamuis non realitate exiſtentiæ, ſub qua ſit actu, & ideò conſueuimus dicere, quod recipere ſupponit eſſe, & ſic eſſentia in illo priori, antequàm recipiat eſſe, equidem opporret vt ſit, at non eſt id quòd recipit (fruſtrà enim illud reciperet) ſed eſt quid aliud, & cum actum exiſtentiæ ponatur recipere, tùnc non eſt in illo actu, ſed in illo, quòd eſt eſſentiæ, ac formæ. Vndè ſi diligentèr inſpexeris, ait Caietanus, quòd ſimul tempore eſſentia recipit eſſe, non autèm quatenùs exiſtit (quoniam nihil exiſtit niſi ſub aliqua exiſtentia) ſolues te ab omnibus difficultatibus, quas alibi adduximus. Ità Caietanus, qui Metaphyſicè ſemper loquitur in hac re, &c.

Notabile ſecundum Caietani, in quo explicatur Cōpoſitum Metaphyſicum ex eſſentia, & exiſtentia ad proportionem Compoſiti Phyſici ex materia,& forma.

Notat ſecundò Caietanus, quòd eodem modo proportionaliter diſcurrendum eſt de compoſito Metaphyſico ex eſſe, & exiſtentia, ſicut de compoſito Phyſico ex materia, & forma. Licèt enim exiſtentia concurrat per modum vltimi termini, & vltimæ actualitatis, pro vt ſola conſtituit rem extrà nihil, nihilominus in tali compoſitione exigit ſecum aliam compartem, ſcilicet eſſentiam, in qua tanquàm actus in ſua potentia, & terminus in ſuo terminabili recipitur, & ſic ſimul compoſitum Metaphyſicum, ſcilicet rem exiſtentem conſtituat. Exemplificat hoc Caietanus in Comment. de ente, & eſſentia exemplo euidenti diaphaneitatis, lucis, & aeris, ad formam, exiſtentiam, & compoſitum, quæ eſt proportio D. Thomæ intèr compoſitum Phyſicum formæ, & materiæ; & eſſe, & eſſentiæ. Aeri enim reſpondet materia, diaphaneitati forma ipſa, aeri diaphano ipſum compoſitum, lumini ipſum eſſe. Iàm probè ſcis, quod materia non poteſt de ſe eſſe recipere, nec aer ex ſe lumen, diapnaneitas non poteſt de ſe primò recipere lumen, ſed eſt ratio ipſi aeri diaphano, vt recipiat illud; forma nec de ſe primo poteſt recipere eſſe, ſed eſt ratio ipſi compoſito, vt illud recipiat: ſed eſt aer diaphanus, qui primò recipit lumen, & eſt proprium eius ſuſceptiuum vt quod.

Com-

Digitized by Google

Compoſitum igitur primò recipit eſſe, & eſt eius proprium ſubiectum ; aer , & diaphaneitas eodem lumine ſecundario illuminantur : materia , & forma eodem eſſe ſecundario exiſtunt , diaphaneitas demum non eſt lumen , & forma non eſt eſſe , ſed hoc ab ea prouenit . Et quando dicitur quod eſſe comparatur ad formam, ſicut rotunditas ad circulum , non ſequitur , quod non diſtinguatur realitèr à forma , ſeu eſſentia : quia comparatur ſic quantùm ad ſeparationem connaturalem vnius ab alio de qua locùti fuimus cum D. Thom. in 1. p. quæſt. 50. art. 5. in Comment. non autèm quantùm ad rationem diſtinctionis , de qua ibi nullam facit mentionem S. Doctor , quia non erat ibi ad propoſitum , eſtò rotunditas non ſeparetur adhuc realitèr à circulo . Ità Metaphyſicè ſemper loquitur Caietanus , &c.

Notabile tertium Caietani , in quo exponitur quod eſſe non eſt ipſa forma , ſed eſt effectus formæ .

Notat tertiò Caietanus , vt plenior ſit Metaphyſica Doctrina in hac re , in 1. p. quæſt. 50. Quod ſi accipiatur materia ſub forma , ex qua conſurgit eſſentia , ſeu ſuppoſitum conſideratum quoad ſua intrinſeca, non valet , quod ſtatim intelligatur eſſe in actu exiſtentiæ , quià quamuis à forma ſit omne eſſe , forma tamèn non eſt ipſa exiſtentia ſeu cauſa non eſt effectus , nàm eſſe eſt effectus ipſius formæ , ab ipſa in genere cauſæ formalis emanans , ac pendens ; & cum omnis cauſa ſi non tempore ſaltèm natura præcedat effectum ſuum , in illo priori in quo emergit eſſentia ex vnione materiæ , cum ipſa forma intelligatur ad eſſe formam abſque eſſe benè ſic poteſt intelligi , & diffiniri , cùm diffinitiones abſtrahant ab eſſe ; prouenit autèm eſſe à forma , & eam neceſſariò comitatur , ait S. Doctor , vt idem diximus , quia intèr formam , & exiſtentiam rei nulla media actio inuenitur , quæ hanc illi copulet : non enim prius , ſcilicet tempore ſit forma , & alia actione accedente iungitur exiſtentia . Sed eadem factione , qua ſit forma ſit ſub eſſe , quod fieri formæ , addit Caietanus , ad coniunctionem cum eſſe terminatur. Meritò itaque eſſentia rationem habet potentiæ relatæ ad eſſe . Ità Caietanus vniformitèr ſemper cum ſuo ingenio Metaphyſico , &c.

Notabile quartum Caietani ex Myſterio Incarnationis quod in ſolo Deo eſſe eſt naturæ proprium in cæteris naturis eſſe eſt naturæ, vt quo tantùm, & non vt quod.

Notat quartò Caietanus accedendo ad Myſterium Incarnationis in 3. p. quæſt 17. art. 2. §. ad quartum ex Reſponſione ad tertium , &c. pro intelligentia diſtinctionis realis ibi ipſius eſſe ab eſſentia , quod in ſolo Deo eſſe eſt naturæ proprium vt probatur in 1. p. quæſt. 3. art. 4. & quæſt. 6. art. 3. ſcilicet eſt ipſius naturæ Diuinæ , & vt quo , & vt quod . In cæteris tamen citrà Deum eſt naturæ vt quo, perſonæ autèm , quæ eſt aliud quid à natura , eſt vt quod . Hinc S. Doctor concludit , quod quia Perſona in Diuinis eſt idem quod natura , non eſt aliud eſſe perſonæ præter eſſe naturæ . Et bene nota ly præter , quia ex hoc verbo inſinuat , quod ſupponitur quod eſſe ſit naturæ , & cùm dixit non eſt aliud intendit de illa alietate , qua perſona eſt aliud à natura . In his enim in quibus perſona , & natura ſecundum rem differunt , ſicuti perſona eſt aliud à naturà , ità eſſe debitum ipſi perſonæ , eſt aliud ab eſſe naturæ. Aliud autem non per poſitionem duorum eſſe , quorum vnum ſit aliud ab alio , ſed per alietatem , vt ità dixerim naturalem , quia alterius naturæ eſt eſſe , quod non debetur naturæ niſi per perſonam cui primò conuenit , & alterius naturæ eſſet eſſe , quod conuenit naturæ abſque expectatione à perſona , quòd in ſolo Deo inuenitur . Quia igitur in Diuinis perſona eſt idem cùm natura vendicante ſibi eſſe vt proprium , ideò non eſt aliud eſſe conueniens perſonæ , quàm eſſe proprium naturæ ; & ideò tres perſonæ non habent niſi vnum eſſe , & haberent triplex eſſe , ſicut eſt ibi triplex perſona , ſi eſſe perſonæ diſtingueretur ab eſſe naturæ , hoc eſt ſi perſonæ deberetur proprium eſſe alterius rationis ab eo , quod debetur naturæ , quoniam eſſe eſt proprium naturæ,

Et hic eſt ſenſus S. Doctoris, eò quòd nec in creaturis apud ipſum eſſe duplex ponitur vnum naturæ, & aliud perſonæ. Ità Caietanus loc. cit. in Reſponſione ad tertium.

Notabile quintum Caiet in quo explicatur idem quod ſuprà, & præcipuè quod eſſe in creatis eſt ſuppoſiti ſeù perſonæ, vt quod.

Notat quintò Caietanus pro maiori explicatione de hac re in Myſterio Incarnationis, quod abſtrahendo pro nunc à diſtinctione intèr perſonam, & naturam, dicimus, quod eſſe actualis exiſtentiæ, de quo eſt ſermo in præſenti eſt actualitas cuiuſcumque naturæ creatæ; quando autèm exactè conſideratur perſona vt diſtincta à natura dicimus cum S. Doctore in quæſt. 17. art. cit. quod eſſe eſt actus naturæ vt principij quo, perſonæ autèm vt ſubiecti, ſeù quod habet ipſum eſſe, ità quod natura eſt principium quo immediatum ipſius eſſe, ſed non eſt receptiuum immediatum ipſius eſſe, ſed mediante perſona, ità quod opportet naturam perſonari ad hoc, vt ab ea principietur actualitèr ipſum eſſe, non ex defectu naturæ principiantis vt quo, ſed quia deficeret ſuſceptiuum primum ipſius eſſe, ſi non eſſet perſonata. Perſona enim eſt cui primò conuenit eſſe vt ſubiecto, ſeù quod habet eſſe, ſeù quod eſt; & ſi his adiunxeris, quod natura nunquàm eſt quod eſt, ſed ſemper dicitur quo eſt, inuenitur ſiquidem natura exiſtens, non vt quæ exiſtit, ſed vt qua aliquis exiſtit, perſpicies duo; Primùm quod ad hoc, quòd natura exiſtat, non exigitur quod ipſa actuetur per exiſtentiam, vt ſubiectum actuatur per formam in eo, ſed ſufficit quod ipſa ſit qua aliquis exiſtit. Nec mirùm eſt ſcientibus, quod non omnia vno eodemque modo ſunt, ſed ſat eſt vnicuique entium eſſe eo modo ſibi conuenienti: ſunt enim multi modi eſſendi. Et naturis quidem, ac formis conſonus modus eſſendi eſt, vt non ſint, tanquàm quod eſt, ſed vt ſint tanquàm quo eſt, nec eis plus debetur, ſicut apud Peripateticos principium eſt indubitatum quod formæ ſunt, & non ſunt abſque ſui generatione, & corruptione. Et aliud eſt principium inſpiciendum, quod quia priùs natura perſonatur, quàm exiſtentiam propriam conſtituat, intimior eſt perſona ipſi naturæ, quàm exiſtentia, ac per hoc ſi poteſt preueniri ne conſtituat propriam perſonam, multò magis poteſt præueniri ne conſtituat exiſtentiam; ordine ſiquidem quodam perſonalitas priùs, & deindè exiſtentia à natura conſtituitur propter antedictam rationem. Ità Caietanus.

Notabile ſextũ Caietani, in quo exponitur quod quando terminatur natura aliena perſonalitate, exiſtit ſuo modo, ſcilicet vt quo, ſed exiſtentia alienæ perſonæ cui debetur eſſe vt quod.

Notat ſextò, & vltimò Caietanus ibidem, aliud tertium principium quod ſequitur ex dictis, ſcilicet quod natura carens propria perſonalitate, quia præuenitur ab aliena, opportet quod conſequentèr careat propria exiſtentia. Si enim exiſtentia propria non prouenit ab ipſa actualitèr, niſi in propria perſona, ex hoc ipſo, quod ad alienam trahitur perſonam, ſequitur, quod ad alienam trahitur exiſtentiam illius, ſcilicet perſonæ præuenientis ipſam. Et rursùs ſi exiſtentia non debetur naturæ vt quod eſt, ſed vt quo eſt, perſonæ autèm vt quod, ex hoc ipſo quod natura trahitur ad alienam perſonam vt ſit quo eſt, ſequitur quòd ſufficientèr ſit conſecuta exiſtentiam, quia conſecuta eſt exiſtentia illius perſonæ modò conuenienti ipſi naturæ, ſcilicèt vt quo. Sicut igitur in Chriſto vnam tantùm filiationem, relationem realem ponimus ex defectu ſubiecti; ità in Chriſto ex defectu ſubiecti primi vnum tantùm eſſe ponimus: Primùm enim ſubſtantialis exiſtentiæ ſubiectum eſt Perſona; repugnat autèm Diuinæ Perſonæ exiſtentia creata duplici ratione. Prima eſt ex Diuinitate, quia Diuina Perſona non poteſt recipere in ſe creatum aliquid; Secunda eſt ex communi ratione perſonæ, quia perſonæ vnius non eſt niſi vnum eſſe ſubſtantiale, vt ait S. Doctor art. 2. cit. Quocirca, quia Humanitas Chriſti præuenta eſt in Myſterio Incarnationis, vt propriam non ſortiretur perſonalitatem, ſed ad perſonalitatem Verbi aſſumpta eſt, ideò quaſi im-

pedita

Digitized by Google

pedita eſt à proprio eſſe, & eſt ſortita eſſe Perſonæ Diuinæ; ex hoc ipſo quod eſt Diuinæ Perſonæ natura dicitur de illa in quid: habet enim ex hac ſuum eſſendi modum, ſcilicet eſſe vt quo: natura enim Perſonæ eſt vt quo, nec plus ſibi debetur. Ità Caietanus Metaphyſicè loquitur in ſubdicta materia de Myſterio Incarnationis loc. cit.

Opinio Scoti relata à Caietano cũ illa D. Thom. e oppoſita.

Quò ad ſecundùm. Scotus dicit, ait Caietanus, quòd eſſentia non diſtinguitur realiter, ſed eamdem eſſentiam per ſe ipſam formaliter, & per propriam entitatem in actu exercito conſideratam exiſtere. Ipſum ſequitur tota ſua Scola Scotica, & Durandus, & Alenſis. Caietanus interpretans fideliſſimè D. Thomam aſſerit oppoſitum cum Capreolo in 1. ſent. diſt. 8. quæſt. 1. & cum Ferrarienſi 2. cap. 8. cap. 52. & Boetio in libro de hebdomadibus, & cum B. Alberto Magno in lib. 1. p. ſuæ ſummæ de quatuor Coæuis. Ægidius hoc idem tenet, quolib. 1. quæſt. 7. & diffusè magis in illa quæſt. 9. de ente, & eſſentia. Solus Sotus intèr Thomiſtas videtur ſentire in illa quæſt. 2. & in 4. ſent. diſt. 10 quæſt. 2. quòd non ſit ibi diſtinctio realis tanquàm res à re intèr eſſentiam, & exiſtentiam, ſed realis modalis, quia exiſtentia eſt modus ſuperadditus eſſentiæ. Ità Caietanus.

Et quod attinet ad Myſterium Incarnationis Caietanus in 3. p. quæſt. 17. art. 2. in fine Comment. aduertit Thomiſtas hoc modo. Attende diligentèr, & cautè, o Nouitie, quia iſta deciſio vnius eſſe in Chriſto Domino pendet ex duabus quæſtionibus communibus; prima, An exiſtentia, & eſſentia diſtinguantur realitèr; altera an exiſtentia ſubſtantialis ſit perſonæ, vt proprij ſuſceptiui, an verò ſit communitèr perſonæ, vel naturæ. Præſupponit enim Doctrina iſta quàm tradidimus ſuprà in notabilibus, aliam rem eſſe ipſum eſſe ab eſſentia, & quod eſſe debetur Perſonæ, vt proprio ſubiecto.

Animaduerſio digna tanto ingenio Caietani laudata ab Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Epiſcopo Saonenſi Duratio.

Et quoniam variæ ſunt opiniones circà hæc; cùm de Chriſti Domini exiſtentia humana quæſtio eſt, noli intelligere hæc, quaſi ſint Fidei, noli pertinax eſſe in Concluſione, niſi euidentiam priùs habeas de illis duabus communibus quæſtionibus, ſed vt rationabilia, & conſona hæc amplectere. Ità Caietanus loc. cit. cuius admonitionem tanti facit Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus meus Dominus N. de N Duratius Epiſcopus Saonenſis, vt alio loco adnotans in Caietano ſimilem animaduerſionem, mecum colloquendo de Doctrina Caietani, nunquàm ſatis laudauerit.

Concluſio Vnica Caietani cum ſua probatione primæ partis, ſcilicet quod in quocumq; creato eſſe differt realiter ab eſſentia.

Quò ad tertiùm. Concluſio ponitur à Caietano ex D. 1. p. quæſt. 3. art. 4. & ex cap. 1. & 5. de ente, & eſſentia ſic. In quocumque ente creato eſſentia, & exiſtentia eſt aliud, & aliud ideſt diſtinguuntur vt res à re. Solus verò Deus eſt ſuum eſſe.

Probatur à Caietano prima pars ſub tali forma. Omne Creatum habèt eſſe, & hoc cauſatum ab extrinſeco, & eius eſſentia ſe habet ad eſſe vt potentia ad actum, & eſt ens per participationem: ergò in ipſo non eſt idem ſua eſſentia cum eſſe: ergò diſtinguitur realitèr: ergò vera prima pars Concluſionis. Antecedens conſtat ex dictis ſuprà in notabilibus. 1. 2. & 3. conſequentia, quia oppoſitorum eſt eadem diſciplina, & ratio; ſi ex eò quòd Deus eſt ipſum (vt probabitur in 2. parte Concluſionis) eſſe, & à nullo extrinſeco cauſatum, & ſolus ipſe eſt actus purus, & primum ens, ipſius eſſentia ſola eſt ſuum eſſe, conſequentiæ prædictæ ſiunt de ſe manifeſtæ ex oppoſito, quòd quia Creatum quodcumque ſe habet oppoſito modo, quod eſſentia ſua non ſit idem cum ſuo eſſe, imò quòd maximè diſtinguatur diſtinctione reali, quæ non poteſt eſſe niſi diſtinctio rei à re. Et hæc omnia probantur diffusè à D. Thom. prætèr ea, quæ diximus in Adnotationibus ſu-

prà,

ptà, in tota ſua ſumma, & in omnibus ſuis opuſculis, in quibus tractat de hoc principio vniuerſaliſſimo in Metaphyſica, & præcipuè legas opuſculum D. Thomæ 48. tract. 2. cap. 2. circà medium. Ità Caietanus, &c.

Confirmatio Caietani ex D. Thom. prædictæ rationis, quod ſcilicet diſtinguatur vt res à re & non vt modus.

Confirmatur. Hæc ratio, quod intelligenda ſit ſecundum D. Thom. quòd exiſtentia non diſtinguatur vt modus, ſed vt res à re, ſub tali forma à Caietano in 3. p. quæſt. 17. art. 4. In Chriſti Domini Incarnatione Verbum Diuinum in via D. Thomæ per ſe ipſum de facto ſuppleuit exiſtentiam ſuæ Humanitatis ſanctiſſimæ, nequaquam autèm poteſt dici, quòd ſuppleuerit illam humanitatem: ſed ſi exiſtentia humanitatis ſolùm ab illa modalitèr diſtingueretur, non poſſet ſuppleri à Diuino Verbo, quin ſuppleretur etiàm ipſa Humanitas: ergò, &c. non ſolùm ſcilicèt modalitèr diſtinguitur ab ipſa eſſentia, ſed tanquàm res à re. Sequela probatur, quia aliàs vnio hypoſtatica non ſolùm facta fuiſſet in perſona, ſed etiàm in natura. Minor probatur. Modus includit in ſuo conceptu intrinſeco entitatem cuius eſt modus: ergò ſi exiſtentia humanitatis eſſet ſolùm modalitèr ab illa diſtincta, non poſſet ſuppleri ipſa exiſtentia à Diuino Verbo, quin etiàm ſuppleretur ipſa Humanitas. Et iſta ratio, addit Caietanus, nunquàm penetrabitur vt conuincens in via D. Thom. niſi attendatur eius Doctrina Metaphyſica allata à nobis ſuprà in notabili 4. 5. & 6. Ità Caietanus loc. cit.

Probatio ſecundæ partis concluſionis facta à Caietano ex D. Thom. quod ſcilicet ſolus Deus ſit ſuum eſſe.

Probatur modò ſecunda pars à Caietano de ſolo Deo ex D. Thom. 1. p. quæſt. 3. art. 4. ſub tali forma. Deus eſt primum efficiens, actus purus, primum ens, ergò habet eſſe non cauſatum ab extrinſeco, ergò eius eſſentia non ſe habet ad eſſe, vt potentia ad actum: ergo eſt ens per eſſentiam, ergò ſolus ipſe eſt ſuum eſſe. Antecedens per ſingulas partes de ſe redditur manifeſtum loc. cit. à D. Thom. & ſupponitur vt probatum lumine naturali à Philoſophis, præcipuè ab Ariſt. in 12. Met. Vndè conſequentiæ ex vi antecedentis, & ex ipſis terminis per ſe ſunt notæ. Nota tamèn, addit Caietanus, quod iſta ratio fundatur ſuper hoc, quod quæcumque quidditas vel natura, quantumcumque ſecundum rationem quidditatiuam ſit actualis, relata tamèn ad eſſe habet rationem potentiæ, vt diximus, ſapientia namque, & bonitas, &c. actuatur per hoc quod dico, eſt, ſimilitèr humanitas, equinitas, &c. & propterea dicitur, quod eſſe eſt actualitas omnis formæ, & quod nulla natura ſignificatur in actu vltimato, niſi pro vt ſignificatur in actu exercito, & nota etiam, quod omne conueniens alicui diſtinctum ab eius eſſentia, non poteſt dici quod ſit cauſatum ab intrinſeco, ſcilicèt ab eſſentia, quia nihil eſt ſibi ſufficiens cauſa vt ſit, ergò ſi eſſe Dei non eſt cauſatum ab extrinſeco, erit idem, &c. Ità Caietanus.

Primum Argumentum Caietani, ex Scoto contra fundamentum D. Tho.

Quo ad quartum. Arguit Caietanus in 3. p. quæſt. 17. art. 2. ex Scoto contrà ea quæ dicuntur in quarto, & quinto notabili pro vt deſeruiunt ad fundandam diſtinctionem realem intèr exiſtentiam, & eſſentiam. Arguit igitur Scotus in 4. ſent. diſt. 6. quæſt. 1. contrà fundamentum D. Thomæ ſic. Eſſe perſonæ, & naturæ in Chriſto Domino eſt idem, quia eſt in proprio ſuppoſito, quia ſuppoſitum non addit rem ſuprà naturam, ſed negationem: ergò ſi à natura tollatur ratio ſuppoſiti tollendo illas negationes, non propterea tollitur eſſe naturæ, ſed remanet cum ſuo eſſe, ac per hoc in alia perſona poſita, haberet & ſuum eſſe, & non eſſet illius perſonæ, ſed naturæ: ergò idem iudicium eſt faciendum de natura in proprio vel alieno ſuppoſito, quò ad vnum vel plura eſſe.

Reſponſio Caiet. ad Argumentum primum Scoti.

Reſp. Caietanus ex dictis, quod fundamentum S. Doctoris eſt quidem identitas ipſius eſſe reſpectu naturæ, & perſonæ, ſed non ſola identitas, ſed cum adiuncta modi diuerſitate reſpectu vtriuſque; quia ſcilicèt illud idem eſſe eſt naturæ vt quo,

per-

Digitized by Google

perſonæ vt quod : ex identitate enim eſſe cum hac modi diuerſitate procedit ibi S. Doctor. At Scotus contrà ſolam identitatem affert pro cauſa, & hoc eſt primum, in quo ſuum Argumentum deficit. Verumtamen, quia identitas quoquè cauſa eſt. Reſp. quod falſa eius redditur ratio, quoniam vt ex diſcuſſis ibi à S. Doctore, & in diſcutiendis infrà in alia Lectione Metaphyſicali, Perſona addit rem aliquam ſuprà naturam, addit enim terminationem ipſius; vndè Scotus aſſumit & non cauſam, pro cauſa, & hanc falſam. Vera cauſa eſt, quia eſſe vnicuique rei ſufficit ſuo modo : propterea enim perſonæ, & perſonalibus omnibus ſufficit vnum eſſe, quia eodem eſſe perſona eſt vt quod, perſonalia vt quo, vel ſecundum quod, vel alio ſimili modo. Ità Caietanus, qui etiàm idem dicit in ſua Phyſica in 1. Phyſ. num. 190.

Arg. 2. Caietani ex Aureolo.

Arguit ſecundò Caietanus ibidem ex Aureolo apud Capreolum. Eſſe exiſtentiæ eſt actus quo formalitèr eſſentia eſt : ſed eſſe Diuinum non actuat eſſentiam humanam : ergò humanitas Chriſti, vel eſt actuata ſuo eſſe, vel adhuc perſeuerat potentialis : eſſe enim Diuinum non ſupplet vicem cauſæ inhærentis.

Reſponſio Caietani ad Argumentum Aureoli.

Reſp. Caietanus ad ſecundum quod eſſe exiſtentiæ non actuat eſſentiam niſi terminatam, hoc eſt perſonatam, ſeù per ſe ſubſiſtentem. Et quia Humanitas Chriſti non eſt terminata propria perſonalitate, ſe perſonalitate Verbi, ideò non conuenit ſibi actuari per exiſtentiam. Et hæc intellige loquendo de actuare, & actuari per modum inhæſionis. Nàm ſi de actuare, & actuari infrà totam latitudinem ſuorum modorum ſermo ſit, non eſt remotum à Phyſica de Diuinis, ideſt à Metaphyſica, Deum poſſe actuare rem creatam. In cuius ſignum eſſentia Diuina eſt actus cuiuſcumq; intellectus videntis Deum, vt omnes Phyloſophi Theologi teſtantur. Cùm ergò perfici fatemur naturam humanam in Chriſto ex Diuina perſonalitate, & ſuo eſſe Diuino, non eſt abſonum fateri etiàm, quòd actuatur etiàm aliquo modo per perſonalitatem, & eſſe Diuinum. Quo circà, quandò dicitur, aut eſt actuata proprio eſſe, aut perſeuerat potentialis ad proprium eſſe, dicitur, quod propriè loquendo, vtraque pars diſiunctiuè eſt falſa : quoniam ex aſſumptione ad Diuinum eſſe perfecta eſt eius potentialitas ad exiſtentiam longè excellentiùs, quàm fuiſſet perfecta per propriam exiſtentiam, ſicut poſſe perſonari in propria perſona longè excellentiùs perfectum eſt per perſonam Verbi, quàm fuiſſet perfectum per propriam perſonalitatem. Et quia potentiæ perfectio actuatio vocatur, ideò dicere potes, quod potentia ad propriam exiſtentiam eſt actuata per proprium nequaquam, ſed per Diuinum eſſe longè excellentiùs ſi per proprium, &c. Et ideò non remanet Humanitas Chriſti potentialis, hoc eſt in ſtatu potentiali ad propriam excellentiam ad quem ſtatum rediret, ſi dimitteretur à Verbo, ceſſante tàm excellenti actuatione, prohibente naturam ab imperfectionibus ſibi proprijs, & connaturalibus, ſcilicèt perſonalitate, & exiſtentia propria. Ità Caietanus §. ad Aureolum &c.

Inſtantia Caietani contrà Reſp. ex Scoto cum ſua Reſponſione.

Inſtat Caietanus ex Scoto. Natura vt diſtinguitur contrà ſuppoſitum eſt principium operandi : ergò eſt etiàm principium eſſendi in actu, quia eſſe immediatiùs ſe habet ad formam, &c.

Reſp. Caietanus concedendo totum, & dicitur quod non ex defectu naturæ immediatè principiantis eſſe, ſed ex defectu ſuſceptiui, ſcilicèt perſonæ propriæ fit vt natura non principiet actualitèr actum eſſendi, & principiet actualitèr actum operandi, quia non deeſt proximum ſuſceptiuum operationis. Concedas ergò, quod natura vt diſtinguitur contrà ſuppoſitum eſt principium operandi, & exiſtendi, ſed negetur ſequela implicita : ergò actualitèr principiat exiſtere in

Chriſto,

Digitized by Google

Chriſto, ſicut actualitèr principiat operari, quia natura vt diſtinguitùr contrà ſuppoſitum eſt non ſolùm principium, ſed etiàm ſuſceptiuum proximum operandi, ſed exiſtentiæ eſt dumtaxat principium, & non ſuſceptiuum proprium. Natura enim humana, eſt principium exiſtendi perſonæ propriæ, vt proprio ſubiecto, quod in Chriſto non eſt, & ideò non principiat exiſtentiam in Chriſto, ſed operandi eſt principium ſibi ipſi vt proprio ſubiecto diſtinguendo naturam contrà ſuppoſitum vt dictum eſt. Et ideò in Chriſto principiat proprium operari, & proptereà operari multiplicatur ſecundum naturas, eſse autèm non. Ità Caiet. loc. cit. in Reſp. ad vltimum Scoti, &c.

Argumentum tertium Caietani ex Scoto.

Arguit tertiò Caietanus ex Scoto probante quod eſse non potuit ſeparari ab Anima Chriſti ſic. Fundamentum relationis naturalitèr præcedit relationem, & ſecundum eſse actuale præcedit rationem relationis actualis: ſed vnio iſta fuit relatio actualis: ergò eius fundamentum præceſſit naturalitèr ſecundum eſse actuale: fundamentum erat ipſa natura totalis, ergò &c.

Confirmatio Caietani ad hominem pro Argum. tertio.

Confirmatur ratio ad Hominem. S. Doctor in 1. p. quæſt. 50. aſserit quod eſse conuenit formæ ſecundum ſe, ſicut rotunditas circulo, vndè ſic in forma arguit Scotus. Eſse ſecundum D. Thom. non poteſt ſeparari à forma: ergò nec ab Anima Chriſti: ergò Anima Chriſti habet proprium eſſe, & eſt ſuſceptiuum eius proprium in primo modo dicendi per ſe.

Reſponſio Caietani ad Argum. tertium Scoti.

Reſp. Caietanus ad Argumentum quod fundamentum eſt priùs ſecundum actualem exiſtentiam relatione ipſa; & in propoſito dicimus, quod Humanitas Chriſti fuerit priùs exiſtens, quàm relata ad Verbum: ſed negatur ſequela. Iſta, fuit exiſtens, ergò propria exiſtentia ſtat enim quod fuerit exiſtens exiſtentia Verbi. Hæc Reſponſio ſatisfacit omnibus Argumentis quæ fiunt de agere, quòd ſupponit exiſtere, & de accidentibus, quæ ſupponunt ſubiectum exiſtere, & ſimilibus. Conceditur enim ſemper, quod hæc omnia in Chriſto ſupponunt Humanitatem exiſtere: ſed ab exiſtentia ad exiſtentiam propriam Argumentum conſtat non valere, quia ſtat quod præexiſtat exiſtentia communicata ſibi ex perſonalitate Verbi. Ità Caietanus.

Reſponſio Caietani ad Confirmationem quomodo formæ per ſe conueniat eſſe in quo ſenſu.

Reſp. Caietanus ad Confirmationem, quod Doctrina S. Thom. ibi intelligitur de ſeparabilitate naturali, quod ſcilicèt impoſſibile eſt naturalitèr formam ſeparari à ſuo eſſe, & ex hoc concludit ibi efficacitèr formas ſubſiſtentes per ſe abſque materia eſſe incorruptibiles, & Anima Chriſti abſque proprio eſſe ex Diuinæ omnipotentiæ præuentione. In hoc autem loco, ſcilicèt in 3. p. quæſt. 17. cit. ad exemplum de circulo, & rotunditate Reſp. Caietanus, quod non obſtat his, quæ diximus, quia exempla, & ſimilia non currunt in omnibus. Et iſta propoſitio, formæ conuenit per ſe proprium eſſe, poteſt intelligi dupliciter primò quod conueniat formæ per ſe vt principio, & ſic eſt vera: ſed quia perſeitas principij, eſt impedibilis per ſuperiorem cauſam, ideò cum huius propoſitionis veritate ſtat quod in Chriſto Anima præuenitur à proprio eſſe, cuius per ſe eſſet principium. Alio modo intelligitur quod per ſe conueniat formæ vt principio, & ſubiecto, ſicut propria paſſio conuenit ſubiecto proprio. Et ſic hæc propoſitio non eſt vera, niſi de forma terminata propria perſonalitate, ſeù ſubſiſtentia, qualis non eſt Anima Chriſti, quæ non niſi per Verbum ſubſiſtit. Vndè S. Thom. ibi ex prima propoſitione, forma in quantùm forma, ſubſumpta ſecunda propoſitione de forma per ſe ſubſiſtente concludit Angelos incorruptibiles. Et verè ſic eſt, quia implicat formam per ſe ſubſiſtentem abſque proprio eſſe, non minùs quàm quòd circulus abſque rotunditate inueniatur. Ità Caiet. art. 2. q. 17. cit. in Reſp. ad 7. & 8. Scoti.

Ar-

Digitized by Google

Appendices ad Lectionem 6. Metaphyſicalem in Tractatu de Ente, & Eſſentia.

QVi tenent probabilem opinionem Scoti, diſtingui ſolùm modalitèr exiſtentiam ab eſſentia ſunt citati à Io: à S. Tho. & Ledeſma q. 4. de eſſe Dei a. 2. & Victoria, & Cano etiàm ſequuntur Sotum, quod diſtinguantur vt ſedere ab homine. Scotus vero cum Fonſeca tenet identificationem eſſentiæ cum exiſtentia, vndè ſi diſtinguuntur, ſolum diſtinguuntur ante operationem intellectus ex natura rei. Hos omnes Doctores modernos citat Io: Martinez à Prado, & Sapientiſſimus Io: à S. Th. qui ſequuntur Caietanum.

Alij verò Moderni vt Suarèz, & Lychetus ſolam diſtinctionem rationis agnoſcunt cum Aureolo ex modo ſignificandi, quia vna ſignificatur in abſtracto, & alia in Concreto, vel quia res concipitur per modum quidditatis, & vocatur eſſentia, vel quatenus eſt ratio ponendi extrà cauſas, & vocatur exiſtentia. Imò ſunt alij qui dicunt quod eſſentia actualis nec ex parte intellectus diſtinguitur ab exiſtentia, & & quod eſſentia actualis non diſtinguitur ex parte obiecti ab eſſentia poſſibili abſtrahente à purè poſſibili, & exiſtenti.

Alij verò addunt cum Henrico in quolib. p. q. 8. & quolib. 3. q. 9. quod eſſentia, & exiſtentia diſtinguuntur per reſpectum ad cauſam producentem, quia eſſe eſſentiæ eſt à Deo vt à cauſa exemplari, eſſe verò exiſtentiæ eſt à Deo vt cauſa efficiente, & per iſtos diuerſos reſpectus rationis, vel per connotationem illorum eſſentia differt ab exiſtentia.

De hac Controuerſia intèr Neotericos primæ notæ viros in doctrina, & in Vniuerſitatibus inſignes legas noſtrum Magiſtrum Picinardum Theologum publicæ Vniuerſitatis Patauinæ, qui in ſua Phyſica dogmatica contrà ſectam Parmenidis ſatis luculentèr, dilucidè, & facundè pro ſuo more defendit ſententiam Caietani de mente D. Th. ibi eſſe diſtinctionem realem vt rei à re. Et legas Iauellum noſtrum in 7. Met. q. 17. vbi etiàm citrà primā cauſam probat quod in quolibet ente creato eſſe exiſtentiæ eſt prædicatum extraneum à quidditate, ſeù eſſentia cuiuslibet creati; & hæc q. 17. eſt diuerſa ab illa q. 8. quam habet in eodem lib. 7. vbi probat quod in ente per ſe quod quid eſt idem realiter cùm eo cuius eſt, vt Homo, & Animal rationale quando prædicantur de ſorte. Vide ibi loc cit.

Eſt alius Modernus Thomiſta, qui vt videatur ſingularis cùm Soto, gloſat D. Thomam, quod quando dicit S. Doctor, quod exiſtentia diſtinguitur ab eſſentia vt res à re, ſumit ipſam rem prout dicit quid ratum, & fixum, ſed loquitur de re, vt dicitur à reor reris. Quid intelligat iſte Metaphyſicus per iſtam diſtinctionem, interroget quis vult, ego ſuperſedeo ab his interrogationibus.

Quæ autem habet Caiet. in c. 7. de ente, & eſſentia circà illam quæſtionem an ſubſtantia accidenti ſubiecta poſſi intelligi ſine omni accidente, & an accidens habeat propriam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ, forſitan hæc infrà dilucidabuntur cum Caietano in illa quæſtione de inhærentia accidentis. hæc ſufficiant. Interim ſi quis vult legere Magiſtrùm Ripam ſuper caput ſeptimum de ente, & eſſentia videat ipſum explicantem Caiet. pag. mihi 861.

An detur potentia obiectiua legas Paſqualigum in ſua Met. diſp. 77. ſect. 4. & quomodo Creatura non ſit ſuum eſſe vide in diſp. 82. ſect. 7. Et an Verbum Diuinum aſſumpſerit humanitatem cum propria exiſtentia ibidem ſect. 7. videas.

Et in diſp. 77. ſect. 4. ne videatur Caietaniſta Paſqualigus confutat vtriq; cùm

Thomiſtis illam potentiam obiectiuam Scoticam, ſed ex alia parte in n. 2. & 3. velit nolit coincidit cum Caietani declaratione in c. 5. de ente, & eſſentia q. 10. quod illud potentiale quod concipimus in eſſentia vt ſubſtentetur actualitate exiſtentiæ, poteſt dici potentia obiectiua, quia obijcitur tanquàm aliquid, quod poteſt ſubſterni actualitati, & hoc totum ſe habet in ordine ad intellectum; non autèm ſecundùm Scotum debet admitti hæc potentia obiectiua intrinſeca creaturis poſſibilibus, ità vt eſſe actuale, quo eſſentia poſſibilis reducitur ad actum, ſit actus huius potentiæ. Ità Paſqualigus.

Et in diſp. 82. ſect. 5. 6. & 7. reſpondendo Argumentis ſuſtinet quod Creatura non ſit ſuum eſſe, quamuis exiſtentia identificetur cum ſua eſſentia, & in num. 14. trahit D. Th. ad ſuum ſenſum ex p. p. q. 5. a. p. ad 1. cit. ab ipſo, quaſi quod D. Thomas velit quod vnaquæq; res ſit in actu, atq; exiſtens per proprium eſſe ſubſtantiale, ſi quidem hoc eſt illud per quod contradiſtinguitur ab eo, quod eſt in potentia; & inſuper in fine num. 14. citat Alamannium in Summa Phyſicæ p. 2. q. 3. a. 2. vbi affert, ait Paſqualigus plura loca D. Th. quibus oſtendit tribuere materiæ primæ propriam exiſtentiam. Mirum de hoc Doctore, qui plus credit, Alamannio citanti D. Th. pro ſua ſententia quam D. Th. neganti apertiſſimè exiſtentiam propriam ipſi materiæ primæ in mille locis. Et vult attrita fronte quod D. Th. teneat quod actualitas rerum, qua conſtituuntur extrà cauſas nullo modo ſit aliquid diſtinctum ab eſſentia, atq; illi ſuperadditum. Mi Thomiſta parcas quæſo iſtis Neotericis, nec te moueat bilis contrà ipſos, relinquas ipſos in ſuis Phantaſijs Metaphyſicis. Et in hac diſp. 82. vbi quærit Paſqualigus an exiſtẽtia diſtinguatur ab eſſentia, alia per multum curioſa leges pro animi recreatione contrà vtramq; Scholam, & Thomiſticam, & Scotiſticam, & legas ſectionem 3. vbi reſpondet rationibus D. Th. Caiet. aliorumq; grauiſſimorum Thomiſtarum. Et iàm Paſqualigi reſponſiones ſunt, vt ita dicam, conquaſſatæ à Caietano &c.

Et de Myſterio Incarnationis, an Verbum aſſumpſerit naturam humanam cum propria exiſtentia, breuibus in verbis ſe expedit Paſqualigus in num. 5. ſect. 7. q. 82. cit. ſtat enim ex illa parte qui aſſumpſiſſe affirmat cum propria exiſtentia, quia natura humana fuit terminus creationis, & productionis realis inuoluentis animam, & cùm creatio terminetur ad exiſtentiam rei, opportet quod Humanitas Chriſti fuerit exiſtens, quando aſſumpta fuit, & ſic ſe expedit; vnde aliqui negant Verbum aſſumpſiſſe humanitatem cum propria exiſtentia quia confundunt exiſtentiam cum ſubſiſtentia ſine qua certum eſt, humanitatem aſſumptam fuiſſe, & nil aliud dicit Paſqualigus &c. Tres ſententias famoſiores recitat in illa diſput. 82. ſect. 1. & 2. & pro ſingulis citat nominatim quamplurimos Patronos. In primo loco eſt confutata prima ſententia quæ eſt vtriuſque Thomæ Aquinatis, & Caiet. cum ſuis Doctoribus Thomiſtis &c. ſed in vanum laborat, & fruſtrà Theſaurizat doctrinas Neotericas, & neſcit quibus. Videas ibi &c.

Digitized by Google

LECTIO VII.
METAPHYSICALIS
IN TRACTATV DE ENTE, ET ESSENTIA.

A qua cauſa effectiua proueniat effectiuè ipſum eſſe an a ſolo Deo, vel etiam ab ipſa forma.

Ex Caietano ſuper c. 5. de ente, & eſſentia q. 10. ex p. p. q. 3. a. 4. q. 8. a. 1. & q. 45. a. 5. & alibi multis in locis.

Declaratio Tituli Controuerſiæ data à Caiet.

TItulus ampliatur, & extenditur à Caietano prætèr ipſas intelligentias, ad omnia creata, vt ibi ponitur, & in ſua amplitudine relinquitur. Quod enim reddit hanc quæſtionem celeberrimam in omni ſchola, ſunt in magna parte Doctrinæ D. Thomæ æquiuoca prolata de ipſo eſſe ab eodem S. Doctore, quia cùm in multis locis abſolutè proferat ipſum eſſe à forma prouenire, & in alijs locis à ſolo Deo; hinc ingenia Metaphyſica multis inuoluuntur difficultatibus, & penetrare eſt difficile in via D. Th. quomodo de forma, & de Deo dicatur quod ſit principium eſſendi. Vndè, ait Caietanus, antequam accedamus ad explicationem præſentis Controuerſiæ Metaphyſicalis, adnotandus eſt modus loquendi diuerſus in D. Th.

Loca D. Th quæ videntur inſinuare eſſe prouenire à forma effectiuè.

In primis de forma ait D. Th. in 3. p. q. 19. a. p. ad 4. quod eſſe, & operari eſt perſonæ à natura, alitèr tamèn, & alitèr, nàm eſſe pertinet ad ipſam conſtitutionem perſonæ, & ſic quantùm ad hoc ſe habet in ratione termini, & operari eſt quidem effectus perſonæ ſecundum aliquam formam vel naturam.

Et in p. p. q. 5. a. 2. ad 2. in fine Reſp. ait. Ens autèm non importat habitudinem cauſæ niſi formalis tantùm, vel inhærentis, vel exemplaris, cuius cauſalitas non ſe extendit niſi ad ea quæ ſunt actu.

Et in 2. Phyſ. lect. 4. in fine ait. Cauſa eſſendi abſolutè eſt forma, ſed vt fit de potentia ſunt aliæ tres cauſæ, ideò in immobilibus cõſideratur tantũ cauſa formalis.

Et in 2. c. g. c. 54. ait. Forma dicitur eſſe principium eſſendi, quia eſt complementum ſubſtantiæ cuius actus eſt eſſe. Et in p. p. q. 45. ad 1. ait. Nullum ens creatum poteſt producere aliquod ens abſolutè, niſi in quantùm cauſat eſse in hoc.

Et in 5. Met. lect. 6. ait. Omnes cauſæ conueniunt in hoc, quod cauſant eſse, & ſic priuatio eſt principium per ſe fiendi, non autem eſsendi; & idem affirmat in quæſt. de potentia q. 3. a. 1. ad 16.

Et in q. diſp. de potentia q. 5. a. 1. ad 5 ait. Agentia inferiora ſunt principia eſsendi, quo ad inchoationem non autèm abſolutè. Et in 2. ſent. diſt. 9 a. 1. ad 3. ait. Quædam Creaturæ largiuntur alijs eſse, & bonitatem. Et in p. p. q. 42. a. p. ait. Omne eſse eſt ab aliqua forma, & ad primum ſubiungit. Primus effectus formæ eſt eſse, & ſecundus eſt operatio.

Et in q. diſp. q. 5. de Verit. a. 10. ait quod Actus primò primus eſt forma, ſed ſecundò primus eſt eſse, ſecundus autèm eſt operatio; & quod in ente eſt duplex operatio, ſcilicet ad formam, & eſse; & duplex Actus in rebus compoſitis, ſcilicet, at in ſpiritualibus non eſt prima potentia.

Idem dicit in ſua Summa multis in locis, quod eſse eſt actualitas omnis formæ, vel naturæ, & quod ideò eſse comparatur ad eſsentiam, vt actus ad potentiam. Et in multis locis extrà ſuam Summam ait, quod agentia naturalia ſunt cauſæ rerum, quo ad fieri, non autem quo ad eſse niſi per accidens, ità in p. ſent. diſt. 37. q. p. ad 1. & de potentia q. 5. a. 1. ad 4. & in 2. c. g. c. 21. ad 11.

Et tandèm in 2. c. g. c. 52. & 54. ad 2. ait, quod eſse vtiq; non eſt forma, ſed per ſe conſequitur ad formam, & c. 53. ait quod forma comparatur ad eſse ſicut lux ad lucere, vel ſicut Albedo ad album eſse. Et in p. p. q. 39. a. 2. ad 3. ait. Eſſentia eſt illud, cuius actus eſt eſse, & quod eſsentia, & natura ſunt idem re, & diſferunt ratione, quia eſsentia eſt principium eſsendi, ſed natura eſt principium operationis. Ex quibus locis, Caiet. motus à tot auctoritatibus D. Th. contrà Scotum in p. p. q. 45. a. 5. §. Ad euidentiam horum &c. concludit ſic.

Caiet. quomodo interpretetur mentem D. Th. in cit. loc.

Quod eſse ſit effectus ſolius Dei (hoc enim nunquàm ſomniauimus) imò in agente naturali, & præcipuè in tranſmutantibus materiam, omnem cauſam tenemus dare eſse, virtute tamèn primæ cauſæ, vt in propoſitione adducta à S. Doctore ex libro de Cauſis inſinuat, ſcilicet quod neq; Intelligentia vel Anima nobilis dat eſse, niſi in quantùm operatur operatione diuina. Eſse igitur, addit Caiet. licet ſit proprius effectus Dei, non tamèn eſt ſolius Dei, vt magis patebit infra. Ità Caietanus loquitur cum D. Th. quando conſideratur eſse proueniens à forma &c.

Loca alia D. Th quæ videntur inſinuare quod eſſe eſt ſolius Dei effectus, & non forma.

Quod verò eſse ex alia parte ſit ſolius Dei effectus proprius, loca multa D. Th. hoc inſinuant. In primis in p. ſent. diſt. 35. a. 3. ait quod eſse cuiuslibet rei, & cuiuslibet partis eſt immediatè à Deo. Et in 2. ſent. diſt. 2. q. 1. a. 4. in corpore, & in 2. ſent. diſt. 8. q. 5. ad 3. ait quod Deus dat eſse, aliæ vero cauſæ illud determinant. Et in q. diſp. q. 27. de Ver. a. p. ad 3. & de potentia q. 3. a. 16. ad 2. ait quod eſse cauſatur à Deo nullo mediante agente. Et p. p. q. 8. a. 3. in corpore, & in q. 45. & q. 65. a. p. in corp. probat ſemper, quod eſse eſt effectus proprius Dei.

Et in p. ſent. d. 7. q. p. a. 1. ad 3. & diſt. 37. q. 1. a. 1. in corp. ait, quod agens diuinum eſt ille ſolus qui dat eſse, quod tranſmutatur in compoſitis Phyſicis ab agente naturali, quod eſt cauſa motus tantùm, & diuinum agens eſt cauſa ipſius eſſe. Et in alijs locis, ait quod omne quod non eſt ſuum eſſe participat eſſe à prima cauſa, quæ eſt ſuum eſſe, & quod nihil prætèr Deum eſt cauſa ipſius eſſe, vt in 2. c. g. c. 21. & in 2. ſent. diſt. 1. q. 1. a. 4. ait quod nullius eſſe totum rei principiatur ab aliqua Creatura.

Et in p. p. q. 65. a. 3. ait, quanto eſſe eſt primò ſubſtractum in omnibus rebus, & magis quàm aliæ formalitates entis, ideò tanto magis à ſuperiori agente procedit. Et in 2. c. g. c. 21. ad 11. & in diſp. de Potentia q. 5. a. p. ad 4. ait agentia inferiora ſunt cauſæ rerum quo ad fieri, non autèm quo ad eſſe niſi per accidens. Et in p. p. q. 8. a. 1. in corp. & quæſt. 105. a. 5. in corp. ait quod eſſe eſt maximè intrà rem, ſecundò eſt forma, tertiò materia. Et quod eſſe vt eſt actus, & principium formale eſt priùs forma, ſed ſecundum inhærentiam, & fieri eſt è contrà. Et tandèm in p. ſent. diſt. 8. q. 1. & 2. ad 2. ait, quod eſſe Creaturæ non eſt per aliud formaliter, & intrinſecè, ſed exemplariter, & effectiuè eſt per eſſe Dei. Hæc D. Th. ex quibus incipit Caiet. declarare controuerſiam de mente D. Th. per infraſcriptas doctrinas, & notabilia.

Quo

Quoad primum notat primò Caietanus circà cauſam intelligentiarum effectiuam in q. 10. c. 5. de ente, & eſſentia ex B. Alberto Magno 12. Met. quod contemplatio intelligentiarum, ſi veritatem inuenire quærit, in eas vt operatiuas non ſpeculatiuas tendat, ſunt enim eſſentialiter opifices, vt Corpora Cæleſtia tanquam earum inſtrumenta præſeferunt. Inter Artes enim inuenitur talis proceſſus quod Ars communis, & ſpecialis ſpeciales Artes ſubſeruientes cauſat exemplaritèr, & effectiuè, partialiter ſaltèm pro vt diuerſis modis eſt imitabilis, v. g. Ars militaris cauſat equeſtrem, & freneſactiuam, & alias huiuſmodi vt ſic, & ſic eſt alitèr imitabilis: Omnes enim inferiores Artifices intuendo Artem principalem, & communem, ad eius imitationem firmant operationes ſuas proportionatas illi. Deus autèm Glorioſus eſt Ars prima, & communiſſima imitabilis ab omnibus Artificibus ſpecialibus, quales ſunt omnes intelligentiæ. Vndè ipſa ars Diuina, vt ſic imitabilis, puta per modum talem, qualis eſt motus Saturni, cauſat artem intelligentiæ Saturni, & vt alio modo imitabilis, puta per operationes tales, quales ſunt Iouis cauſat artem intelligentiæ Iouis, & ſic de alijs, cauſat dico non ſolum exemplaritèr, ſed effectiuè, & totalitèr. Ars enim vniuerſalis in humanis, ideò non cauſat niſi partialitèr, & exemplaritèr artes ſpeciales, quia non poteſt niſi concurrente lumine intellectus agentis in alterius intellectu fieri. Si namque ars vniuerſalis eſſet ſeparata à materia per ſe ſubſiſtens, ex ſe non prohiberetur, quin poſſet artes ſpeciales ſui imitatiuas effectiuè producere. Vndè cùm ars diuina ſit per ſe ſubſiſtens, & ſumme efficax, non requirit coagens, ſed ſola intelligendo ſe, vt pluribus nobis imitabilem, artes ſpeciales orbium motiuas tanquàm propriorum Inſtrumentorum produxit. Et quia artes illæ non ſunt receptæ in aliquo, oportet quod ſint ſubſiſtentes, & quod ſint non ſolùm formæ intelligibiles, ſed intelligentes. Omnis enim res immaterialis ſi eſt ſubſiſtens eſt intelligens ſecundum doctrinam Ariſt. 3. de Anima tex. Comm. 16. Vndè cum Deus immediatè producat plures artes ſpeciales ſubſiſtentes, ſequitur quod immediatè producat plures intelligentias: ipſæ enim ſunt eſſentialiter artes, & ſic ibi eſt tantùm cauſa, & cauſatum ſicut intellectum ideſt ars communis intellecta, eſt cauſa intelligentis artificis ſubſeruientis. Vndè Commentator Comm. 44. confirmat hanc doctrinam non enim eſt impoſſibile, vt id quod eſt per ſe intelligentia, & intellectum ſit cauſa plurium entium, ſecundum quod ex eo intelliguntur multi modi. Ars enim Diuina quæ eſt pura intelligentia, & purum intellectum ſecundum quod intelligitur à ſe practicè pluribus modis imitabilis, plures artes producit, quarum cuilibet, quia concipit de arte communi, eſt ratio operandi, cùm ſumat principia ſua ab illa; ideò ſubdit, quod aliud eſt quod concipit de primo motore Motor Orbis Iouis, & aliud quod concipit Motor Orbis Saturni, & eſt cauſa in Anima eius, ſcilicet quod operetur. Et proportio intèr intelligentias aſſignata ab ipſo Commentatore hoc confirmat, dicens quod habitudo intelligentiarum aliarum ad primam eſt habitudo artium ſpecialium ad Creationem; ità quod ſicuti artes ſpeciales perficiuntur, & cauſantur à communi in humanis, ità proportionabiliter aliæ intelligentiæ perficiuntur, & cauſantur à prima. Ità Caiet. loc. cit.

Prima doctrina Caiet. deſumpta à Commentatore, in qua exponitur modus producendi intelligentias quæ ſunt effectiuè à ſolo Deo.

Notat 2. Caiet. in q. 10. c. 5. de ente, & eſſentia, quatuor propoſitiones. Prima eſt talis. Poſſibile ex ſe eſt id, quod habet in ſe ipſo potentiam ad non eſſe. Secunda eſt hæc. Id ſolùm habet in ſe ipſo potentiam ad non eſſe, cuius aliquid habet potentiam ad aliud eſſe. Tertia propoſitio eſt hæc. Neceſſarium eſt illud, quod caret potentia ad eſſe, & non eſſe ex 5. Met. tex. Comm. 6. Quarta propoſitio eſt hæc. Nec intelligentiæ, nec Corpora Cæleſtia habent aliquid ſui, quod ſit in potentia

Notab. 2 Caiet. in quo inſinuatur id quod dixit in ſua Phyſica, ſcilicet quod dantur in mundo entia neceſſaria quæ ſunt effectiuè à Deo.

ad aliud eſſe. De intelligentijs patet, quia ſunt ſimplices formæ. De Corporibus Cæleſtibus patet etiam ſi ſecundum Auuerroim dicatur, quod ipſa etiam ſunt ſubſtantiæ ſimplices, Iuxtà tamen doctrinam D. Th. non verificatur niſi per hoc, quod Materia cuiuſque eorum, non eſt capax niſi formæ, quam habet. Propoſitiones iſtæ quatuor probantur à Caiet. in loc. cit. contrà Scotum: ſed quia in ſua Phyſica q. 1. 8. Phyſ. num. 228. ſufficientèr habetur ex Ariſt. Commentatore, & D. Th. quod aliqua entia ſunt ex ſe neceſſaria, & tamèn habent eſſe ab alio effectiuè; Et addit Caietanus de huius propoſitionis veritate ſufficientèr diximus contrà Scotum in p. p. q. 44. a. 1. ad 2. Videatur ibi D. Th. Ità Caiet. &c.

Notab. 3 Caiet. in quo explicat quomodo eſſe dicatur effectus proprius Dei, & diſtinguit ly proprius.

Notat 3. Caiet. in p. p. q. 8. a. 1. §. nota tertio &c. circà propoſitionem D. Th. quod eſſe eſt profundius, ac intimius omnibus quia eſt formale reſpectu omnium. Hoc meritò dicitur, quia nihil eſt in re aliqua quod non actuetur per eſſe ſiuè pars eſſentialis, ſiue integralis, ſiuè prædicatum ſubſtantiale, ſiuè accidentale. Omnem enim gradum, & omnem rationem attingit eſſe, multa tamèn in re ſunt quæ non ſunt ſubſtantia, aut corpus &c. profundius ergo omnibus, & quod vltimo in reſolutione reſtat, & quod primo compoſitionem terminat, eſt eſſe, quod eſt proprius effectus Dei, ait D. Th. & hoc dupliciter addit Caietanus, vno modo vt ly proprium diſtinguitur contrà commune, & ſic eſt ſenſus, eſſe eſt effectus à ſolo Deo proueniens, excludendo omnem mediam cauſam effectiuam, & ſic non intelligitur D. Th. vt malè intelligit Scotus in 4. ſent. diſp. 1. q. 1. vt probatur in p. p. q. 45. Alio modo vt ly proprium diſtinguitur contrà alienum. Alienum in propoſito dicitur omne aliud, quod per aliud ineſt, etiàm ſi per ſe inſit; & ſic proprium idem ſignificat quod per ſe primo, & hic eſt verus, & intentus ſenſus à D. Th. in q. 8. cit. Eſſe enim eſt per ſe primò effectus primæ cauſæ, & ratio cuiuſq; rei eſt quod ſit à prima cauſa, & vult S. Doctor, quod ab eſſe per eſſentiam deriuetur omne eſſe vt ſic, vt proprius effectus, ideſt per ſe primò effectus, quia ſolus Deus poteſt omnia facere, quæ exiguntur ad hoc vt aliquid ſit, quidquid ſit illud, vt infrà videbimus. Ità Caiet.

Notab. 4 Caiet. in quo oſtendit cũ D. Th. omne ens effectiuè eſſe à Deo

Notat Caiet. 4. ex D. Th. p. p. q. 44. a. 2. §. circà vim huius rationis &c. quod S. Doctor pro conſtanti ibi relinquit quod omne ens eſt à Deo, licet explicitè non ponat ly effectiuè. Et ratio eſt in promptu, quia cùm naturaliſſimum ſit vnicuiq; agere ſibi ſimile, & impoſſibile ſit aliquid aliud perfectius ſuam ſimilitudinem efficere, quam idquod eſt tale per eſſentiam, conſequitur neceſſariò, quod ipſum ſit primum faciens talia per participationem niſi fortè aliquid inueniretur eminentius præhabens illud, quod in propoſito locum non habet, cum nihil poſſit cogitari eminentius ipſo eſſe per eſſentiam. Et S. Doctor tractans ibi de Creatione, ſubtiliſſimè procedit ex proprijs. Creare cùm enim nil aliud ſit, quam facere quod res ſint, & non includat quod ſint tales, vel tales idem eſt quærere Creatorem omnium entium, & cauſam effectiuam omnium, in quantùm entia. Non poteſt autèm magis propria cauſa entium in quantùm entia ſunt aſſignari, quam eſſe per eſſentiam vt ſic, ſicut viuentium in quantùm viuentia, vita per eſſentiam, & verorum in quantùm vera, veritas per eſſentiam iuxtà Auctoritatem 2. Met. & prop. 18. de Cauſis, ſubintellecta proprietate cauſæ effectiuæ, quæ eſt facere ſibi ſimile, vt in q. 45. declaratur. Et S. Doctor in p. p. q. 104. a. p. fundat pro dictis hanc propoſitionem, omnis effectus dependet à ſua cauſa ſecundum quod eſt cauſa eius ſi in fieri, in fieri, ſi in eſſe, in eſſe. Ità Caiet. in loc. cit.

Notab. 5. Caiet. in quo magis ver-

Notat 5. Caiet. in p. p. q. 104. a. 1. §. Ad 3. Dubium &c. Quando dicitur quod Deus eſt cauſa per ſe ipſius eſſe, & per conſequens quod oportet vt cauſet illud in quo-

quocumque inuenitur recole quod intelligitur de Cauſa per ſe primò alicuius, ità quod perſeitas, ſeù primitas ſe teneat ex parte vtriuſq; ſcilicet tàm cauſæ, quàm effectus proportionaliter tamèn ſic, quod, B, conueniat per ſe primo dependere ab, A, &, A, conueniat per ſe primo eſſe Actiuum, B, hoc eſt principium per ſe notum: quoniam ſi B, conuenit per ſe primo dependentia ab, A, in quocumque inuenietur, erit vtique cum tali dependentia impoſſibile eſt enim ſeparare aliquid ab eo quod conuenit ſibi per ſe. Et ſimiliter, ſi, A, conuenit per ſe primo quod ſit actiuum, B, in quocumq; reperitur eſt actiuum ipſius, B, & ſic ſi A, & B, ſint eiuſdem rationis idem eſt per ſe primò actiuum ſui ipſius, quod vt impoſſibile deducitur à D. Th. loc. cit. De Deo conſtat quod eſt cauſa per ſe primò entis in quantùm ens, & non ſequitur ergo cauſat ens in ſe ipſo, ſed benè hoc ſequitur, ergo cauſat ens in quocumque inuenitur ſecundum eandem rationem, qua inuenitur in cauſatis. Modò falſum eſt, quod in Deo inueniatur ſecundum eandem rationem, cùm ipſe ſit ens per eſſentiam, cætera non, ſed reliqua ſunt quodammodo eiuſdem rationis in quantùm entia, quia ſunt entia per participationem. Et hoc benè nota, addit Caietanus, quoniam Metaphyſica hæc multos latuit illuſtres viros, recolendo ſemper quod eſſe per ſe actiuum ſupponit fundamentum aſſimilationis, non tamèn ſemper ſecundum eandem rationem, quam effectus habebit, ſed quandoq; ſecundum altiorem, quam effectus imitabitur; & ſimiliter ex alia parte recole hoc aliud, ſcilicet quod eſſe per ſe actiuum exigit actiuitatem in quocumque in quo fundamentum ſimilitudinis inuenitur non qualitercumq; ſed ſecundum eandem rationem, qua inuenitur in effectu. Et idcircò per ſe primò actiuum non repugnabit omni cauſæ, ſed vniuocæ, & ſic. Et ſic benè intelligitur illud principium Metaphyſicum, quod omnis effectus dependet à ſua cauſa, ſecundum quod eſt cauſa eius. Ità Caiet. loc. cit.

... tioſè oſtenditur omne ens eſſe à Deo vt à cauſa per ſe primò.

Notat 6. Caietanus relinquendo differentiam pluſquam Cælum à terra intèr hæc duo, ſcilicet eſſe ſit, & intèr hoc aliud, ſcilicet eſſe per ſe primò ſit, quia hoc iam declarauit in ſua Phyſica in p. p. q. 8. num. 103. & 104. & in p. p. q. 47. a. 5. vbi eſt ſermo de effectibus, non vt quomodolibet fiunt, ſed vt per ſe primò fiunt, relictis his, ait infrà Caietanus loc. cit. notantèr hoc dico, ne ex hoc erres, aut imponas mihi aliquem effectum poſitiuum per ſe vnum in vniuerſo à nullo agente eſſe per ſe primò. Quodlibet enim ens quod à natura ſit in productione totius vniuerſi, in qua producta ſunt omnia, ſecundum vnã ſui partem, ſcilicet materiam, inchoatiuè à prima cauſa cæpit pendere, & poſtmodum ex cooperatione primæ cauſæ, in cauſis ſecundis vnumquodque completè ſit ens. Et ſic per ſe primò quodlibet in quantùm ens eſt à prima cauſa, ſed non per actionem totaliter nouam, & ſimiliter conſeruatur ab ipſa. Et ſic eſſe omne reducitur in actionem Dei vt per ſe primò cauſæ, ſed non totaliter nouam. Ità Caiet. qui nil clarius Metaphyſicè de eſſe poteſt loqui &c.

Notab 6. Caiet. in quo proteſtatur ſe ſemper dixiſſe omne ens in vniuerſo eſſe à Deo per ſe primò.

Notat vltimò Caietanus declarando prædicta per Moralia in p. 2. q. 111. a. 2. in fine art. §. Ad hoc dicitur &c. ſiſtendo ſemper in Metaphyſicis, quod voluntas ſe habet tunc ait mouens ad bonum meritorium, quando ex præcedenti eſſe, vel actu meritorio, facta in actu, iàm ſe mouet ad meritorium bonum. Sunt enim duo operantes ſcilicet Deus, & voluntas facta in acta in tali eſſe: & propterea Gratia cooperans dicitur tàm confirmans voluntatem ad externus opus, facultatemq; exterioris operis præbens, quam vt eſt principium interioris operis Meritorij ſecundum habituale donum iàm datum facultati liberi arbitrij ad vtendum cum vult. Tunc autèm voluntas ſe habet vt mota tantùm in hoc eſſe, quando non ex præcedenti meritoaut eſſe meritorio ad actum, vel ſtatum meritorium ducitur. Et propte-

Doctrina verè aurea eiuſdem Caiet. in qua proportionaliter declaratur quomodo eſſe morale ſit à ſolo Deo meritorium, & quãdo dicatur etiã eſſe à voluntate, vt dicitur de eſſe na-

ica

turali quod eſt à ſolo Deo, & aliquando etiam à cauſa ſecunda.

rea gratia operans dicitur tam gratuita Dei motio ad actum meritorium, qui non procedit ex habitu vel actu altero meritorio, quàm ipſa gratia habitualis, vt dat eſſe. Ad nihil enim horum ſunt duo operantes propriè loquendo, ſed vnus tantùm, ſcilicet Deus. Voluntas autèm, & ſi ad actus ſublimatos ſe habeat vt operans, ad rationem tamen meritorij, cum eam non præhabiat in actu, non ſe habet vt operans, ſed vt obſequens, vt ait D. Th. in Reſp. ad ſecundum, noli igitur in æquiuoco laborare in ly de eſſe à voluntate; aliud quippè eſt eſſe à voluntate, & aliud eſſe à voluntate in actu in tali eſse ità vt ſe moueat ad meritum; longè plus ad hoc exigitur, quam ad illud vt patet. Actus voluntatis eſt ab ea, & tamen non eſt ab ea vt mouente ſe, ſicuti nec deſcenſus deorſum, eſt à graui vt mouente ſe proportionaliter loquendo ſemper. Sic Caiet. loc. cit. loquitur Metaphyſicè cum D. Th. ab ipſo eſse Phyſico à forma Phyſica, ad eſse morale à forma volitiua morali.

Opinio D. Th explicata à Caiet. iuxtà interpretationem locorum ſuprà, quod ſcilicet eſſe vniuerſaliſſimus effectus eſt à ſola cauſa prima per ſe primò.

Quo ad ſecundum attentis omnibus, & conſideratis locis D. Th. adductis ſuprà, & in primo loco de eſse pro vt dicunt eſse effectum formæ, & attentis alijs in ſecundo loco adductis pro vt dicunt de eſse quod ſit effectus proprius, & ſolius Dei, ait Caietanus, oportet dicere maximè in compoſitis in quibus videtur oriri à generante, quod ſit proprius Dei, non quarto modo ità quod conueniat ſoli, & ſemper, ſed ſit per ſe primo effectus Dei, ſic interpretari debet ly proprius, & non pro vt ſignificat ſolùm, & tantùm, vt impoſuit S. Doctori ipſe Scotus; hic igitur vniuerſaliſſimus effectus, ſcilicet eſse, ſtat quod ſit à pluribus, in omnibus cauſis, & quod a ſola cauſa prima ſit per ſe primò. Et ſtat etiàm quod eſse huius, & illius, & cuiuſcumque ſit per ſe primò ab eadem cauſa, quia eſse in quocumque ſit ab eo oportet fieri, à quo per ſe primò ſit. Et quando ſit Bos, eſse ſit vtique à Boue generante, ſed ſit ab eo non niſi per accidens illo accidentalitatis modò, quo coloratum ſit per accidens, cum ex nigro ſit album. Sic intelligendus eſt D. Th. in illis locis quando dicit quod agens primum ſcilicet Deus, & agens naturale, ſcilicet compoſitum, producunt eſse. Ita Caiet. multis in locis, & præcipue in p. p. q. 45. art. 4. in Commen. §. Circà hanc partem &c.

Opinio Caietani explicata ab ipſo iuxtà loca D. Th. quod eſſe etiàm ſit à compoſito, ſed non per ſe primò ſed per accidens, & à forma in genere cauſæ formalis.

Sicuti & etiam apertiſſime ſe declarat Caietanus in quatuor alijs locis D. Th. interpretatis ab ipſo dicente, quod exiſtentia non educitur de potentia eſsentiæ, vel formæ genita eductione propria ex parte ipſius agentis; cùm hoc tamen ſtat, quod prout ex coniunctione eſse cum eſsentia conſtituitur in certa ſpecie oportet ab illa tanquàm à forma: omnis enim res conſtituitur per ſuam formam in certa, & determinata ſpecie, & in hoc ſenſu dicit S. Th. in 2. c. gent. c. 54. quod forma ſe habet ad eſse, ſicut albedo ad album eſse, quod eſt idem dicere, quod exiſtentia ſiue eſse eſt effectus formalis formæ, & in hoc ſenſu intelligitur etiàm illud aliud dictum D. Thomæ, quod forma ſe habet ad eſse ſicut lux ad lucere.

In cõpoſitis Metaphyſicis ſcilicet in intelligentijs opinio Caiet. eſt iuxtà Commentatorem reprehendentem Auicennam ſcilicet quod ſint effectiuè per vnam actionem à ſolo Deo à forma verò in

Circà verò compoſita Metaphyſica, quæ ſunt puræ formæ ſubſiſtentes, ſeù intelligentiæ, ſeù Angeli. In c. 5. de ente, & eſsentia q. 10. ait Caiet. quod difficultas non eſt, an ità ſit quod Deus creauerit intelligentias, quia in hac noſtra ætate in hoc Patauino Studio non vertitur in dubium, ſed tantùm diſputatur an hoc ſit ſecundum mentem Ariſt. & Commentatoris; nos hic incidentèr perſuadere volumus, quod ſecundum ipſos omnes intelligentiæ ſunt à Deo effectiuè; & inſuper ſecundum rei veritatem cum D. Th. Ariſtotele, & Commentatore, quod eſt aliquid ab alio effectiuè, & tamen eſt neceſsarium ex ſe. Reprehenditur Auicenna à Commentatore, quia poſuit Deum glorioſum ex ſua pura actualitate intelligendo ſe producere primam intelligentiam, quæ producta intelligendo Deum producebat ſecundam intelligentiam, intelligendo autèm ſe ſecundum id quod habet de actualitate pro-

du-

ducebat animam primi orbis; intelligendo autèm ſe ſecundum id quod habet de potentialitate producebat orbem primum, & ſimilitèr ſecunda intelligentia producebat vſque ad vltimam, quæ præſidet ſphæræ actiuorum, & paſſiuorum. Hic modus, inquam, producendi reprehenditur, ſcilicèt quòd vnum tantùm procedat à Deo immediatè. Dicimus ergò nos quòd vna actio ſequitur vnum agentem, & nota, quòd ly vna actio apponitur, vt declaret ſe impugnare modum productionis, & verum modum ipſe Commentator ſubiungit, dicens, Tantùm eſt enim illic cauſa, & cauſatum ſecundum quod dicimus intellectum eſt cauſa intelligentis.

genere cauſa formalis ſpecificatiuæ.

In intelligentijs ergò quando dicimus cùm D. Thom. quòd à forma pullulat eſſe, vt primus effectus intelligitur ly primus, ſcilicèt primò ſecundus, quia iàm diximus quòd primò primus eſt ipſe actus, ſcilicèt ipſa forma, & primò ſecundus eſt ipſum eſſe. In rebus igitur immaterialibus, quamuis exiſtentia concreetur cùm ipſa eſſentia, adhuc exiſtentia pendet ab eſſentia tanquàm à materia, vel receptro ſubiectiuo ipſius exiſtentiæ; ideſt exiſtentia pro vt ab eſſentia ſiue forma limitatur, & in ea recipitur, pendet ab illa tanquàm à materia, vel ſubiecto; pro vt verò ex coniunctione cum illa conſtituitur in certa ſpecie dependet ab illa tanquàm à forma, vt diximus ſuprà de compoſito ſubſtantiali. Ità Caietanus loc. cit.

Quò ad tertiùm. Concluſio prima de intelligentijs ponitur ſic ex D. Thom. in cap. 5. de ente, & eſſentia quæſt. 10. Omnes intelligentiæ, eſtò ſint entia neceſſaria ex ſe, ſunt effectiuè à Deo.

Concluſio prima Caietani ex D. Th. cum ſua probatione prima vniuerſali quod ſcilicet eſſe quodcumque etiam intelligentiarum eſt effectiuè à Deo.

Probatur à Caietano ex D. Thom. ſub tali forma ſic. Omne habens eſſe diſtinctum à ſua quidditate, eſt productum effectiuè à prima cauſa: ſed omne ens aliud à cauſa prima habet eſſe diſtinctum à ſua quidditate: ergò omne ens aliud à prima cauſa eſt effectiuè productum ab ipſa; Minor ſupponitur ex dictis, &c. Maior probatur ſic. Omne aliud, cui conuenit aliquod diſtinctum à ſua quidditate, ità ſe habet, quod vel ipſum eſt cauſa effectiua illius, aut habet illud ab alio effectiuè: non enim poteſt imaginari tertium. Riſibilitas ſiquidem, & albedo, & quidquid aliud conuenit homini, aut cauſatur ab ipſo homine effectiuè, aut ab aliquo alio, quod non eſt hominis quidditas: ſed impoſſibile eſt vt aliquod ens efficiat ſuam propriam exiſtentiam, vt dicitur 2. de Anima tex. comm. 47. ergò oportet quòd illam habeat ab alio effectiuè. Impoſſibilitas patet ex eò, quod ſequeretur quod illud eſſet antequàm eſſet; ex eò enim quòd efficeret; iàm eſſet: omne enim efficiens exiſtit 3. Phyſ. tex. comm. 17. Ex eò verò quod ſuum proprium eſſe cauſaret ſuam exiſtere eius cauſalitatem ſequeretur, & ſic eſſet antequàm eſſet. Ità Caiet. loc. cit.

Probatur ſecundò alia ratione à Caietano ſub tali forma. Id quod eſt maximè ens, & verum, eſt cauſa entitatis, & veritatis in cæteris 2. Met. tex. comm. 4. Sed Deus eſt maximè ens, & verum: ergò Deus eſt cauſa entitatis in cæteris. Nec valet Reſp. quod ſit cauſa finalis, & non effectiua: quia quælibet res ſeparata à materia, cuiuſcumque eſt principium finale, eſt etiàm principium efficiens vt dicitur in 12. Met. comm. 36. & 44. ergò ſi Deus eſt principium finale intelligentiarum, erit & principium efficiens earum.

Secunda probatio Caietani magis reſtr. eiuſma pro intelligentijs ſolis.

Nec etiàm valet Reſp. quod Commentator non ponit illam propoſitionem aſſumptàm in ſenſu vniuerſali, ſed indefinitam. Non valet, inquam, quia Commentator ex ſeparatione à materia, ſeù immaterialitate rei ponit cauſalitatem effectiuam concomitari cauſam finalem reſpectu eiuſdem effectus vt patet ibi: ergò vbicumque reperitur immaterialitas cum cauſa finali reſpectu alicuius, oppor-

Fuga aduerſariorum nulla per Caietanum.

Digitized by Google

tet & etiàm reperiri cauſalitatem effectiuam reſpectu eiuſdem.

Confirmatur ſecunda probatio ex Commentatore.

Confirmatur ex verbis Commentatoris in de ſubſtantia orbis cap. 2. vbi expreſsè dicit Cœlum agere intelligentia non ſolùm mouente, ſed largiente in ſua ſubſtantia permanentiam æternam, par autèm eſt ratio de intelligentijs, & adde quod ibi Commentator dicit, quòd finis ſignificat agens ſignificatione neceſſaria, & ſunt verba valdè notanda. Et etiàm patet hæc Confirmatio ex modo, quo à prima cauſa omnes intelligentiæ producuntur, vt explicauimus ſuprà. Ità Caietanus, &c.

Secunda Concl. Caietani ex D. Th. cum ſua prima probatione, quod eſſe ſit effectiuè à Deo per ſe primò.

Secunda Concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. pro compoſitis Metaphyſicis, & Phyſicis præcipuè compoſitis ex materia, & forma. In iſtis compoſitis ex materia, & forma eſſe nedùm eſt effectus formalis formæ, effectiuè verò ſi eſt, non eſt niſi in virtute primæ cauſæ, ideſt non per ſe primò, ſed per accidens.

Probatur à Caietano primò quòd eſſe ſit à Deo per ſe primo ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 45. art. 5. effectus vniuerſaliores, opportet in vniuerſaliores, & priores cauſas reducere: ſed eſſe eſt intèr omnes effectus vniuerſaliſſimum: ergò hoc debet reduci in vniuerſaliorem, & priorem cauſam: ſed hæc non eſt niſi Deus, ergò Deus erit agens per ſe primò, & vniuerſaliſſimum ipſius eſſe. Maior ponit vniuerſale difformitèr, & ex parte cauſæ, & ex parte effectus. Et ſenſus eſt quod effectus vniuerſalior ſecundum prædicationem reducitur in cauſam vniuerſaliorem ſecundum cauſalitatem, ſeù ſecundum perfectionem: non enim dicimus quod effectus vniuerſaliores ſunt tantùm à cauſis vniuerſalioribus, vt Scotus intelligebat, ſed quod reducuntur in eas, ideſt quòd ſunt per ſe primò ab eis. Et mirùm eſt, quomodo in hoc caligauerint Aduerſarij, cum in promptu erat noſſe hanc maiorem ex 2. Phyſ. & 6. Met. Minor eſt probata à D. Thom. in 1. p. quæſt. 8. art. 1. ibi enim dicitur, quod eſſe opportet, quod ſit omnibus commune, quod enim non participat eſſe, non eſt, & ideò eſt intimum cuilibet, & ineſt profundiùs omnibus, ex quo deducit S. Doctor, quod cum Deus ſit proprius auctor eſſendi, eſt in omnibus rebus intimè, & eſt immediatus operator, & conſeruator ipſius eſſe. Ità Caietanus locis citatis, quæ quidem ratio explicatur etiàm ab ipſo in ſua Phyſica in 8. Phyſ.

Probatio Caietani pro alia parte Concluſionis, ſcilicet quod eſſe ſit effectus formalis formæ.

Probatur modò Concluſio ſecunda à Caietano ex D. Thom. quòd eſſe ſit effectus formalis formæ ſub tali forma ſic. Ex D. Thom. 2. c. g. cap. 54. habetur quod forma ſe habet ad eſſe ſicut lux ad lucere, & ſicut albedo ad album eſſe: ſed album eſſe eſt effectus formalis albedinis, & lucere intrinſecè, & eſſentialitèr includit ordinem ad lucem veluti ad cauſam formalem: ergò eſſe eſt effectus formalis formæ; vel intrinſecè, & eſſentialitèr dicit ordinem ad formam tanquàm effectus formalis, ſicuti lucere ad lucem. Ità Caietanus.

Probatio ſecunda quod eſſe ſit effectus formalis formæ.

Probatur ſecundò quòd eſſe ſit effectus formalis formæ. Eſſe humanum differt ſpecie ab eſſe equi: ſed non differunt niſi propter diuerſas eſſentias vt formas, quas denominant: ergò, &c. Maior patet quia eſſe determinatum reducitur ad ſpeciem illius eſſentiæ, quam actuat. Minor etiàm conſtat ex dictis quia prætèr eſſe non eſt niſi eſſentia, & ſic patet conſequentia deducta, quia à cauſa formali venit prouenit diſtinctio ſpecifica. Ità Caielanus, &c.

Prob. Caiet. pro alia parte Concluſ. ſcilicet quod eſſe effectiuè eſt à for-

Probatur ſecunda pars Concluſionis, ſcilicèt quod ſi eſſe aliquo modo effectiuè prouenit à forma, hoc non eſt niſi per accidens, ideſt in virtute primæ cauſæ. Probatur à Caietano ex ſuis Doctrinis ſub tali forma ſic, ex D. Thom. quæſt. 45. art. 5. in 1. p. Omnis Creatura in ſua actione ſupponit ſubiectum, & materiam,

circà

Digitized by Google

circà quàm operatur : ergò non debet præſupponere exiſtentiam , ſiuè eſſe illius rei circà quam operatur : ergò ad productionem eiuſdem rei comproducet illam : ergò in virtute primæ cauſæ : ergò non per ſe primò : ergò per accidens illo accidentalitatis modo , quo coloratum fit per accidens , cùm ex nigro fit album. Propoſitiones relinquit probatas ex ſuis notabilibus ſuprà Caietanus , &c.

ma per accidens ideſt in virtute primæ cauſæ.

Primum Arg. Caietani quod eſſe non proueniat à forma.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus contrà ſecundam Concluſionem ex auctoritate D. Thom. quòd eſſe non proueniat à forma , vt effectus formalis. S. Doctor in illa ſimilitudine vult tantùm , quòd album ſequatur ad albedinem , & lux ad lucem tanquàm effectus formalis ad ſuam formam : at eſſe ſequitur ad formam non vt effectus formalis ad ſuam formam : ergò ,&c. Probatur hoc quia ſequitur eſſe ad formam ſicut lux ad diaphanum in aere , hoc eſt ſicuti ad potentiam, & principium paſſiuum , ergò &c.

Reſponſio Caiet. ad Argumentum.

Reſp. Caietanus , quod explicatio S. Thomæ debet teneri vt dictum eſt in probatione , quia ſic ſe explicat alibi . Nàm in quæſt, diſp. quæſt. 5. de verit. art. 10. ait quod actus primò primus eſt forma , ſecundò primus eſt eſſe , ſecundus autèm eſt operatio. Et vult dicere quod eſſe non eſt effectus primarius formæ , ideſt non eſt primò ipſa forma : benè tamèn eſt effectus ſecundarius, ſeù ſecundarius in ipſa primitate , ſecundarius , inquàm , in ordine ad ipſammet formam , ſed primarius in ordine ad ipſam operationem ; & ideò ſicuti lucere non eſt ipſa lux , & eſſe album non eſt ipſa albedo, ſic eſſe non eſt ipſa forma , ſed ſecundò primus eſt ipſa actualitas formæ , ſicut lucere eſt ipſa actualitas lucis , & eſſe album eſt ipſa actualitas albedinis . Età Caietanus.

Inſtantia duplex Caiet. contrà Reſp. datam.

Inſtat Caietanus contrà Reſponſionem dupliciter. Eſſe eſt actus omnium actualitatum , ità vt nihil ab alio poſſit recipere per modum actus : ergò non eſt effectus formalis formæ : patet hæc conſequentia , quia alias reciperet actualitatem à forma. Inſuper effectus formalis non poteſt ſeparari à forma : ſed ab eſſentia ſeparatur eſſe , vt patet in Chriſto Domino , cuius natura humana per D. Thomam non habuit exiſtere humanum , ergò &c.

Reſp. Caiet. ad inſtantiam primã.

Reſp. Caietanus ad inſtantiam primam negando conſequentiam ad probationem negatur aſſumptum. Quod enim eſt ſimul complementum formæ , & eſt vltima actualitas ſubſtantialis non recipit actualitatem , ſed dat perfectionem tali formæ ; quando autem non eſt complementum tùnc in tali caſu ſuam perfectionem mendicat à forma. Applica Reſp. ad eſſe , &c.

Reſp. Caiet. ad ſecundam inſtantiam.

Reſp. Caietanus ad aliam inſtantiam , quod effectus primarius formæ eſt inſeparabilis à forma , &c. ſi eſt ipſa forma quomodo poteſt ſeparari ? Secundarius verò cuiuſmodi eſt exiſtentia , eſt ſeparabilis. Inſuper poteſt dici , quod non eſt inconueniens , quod forma maneat ſinè complemento effectus primarij , quia tale complementum non eſt de eſſentia formæ : ſed accidit ipſi. Età Caietanus in locis citatis.

Reſp. ſecunda Caietani ad ſecundam inſtantiam.

Reſp. ſecundò Caietanus non eſſe inconueniens dari formam , ſinè effectu formali , implicat tamèn dari effectum formalem ſinè forma , quia ſuppleretur ratio cauſæ formalis , quod neque à Deo fieri poteſt , quod autèm detur forma ſinè effectu formali patet de facto : mortuo enim homine manet anima rationalis , & non tribuit ſuum effectum formalem , quia nihil informat. In Chriſto igitur Domino datur forma humana , quæ quia præuenitur à Verbo ſuum effectum formalem non tribuit , & hoc nullum eſt inconueniens , quod quidem eſſet ſi poneretur eſſe humanum ſine forma humana . Età Caietanus.

Et addit Caietanus pro claritate propriæ ſententiæ , quæ eſt D. Thomæ in

Digitized by Google

quæſt. 50. art. 5. in p. p. vbi ait eſſe eſt ità effectus formalis formæ; quod ab omnibus actualiſſimum appellatur, & omnis formalitatis complectiuum. Et ſicut implicat dari album ſinè albedine, & actualitatem ſine actu, ità eſſe ſinè forma. Et ex Capreolo in 2. ſent. diſt. 18. qu. vnica ad primum Aur. legit hæc verba Caietanus. Cùm forma ſit prior eſſe ab illa fluente prioritate naturæ, ideò poteſt poni forma ſinè hoc quod det eſſe, ſicut patet de Anima Chriſti, à qua ſecundum D. Thomam nullum eſſe exiſtentiæ fluit. Concludatur igitur & ex Auerroi, & ex D. Thom. & ex Capreolo, quod neceſſariò vbi datur forma, ibi datur eſſe, vel proprium neceſſitate Phyſica, vel alienum neceſſitate Logica; licèt enim eſſe, non ſit de eſſentia formæ, eſt tamèn de eſſentia formæ exiſtentis. Ità Caietanus. Et quid clariùs?

Argumentum ſecundum Caiet. contrà intelligentias quod non ſint effectiuè à Deo per Ariſtotelem.

Arguit ſecundò Caietanus in quæſt. 10. de ente, & eſſentia ſuper caput quintum contrà primam Concluſionem de intelligentijs ſic. Omne agens in aliquid, agit illud per motum: ſed nulla cauſa ſubſtantiarum immaterialium agit eas per motum: ergò nulla cauſa earum eſt agens eas. Maior eſt Ariſt. in 1. de Gener. tex. 45. & ex eodem Ariſt. 12. Met. tex. comm. 12 Omnis productio exigit tria, A quo, ex quo, & ad quod, quæ quidem in ſubſtantijs immaterialibus ſaluari non poſſunt. Et in 1. Phyſ. tex. comm. 33. Communis conceptio Philoſophorum eſt, quod ex nihilo nihil fit: ſed ſi intelligentiæ ſunt à Deo effectiuè ſunt ex nihilo: ergò &c.

Confirmat. Argum per Commentatorem.

Confirmatur auctoritatibus Commentatoris in 4. Cœli comm. 1. Nullum Æternum, ait Auuerroes habet efficiens verè niſi per modum formæ, & finis. Similitèr 12. Met. comm. 44. reprehendit modernorum morem dicens, quod in ſeparatis à materia, non poteſt dici quod verè agunt. Et in comm. 41. apud ipſum nullum poſſibile ex ſe eſt neceſſarium ex alio niſi motus: ſed intelligentiæ ſi ſunt effectiuè à Deo iàm ſunt poſſibiles ex ſe: ergò non ſunt neceſſariæ ex alio: ergò corruptibiles.

Reſp. Caiet. ad auctoritates Ariſt.

Reſp. Caietanus ad Argumentum, quod agens duplicitèr ſumitur quandoque propriè pro illo, quod ex ſua actione infert paſſionem, quæ magis facta abijcit à ſubſtantia, & ſic ſumitur ibi ab Ariſtotele agens, ſic enim opponuntur agens & patiens. Alio modo pro omni eo, quod in genere cauſæ efficientis cauſat, & ſic agens communiùs eſt mouente, vt patet ex 7. Met. comm. 31. Ad alias auctoritates Ariſt. Reſp. quod illa, & ſimiles auctoritates intelligendæ ſunt de productione Phyſica, ſcilicèt per motum, & mutationem.

Reſp. Caiet. ad dicta Commentatoris.

Ad Confirmationem. Ex Commentatore dicitur quod omnia dicta ſua intelliguntur de agente propriè dicto, & productione Phyſica, vel contrà poſitionem Auicennæ, qui dicebat quod vnum ab vno emanat. Et ad vltimum dicitur, quod apud Ariſtot. Commentatorem, & S. Thom. & ſecundum veritatem, ſtat aliquid eſſe ab alio effectiuè, & tamèn eſſe neceſſarium ex ſe. Ità Caietanus locis citatis.

Arg

Appendices ad Lectionem ſeptimam Metaphyſicalem in Tractatu de ente, & eſſentia.

IN præſenti Lectione Metaphyſica fuit Diſputatio de intelligentijs an ſint à Deo effectiuè, quod eſt idem quærere, ait Magiſter Ripa ſuper cap. 5. de ente, & eſſentia per totam quæſt. quintam, An detur creatio, & quid ſenſerit in hoc Ariſtoteles, Auuerrois, & Plato. Quia Veritas Fidei exponitur in Theologia reuelata in 1. p. quæſt. 44. & quæſt. 45. à S. Doctore, & in 2. c. g. à cap. 15. vſque ad 21. & in 2. ſent. in principio, quod ſcilicet omnia alia à Deo ex nihilo ab eodem Deo creata ſunt. Henricus de Gandauo quolib. 8. quæſt. 9. Ioannes Bachom, Ariminenſis, Malonius, Io: Iandunus 2. Met. quæſt. 5. Achillinus, & aliqui alij recentiores tenent non eſſe admittendam creationem de Mente Ariſtotelis, Auuerrois, & Platonis, & per conſequens quod intelligentiæ non ſunt effectiuè à primo ente.

Quidquid ſit de Iauello qui in quæſt. 5. & 28. 12. Met. negat Auuerroim tenuiſſe intelligentias effectiuè à Deo eſſe productas, & de Ariſt. cum alijs concedit; Et quidquid ſit de alijs, qui volunt quod Plato (de cuius mente poteſt legi Marſilius Ficinus cap. 14. comment. ad Timæum) ſenſerit materiam aliquando ex nihilo eſſe creatam, & ſimul eodem tempore formatam; vel ſecundum alios quod ſenſerit fuiſſe materiam ab æterno; vel ſecundum alios quod ſenſerit materiam ſemper fuiſſe, ſed ſucceſſu temporis ordinare ipſam. Quidquid ſit de hoc, ait Magiſter Ripa, certè quod Plato ſenſit intelligentias habuiſſe eſſe effectiuè à prima cauſa, & quod ſubindè poſuerit creationem. Probat etiàm Ripa in quæſt. cit. art. 2. eſſe hoc etiàm de mente Ariſtotelis, & hoc eſt Concluſio, inquit, B. Alb. Magni in 11. Met. & S. Doctoris in 8. Phyſ. lect. 2. & 2. Met. & in 1. p. quæſt. 44. art. 1. in corp. & ad ſecundum vt confirmat ibi Caietanus, & in quæſt. 10. ſuper caput quintum de ente, & eſſentia; idem tenet Capreolus, Iauellus, Bannez, & extrà Scolam Scotus, Valentia, & Molina, & multi alij.

Probat etiàm ibidem Ripa Concluſione tertia, quod Auuerrois tenuerit creationem, & quod intelligentiæ vtique ſint effectiuè productæ à Deo. Et ad illam maximam Ariſtotelis ex nihilo nihil fit, Reſpondent expoſitores prædicti, quod verificatur de actione per motum, & de agente naturali, quod agit per tranſmutationem, non autèm de agente Metaphyſico, quod agit abſque motu, & in inſtanti, vt eſt agens reſpectu intelligentiarum.

De exiſtentia autèm, quomodo ſit effectus formæ ſubſtantialis, & formæ vt ſic, legendus eſt præ cæteris modernis maximè in controuerſijs ſapientiſſimus noſter Magiſter Ioannes à S. Thoma; ipſe enim cùm Caietano in 1 p. quæſt. 3. art. 4. diſp. 4. pag. mihi 115. & in Reſponſione ad Argumenta, dilucidè, & ſuo more facundè, & profundiſſimè in terminis proprijs Metaphyſicalibus exponit, quod eſſe eſt ſemper effectus formalis formæ. Et inſuper addit, quod exiſtentia conſiderata, vt determinata, & limitata ad talem ſpeciem putà hominis, eſt etiàm effectus formalis formæ ſecundarius, & participatiuè, & hoc modo non prouenit ſecundum ſe, & abſolutè à forma, ſed vt ſubeſt productioni agentis, & ab ipſo accipit exiſtentiam. Et mi amantiſſime Thomiſta patere quæſo, quod zelus, quem habeo de vera Doctrina inſignium Thomiſtarum, vertat ſe pro nunc contrà aliquem Modernulum. qui audet citare pro ſe Caietanum, & Ioannem à S. Thoma, quaſi quod tenuerint exiſtentiam produci principalitèr à cauſis ſecundis, & non

ſuſti-

Digitized by Google

ſuſtinuerint cum D. Thom. ſolum Deum eſſe cauſam principalem productiuam exiſtentiæ, & citant Caietanum quod hoc dixerit in comment. art. 1. quæſt. 8. in 1. p. cum Ferr. in 2. c. g. cap. 21. Et citat etiàm Blaſium à conceptione, & tamèn Blaſius à conceptione in ſua Metaphyſica diſp. 7. quæſt. 1 2. 3. & 4. ex profeſſo diſputat contrà Caietanum defendendo ibi, quod eſſe non ſit effectus formalis formæ niſi in hoc ſenſu quod ſe habet vt conſequens ad formam ſicut ad potentiam, & principium paſſiuum. Contrà Blaſium à conceptione ſtat pro Caietano noſter Minaldus in ſua noniſſima Metaphyſica abbreuiata, legatur, & videatur ibi in hac Controuerſia de eſſe prout eſt à forma, &c.

Paſqualigus in ſua Metaphyſica diſp. 81. ſect. 4. de exiſtentia, Illudendo per diuerſos terminos ſententiam Caietani, ſtatuit propriam in num. 2. dicens, quod exiſtentia non eſt paſſio alicuius rei neque Logica, neque Phyſica. Quod non Logica, ait Paſqualigus, ſum cùm Caietano in 1. p. quæſt. 50. art. 5. & cùm Ferr. in 2. c. g. cap. 55. & cum Sanchez in Logica quæſt. 74. ſed quod non ſit Phyſica ſum contrà ipſos, qui volunt exiſtentiam eſſe propriam paſſionem Phyſicam, non quidem cuiuſcumque rei creatæ, ſed ſolùm Angelorum atque animæ rationalis. Et num. 3. & 4. probat Paſqualigus contrà Caietanum, & Ferrarienſem, quod ſi eſt Angelorum, &c. debeat etiàm eſſe paſſio Phyſica aliorum compoſitorum. Et quando cogitur ad explicandam hanc paſſionem exiſtentiæ ſub terminis communibus Metaphyſicalibus, quibus Doctores vtuntur, ſcilicèt quomodo eſſe proueniat à forma gloſat D. Thom. in 1. p. quæſt. 50. art. 5. quod quando docet in corp. ibi, quod formæ conuenit eſſe per ſe, non debet intelligi, quod illi perſe conueniat actu exiſtere, ſed quia vult quod ratio formalis exiſtentiæ intrinſecè inuoluatur in eſſentia formæ, vtpotè quia eſſentialitèr eſt actus, quod dicit, ad differentiam materiæ quæ cum ſit pura potentia, tantùm ratione formæ adiunctæ poteſt exiſtere. Et ſic concludit Paſqualigus in fine Sectionis, quod nullo modo exiſtentia ſtatuenda eſt paſſio alicuius rei ſiue Logica, ſiuè Phyſica, ſed dicendum eſſe, quod eſt quid de eſſe rei exiſtentis, vel ipſum eſſe rei; quatenùs eſt in actu, vt communitèr docere ſolent, ait, omnes, &c.

LE.

LECTIO VIII.
METAPHYSICALIS
IN TRACTATV DE ENTE, ET ESSENTIA.

Vtrùm eſſe exiſtentiæ ſit perfectius ipſa eſſentia.

Ex Caietano ſuper Cap. 6. de ente & eſſentia quæſt. 12. & ſuper caput 2. quæſt. 3. & in p. p quæſt. 4. art. 1. & in 2. 2. quæſt. 30. art. 4. & alibi multis in locis.

Explicatio Tituli data à Caietano, & in quo ſenſu ſecundum D. Tho. explicanda ſit perfectio exiſtentiæ ſupra eſſentiam.

IMMEDIATE' Caietanus poſt explicationem ipſius eſſe quomodo proueniat à Forma, & à Deo, & quomodo ſit effectus vtriuſque, deſcendit ad expricandum in præſenti octaua Lectione ſi hoc eſſe ſit perfectiùs eſſentia. Si attendatur ad loca D. Thom. vbi tractat de hac difficultate, certè quod multa, & multa dant pro Indubitato principio affirmatiuam: ſed poſteà cùm diuerſimodè loquatur in aliquibus, ideò explicatione, & interpretatione, hæc difficultas indiget. In quæſt. enim de verit. quæſt. 71. art. 6. ad 7. dicit quod illud quod eſt communiùs prædicatione vt eſſe, ſit imperfectiùs minus communi. Et in 1. p. quæſt. 65 art. 3. in co p. ait quod eſſe communiùs eſt illud quod ſubſternitur in rebus, quàm id quod informat, & reſtringit ipſum vt eſſe eſt communiùs quàm viuere, & magis reſtringitur.

Ex alia verò parte in 1. ſent. diſt. 23. & in quæſt. de potentia quæſt. 5. art. 4. ad tertium, & vbique ſparſim habet, & in 1. p. quod eſſentia eſt illud cuius actus eſt eſſe. Et in 1. p. quæſt 16. art. 9. ad ſecundum, & in 5. Met. lect. 9. & alibi habet, quod eſſe ſimpliciter, vt diſtinguitur contrà eſſe ſubſtantiæ putà hominis, & contrà eſſe accidentis, cùm ponatur, addit Caietanus ibi in 3. p. ſuperius ad eſſe hominem, particulariter ponitur ad eſſe ſubſtantiam, & ad eſſe accidens. Et in 1. p. multis in locis ponit quod eſſe eſt actualitas omnium, formæ, eſſentiæ, & ſuppoſiti, quia non comparatur ad illa ſicut recipiens ad receptum, ſed è conuerſò. Et de verit. quæſt. 21. art. 5. ad ſextum dicit, quod eſſe eſt ſimplicius, quàm eſſentia, & quod eſt priùs omni alia participatione, & omni alio nomine Dei; & tandèm cùm ſæpè dicat, quod eſſe eſt nobiliùs, intimiùs, profundiùs, quàm forma, & omnis alia res, videtur concedendum, ex eò maximè, quia in quæſt. 7. de potentia art. 2. ad nonum, quod eſt actualitas omnium actuum, & perfectio omnium perfectionum, quod ſecundum D. Thomæ mentem eſſe eſt perfectiùs ſimpliciter, quàm ipſa eſſentia, & ideò nos in hoc ſenſu, ait Caietanus explicare debemus vbi conſiſtit iſta maior perfectio. Ità Caietanus.

Notabile primũ verè aureum Caietani ſumptum à

Quò ad primùm. Notat primo Caietanus in 2. 2. quæſt. 30. art 4. in quo loco Bannesius maximè commendat ſubtiliſſimum Caietani ingenium, de ipſa miſericordia, quod ſicuti miſericordia eſt maxima virtutum ex hoc quod ſpectat ad ipſam alio-

D. Thom. ex quo ſumitur radix perfectionis ipſius eſſe ſuprà eſſentiam.

aliorum defectus ſubleuare, quia à ſe excludit omnem potentialitatem; Ità eſſe eſt maximè perfectiùs, quàm eſſentia, quia eſt actualiſſimum omnium, & eſt ipſa actualitas omnium rerum non admittens in ſe vllam potentialitatem. Virtus vt ſecundum ſe maxima ſit non ex modo, ſed ex ratione ſpeciei oportet quod in ſe ipſa exigat perfectionem maximam. Intuendum ergò eſt, ait Caietanus cum D. Thom. an hoc conueniat miſericordiæ, ex actu autem eius apparet, quod miſericordia in ſe ipſa exigit immunitatem à miſeria; nàm ſi diſtinguamus miſericordiam in miſericordiam ſimpliciter, & in miſericordiam reſpectu talis, vel talis miſeriæ, inueniemus, quod qua ratione miſericordia reſpectu talis miſeriæ puta paupertatis, immunis eſt vt ſic à paupertate, quia dando ad ipſam ſpectat ſubleuare paupertatem, eadem ratione miſericordia ſimpliciter, & abſolutè à miſeria eſt libera, quia eius eſt ſubleuare à miſeria, non hac, vel illa. Et quoniam omnis potentialitas miſeria quædam eſt, propter quod omnem creaturam alicui miſeriæ ſubiectam eſſe aliquo modo oportet, fit conſequens, vt miſericordia ſecundum ſe exigat in ſe ipſa ſuperioritatem talem, ac tantam, vt actus purus ſit, vt ſumma natura ſit, vt ſit Deus cuius eſt proprium miſereri, & in miſerando omnipotentiam ſuam manifeſtare, quæ ſuper eius actualitate pura fundatur. Ex hac Doctrina ſingulari D. Thomæ, tu Thomiſta addit Caietanus elicias radicem perfectionis ipſius eſſe ſuprà eſſentiam. Quod ſcilicèt eſſe non ratione ſimplicitatis abſolutè, ſed talis, omnem ſcilicèt potentiam excludentis, cùm ſit ſola vltima actualitas, eſt perfectiùs ipſa actualitate eſſentiæ, quæ includit in ſe potentialitatem, ſcilicèt ad recipiendum eſſe, vt perfectiuum ſui. Ità Caietanus loco citato.

Notabile ſecundum Caietani in quo oſtenditur quo modo eſſe ſit meliùs quàm viuere.

Notat ſecundò Caietanus in 1. 2. quæſt. 2. art. 5. in Reſp. ad ſecundum ex D. Thom. quod eſſe ſimpliciter acceptum ſecundum quod includit in ſe omnem perfectionem eſſendi, præeminet vitæ, & omnibus perfectionibus ſubſequentibus, in hoc ſenſu ipſum eſſe præhabet in ſe omnia bona ſubſequentia; hinc dicebat D. Dyon. cap. 5 de Diu. nom. quod eſſe eſt meliùs, quàm viuere. Sed ſi conſideretur ipſum eſſe pro vt participatur in hac, vel illa re quæ non capiunt totam perfectionem eſſendi, ſed habent eſſe imperfectum, ſicut eſt eſſe cuiuſlibet creaturæ, ſic manifeſtum eſt quod ipſum eſſe cum perfectione ſuperaddita eſt eminentiùs; vndè & Dyon. ibidem dicit, quod viuentia ſunt meliora exiſtentibus, & intelligentia viuentibus. Relinquitur ergò ex D. Thom. quod eſſe participatum ad quod poſſunt ſuperaddi aliæ perfectiones, ſcilicèt ſalus corporis &c. eſt alterius generis ab illo eſſe ſimpliciter, in quo conſiſtit beatitudo, & ſummum bonum. Et ad tertium ait D. Thom. ipſum eſſe eſt quod maximè deſideratur ab omnibus, idest ipſi primo principio eſſendi omnia deſiderant aſſimilari ſecundum eſſe aliquod indè participatum, puta ſecundum eſſe tantùm, vel ſecundum eſſe viuens, vel ſecundum eſſe intelligens, vel ſecundum eſſe beatum; vndè non valet tranſire ab eſſe ſimpliciter dicto ad eſſe participatum. Ità D. Thom. loc. cit. cuius Argumentum eſt tale. Dyon. dicit quod eſſe, eſt meliùs quàm viuere, & viuere meliùs quam alia quæ conſequuntur: ſed ad eſſe vel viuere hominis requiritur ſalus corporis; cùm ergò beatitudo ſit ſummum bonum hominis, videtur quod ſalus corporis maximè pertineat ad beatitudinem quod eſt Titulus art. 5. quæſt. 2. in p. 2.

Notab. 3. Caiet. in quo explic. prædicta doctrina de eſſe, & viuere.

Notat tertiò Caietanus ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 4. art. 2. ad tertium applicando prædictam doctrinam de eſſe, & viuere, quod licet ipſum eſſe ſit perfectiùs quàm vita, & ipſa vita quàm ſapientia, ſi conſiderentur ſecundum quod

diſtin-

diſtinguuntur ratione, viuens tamèn eſt perfectius quàm ens tantùm, quia viuens etiàm eſt ens, & ſapiens eſt ens, & viuens. Eſto igitur ens non includat in ſe viuens, & ſapiens, quia non opportet quod illud quod participat eſſe, participet ipſum ſecundum omnem modum eſſendi; ipſum tamèn eſſe Dei includit in ſe vitam, & ſapientiam, quia nulla de perfectionibus eſſendi poteſt deeſſe ei quod eſt ipſum eſſe ſubſiſtens. Ad hæc addit Caietanus, quod eſſe poteſt comparari ad vitam tripliciter primò formaliter, & præcisè vtrobique, ità quod eſſe ſumatur præcisè pro actu eſſendi, & vita præcisè pro eo quod formaliter addit ſuprà eſſe puta viuere vt ſic, & ſic ſignificantur nominibus abſtractis, puta eſſe, vita, ſapientia &c. & dicuntur, pro vt ſuprà comparari pro vt diſtinguuntur ratione. Et ſic eſſe eſt perfectius quàm viuere, & quàm cæteræ perfectiones, quia eſt actualitas omnium vt dictum eſt. Secundò poteſt comparari eſſe ad vitam abſq; præciſione, ità quod vita ſumatur ſecundum id quod includit, & non tantùm pro eo quod formaliter addit ſuprà eſſe, & ſic ſignificantur nominibus concretis, vt dicit D. Th. & dicuntur ens, viuens, ſapiens, &c. & in tali conſideratione viuens eſt perfectius quàm ens, quia includit ens, & aliquid perfectionis vltrà. Tertio modo poteſt comparari eſſe in ſua pura ſubſiſtentia ad reliqua quomodolibet ſumpta, & ſic ſignificatur in litt. art. 2. cit. à D. Th. per ly ipſum eſſe, & dicitur quod in ſe includit vitam, ſapientiam, & omnem eſſendi perfectionem, & conſequentèr perfectiſſimum omnium. Ex D. Th. igitur in hoc loco habemus, quod eſſe formaliter eſt perfectius cæteris formaliter, & quod ipſum eſſe eſt ſimpliciter perfectius omnes perfectiones in ſe præhabens, vt ex primo ſciamus, quod prædicatum illud ſoli Deo conuenit quidditatiuè, pro vt eſt formaliter nobilius cæteris perfectionibus. Et ex ſecundo habemus, quod ex hoc quod Deus eſt ipſum eſſe habet omnes perfectiones. Ita Caiet. loc. cit. qui hanc eandem Reſp. D. Th. ad tertium explicat in ſua Phyſica in lib. 1. Phyſ. q. 4. occaſione Reſponſionis ad quoddam Argumentum ibi factum. Videas ibi Caietanum.

Opinio S. Th. pro vt opponitur Scoto explicatur à Caiet. & Reſp. duabus auctoritatibus allatis ſuprà in Titulo.

Quo ad ſecundum Caiet. ſe opponit Scoto dicenti, & ſuſtinenti eſſentiam eſſe perfectiorem exiſtentia. Et elicit contrarium ex D. Th. pluribus in locis citatis ſupra in Declaratione Tituli, & præcipuè ex p. p. quæſt. 4. a. 1. ad 3. & art. 2. ad 3. & quod exiſtentia ſit perfectior, & longè nobilior antiquiores Thomiſtæ defendunt. Et quando dicere videtur contrarium D. Th. in q. 7. de Ver. a. 6. ad 7. & in p. p. q. 65. a. 3. in corp. vt recitauimus ſuprà in eodem Titulo, ſcilicet quod illud quod eſt cōmunius prædicatione ſit imperfectius minus cōmuni; & quod ſemper illud, quod ſubſternitur in rebus, eſt communius, quam id quod informat, & reſtringit ipſum ſicut eſſe, quam viuere. B. Petrus Bergomenſis in ſua Tabula aurea dub. 559. cum Caietano reſpondet, quod eſſe poteſt accipi dupliciter, ſcilicet vel ſine alijs, vt in rebus inanimatis, & vt alia includunt ipſum, & ſic eſſe eſt imperfectius alijs, ſicuti omne magis commune, minùs communi; vel poteſt ſumi eſſe ſeorſim, & alia poſſunt ſumi ſeorſim ſine incluſione, & ſic eſt perfectius alijs, vt diximus cum diſtinctione, addit Caietanus in notabili 3. ſuprà. Et pro vt conſideratur eſſe vt ſubſternitur ex p. p. Reſp. B. Petrus de Bergomo cum Caietano dub. 562. quod prædicari de aliquo contingit dupliciter, ſcilicet eſſentialiter, & participatiuè. Eſſe quod informatur ab his de quibus prædicatur eſſentialiter, etiàm ſubſternitur eis ſecundum rationem vt indeterminatum determinanti, non quidèm ſecundum rem, quia ſunt idem realiter, puta eſſe, & viuere, ſed informat ſecundum rem omnia de quibus prædicatur participatiuè, quia differunt realiter. Ità Caiet. &c.

Vnica Concl. Caiet. ex D. Th. cum ſua probatione quod eſſe ſit perfectius, & nobilius eſſentia.

Quo ad 3. Caietanus ponit hanc vnicam Concluſionem ex D. Th. in p. p. q. 4. a. 1. ad 3. a. 2. ad 3. & alibi. Eſſe in creatis eſt perfectius, & nobilius ſimpliciter quàm eſſentia.

Probatur à Caietano ex D. Th. ſub tali forma. Quod comparatur ad omnia, vt actus excludens à ſe potentialitatem in ſua linea, & vt formale, & receptum, & non ſicuti recipiens veluti quoddam materiale, eſt perfectiſſimum omnium: ſed eſſe in creatis ità ſe habet, cum reſpectu ipſius, eſſentia ſe habeat vt quid materiale potentiale, & vt recipiens in ordine ad exiſtentiam, quæ dicitur actualitas omnium rerum, & etiàm ipſarum formarum: ergo eſſe in creatis eſt perfectiſſimum, & ſimpliciter perfectius quàm eſſentia. Maior, & Minor non indigent probatione cum tota vis, & efficacia earum habeatur tùm ex primo notabili ſuprà vbi radix huius excellentiæ, & perfectionis tangitur occaſione virtutis miſericordiæ ex. 2. 2. q. 30. a. 4. tùm in D. Th. p. p. q. 4. a. 1. ad 3. vbi habentur Maior, & Minor de verbo ad verbum, & Sanctus Doctor relinquit illas probatas alibi in multis locis, tùm etiàm quia explicauimus illas in quæſt. 4. cit. in notabilibus 2. & 3. ſuprà. Ità Caiet.

Arg. Caiet contrà doctrinam allatam in primo notabili.

Quo ad 4. Arguit Caiet. contra Concluſionem, imò contra radicem perfectionis ipſius eſſe ſuprà eſſentiam ſumptam ex excellentia virtutis miſericordiæ. Eſto influere, & ſubleuare ſit ſuperioris in tali genere, non tamen ſimpliciter, ſicut generate ſibi ſimile eſt perfecti non tamen perfecti ſimpliciter, ſed in tali genere: ſtat enim quod aliquid impotens ad generandum vt Angelus ſit perfectior omni generatiuo inferioris ordinis: ità licet miſericordia ſit ſuperior intèr virtutes ad proximum; & eſſe ſit ſuperius intèr eſſentias rerum creatarum: virtus tamèn altioris ordinis vt Fides, Spes, & Charitas ſit perfectior ſecundum ſe; & eſſe primum ſubſiſtens per eſſentiam ſit perfectius ſecundum ſe.

Reſp. Caiet. ad Arg. 1.

Reſp. Caiet. in 2. 2. q. 30. cit. quod miſericordia talis eſt perfectionis in genere, ſed miſericordia ſimpliciter, eſt ſummæ perfectionis ſimpliciter, vndè non poteſt altioris ordinis virtus dari. Idem dicendum eſt de ipſo eſſe tali, & eſſe ſimpliciter primum. Ità Caiet.

Arg. 2 Caiet. contrà Concl.

Arguit 2. Caiet. Homo ratione eſſentiæ, & non ratione eſſe eſt ad Imaginem, & ſimilitudinem Dei factus, & eſt capax Beatitudinis: ergo eſſentia eſt perfectior ipſo eſſe. Patet hoc quia id eſt perfectiſſimum in homine ſecundum quod eſt imago Dei, & capax &c. quia videbit Deum per intellectum, & non per exiſtentiam. Inſuper quia exiſtentia pertinet reductiuè ad prædicamentum cuius eſt eſſentia, quæ directè in prædicamento collocatur, ideò etiàm ex hoc capite eſſentia erit perfectior ipſo eſſe.

Reſp. Caiet. ad 2. Arg.

Reſp. Caiet. quod Homo pro vt eſt naturæ intellectualis actuatæ per exiſtentiam eſt ad Dei Imaginem, & ſimilitudinem factus. Vndè præſcindendo ab exiſtentia habet ſolùm potentiam remotam, & radicalem, reſpectu cuius dicit tantùm aliquid perfectionis comparatiuè ad naturam irrationalem, non verò ad intellectiuam. Hinc S. Doctor in p. p. quæſt. 93. a. 3. in c. ait quod præſcindendo ab exiſtentia homo habet aptitudinem naturalem ad intelligendum, & amandum Deum, vndè abſolutè loquendo ſiſtendo intrà naturam intellectualem hæc eſt imperfecta abſque exiſtentia.

Reſp. Caiet. ad obiectionem in fine factam.

Ad aliam obiectionem dicitur, quod, vt iàm diximus exiſtentia eſt prædicamentum ſubſtantiale quod pertinet ad prædicamentum reductiuè; tanquàm actus, & terminus formalis illius eſſentiæ, quæ directè pertinet ad Prædicamentum. Ità Caiet. multis in locis.

Appen-

Appendices ad Lectionem Octauam Metaphyſicalem in Tractatu de Ente, & Eſſentia.

IN Schola Thomiſtarum citantur aliqui Thomiſtæ contrà ſententiam Caietani, quæ eſt prorſus D. Th. citatur, ſed falsò, Io. à S. Th. in p.p. q. 3. diſp. 4. a. 4. quaſi quod teneat quod in diuerſo genere ſit perfectior alia; ſed immeritò quia loc. cit. pag. mihi 115. & 119. vt verus, & profundiſſimus Metaphyſicus, & Theologus, luculentèr, & facundè pro ſuo more exaltat, & explicat actualitatem exiſtentiæ, & quomodo ſit actus naturæ, formæ, & ſuppoſiti, & quid ſit exiſtentia ſimul etiàm explicat, aſſerendo non eſſe ponendam in ſola dependentia relatiua, ſed in aliquo abſoluto, quam imitatur Mag. noſter Picinardus Theologus Vniuerſitatis Patauinæ, vndè in ſua Philoſophia dogmatica a. 3. q. 4. lib. 3. probat ſub terminis Metaphyſicalibus cùm Io: à S. Thoma, & Caietano nobilitatem exiſtentiæ ſuprà eſſentiam etiàm ſuppoſita productione, eſto nullius Creaturæ ſit prædicatum eſſentiale. Et ſententia Caietani, quæ eſt D. Th. fundatur ſuprà duo dicta duorum excellentiſſimorum Theologorum, ſcilicet D. Dyoniſij, qui c. 5. de Diuin. nom. docet quod eſſe eſt nobilius alijs omnibus, quæ conſequuntur eſſe. Et D. Auguſt. qui tom. 1. lib. 3. de lib. arb. c. 7. docet ſummam fælicitatem conſiſtere in hoc, quod eſt habere eſſe. Et Philoſophus 8. Eth. c. 11. vocat eſſe maximum beneficium Dei. Intèr Neotericos Blaſius à Conceptione cum aliquibus Thomiſtis, quos innominatos vult, tenet quod exiſtentia ſit ſimpliciter, & abſolutè minima omnium perfectionum, quamuis alias excedat tantùm ſecundum quid, quatenus eſt prima actualitas aliarum per quam cæteræ ponuntur à parte rei, citat ex Antiquis Banneſium, Soncinatem 4. Met. q. 13. Ferr. 3. c. g. c. 28. quos dicit tenere exiſtentiam eſſe imperfectiſſimam omnium perfectionum.

Paſqualigus in ſua Metaphyſica diſp. 83 ſect. 4. citat contrà Blaſium à Conceptione, Banneſium in p. p. q. 3. a. 4. dub. 3. vbi ait, ſimpliciter loquendo perfectior eſt exiſtentia, & ſolum ſecundum quid eſt perfectior eſſentia cum D. Th. in p. p. q. 4. a. 1. ad 7. dicat quod eſſe eſt perfectiſſimum omnium &c. Et ſic Paſqualigus tenet cum Scoto 4 ſent. diſt. 1. q. 1. quod etiam formando diuerſos conceptus obiectiuos de eſſentia, & exiſtentia concipiendo earum formalitates, licet ſint à re vna, & eadem perfectio, & res eſſentia, & exiſtentia, tenet, in quam vt probabilius, eſſentiam eſſe perfectiorem exiſtentia, quæ exiſtentia cum ſit tranſcendens, & vagetur per omnes res debet eſſe imperfectior ex genere ſuo. Videas ipſum loc. cit. num. 5 & 6. reſpondentem ad auctoritates D. Dyon. & Philoſophi allatas, & rationes Bannezij, ſed multum infirmitèr, & debilitèr &c.

LECTIO IX. METAPHYSICALIS IN TRACTATV DE ENTE, ET ESSENTIA.

Vtrùm eſſentia ſimplex ſit nobilior eſſentia compoſita.

Ex Caietano ſuper cap. 6. de ente, & eſſentia q. 12. & q. 3. ſuper cap. 2.

Declaratio Tituli eiuſque ſenſus data à Caiet.

REdeamus ad ipſam eſſentiam, quando quidem ex D. Th. in p. p. q. 4. a. 1. ad 3. vt dictum eſt in præcedenti lectione iàm habemus manifeſtè, quod ipſum eſſe eſt perfectiſſimum omnium, quia comparatur ad omnia vt actus, quia nihil habet actualitatem niſi in quantùm eſt, quia eſt actualitas omnium rerum, & etiàm ipſarum formarum, quia non comparatur ad alia, ſicut recipiens ad receptum, ſed magis ſicut receptum ad recipiens, quia cùm dico eſſe hominis, vel equi, vel cuiuſcumque alterius, ipſum eſſe conſideratur, vt formale, & receptum, non autèm vt illud, cui competit eſſe. Ità D. Th. In eſſentia igitur ſiſtendo, modo explicandum eſt in præſenti lectione 9. quomodo eſſentia ſimplex ſit nobilior eſſentia compoſita, non quia hoc habeant ex ipſa ſimplicitate, quæ contrà Scotum in p. ſent. diſt. 8. q. 1. dicitur à D. Th. eſſe prædicatum negatiuum non dicens perfectionem ſimpliciter, nec quemdam modum perfectionis, vt nos cum D. Th. in c. 2. de ente, & eſſentia poſt quæſtionem tertiam negamus vtrumque, ſed explicandum eſt an ſubſtantiæ, ſeù eſſentiæ immateriales in ſua ſimplicitate ſubſiſtentes adunent in ſe tantam perfectionem vt indiuisè gaudeant optimo modo, vel meliori modo eſſendi quàm compoſita ſubſiſtentia. Ità Caiet. loc. cit.

Notab. 1. Caiet. in quo explicatur quod ſimplicitas de ſe non dicit perfectionem, nec imperfectionem, ſed eſt prædicatum negatiuum.

Quo ad primum notat Caiet. ex D. Th. in 4. ſent. diſt. 2. q. 2. a. 1. ad 2. quod S. Doctor ibi explicat, quod ſimplicitas nec perfectionem ſimpliciter, nec imperfectionem ſonat: res enim ex eo quod ſimplex, non habet perfectionem maiorem, ſed ex eo quod talitèr ſimplex, ideſt ſimplicitatem ſubſiſtentem habet. Vndè materia prima eſt ſimpliciſſima, & formæ accidentales ſunt ſimplices, & tamen non ſunt perfectiores ſubſtantijs compoſitis. Et ideò cùm dicimus ſubſtantias ſimplices eſſe perfectiores compoſitis, intelligas non de quibuſcumque ſimplicibus ſubſtantijs, ſed de ſimplicibus ſubſiſtentibus in ſua ſimplicitate quales ſunt omnes ſubſtantiæ ſeparatæ. Et materia prima, & accidentia, & elementa non ſunt perfectiora mixtis ſubſtantialibus, licet illa iſtis ſint ſimpliciora, quoniam gaudent ſolùm ſimplicitate abſoluta, & formaliter, hoc eſt non ſunt compoſita, non autèm gaudent ſimplicitate tali ponente fundamentum quod habeat perfectionem ſimpliciter, nec enim ſunt naturæ quæ ſubſiſtant. Et hoc voluit Ferr. cum D. Th. in p. c. g. c. 18. quandò dixit quod ſimplicitas non formaliter, & abſoluta, ſed talis, & ratione tantùm

ſun-

Digitized by Google

fundamenti dicit perfectionem ſimpliciter. Ità Caietanus loc. cit.

Notat 2. Caietanus ibidem poſt q. 3. cit. definitionem Anſelmi dicentis de ſimplicitate, quod perfectio ſimpliciter eſt, quæ in vno quoque melior eſt ipſa, quàm non ipſa, quod duas dicit conditiones hæc definitio. Prima eſt quod dicat perfectionem, ſecunda quod illa perfectio quam dicit ſit melior in vnoquoque; ly in vnoquoque Gloſare debes ſic, ſcilicet in vnoquoq; in quantùm eſt indiuiduum entis, ideſt hoc ens, non inquantùm indiuiduum huius, vel illius naturæ, puta hic homo, aut hic Angelus melior eſt &c. quia comparatiuum includit ſuum poſitiuum, ideo eſt, melior, ideſt bonitatem, ſeù meliorem perfectionem ponit, quàm non ipſa, ideſt quàm quodlibet ſibi incompoſſibile: ità quod ly non ipſa non teneatur contradictoriè, ſed incompoſſibilitèr. Proptèr defectum primæ conditionis, tàm relatio, quàm negatio à perfectionibus ſimpliciter excluditur. Proptèr defectum verò ſecundæ conditionis, ratiocinari, ridere, latrare, & huiuſmodi, perfectiones ſimpliciter non ſunt: quia iſta & ſi ſint meliora in indiuiduo huius, vel illius naturæ, non tamèn entis. Diximus quod ly non ipſa tenetur incompoſſibiliter, & non contradictorié, quia alitèr omne poſitiuum eſſet perfectio ſimpliciter, quia in indiuiduo entis melius eſt poſitiuum quodlibet, quolibet contradictorio formaliter ſumpto. Nec ſuperficietenus, addit Caiet. conſideres primam conditionem, quoniam propter defectum eius; ſimplicitas non dicit perfectionem ſimpliciter; Simplicitas enim nihil aliud eſt, quàm negatio compoſitionis; vndè non eſt perfectio, ſed negatio imperfectionis. Vndè non valet hic modus arguendi, in indiuiduo entis quodlibet incompoſſibile ſimplicitati dicit imperfectionem ergo ipſa ſimplicitas eſt melior in vnoquoq; quàm non ipſa, & conſequentèr perfectio ſimpliciter. Opportet enim addere in antecedenti, & ipſa dicit perfectionem, quod falſum eſt, quia negatiuum prædicatum eſt. Ità Caiet. loc. cit.

Notab. 2. Caiet. in quo explicatur definitio perfectionis ſimpliciter data à D. Anſelmo.

Notat 3. Caiet. ex D. Th. in p. p. q. 4. a. 1. in principio Comment. quod propriè loquendo. Perfectio licet à totali factione primo deriuatum ſit, apud Philoſophos modum eſſendi ſignificat, non quemcumque, ſed optimum non alicuius certæ rei, ſed cuiuſcumque rei cui apponitur ſiuè ſit ſubſtantia, ſiuè accidens. Poteſt enim res intelligi, & eſſe ſub modo eſſendi multiplici, quorum vnus eſt melior altero; ſicuti natura Plantarum, & Animalium habet in ſemine quemdam modum eſſendi, & alium modum eſſendi habet in indiuiduis genitis, & rurſus alium in eiſdem augmentatis &c. Et conſtat quod primus eſt, & dicitur imperfectus quia in potentia tantùm eſt ibi natura ſpeciei; ſecundus autèm aliqualiter perfectus; tertius verò ſimpliciter perfectus vt patet in 4. Meth. Perfectum enim ibi vnumquodque dicitur, cum poteſt facere alterum, quale ipſum eſt, tunc enim habet naturam optimo modo. Vndè ſicut quærere vtrùm aliquid ſit perfectum ſecundum talem vel talem rationem, puta ſcientiam vel naturam, non eſt quærere vtrùm illud habeat aliquam aliam perfectionem, ſed vtrùm habeat illam optimo modo; ità quærere abſolutè, & ſinè ſpecificatione, vt in propoſito ſit, ſcilicet in 1. a. cit. q. 4. Vtrùm Deus ſit perfectus non eſt quærere vtrum Deus habeat aliquam perfectionem, neq; vtrùm habeat omnes, quia hoc quæritur in 2. art. q. 4. cit. ſed eſt quærere vtrùm Deus id quod eſt, ſit optimo modo, hoc eſt enim eſſe perfectum, & ſic in c. art. 1. cit. dicitur quod Deus eſt perfectus, quia non eſt in potentia, ſed in actu: conſtat enim quod eſſe in actu, vel in potentia ad modum eſſendi ſpectat. Hinc elicias quod eſſe cum ſit illud quod facit omnia actu, & optimo modo, debet omninò dicere perfectionem abſolutè formaliter, & fundamentaliter, non ex ipſa ſimplicitate vt dictum eſt, ſed ex ſua actualitate, qua cuncta ſunt in actu, vel meliori, vel opti-

Notab. 3. Caiet. in quoquo explicatur quod perfectio dicit modum eſſendi non quemcumque, ſed optimum, & optimo modo.

Digitized by Google

mo modo. Idem dicas de eſſentijs ſimplicibus, ſuprà eſſentias compoſitas quòd ex ipſa ſimplicitate non poſſunt dicere perfectionem. Ità Caiet. &c.

Opinio D. Th. & Caiet de eſſentijs ſimplicibus, & cōpoſitis.

Quo ad 2. Caiet. citat S. Doctorem in 4. ſent. diſt. 11. q. 2. a. 1. ad 1. ibi maniſeſtè dicentem, quod ſimplicitas per ſe non eſt cauſa nobilitatis, ſed perfectio, & ſubdit, quod vbi inuenitur perfecta bonitas in vno ſimplici, ſimplex eſt nobilius quàm compoſitum; quando autèm ſimplex eſt imperfectum, compoſitum verò perfectum, quod tunc compoſitum eſt nobilius, quàm ſimplex. Et in p. p. q. 3. a. 7. ad 2. ait quod apud nos compoſita ſunt meliora ſimplicibus, quoniam perfectio bonitatis creaturæ non inuenitur in vno ſimplici. Et ſic dicimus quod ſubſtantiæ immateriales, ideò ſunt perfectiores eſſentijs ſubſtantiarum compoſitarum, quia ſunt in ſimplicitate ſubſiſtenti, & adunante in ſe tantam perfectionem, vt indiuiſæ gaudeant optimo modo, vel meliori modo eſſendi quam compoſita ſubſiſtentia. Idem tenet Capreolus in p. ſent. diſt. 8. q. 2. in ſolutione 2. probationis 6. Arg. contrà primam Concluſionem Ferr. p. c. g. c. 18. qui licet videatur primo aſpectu recedere, idem tamen aſſerit. Ità Caiet. loc. cit.

Cõcl. vnica Caiet. ex D. Th cum probatione vnius partis quod ſcilicet ex ſimplicitate eſſentiæ, non ſint perfectiores.

Quo ad 3. vnica Concluſio ponitur à Caietano ex D. Th. in 2. cap. de ente, & eſſentia poſt 3. quæſtionem immediatè. Formæ ſimplices, ſeù eſſentiæ ſimplices ſunt nobiliores, & veriori modo non ex ipſa ſimplicitate, ſed ex ſimplicitate ſubſiſtenti, quàm compoſitæ &c.

Probatur 1. à Caiet. ex D. Th. contrà Scotum, quod non ex ſimplicitate ipſæ ſint nobiliores. Nulla perfectio ſimpliciter ſaluatur in relatione, vt relatio eſt: ſed ſimplicitas ſaluatur in relatione vt relatio eſt ergo &c. Maior patet ex eo, quod relatio vt relatio nec perfectionem, nec imperfectionem ſonat apud nos, & apud Scotum. Minor probatur quia, Ad, eſt ſimpliciſſimum, nullam enim compoſitionem includit, & vniuerſaliter ſecundum Scotum nec etiam omnis differentia vltima relationis: docet enim Scotus, quod relatio quoq; diuina, vt relatio formaliter eſt, nec perfectionem dicit, nec imperfectionem. Nec valet dicere quod relatio formaliter ſumpta non eſt ſimplex, ſed quod ſimplicitas ipſa denominatiuè prædicatur de illa, & ſic erit ſimplicitas relatiua, vel paſſio relationis, vel modus eius intrinſecus, qui de ipſa dicetur. Non valet, inquam, ſed magis iuuat, quoniam nulla paſſio vel modus eſt maioris entitatis re illa, cuius eſt modus, vel paſſio, ergo ſimplicitas relatiua non erit maioris entitatis quam ſit relatio: ergo non erit quanta: ergo non perfecto ſimpliciter. Probatur hoc, quoniam relatio, quæ eſt ſubiectum illius ſimplicitatis de ea dictæ eſt non quanta. Et notantèr, addit Caietanus, dicimus quod nulla paſſio, vel modus eſt maioris entitatis ſubiecto, & re ſua; licet enim aliqua paſſio, & aliquis modus excedere poſſit in aliqua perfectione ſecundum quid ſubiectum, & rem, nunquàm tamen in entitate, & ſic verum eſt quod diximus in alia ratione quod ſimplicitas diuiditur per quantum, & non quantum. Et implicat quod aliquid ſi non quantum, & ſit perfectio ſimpliciter diuiditur enim in ſimplicitatem relatiuam, & abſolutam. Simplicitas autem relatiua, vt diximus, eſt non quanta. Ità Caiet in ſua prima, & ſecunda ratione loc. cit.

Probatio prima, & ſecunda totius Concl quod ſcilicet eſſentiæ ſint nobiliores &c.

Probatur modò à Caiet. Concluſio ſub tali forma, & primo ſic ex D. Th. Quorum eſſe eſt nobilius eorum eſſentia eſt nobilior: ſed eſſe ſubſtantiarum ſimplicium eſt nobilius quam compoſitarum: ergo eſſentia ſubſtantiarum ſimplicium eſt nobilior. Propoſitiones patent ex dictis. Secundò probatur. Cauſa effectiua non vniuoca habet nobiliorem eſſentiam ſuo effectu: ſed ſubſtantia ſimplex ſaltem prima eſt huiuſmodi cauſa compoſitarum: ergo ſubſtantia ſimplex erit perfectioris eſſentiæ quàm compoſita, patet hoc in primo notabili ſupra, vbi

Ca-

Caietanus explicat Diuum Thomam. Ità Caietanus loc. cit.

Quo ad 4. Arguit Caiet. ad hominem contrà Conclusionem. Si ratio D. Thomæ valet opporter quod ſimplicitas ſit perfectio ſimpliciter ergo &c. Probatur hoc, ait enim, quod ſimplicia veriori, & nobiliori modo habent eſſe, & hoc ex eorum ſimplicitate vt manifeſtum relinquit; ſi ergo ex ſimplicitate infertur dignitas ipſius eſſe, & eſſentiæ, quis non dicat ſimplicitatem eſſe perfectionem ſimpliciter, cum ex ipſa colligatur perfectio perfectionum, quæ eſt eſſe, quod ab eodem D. Th. p. p. q. 4. a. 4. Vocatur actualitas omnis formæ, & naturæ.

Arguit Caiet. contra Concl. ad hominem ex Auctoritatibus.

Confirmatur inſuper ex D. Th. pluribus in locis, quod ex ſimplicitate videtur oriri omnis nobilitas prioritas, & cauſalitas primo in c. gent. c. 18. ratione 5 & 2. c. g. c. 14. & 11. Met. c. 6. lect. 7. & in quæſt. diſp. de Verit. q. *. a. 2. ad 2. & q. 8. a. 14. ad 6. & vltimum. In primo loco ait, quod in quolibet genere tanto aliquid eſt nobilius, quanto ſimplicius. In ſecundo ait quod quanto aliquid ſimplicius & formalius in entibus, tanto eſt nobilius, & prius, & magis cauſa reliquorum. Et in tertio docet, quod quo aliquid eſt ſimplicius, eo eſſe maioris virtutis, & principium plurium, vide ipſum in 2. c. g. c. 14. ergo &c.

Confirm. prædicta Auctoritas per alias.

Reſp. Caiet. ad primam auctoritatem ad hominem, quod ibi loquitur de ſimplicitate naturæ ſubſiſtentis quia ibi eſt ſermo de ſubſtantijs ſimplicibus abſtractis, quæ aliquo modo ſunt cauſa aliorum, & quarum prima, eſt cauſa omnium ſimpliciter, & ſic ex tali ſimplicitate naturæ, quæ ſubſiſtit intulit nobilitatem eſſe, & eſſentiæ.

Reſp. Caiet. ad Arg. & primam auctoritatem allatam ibi ex D. Th.

Ad alia loca in Confirmatione dicitur eodem modo, quod non loquitur ibi de quauis ſimplicitate, ſed tali formali, ſcilicet actuali, quo enim aliquid eſt ſimplicius ſimplicitate formæ, & actus, & quo magis elongatum eſt à materia, & à potentialitate, eo excellentius eſt, & ad plura ſe extendit, quoniam magis habet de pluralitate vniuerſali, cùm ſit plurium perfectionum contentiuum ſimul, & vnitè, quæ in ignobilioribus entibus diſtinctionem habent. Et hanc interpretationem locus ille ex Metaphyſica exprimit, imò ab ipſo S. Doctore ponitur dum fatetur ſe loqui de ſubſtantia ſeparabili omninò à materia, & immobili quantum ſpectat ad Metaphyſicam conſiderationem, & ibi dicit, quod quo aliquid fuerit ſimplicius, & formalius &c. Ità Caiet. cum Ferr. in c. g. loc. cit.

Reſp. Caiet. ad alias auctoritates D. Th.

Appendices ad Lectionem 9. Metaphyſicalem in Tractatu de Ente, & Eſſentia.

DE ipſa ſimplicitate an de ſe dicat perfectionem, & per conſequens an eſſentiæ ſint nobiliores, vt ſimplices, quam ipſa compoſita, opportet videre D. Th. in p. p. q. 4. a. 1. & 2. cum Caietano in Comment. Et de primo, ſcilicet de ſimplicitate videas Mag. Ripam ſuper caput 2. de ente, & eſſentia in ſua quæſtione ſecunda vbi defendit D. Thomæ ſententiam expreſſam in 4. ſent. diſt. 11. q. 2. a. 1. ad 1. & defendit Caietanum eius Interpretem, quem præter Capreolum ſequuntur Soncinas, Iauellus 8. Diuinorum propè finem q. 16. in Reſp. ad 2. Argumentum, Aquarius, Bannefius, Ferr. p. c. g. c. 18. Molina, & alij; qui citantur omnes ab ipſo Ripa, vt Doctores primæ Claſſis, & perilluſtres.

Vide etiam Appendices Ven. Porrectæ ſuper art. 1. q. 4. in p. p. vbi recitat errorem Algazelis, qui quod tribuitur à Metaphyſicis ipſi ſimplicitati de ſe, ſcilicet prædicatum negatiuum, hoc tribuebat perfectionibus diuinis, quas ſuſtinebat non dicere aliquid poſitiuè, ſed tantum dicere aliquid per remotionem. Et etiam ibi

in c.

in c. att. 1. cit. refertur à D.Th. opinio Pythagoricorum, & Leucippi, vt refert, & narrat Philoſophus in 12. Met. tex. 40. qui non attribuebant optimum, & perfectiſſimum primo principio, & huius radix, & ratio eſt, quia Philoſophi antiqui conſiderauerunt principium materiale tantùm, primum autèm principium materiale imperfectiſſimum eſt: cum enim materia in quantùm huiuſmodi ſit in potentia oportet quod primum principium materiale ſit maximè in potentia, & ità maximè imperfectum: exiſtenti enim in potentia deeſt id quod in actu eſſe poteſt: exiſtenti autèm in actu vt ſic, nihil deeſt. Ità D. Th. qui videndus eſt etiam in p. c. gent. c. 28. cum Ferr. & de Ver. q. 2. a. 3. & 13.

Et tandem pro pleniori intelligentia de ſimplicitate eſſentiarum circà hoc nomen ſimplex prout competit, ſcilicet partibus quæ componunt, ſcilicet eſſentiæ, & differentiæ, & prout competit toti eſſentiæ, vt ſubſtantia immaterialis à qua tota ſumitur etiàm differentia, potes legere noſtrum Ripam ad cap. 6. de ente, & eſſentia in adnotationibus ſuis §. circa 6. p. vbi ly ſimplex aliquando accipitur vt pars, pro vt pars diſtinguitur contrà totum, non autèm contrà compoſitum. Et idcircò Auicenna, & Auctor volunt differentiam eſſentiarum, quæ compoſitæ ſunt, eſſe ſimplicem hoc eſt partem eſſentiæ ipſarum, quoniam ſumitur in ipſis differentia à forma, quæ eſt altera pars eſſentiæ ſuæ, quod non habet locum in intelligentijs, vbi forma non eſt pars, ſed tota eſt eſſentia, quæ proindè dicuntur non habere differentiam ſimplicem, hoc eſt ſumptam à parte, ſed à tota eſſentia.

Intèr Neotericos videri poteſt ſi placet Paſqualigus in loc. cit. in præcedenti lectione 8. diſp. 83. ſect. 3. 4. & 5. vbi contrà D. Th. tenens, & ſuſtinens quod eſſentia non diſtinguitur realiter ab exiſtentia, ſed prorſus ſint idem realiter, aſſerit vanum eſſe ratiocinari comparatiuè de eſſentia, & eſſentia, & de eſſentia, & exiſtentia licet poſteà inductus ex noſtro modo intelligendi ſecundum quem formamus conceptum obiectiuum, & formalem de eſſentia diſtinctum ab exiſtentia faciat, & ipſe cum alijs Doctoribus Metaphyſicis diſputationem comparatiuam de nobilitate ad inuicem. Legatur ſi placet.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LE-

Digitized by Google

LECTIO X.

METAPHYSICALIS

IN TRACTATV DE ENTE, ET ESSENTIA.

Quomodò intèr ſe differant, & abſolutè ſecundum ſe, & vt ſubſunt primis intentionibus, eorumque nominibus differentia generica, ſpecifica, & iudiuidualis ipſarum eſſentiarum.

Ex Caietano ſuprà Textus D. Thom. totius cap. 3. de entè, & eſſentia.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Declaratio Tituli, & ſenſus Lectionis data à Caietano.

IN hoc cap. 3. Caietanus totus eſt in explicando textus D. Thom. eiuſdem Capituli. Et cum D. Thom. incipit ſic. Eſſentiæ compoſitæ ſunt tres, ſcilicet generica, ſpecifica, & indiuidualis, & de iſtis poſſumus tripliciter loqui. Primò de eis abſolute abſque habitudine ad primas, vel ſecundas intentiones; ſecundò de eis vt ſubſunt nominibus primæ intentionis; tertiò vt ſubſunt nominibus ſecundæ intentionis. Exempli gratia. De natura humana contingit loqui ſecundum ſe, ideſt ſecundum ea quæ conueniunt ſibi ratione ſui; & contingit loqui de ipſa vt ſtat ſub hoc nomine Humanitas, & ſub hoc nomine Homo, & ſimiliter tertiò contingit loqui de ipſa vt ſtat ſub hoc nomine ſpecies. Nos cum S. Doctore debemus explicare, & in præſenti, & in ſequenti lectione de eſſentijs rerum primo modo, & de eſſentijs rerum ſecundo modo ſumptis; quia de eſſentijs rerum vt ſubſunt nominibus ſecundæ intentionis explicabimus in alia lectione ſuper caput quartum de ente, & eſſentia. Et hoc diligentiſſimè nota, addit Caietanus, ſi in hoc capite tertio non vis errare: Sanctus enim Doctor ſtatim poſt hanc diuiſionem recitatam, ſtatuit hanc Concluſionem pro eſſentijs rerum in prima conſideratione ſumptis de differentia intèr eſſentiam genericam, ſpecificam, & indiuidualem ſecundum ſe ſumptas, ſcilicèt eſſentiæ prædictæ non differunt niſi ſecundum ſignatum, & non ſignatum, quæ Concluſio infrà probabitur. Ità Caietanus &c.

Primum Notabile Caiet. in quo explicatur differentia intèr eſſentiam genericam, & ſpecificam pro ut ſubſunt nominibus 1. intentionis.

Quò ad primùm. Notat primo Caietanus cum D. Thom. loc. cit. Differentiam intèr eſſentiam genericam, & ſpecificam ſecundum quòd ambæ ſtant ſub nominibus primæ intentionis, & intendit quòd eſſentia ſignificata per nomen genericum, putà animal, & eſſentia ſignificata per nomen ſpecificum putà homo, non differunt per hoc quod eſſentia ſignificata per nomen ſpecificum includat aliquam determinationem, quæ omnino ſit extrà rem ſignificatam per nomen genericum, ſed per hoc quòd eſſentia per ſpeciei nomen importata includit actu deſignationem ſpecificam, quæ fit per eius differentiam conſtitutiuam, ſicut homo actu includit

rationale, ponitur namque in eius diffinitione. Eſſentia verò nomine generico ſignata, confuſè, & indeterminatè importat deſignationem illam; ſicut animal in potentia includit rationale, vt dixit Porphyrius; vndè animal, & virtualitèr omnis eſſentia generico nomine importata vt ſic totum includit, quod includit ſpecies, licèt non eodem modo, & propterea S. Doctor ad poſitæ differentiæ declarationem ponit infrà talem Concluſionem: Genus dicit totum eſſe ſpeciei. Ità Caietanus.

Secundum Notabile Caietani ex D. Tho. in quo manifeſtatur inductiuè prædicta differentia in hoc quod genus comparatur ad ſpeciem non vt totum, ſed vt pars.

Notat ibidem Caietanus, quod S. Doctor declarato quomodò genus comparetur ad ſpeciem non vt eius pars, ſed vt totum, Manifeſtat primo in hoc nomine corpus vt notius, deindè in hoc nomine animal, dicens, quòd ex quo non poteſt eodem modo ſumpta res eſſe partem eiuſdem rei, & genus eiuſdem oportet ſcire quòd corpus accipitur duplicitèr eſt enim æquiuocum ad corpus quòd eſt res prædicamenti ſubſtantiæ, & ad corpus quod eſt res prædicamenti quantitatis. Corpus vt ſignificat rem prædicamenti ſubſtantiæ importat naturam, ex qua nata eſt fluere trina dimenſio; corpus verò vt ſignificat rem prædicamenti quantitatis importat ipſam trinam dimenſionem. Inſuper corpus quòd ſignificat rem prædicamenti ſubſtantiæ de quo nunc eſt ſermo accipitur duplicitèr. Vno modo vt ſignificat naturam illam, ex qua nata eſt fluere trina dimenſio, cùm præciſione omnis ſubſtantialis perfectionis vlterioris; alio modo vt ſignificat illammet naturam abſque præciſione vlterioris perfectionis ſubſtantialis. Cauſam huius, & ſimilium diſtinctionum aſſignat D. Tho. ex eo quòd res habens aliquam perfectionem ſubſtantialem non excludit à ſe aliquam aliam vlteriorem ſubſtantialem perfectionem; ſicut homo ex eò quòd habet perfectionem ſenſitiuam non excludit à ſe perfectionem intellectiuam; & ſimilitèr corpus ex eo quòd habet perfectionem corpoream non excludit à ſe perfectionem vitalem, & ſic de alijs; cùm enim prior perfectio non excludat ſecundam, & tertiam, & manifeſtum etiàm ſit quòd non includit eas actu, poteſt prior perfectio concipi, & ſignificari, & cum præciſione, ſeù excluſione aliarum, & cùm incluſione confuſa earumdem. Ex eo namque quod formalitèr non includit alias poteſt præcisè concipi, & ſignificari; ex eo verò, quod coniunctionem cum alijs non excludit, poteſt cùm aliarum confuſa, & potentiali incluſione concipi, & ſignificari; vndè natura ſignificata per hoc nomen corpus, quia non formalitèr includit perfectionem vitalem, nec ſenſitiuam, nec intellectiuam, poteſt cum præciſione omnium horum concipi, & ſignificari; & quia non excludit adunationem eſſentialem ſui cum illis, non poteſt abſque eorum præciſione concipi, & ſignificari, vt confusè, & determinatè includens omnia illa. Ità Caietanus.

Notabile tertiū Caietani in quo explicatur triplex differentia quæ eſt in prædictis cum inductione iſtius generis, ſcilicet animal.

Notat tertiò Caietanus ibidem cum D. Thom. quod ex his colligitur intèr hæc triplex differentia: Differunt enim primò in hoc, quia corpus primo modo dicit corporeitatem ſolam, ex qua nata eſt fluere trina dimenſio, & nulla vlterior perfectio; corpus verò ſecundo modo dicit formam quamcumque à qua ſit corporeitas, ex qua nata eſt fluere trina dimenſio cum quacumque alia perfectione; ſecundò differunt quia corpus primo modo eſt pars ſpeciei, eo quòd ſignificatum formale, eſt pratèr, & extrà eius ſignificatum, ſicut anima rationalis eſt extrà corporeitatem: ſunt enim in homine duo, perfectio ſcilicèt corporalis, quàm præcisè acceptàm patet non includere aliquo modo intellectualitatem, & perfectio intellectualis, quæ eſt altera pars, corpus verò ſecundo modo eſt totum reſpectu ſpeciei, eo quod perfectio ſeù forma formalitèr importata per ſpeciem includitur in ſignificato corporis ſic accepti; ſignificat enim quamcumque formam, à qua ſit

per-

Digitized by Google

perfectio corporalis, & ſic anima intellectiua includitur in ly quacumque. Tertiò differunt quia corpus primo modo non eſt in recta linea prædicamentali, ſicuti neque quæcumqne pars; corpus verò ſecundo modo eſt directè in prædicamento ſubſtantiæ, ſicut & quodlibet aliud genus. Idem exemplificat D. Thom. per ly animal genus: animal enim poteſt accipi, vt ſignificat formam ex quâ præcisè oriuntur ſenſus, & motus quibus animal à non animali diſcernitur, vt dicitur in primo de anima tex. comm. 19. Et ſecundò poteſt accipi animal vt dicit formam quamcumque ex qua oriuntur ſenſus, & motus non præcisè, & ſic eſt genus. Primo modo eſt pars ſpeciei: homo enim eſt compoſitus ex animali, & intellectiuo principio tanquàm ex ſuis partibus eſſentialibus, & ſic extrà ſignificatum eius eſt intellectiua naturà. Animal ſecundo modo eſt totum reſpectu hominis vt implicitè includens ſpecificas perfectiones; cum enim ſic dico animal dico habens naturam ſenſitiuam indeterminatè relinquendo per quam formam habeat naturam ſenſitiuam, & ſic implicitè includuntur omnes formæ ſpecificæ, habetur enim natura ſenſitiua non niſi per formam hominis, leonis, bouis, &c. Patet igitur differentia ex his intèr eſſentiam genericam, & ſpecificam, vt ſubſunt nominibus primæ intentionis, ſcilicèt generico, & ſpecifico: differunt enim ſicut includens implicitè, & includens explicitè illamet. Ità Caietanus ex D. Thom.

Notabile quartũ Caietani in quo ex D Tho. explicatur differentia inter eſſentiam ſpecificam, & indiuidualem.

Notat quartò Caietanus cum D. Thom. differentiam intèr eſſentiam ſpecificam, & indiuidualem ſecundum totalitatem, partialitatem, prædicabilitatem, & formalitatem. Dictum eſt ſuprà de eſſentia generica quòd poteſt ſignificari per modum totius, & per modum partis. Modò dicitur, quod eſſentia ſpecifica poteſt accipi vt ſignificata nomine primæ intentionis per modum totius, & per modum partis. Per modum quidem totius ſicut eſſentia humana ſignificatur per ly homo; per modum verò partis ſicut illa met ſignificatur per ly humanitas. Differt autèm à ſe ipſa altero modo ſignificata in hoc, quod ſignificata per modum totius implicitè includit indiuidua; ſignificata verò per modum partis excludit illa indiuidua à ſui ſignificatione. Declaratur hoc exemplaritèr. Homo cum ſignificet habens naturam humanam implicitè includit ſub ly habens omnia indiuidua humana; habens enim naturam humanam eſt quodcumque indiuiduum humanum; Humanitas autèm, cùm ſignificet quo homo eſt homo, omne aliud ab humanitate excludit per ly quo: nullum enim aliud ab humanitate eſt quo homo eſt homo; & ideò cùm principia indiuiduantia ſint aliud ab humanitate, vt dictum eſt, ſequitur quod humanitas excludit principia indiuiduantia à ſui ſignificatione, & per conſequens etiàm excludit indiuidua, quæ ſine indiuiduatione intelligi non poſſunt, ſicuti neque ſpecies abſque differentia intelligi poteſt; & cùm pars vt pars non prædicetur de ſuo toto, & omne prædicatum in recto habeat rationem totius, ideò eſſentia primo modo, ideſt per modum totius ſignificata de indiuiduis in recto prædicatur, ſignificata verò per modum partis nequaquàm. Et proptèr hoc illa eſt vera Socrates eſt homo, illa autèm falſa propriè loquendo, Socrates eſt humanitas, vt Auicenna teſtatur. Et ſic iàm patet proportio eſſentiæ ſpecificatæ ad indiuiduum ſecundum tria, ſcilicèt ſecundum totalitatem, ſecundum partialitatem, & ſecundum prædicabilitatem. Remanet modo videndum quoad formalitatem, differentiam intèr eſſentiam genericam per modum partis ſignificatam reſpectu ſpeciei, & eſſentiam ſignificatam per modum partis reſpectu indiuidui. Differunt enim in hoc, quod illa eſt pars materialis ſpeciei, iſta verò eſt pars formalis indiuidui. Et ratio eſt, quia illa ſcilicet eſſentia generica comparatur ad alteram partem ſpeciei, vt materia ad formam, & perfectibile ad ſuam

Digitized by Google

perfectionem, cùm deſignatio, ſeù determinatio generis ad ſpeciem fiat pèr differentiam, quæ ſumitur à ſpecifica forma, quæ perficit, & complet perfectionem genericam; Iſta verò ſcilicèt ſpecifica eſſentia comparatur ad alteram partem indiuidui, vt forma ad materiam, & perfectio ad perfectibile, cùm deſignatio, ſeù determinatio ſpeciei ad indiuidua fiat per materiam ſignatam, quàm imperfectiorem eſſe ſpecifica forma conſtat, quia eſſentia ſpecifica ſumitur. Ideò animalitas eſt pars materialis hominis, humanitas verò eſt pars formalis Socratis, & dicitur quod eſt forma totius non quaſi ſuperaddita &c. Et addit Caietanus, quod forma totius, & forma partis, vt in cap. 2. dictum eſt, differunt realitèr, non ſicut vna forma differt ab alia forma, putà albedo à dulcedine, ſed ſicut totum, & pars; & ideò dicitur hic quod forma totius non eſt quaſi ſuperaddita partibus, ideſt non eſt forma addita materiæ, & formæ, ſicut forma domus eſt forma addita lignis, lapidibus, cæmento, & cæteris partibus, ſed magis eſt forma, quæ eſt totum, ideſt ipſum compoſitum reſultans ex partibus. Quod cùm per modum partis formalis ſignificetur forma totius appellatur, eò quòd totius eſt completè certificatiuum, & diſtinctiuum, & determinatiuum: hæ enim ſunt conditiones formæ; hoc idem explicat Caietanus in ſua Phyſica 1. Phyſ. quæſt. 24. dùm determinat quod totum realitèr diſtinguitur à ſuis partibus, ſcilicèt materia, & forma. Ità Caietanus de prædictis cum D. Thom. in cap. 3. de ente, & eſſentia diſcùrrit Metaphyſicè, &c.

Caietanus nullam recitat opinionem quia nullam affert D. Tho.

Quò ad ſecundùm, Quia S. Thomas de aliorum Aſſertionibus nullam facit mentionem in contrarium ad ea quæ dicit in hoc cap. 3. de ente, & eſſentia, nullamque opinionem de differentia eſſentiarum compoſitarum, ſcilicèt generica, ſpecifica, & indiuiduali intèr ſe, vt ſubſunt nominibus primæ intentionis; ideò nec Caietanus nil in contrarium de his refert, ſed per ſequentes Concluſiones aperit mentem D. Thomæ.

Prima Concluſio ponitur à Caietano cum ſua declaratione ex D. Thom.

Quò ad tertiùm. Caietanus ex D. Thom. ponit hanc Concluſionem. Eſſentiæ prædictæ ſecundum ſe non differunt niſi ſecundum ſignatum, & non ſignatum.

Declaratur à Caietano cum D. Thom. hæc Concluſio ſic, Eſſentiæ animalis, hominis, & Socratis propriè non differunt niſi per hoc, quia in ratione animalis cadit ſubſtantia animata ſenſibilis abſque determinatione eius per rationale; in ratione autèm hominis ponitur ſubſtantia animata ſenſibilis rationalis, & ſic additur ea deſignatio per rationale, ſcilicèt per differentiam. Ratio verò Socratis ponit ſubſtantiam animatam ſenſibilem rationalem in iſtis carnibus, & in iſtis oſſibus, & ſic in ea additur deſignatio materiæ, quæ non ponebatur in ratione hominis; vndè abſolutè loquendo, & ſecundum ſuas rationes proprias apparet has eſſentias non niſi ſecundum ſignatum, & non ſignatum differre, ideſt ſecundum explicitam incluſionem alicuius deſignationis, ſiuè determinationis, & non explicitam incluſionem illius, licèt talis deſignatio non vniformitèr ſit in natura ſpecifica, & in natura indiuidui: determinatio enim quàm addit natura ſpecifica ſuprà genericam eſt formalis eſſentialitèr ſpecificans genus, vtpotè à forma in eo quòd forma ſumpta; Determinatio autèm quam natura indiuidualis ſuprà ſpecificam addit eſt materialis, non formalitèr, ſed materialitèr tantùm diuerſitatem in ſpecie faciens, vtpotè ſumpta à materialibus conditionibus rei.

Corrollariũ ex dictis ponitur à Caietano.

Corrollarium igitur ex his habemus, addit Caietanus, quod homo, & humanitas, animal, & animalitas ſecundum ſe, ideſt naturas ſignificatas nullo modo differunt. Eadem eſt omninò ratio naturæ ſignificatæ per hominem, & humanitatem, ità quod nulla deſignatione differunt ſed vt dictum eſt, differunt vt ſubſunt

nomi-

nominibus primæ intentionis. Quia verò diſtinctio per ſignatum, & non ſignatum non eſt diſtinctio realis, ideò dicit Commentator 7. Met. comm. 10. quod Socrates ſubſtantialitèr ſumptus nil aliud eſt quàm animalitas, & rationalitas, quæ ſunt eius quidditas: Sorteitas enim, quæ naturam Socratis nominat eadem realitèr eſt animalitati, & rationalitati. Ità Caietanus in textu primo &c.

Secunda Concl. ponitur a Caiet. ex D. Th. cũ ſua probatione, ſcilicet quod genus dicit totum eſſe ſpeciei.

Secunda Concluſio. Genus dicit totum eſſe ſpeciei. Probatur à Caietano ex D. Thom. ſub tali forma. Omne prædicatum dicit totum eſſe eius de quo prædicatur, ſed genus prædicatur de ipſa ſpecie; ergò natura generica putà animal dicit totum eſſe ſpeciei. Maiorem probat per hoc, quod nulla pars prædicatur de toto. Vbi aduertendum eſt, quod hic ſermo, eſt verus de prædicatione in recto, & directa, ſiuè eſſentiali, ſiuè denominatiua, & de parte in eo quòd pars, & non de parte vt ſignificatur per modum totius: poteſt enim pars vtroque modo ſignificari, ſicuti materia ſignificatur vt pars rei per ly materia; ſignificatur autèm vt totum per ly materiale: his enim modificata conditionibus propoſitio illa, ſcilicèt nulla pars prædicatur de ſuo toto, nullam patitur inſtantiam, cum enim dico homo eſt albus, ly albus confundit in ſe totum quod eſt in homine; & ſimilitèr cum dico homo eſt materialis, ly materialis comprehendit in ſe implicitè totum, quod eſt homo; & ſic cum dicitur homo eſt animal ly animal continet implicitè totum quod eſt homo. Et ſic probatum eſt quod eſſentia generice nomine importata includit deſignationem ſpecificam. Extrà totum enim nihil eſt. Ità Caietanus poſt textum ſecundum D. Thomæ, &c.

Tertia Concluſio Caietani ex D. Th. cum ſua probatione quod homo componitur realiter ex anima, & corpore.

Tertia Concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. in tex. 6. D. Thom. cap. 3. Homo componitur realitèr ex anima, & corpore.

Probatur à Caietano ſub tali forma. Corpus differt realitèr ab anima: ſed non vt totum à parte: ergò vt pars à parte. Probatur Minor quia totum confusè, ſaltèm includit partem, corpus autèm ſic acceptum excludit animam; vndè in diffinitione animæ ponitur corpus vt ſubiectum deferens animam, ait S. Doctor; Maior ex ſe eſt euidens; & ab omnibus conceſſa; Conſequentia autèm ex ſufficienti diuiſione robur trahit: opportet enim, vel vt totum à parte, vel vt pars à parte, corpus realitèr differre ab anima ſi realitèr differunt; homo igitur eſt compoſitus ex anima, & corpore tanquàm ex partibus realitèr diſtinctis, quòd erat Concluſio probanda. Et aduerte, addit Caietanus, quòd corpus pars, cùm importet corporeitatem præcisè, extrà ipſum eſt identitas perfectionis corporeæ ad animam, ſeù perfectionem vitalem: accidit enim accidente extraneo corpori præcisè, quod eius perfectio ſit idem cùm anima: per ſe enim præſcindit animam, & ideò per ſe loquendo ſubſtantialitèr dictum eſt hominem componi realitèr ex anima, & corpore. Ità Caiet. loc. cit.

Argument. vnicum Caietani contrà tertiam Concluſionem.

Quò ad quartùm. Arguitur ad hominem contrà hanc vltimam Concluſionem ſic. S. Thomas in textu explicando exemplaritèr Maiorem teſtatur, quòd homo dicitur eſſe ex anima, & corpore, ſicut ex duabus rebus tertia res: ſed hoc non poteſt ſuſtineri in ſua Doctrina, quæ ponit vnicam formam ſubſtantialem: ergò, &c. Probatur quæcumque enim ſunt idem realitèr non conſtituunt aliquod, vt duæ res, tertiam: Perfectio autèm corporea, & anima ſunt idem realitèr ſi vnica forma ponatur, quomodo ergò conſtituent hominem, vt duæ res tertiam?

Prima ſolutio aliorum ablata à Caietano.

Reſp. Caietanus priùs afferendo ſolutiones aliorum. Et primò aliqui dicunt, proptèr eius magnam difficultatem, quòd corpus, & anima non ſunt ſecundum rem partes hominis, ſed ſecundum rationem tantùm; licèt enim animal ſit verè

pars,

Digitized by Google

pars, corpus autèm ſecundum rem eſt totum, dicit enim compoſitum ex materia, & forma, quæ eſt anima, ideò non eſt compoſitus ex anima, & corpore tanquàm ex duabus partibus ſecundum rem, & ſecundum rationem: ſed benè eſt compoſitus ex eis tanquàm ex duabus rebus, eo modo quo totum, & pars ſunt duæ res ſecundum rationem vna ab altera diſtincta, ſcilicèt corpore, & ſecundum rem ab altera, ſcilicèt anima.

Secunda ſolutio aliorum ad Arg. allata à Caietano.

Secundò. Alij dicunt, & in idem reddit, quòd homo eſt compoſitus ex anima, & corpore ſicut ex cauſa formali, & eo cuius eſt cauſa formalis. Diuerſæ enim res ſecundum Auicennam ſunt cauſa formalis, & id cuius eſt cauſa formalis, ſicut lucidum eſt compoſitum ex luce, & lucido; vndè & iſti dicunt quod eſt compoſitus homo ex duabus rebus, ſcilicèt ex toto, & parte, ſed non ex duabus partibus ſecundum rem.

Tertia ſolutio aliorum ad Arg. allata à Caietano cum ſua propria.

Tertiò. Alij dicunt, quod locutio iſta intelligenda eſt per ſynedochem. Homo eſt compoſitus ex anima, & corpore ratione ſuæ partis, ſcilicèt materiæ. Mihi autèm pro nunc videtur dicendũ quòd homo eſt cõpoſitus ex anima, & corpore non ſolùm tanquàm ex duabus rebus tertia res; ſed tanquàm ex duabus partibus ſecundum rem, totum accipiendo corpus, non vt eſt genus, ſed vt ſignificat partem, & accipiendo animam præcisè vt diffinitur in ſecundo de Anima. Significat autèm ſic corpus acceptum compoſitum ex materia, & perfectione corporea præcisè. Anima verò perfectionem vitalem præcisè, vt probatum eſt in tertia Concluſione ſuprà.

Solutio Caietani ad inſtantiam factam pr. prima Reſp. aliorum.

Ad obiectionem deductam dic, quòd licèt perfectio corporea, ſeù forma corporeitatis ſit eadem realitèr animæ ipſi, imò ipſam excludit præc sè accepta; & ideò corpus, & anima cùm præciſione per ſe loquendo realitèr partes ipſius hominis conceditur eſſe. Huic noſtræ Reſp. fauent verba textus, vbi aſſignatur pro cauſa dicti præciſio animæ à ſignificato corporis.

Quod dicimus de anima, & corpore reſpectu animalis, dicere poteris de animali, & anima intellectiua reſpectu hominis, de corpore, & forma lapidis reſpectu lapidis, & ſic de alijs, ſemper accipiendo terminos præcisè pro partibus; licèt non ſit conſuetum dici inanimata componi ex corpore, & forma ſpecifica, ſicut animata ex corpore, & anima proptèr latentem differentiam intèr corporeitatem, & formam inanimatorum; & etiàm quia forma animatorum eleuat compoſitum ad hoc quod moueat ſe ipſum, opportuit in ipſo diſtinguere partem mouentem, & partem motam, animam ſcilicet & corpus, quod non inuenitur in formis inanimatorum. Ità Caietanus in explicatione textus 6. D. Thom. loc. cit.

Appendices ad Lectionem decimam Metaphyſicalem in Tractatu de ente, & eſſentia.

SI vis penetrare ea quæ dicit de genere ſpecie, & differentia, & ſecundum ſe, & vt ſubſunt nominibus primæ. & ſecundæ intentionis S. Doctor in hoc cap. 3. de ente, & eſſentia, lege ipſum in alijs locis ſuæ Doctrinæ. Et in p. 2. inuenies in quæſt. 94. art. 2. in corp. quod duplex eſt naturale, vnum quod conuenit naturæ generis, & alterum quod conuenit naturæ ſpeciei ratione differentiæ. Et in quæſt. 51. art. 3. in corp. & quæſt. 63. art. 1. in corp. inuenies quod duplex eſt naturale, ſcilicèt ſecundum naturam ſpeciei, & ſecundum naturam indiuidui. Et vtrumque eſt duplex; ſcilicèt vel totum à natura, vel partim à natura, vel partim ab extrinſeco. Et in 4. Phyſ. lect. 12. dicit, quod aliquid

repu-

Digitized by Google

repugnat alicui naturæ ſecundum propriam rationem ſpeciei, quod tamèn conuenit ei ſecundum rationem generis. Et in 2. ſent. diſt. 32. quæſt. 1. art. 3. in corp. inuenies quod natura quo ad rationem ſpeciei eſt æqualitèr in quolibet ſuo indiuiduo, non autèm quo ad perfectionem indiuidui. Et in 1. p. quæſt. 53. art. 1. in corp. ait vnamquodque ſortitur ſpeciem ſecundum actum, & non ſecundum potentiam, ſed ſecundum formam in compoſitis ex materia, & forma. Et in 1. p. quæſt. 77. art. 4. ad 1. ait, quòd alicuius generis ſpecies ſe habent ſicut prius, & poſterius, ſicut numerus, & figuræ quantùm ad eſſe licèt ſimul eſſe dicantur in quantùm ſuſcipiunt communis generis prædicationem. Et in 2. 2. quæſt. 47. art. 5. ad 2. dicitur, quod nil prohibet eſſe aliquam ſpeciem in aliquo genere, quæ aliqualitèr operetur in omnibus ſpeciebus einſdem generis, ſicut Sol influit in omnia corporea. Et in 1. p. quæſt. 85. art. 3. ad 4. dicitur, quòd genus reſpectu ſingularium eſt vt formale, ſed reſpectu ſpeciei eſt vt materiale, & explicat hoc in 2. Phyſ. lect. 5. quod vnum eſt idem reſpectu diuerſorum eſt materiale, & explicat hoc in 2. Phyſ. lect. 5. quòd vnum & idem reſpectu diuerſorum eſt materiale, & formale, ſicut partes diffinitionis ſe habent vt formale, ſed reſpectu diffinitionis vt materiale, & vna pars reſpectu alterius, ſicut genus reſpectu differentiæ. Et quando dicit in 1. 2. quæſt. 18. art. 2. in corp. quod proprius modus prædicandi non debetur cuilibet generi ſed ſpeciei, intelligitur ibi quando genus accipitur pro ſpecie, eo modo loquendi, quo dicimus humanum genus totam humanam ſpeciem, & non quando genus ſumitur vt diſtinguitur contrà ſpeciem, quia ſic habet proprium modum prædicandi magis quàm ſpecies, vt ait in 1. ſent. diſt. 8. quæſt. 4. art. 3. in corp. Et quando dicit in 1. p. quæſt. 75. art. 2. ad 2. quod pars habet propriè genus, & propriè rationem ſpeciei intelligitur Logicè, non autèm Metaphyſ. id eſt non vt completum in natura, vt loquitur in 3. ſent. diſt. &c. Ità D. Tho. clarificans, & confirmans, quæ dixit in cap. 3. de ente, & eſſentia.

Sed quæ dici poſſunt & Logicè, & Metaphyſicè à Caietano de genere, ſpecie, & differentia, legas Caietanum in ſua Logica de prædicabilibus, & de genere Prædicamentorum, ibi habes pag. mihi 93. quomodo ſine genere, & ſpecie non poteſt intelligi diffinitionis natura. Et num. 70. leges quomodo differentia in quantùm differentia eſt, adeò appropriauerit ſibi hunc actum, ſcilicèt diuidere, vt ab ipſa inſeparabilis ſit. Et pag. 76. videbis quomodo ſit pars diffinitionis, & quomodo non ſit diuiſiua generis in quantùm eſt totum eſſentiale, ſed in quantùm eſt totum poteſtatiuum. Legas etiàm ipſum in pag. 72.

Intèr Neotericos, Paſqualigus videns, quod nimis manifeſtè loquuntur D. Tho. & Caietanus in cap. 3. de ente, & eſſentia, & alibi circà differentias naturæ generice, ſpecificæ, & indiuidualis nedùm pro vt ſubſunt nominibus primæ intentionis, ſed etiàm pro vt ſubſunt nominibus ſecundæ intentionis, rem habet, & pugnam ſolummodò contrà aliquos, nunquàm nominando D. Thomam, & Caietanum. Et contrà ſecundam Concluſionem D. Thom. & Caietani in præſenti Lectione ſuprà, vbi probatur quod genus dicit totum eſſe ſpeciei fingendo Bellum Metaphyſicale contrà ſolum Aueiſam in ſua Metaphyſica diſp. 53. ſect. 3. num. 5. probat, quòd genus prædicatur vt pars ſpeciei, & quòd vt vniuerſale dicit tantùm partem ſpeciei. Et in num. 4. ſect. 2. recitat tertiam opinionem ſuſtinentem quòd genus non prædicetur de ſpeciebus vt pars actualis, neque vt totum potentiale, ſed vt pars potentialis, pro vt poteſt ſimul cum differentia componere ſpeciem: pro hac opinione citat nonnullos recentiores, intèr quos Canterum. Et in num. 3. recitat ſecundam opinionem ſuſtinentem quod quando genus prædicatur

de

Digitized by Google

de ſpecie, quòd ſe habeat vt pars illius, vt quandò animal prædicatúr de hominē ſit illud ipſum animal, quod conſtituit hominem, & pro vt eſt in ipſo homine. Pro hac opinione citat Caietanum in cap. de genere, quem ſequuntur alij. Et in num. 2. recitat primam opinionem, quod quando genus prædicatur de ſpeciebus non ſe habet vt pars, ſed vt totum potentiale dicens explicitè rationem genericam ſuperioris, in confuſo verò totam eſſentiam ſpeciei, de qua prædicatur. Citat pro hac D. Thom. cap. 3. de ente, & eſſentia, & Caietanum, Scotum, Suarezium in Met. diſp. 15. ſect. 11. num. 16. Et hæc quantùm ad prædicationem. Tamdèm in ſect. 4. num. 1. concludit ſuam, ſcilicèt quod licèt pars in abſtracto non poſſit prædicari de toto, ſiuè ſe habeat ad modum abſtracti, ſiuè concreti: poteſt tamèn pars in concreto prædicari de toto in concreto ſumpto: ſed de his in Lectione ſequenti.

LECTIO XI.

METAPHYSICALIS

IN TRACTATV DE ENTE, ET ESSENTIA.

Qùalitèr, & quomodo differant intèr ſe Genus, Species, Differentia, & Diffinitio.

Ex Caietano ſuprà Textus D. Thom. in Cap. 3. de ente, & eſſentia.

Declaratio Tituli, eiuſque ſenſus data a Caietano.

IN quo conueniant Genus, Species, Differentia, & Diffinitio non ſimitur explicatio, ait Caietanus, in præſenti Lectione, quia ex prædictis immediatè ſequitur, quod conueniunt in hoc, quod quodlibet eorum ſignificat totum quod eſt in ſpecie: ſi enim genus ſignificat totum, quod verè, & propriè prædicatur de ſpecie, & confundit in ſe omnia ad quæ ſe extendit; pari ratione differentia cùm verè, & propriè prædicetur de ſpecie, & confundat in ſe omnia; ad quæ ſe extendit vt prædicabile, totum ſignificabit. Explicatio igitur reſtringitur ad differentiam declarandam, quæ eſt intèr prædicta. Ità Caietanus ex D. Thom. in cap. 3. de ente, & eſſentia.

Notabile 1. Caiet. in quo explicatur quod conſideratis formalibus ſignificatis generis ſpeciei &c. differunt.

Quò ad primùm igitur notat ex D. Thoma Caietanus, quòd differentia duplex ponitur intèr prædicta. Differunt primo quo ad formalia ſignificata eorum. Et ſignificatum formale nominis ad præſens eſt perfectio, ſeù forma determinatè, & primò explicata per illud nomen; ſicuti & ſignificatum materiale eſt illud, quòd ſub nominis ſignificatione cadit non primò. Differunt igitur quo ad formale ſignificatum, quia formale ſignificatum generis eſt perfectio materialis; formale

autèm

autèm ſignificatum differentiæ eſt perfectio formalis; formale verò ſignificatum ſpeciei eſt aggregatum ex vtraque perfectione non diſtinguendo eas, ſed diuidendo in ſingulas, v.g. formale ſignificatum Animalis eſt natura ſenſitiua, quæ ſe habet vt materialis ad perfectionem intellectualem, quæ formaliter importatur per rationale, & conſequenter perfectio intellectualis ſe habet vt formalis; ſimiliter formale ſignificatum hominis, & Animalis, Rationale eſt aggregatum ex natura ſenſitiua, & intellectiua: ſed Animal rationale ſeparatim explicat vtrumque, Homo verò non. Conſiderato igitur omni eo, quod tàm formaliter, quàm materialiter importatur per genus, ſpeciem, differentiam, & definitionem iam diximus quod idem ſignificant, & quod conueniunt; conſideratis autèm formalibus eorum ſignificatis, dicimus quod differunt, & quod non ſignificant idem. Ità Caiet. loc. cit.

Notab 2. Caiet. in quo dicitur, quod differentia inter ſignificatum formale ſpeciei, & definitionis eſt in modo exprimendi.

Notat 2. Caiet. ibidem, & ait. Sed ne vageris quærendo differentiam inter ſignificatum formale ſpeciei, & definitionis, quoniam nulla eſt, ſed in modo tantùm exprimendi idem ſignificatum formale differunt. Species enim indiſtinctè, actu tamèn explicat totum; definitio verò diuidit in ſingulis vt dicitur in p. Phyſ. tex. Comm. 5. Genericum ergo nomen puta Animal, formaliter, & determinatè explicat materialem hominis perfectionem, ſcilicet ſenſitiuam, & idem genus ſumitur à materia ex 8. Met. tex. Comm. 9. Differentiæ verò nomen puta rationale formaliter, & determinatè explicat formalem rei perfectionem ideò dicitur ibidem ſumi à forma, & ſicut in formali ſignificato generis non cadit perfectio, per differentiam importata, quia indeterminatè in illo includitur, ità in formali conceptu differentiæ non cadit genus eadem ratione, quia ſcilicet perfectio generica indeterminatè cadit in nomine differentiæ. Sicut enim ex eo quod Animal ſignificat habens naturam ſenſitiuam, duo ſignificat, naturam ſenſitiuam formaliter, & primò, & quod habet illam indeterminatè: non enim explicat an id ſit Homo, vel Bos; ſic rationale ex eo quod ſignificat habens rationalitatem duo ſignificat, ſcilicet rationalitatem formaliter, & primò, & habens illam ſecundariò, & indeterminatè, non enim determinat, quid ſit habens an Homo, vel Animal; & ideò dicit Auicenna, quod genus non eſt in differentia ſicut pars eſſentiæ eius, ideſt ſicut pars formalis ſui ſignificati, ſed eſt extrà formale eius ſignificatum ſicut ſubiectum eſt extrà formale ſignificatum ſuæ paſſionis. Album enim putant qualitatem ſignificat, vt dicitur in prædicamentis; & licet genus non ſit de intellectu differentiæ tali modo, ſcilicet vt formaliter ſignificatum per illam, eſt tamen de intellectu eius alio modo, vt ſubiectum ſcilicet de intellectu paſſionis. Ità Caiet. cum D. Th. loc. cit.

Notab 3 Caiet. in quo redditur ratio cur aliquid cadat in ratione alicuius vt pars quidditatis.

Notat 3. Caiet. explicando magis eandem doctrinam, quod dupliciter cadit aliquid in ratione alicuius vno modo vt pars quidditatis, alio modo vt ſubiectum eius, quomodo ſubiectum intrat definitionem paſſionis vt habes in 7. Met. tex. Comm. 19. Et ideò dicit Auicenna 8. Met. tex. Comm. 10. & 4. Topic. c. 3. quod genus per ſe non prædicatur de differentia niſi fortè ſubiectum prædicatur de paſſione. Ratio primi dicti eſt, quia genus in nullo modo dicendi per ſe prædicatur de differentia non quidem in 4. quia differentia non explicat cauſam generis; nec in ſecundo quia differentia non ponitur in generis definitione; nec etiam in primo propriè, quia prædicata primi modi in recto, quæ propriè prædicantur, ſunt ea quæ intrinſecè cadunt in ratione, & non ea, quæ per additamentum in ea ſunt: Homo enim non propriè prædicatur de riſibili in primo modo, quod patet ex eo, quod iſta riſibile eſt Homo eſt per accidens vt dicitur p. poſt, c. 18. Ratio duplicis dicti eſt, quia ſi genus eſt de intellectu differentiæ, ſicut ſubiectum eſt de intellectu paſſionis, conſequens eſt quod genus prædicetur de differentia, ſicut ſubiectum de paſſione,

Ratio cur aliquid cadit in definitionem alicuius vt ſubiectum eius.

Z quod

Digitized by Google

quod dicit ly fortè, cùm dubitantis non ſit, ſed determinantis: conſueuit enim apud ipſum res non deciſa, ſub dubia verborum forma poni. Et aduerte quod licet in intellectu differentiæ cadat genus determinate, nomen tamen differentiæ genus illud non explicat determinatè: rationale enim non explicat Animal cùm rationalitate, ſed habens rationalitatem; ſicut, & in definitione riſibilis cadit Homo, & tamèn hoc nomen riſibile non explicat hominem determinatè, ſignificat enim habens riſibilitatem. Ità Caiet.

Notab 4 Caiet. in quo explicatur ſecunda differentia inter genus &c.

Notat 4. Caiet. ibidem, ſecundam differentiam quam aſſignat S. Doctor intèr genus, ſpeciem, & differentiam: genus proportionaliter ſe habet ad materiam, quæ eſt pars compoſiti, & non ſignificat ipſam; differentia proportionaliter ſe habet ad formam, & non ſignificat ipſam; ſpecies proportionaliter ſe habet ad compoſitum ex materia, & forma, & vt ſic non ſignificat compoſitum ex materia, & forma, ſed aliquid complectens genus, & differentiam. In aſſignatione huius differentiæ ſecundum quodlibet membrum ponuntur duæ particulæ; puta in primo membro prima particula eſt, quod genus proportionaliter ſe habet ad materiam; ſecunda verò quod genus non ſignificat materiam; ſimiliter in ſecundo, & tertio membro prima particula ſequitur ex ſupradictis; ſi enim perfectio generica, quæ formaliter importatur per genus eſt materialis reſpectu perfectionis differentialis, quæ formaliter importatur per differentiam, opportet quod ſicuti ſe habet materia reſpectu formæ in compoſito naturali puta Socrate; ità genus reſpectu differentiæ in compoſito rationali, ſcilicet ſpecie, vt ſicut materia eſt potentialis, & perficitur, ac ſpecificatur per formam, ſic generica perfectio eſt potentialis perfectibilis, & ſpecificabilis per differentiam. Secunda particula licet ſequatur ex ſupradictis, quia ex eo quod genus, differentia, & ſpecies ſignificat totum ſequitur immediatè, quod genus non ſignificet materiam, quia materia non eſt totum, & quod forma non ſignificat differentiam, quia forma non eſt totum, & ſequitur etiam quod ſpecies vt ſic non dicat compoſitum ex materia, & forma, & quod partes eius vt ſic non ſunt materia, & forma, ſed genus, & differentia. Sequuntur hæc ex dictis, attamèn probat S. Doctor in Concluſione infrà. Ità Caietanus.

Notab. 4. Caiet. in quo ex D. Th. explicat quomodo Homo ſit ex Animali, & rationali non ſicut ex duabus rebus tertia res, ſed ſicut intellectus tertius ex duobus intellectibus.

Notat 4. ibidem Caiet. dictum S. Thomæ, ſcilicet quod Homo non eſt ex Animali, & rationali ſicut ex duabus rebus tertia res, ſed ſicut intellectus tertius ex duobus intellectibus; vndè ſciendum eſt quod genus ſpecies, differentia poſſunt accipi tripliciter. Primo modo re ſignificata per nomen genericum, ſpecificum, & differentiale primæ intentionis; ſecundo modo pro conceptu formali talium nominum; tertio modo pro re ſignificata per eorum nomina ſecundæ intentionis v. g. Animal, Homo, rationale poſſunt accipi primò pro re ſignificata per hæc nomina; ſecundò pro conceptibus eorum formalibus; tertiò pro relationibus generis, ſpeciei, & differentiæ. Primo modo nec ſpecies, nec definitio eſt compoſita ex genere, & differentia; eo quod res ſignificata per ſpeciem, & definitionem eſt eadem realiter cum re ſignificata per genus, & differentiam, idem enim non componitur ex ſe ipſo; tertio modo ſimiliter nec ſpecies, nec definitio eſt compoſita ex genere, & differentia, eo quod relatio ſpeciei relatiuè opponitur relationi generis vt dicitur à Porphyrio. Nullum autèm correlatiuum componitur ex ſuo correlatiuo, & vniuerſaliter non apparet, quomodò relatio poſſit cōponi ex alijs relationibus; vndè ſicut relatio quam ſignificat hoc nomen proportio non eſt compoſita ex relatione prædicati ad ſubiectum, ſed eſt relatio attributa ab intellectu ipſi complexo ex prædicato, & ſubiecto; ità relatio definitionis eſt relatio attributa tali formato conceptui in prima operatione intellectus explicanti diſtinctè genus, & ſpeciem.

Si

Explicatio Caiet. ex D. Th. quo ad conceptus formales.

Si verò loquamur in ſecundo ſenſu, ſcilicet pro conceptu formali talium nominum, ſic dicitur quod tàm ſpecies, quàm definitio eſt compoſita ex genere, & differentia: conceptus enim formalis ſpeciei integratur ex conceptu formali generis, & conceptu formali differentiæ tanquam ex duabus partibus v. g. conceptus formalis hominis eſt aggregatum quid ex conceptu formali Animalis, & conceptu formali rationalis, quod ex dictis ſic deducitur. Ex eo enim quod oſtendimus genus, & differentiam, & ſpeciem differre in ſignificato formali, liquet quod conceptus formalis Animalis eſt conceptus perfectionis ſenſitiuæ, & conceptus formalis rationalis eſt conceptus perfectionis intellectiuæ, & conceptus formalis hominis eſt conceptus vtramq; perfectionem complectens, ex illis tanquam tertius conceptus illorum adunatione formatus; & ſic Homo eſt ex Animali, & rationali tanquàm intellectus tertius ex duobus intellectibus, ideſt tanquàm tertius conceptus ex duobus conceptibus, & nō tanquàm res ex duabus rebus. Et quia nulla pars vt pars prædicatur in recto de ſuo toto, ideò intellectus, ſiuè conceptus formalis Animalis non prædicatur in recto de intellectu, ideſt conceptu formali hominis. Iſta eſt enim falſa conceptus formalis hominis eſt conceptus formalis Animalis, quia conceptus formalis hominis aggregat totum ex intellectiua, & ſenſitiua perfectione coniunctum; conceptus verò formalis Animalis non niſi partem, ſcilicet perfectionem ſenſitiuam; eſto, vt ſupradictum eſt, ſecundum conceptum, ſeù ſignificatum materiale, & formale ſimul, totum dicat. Homo ergo ſecundum ſuum formalem intellectum, ſeù conceptum acceptum acceptus non eſt Animal, neque rationale, ſed ex Animali, & rationali; differt namque conceptus formalis Animalis rationalis à conceptu formali Animalis, & à conceptu rationalis ſicut totum à partibus. Ità Caiet. loc. cit.

Notab. Caiet. 5. in quo explicatur quomodo conceptus formalis ſpeciei, & definitionis cōponatur ex conceptibus formalibus generis, & differentiæ, & quo ad cōceptus mentales, & quo ad conceptus obiectales.

Notat Caietanus 5. ibidem, quod hoc dictum ſcilicet conceptus formalis ſpeciei, & definitionis componitur ex conceptibus formalibus generis, & differentiæ, poteſt intelligi dupliciter vno modo de conceptu mentali; alio modo de conceptu obiectali formali et ſumpto; et ne fallaris, aduertit Caietanus; legens tu noſtra dicta in hac materia, inſpiciendo ſuprà, quod nec conceptum formalem, conceptum mentalem diſtinctum contrà obiectalem accepimus, cùm in hac materia per intellectum, ſeù conceptum formalem tàm mentalem conceptum quàm obiectalem formaliter ſumptum intelligi volumus. Ideò nota, quod primo modo adhuc dupliciter intelligi poteſt vno modo de conceptu mentali ſecundum eſſe ſubiectiuum, ſeù ſecundum id quod eſt; alio modo de illo ſecundum eſſe repreſentatiuum. Conceptus mentalis ſpeciei ſecundum id quod eſt, non eſt compoſitus ex conceptibus mentalibus generis, & differentiæ ſecundum id quod ſunt, eò quod omnes ſunt qualitates ſimplices, nec poſſunt diſtingui in plures partes componentes; non enim eſt imaginandum, cum intellectus format conceptum definitionis hominis, ſcilicet Animal rationale, quod formet plures conceptus, ſed vnum tantum, qui eſt quædam ſimplex qualitas, diſtinctè ſingulas repreſentans, ſicut, & in re extrà, res definita eſt habens rem generis, & differentiæ abſq; compoſitione reali; vndè hoc primo modo dictum noſtrum non eſt verum. Conceptus verò mentalis ſpeciei, ſecundum eſſe repreſentatiuum formaliter acceptus eſt compoſitus ex conceptibus mentalibus generis, & differentiæ ſecundum eſſe repreſentatiuum formaliter acceptis, ſicut idolum repreſentans totum ex Idolis partium: Homo enim repreſentat in mente aggregatum ex perfectione ſenſitiua, & intellectiua; Animal verò in mente formaliter non repreſentat niſi perfectionem ſenſitiuam, rationale autèm non niſi intellectiuam, & hoc modo verificatur dictum noſtrum, Conceptus autèm obie-

ctalis ſpeciei formaliter ſumptus, cum nihil aliud ſit, quàm ſignificatum formale, conceptus mentalis eiuſdem eſt compoſitus ſecundum rationem ex conceptibus obiectalibus generis, & differentiæ formaliter acceptis; ſicut ſignificatum formale ſpeciei eſt compoſitum ſecundum rationem ex ſignificatis formalibus generis, & differentiæ, vt ſuprà oſtenſum eſt; vnde Homo acceptus vt eſt obiectus conceptui mentali ſuo, ſcilicet ſpecifico non eſt Animal, neq; rationale, ſed ex Animali, & rationali, accipiendo etiàm Animal, & rationale ſecundum quod obiecta ſunt ſuis mentalibus conceptibus. Dicit enim homo vt ſic aggregatum ex perfectione ſenſitiua, & intellectiua; Animal verò vt ſic non niſi vnam partem aggregati, ſcilicet ſenſitiuam naturam, & rationale vt ſic non niſi alteram partem, ſcilicet perfectionem intellectiuam. Manifeſtum eſt autèm quod aggregatum, non eſt aliquod aggregatorum, vndè & hoc modo dictum noſtrum veritatem continet, & eſt maximè ad propoſitum; & ſic Animal quoad rem importatam nec eſt pars, nec eſt totum reſpectu hominis, & Animalis rationalis; quo ad ſignificatum verò materiale, & formale ſimul eſt totum, quo ad ſignificatum autèm rationale eſt pars tàm obiectaliter, quàm repreſentatiuè ſumptum. Vndè cum dico; Homo eſt Animal rationale, ſi res ipſa ſolùm attendatur, nec partis, nec totius ratio ſaluabitur; ſi verò res ipſa, ac ſignificata, ſcilicet implicitè includens infrà inſpiciatur, totius rationem habet; ſi autèm res ipſa ſignificata attendatur ſecundum id quod explicitè includit vt ſic, partem rationis ſortitur, propter quod ponitur Animal in definitione hominis vt res: res enim de re prædicatur vt totum, quia prædicatur in recto, & vt pars quia additur differentia quæ aliud explicat. Ità Caiet. loc. cit.

Concl. vnica Caiet. cum ſua probatione quod genus, & differentia non componunt ſpeciem vt duæ res tertiam rem.

Quo ad 3. Ponitur vnica Concluſio à Caiet. ex D. Th. ſic. Genus, & differentia non componunt ſpeciem vt duæ res tertiam rem. Probatur à Caiet. ex D. Th. ſub tali forma. Materia, & forma ſunt partes ſui totius, ſicut duæ res tertiæ rei: ſed genus, & differentia non ſunt partes ſui totius ſcilicet ſpeciei, vt duæ res rei tertiæ: ergo genus, & differentia non ſunt materia, & forma ſpeciei. Maior patet ex ſe, homo enim eſt alia res à materia ſua, & alia à ſua forma. Non eſt curæ modò, addit Caietanus, vtrùm ſit res diſtincta realiter, vel ſecundum rationem ab illis duobus coniunctis (hæc quæſtio deciſa eſt in primo Phyſ. q. 24.) ſufficit nobis pro nunc quod ſit tertia res realiter diſtincta à qualibet parte. Minor declaratur ſic. Si genus, & differentia componerent ſpeciem vt duæ res, tertiam, tunc Homo eſſet compoſitus ex Animali, & rationali: hoc eſt falſum: ergo à deſtructione conſequentis genus, & differentia non componunt ſpeciem, vt duæ res tertiam quod eſt noſtra Concluſio. Conſequentia patet ex ſe. Falſitas vero conſequentis probatur ex eo quod nulla pars prædicatur de ſuo toto, vt dictum eſt, & habetur in 4. Topic. c. 11. Animal autèm prædicatur de homine, ſimiliter rationale: dicimus enim, quod Homo eſt Animal, & quod eſt rationalis. Ità Caiet. poſt tex. 6. c. 3.

Arg. Caiet. contrà prædicta, cum Reſp. communi reprobata.

Quoad 4. Arguit Caiet. ex D. Th. ſub tali forma. Quæcumq; habent vnum genus, habent vnam eſſentiam: ſed diuerſæ ſpecies habent vnum genus: ergo diuerſæ ſpecies habent vnam eſſentiam: quod eſt falſum, quia ſpecies differunt eſſentialiter. Maior prob. ex eo, quod genus ſecundum prædicta dicit totam eſſentiam ſpecierum. Et licet iſta obiectio faciliter ſolui poſſet dicendo quod ſpecies habent eandem eſſentiam genericam, non tamen ſpecificè, quià tamen Argumentum altiorem petit difficultatem, ex altiori principio reſpondere opportuit. Inducta eſt enim hæc obiectio ad concludendum diuerſas ſpecies habere eandem eſſentiam ſimpliciter, & non genericè vt patet ex medio aſſumpto Arguendo ſic vt intrà.

Arg. idē in formam reductum.

Ea quorum tota eſſentia eſt vna habent eandem eſſentiam ſimpliciter; ſed diuerſæ

Digitized by Google

ſarũm ſpecierum eiuſdem generis tota eſſentia eſt vna: ergo diuerſæ ſpecies eiuſdem generis habent eandem eſſentiam ſimpliciter. Minor patet ex eo, quod genus dicit totam eſſentiam ſpecierum, & eſt vnum in eis &c.

Reſp. Caiet. ad Arg. qua prius explicat quomodo genus ſit vnum.

Reſp. Caietanus, declarando prius quomodo genus ſit vnum. Aliquid ſignificat vnum dupliciter. Vno modo per poſitionem vnius determinatæ rei ſignificatæ, alio modo per indifferentiam, ſeù indeterminationem plurium rerum importatarum. Primo modo genus non ſignificat vnum, ſed ſecundo modo. Illud enim primo modo ſignificat vnum, cuius ſignificatum ſecundum ſe acceptum eſt vna aliqua natura, & determinata, ſicut Homo ſignificat humanitatem, quæ eſt certa, & determinata natura, ſcilicet humana. Illud autẽm quod ſignificat vnum ſecundo modo habet ſignificatum, non aliquam determinatam materiam, ſed plures naturas indeterminatè; ſicut Animal ſignificans perfectionem, ſeù naturam ſenſitiuam, non ſignificat aliquam certam, & determinatam naturam, ſiuè formam: nulla eſt enim in Vniuerſo forma, quæ ſit Anima ſenſitiua, ſed quælibet eſt vel Bouina, vel Leonina, vel humana &c. vndè dicitur 7. Phyſ. tex. Comm. 31. qood iuxtà genus latent multa, & 10. Met. tex. Comm. 34. quod natura generis diuerſa eſt in ſpeciebus. Et primo de Anima tex. Comm. 1. quod ratio Animalis ſecundum vnumquodque Animal eſt altera; eſt igitur genus vnum ſecundo modo &c.

Reſp. ad Arg in forma eiuſdem Caietani.

Dicitur ergo ad Argumentum in forma diſtinguendo, quod quorum eſt tota eſſentia vna primo modo eorum eſt eſſentia eadem ſimpliciter, non autẽm quorum tota eſt eſſentia vna ſecundo modo, ſicut eſt in propoſito; ſpecierum enim totam eſſentiam non adunat genus, niſi vnitate indeterminationis: quomodo verò vnitas materiæ ſe habeat ad vnitatem generis, vt explicat D. Th. in textu penultimo c. 3. dicetur infrà in Tractatu de Proprietatibus entis vt de vno. Ità D. Th. poſt textum ſuum ſextum, diſcurrit Caiet. &c.

Appendices ad Lectionem 11. Metaphyſicalem in Tractatu de Ente, & Eſſentia.

HÆc Lectio 11. videtur determinare vniuerſaliter vndè ſumatur genus, & differentia in compoſitis naturalibus, & materialibus, quia vndè deſumatur in immaterialibus, & in accidentibus explicatur per alias ſequentes lectiones in hoc Tractatu 2. de ente, & eſſentia; ſed etiãm propriè explicat tractando de differentia inter naturam genericam ſpecificam, differentialem, & quomodo fiat compoſitio Metaphyſica ex ijs ſcilicet ex genere, & differentia. Vndè pro primo potes intèr Neotericos legere Paſqualigum in ſua Met. diſp. 69. ſect. 1. & 2. vbi fatetur eſſe hoc axioma in Sholis quod genus deſumitur à materia, & differentia à forma, & recitando primam ſententiam quæ ſuſtinet illud Axioma dicit eſſe ſolius Soncinatis in 10. Met. q. 25. & loca quæ affert Soncinas S. Doctoris pro hoc Axiomate gloſat illa; vndè in ſectione ſecunda dicit quod probabilior eſt illa opinio, quæ aſſerit genus non deſumi à materia neq; differentiam à forma, ſed vtrumque à tota natura diuerſimodè conſiderata, & pro hac ſententia citat D. Th. in pluribus locis, & citat Caiet. & Ferrarienſem, atq; communitèr recentiores; & ipſemet fatetur Paſqualigus, eſſe ſuſtinendum hanc vt veram; vndè per has concluſiones ſuas hanc firmat. Primo dicit in num. 4. ſect. 2. quod genus non deſumitur à materia, vt eſt pars præciſa compoſiti, ſed deſumi à tota natura, vt importat quamdam rationem potentialitatis, ſeù perfectibilitatis per vlteriorem actum Metaphyſicum. Et in 2. Concluſione num. 8. dicit quod differentia deſumitur à tota natu-

ra

ra pro vt dicit eſſe formale eiuſdem naturæ, & hanc dicit ſequi ex prima Concluſione. Deindè num. 11. concludit, quomodo verificetur Axioma probatum à Soncinate, ſcilicet quod in hoc ſenſu genus deſumitur à materia, & differentia à forma, ſcilicet ſi intelligatur genus deſumi ab eo toto quod eſt materiale in tota natura, & differentiam formaliter ab eo quod eſt formale in tota natura, vt etiam intelligunt ſic D. Th. & Ferr. ſimul cùm Caietano, hoc verum procul dubio eſt. At ſi intelligatur deſumi à materia, vt eſt pars Phyſica compoſiti, & ſimiliter differentiam à forma, hoc abſolutè non eſt verum, ſed ſolùm poteſt habere verum ſenſum, ſi ità intelligatur, vt ab entitate Phyſica abſtrahatur genus, & differentia cùm proportione ad materiam, & formam, quia ſicuti materia, & forma ſe habent vt potentia, & actus conſtituentes vnum per ſe; ità quando abſtrahuntur genus, & differentia, abſtrahuntur tanquàm actus, & potentia Metaphyſica, quæ faciunt vnum per ſe Metaphyſicum nempè vnam eſſentiam. Hæc Paſqualigus &c. qui num. 4. ſect. 1. manifeſtè aperit ſenſum ſuum in ſequendo D. Th. & Caiet. in c. 3. de ente, & eſſentia &c.

Pro Concluſione Caietani ſupra, quod genus, & differentia non componunt ſpeciem. Paſqualigus defendit D. Th. & Caietanum in diſp. 70. ſect. p. in hoc ſenſu ſcilicet quando inquiritur quomodo genus, & differentia non componunt ſpeciem, non poteſt intelligi quod componatur ex genere, & differentia ſecundò intentionaliter acceptis, nàm ſi hæ ſecundæ intentiones componerent non conſtituerent compoſitum Metaphyſicum, de quo eſt ſermo, ſed tantùm compoſitum quod eſſet ens rationis; & non poſſunt etiàm componi hæ ſecundæ intentiones, quia ſunt relationes rationis inuicem oppoſitæ. Et intelligitur D. Th. & Caietanus, nec quo ad conceptus formales generis, & differentiæ, nec quo ad rem ſignificatam per nomen differentiale, & genericum componant ſpeciem, id eſt prout eſt à parte rei, & eſt aliquid Phyſicum; benè tamen compoſitio quæ eſt in ſpecie, eſt ex gradibus eſſentiæ in eſſe obiectiuo, ſeù repreſentatiuo conſideratis, quia ſolùm ſecundum eſſe repreſentatiuum, & obiectiuum habemus diuerſas formalitates per quas importatur genus, & differentia. Et ſic ſpecies quatenus eſt quoddam compoſitum Metaphyſicum nihil aliud erit, niſi conceptus quidam obiectiuus formaliter acceptus, coaleſcens ex duplici conceptu obiectiuo, nempè gradus generici, & differentialis. Sic Paſqualigus interpretatur Concluſionem ſupra, quæ eſt D. Th. & Caietani, & citat D. Th. c. 3. de ente, & eſſentia ex quo loco notat verba D. Th. ibi dicentis, quod ſi homo aliquo modo dicatur eſſe ex Animali, & rationali non erit ſicut res tertia ex duabus rebus, vt eſt ex Anima, & Corpore, ſed ſicut intellectus tertius ex duobus intellectibus. Ità Paſqualigus, qui quærendo poſteà: an hæc compoſitio ſit realis in num. 3. ſect. 1. an rationis, breuitèr Reſp. ipſe cum diſtinctione, quod duæ conditiones requiruntur neceſſariò ad hoc quod ſit vera compoſitio realis: prima quod extrema componentia realia ſint, & ſic ex parte huius conditionis dicit quod hæc compoſitio eſt realis realitate Metaphyſica quia illius extrema ſunt gradus eſſentiæ reales qui important eſſe Phyſicum realis eſſentiæ, ſed per diuerſos conceptus explicatum. Altera conditio eſt vt hæc extrema componentia inuicem realiter diſtinguantur; ſuppoſito hoc in noſtra ſententia quod gradus eſſentiæ in re non diſtinguantur, dico quod realis non eſt, ſed tantùm rationis, nàm ſicut extrema ſecundum rationem tantùm diſtinguuntur ità etiàm compoſitio, & vnio eorundem ſecundum rationem eſt, & ideò non eſt compoſitio Phyſica, ſed Metaphyſica in puro eſſe obiectiuo; hoc autem non obſtat, quin ſit realis compoſitio Metaphyſica ſi enim extrema in re diſtinguerentur, non eſſet amplius compoſitio Metaphyſica, ſed Phyſica. Di-

Digitized by Google

ſcipulus Thomiſta hoc in loco ſe remittat Lectori, qui plenam intelligentiam habet de Principijs Thomiſticis. Paſqualigus ſub ſilentio ponit illam diſtinctionem rationis ratiocinatæ Thomiſticam, & iuxta ſua principia procedit contrà Thomiſtas de identificatione exiſtentiæ cum eſſentia &c. Vide infraſcripta &c.

LECTIO XII.
METAPHYSICALIS
IN TRACTATV DE ENTE, ET ESSENTIA.

Quomodo eſſentiæ conueniat eſſe genus, eſſe ſpeciem, & eſſe differentiam.

Ex Caietano cap. 4. de Ente, & Eſſentia.

Declaratio Tituli einſque ſenſus data à Caiet.

CAietanus cum D. Th. in præcedentibus duabus lectionibus oſtendit quomodo eſſentia ſubſtantiarum compoſitarum ſe habet ad primas intentiones. Modo in præſenti lect. 12. ait Caiet. exponendum à nobis eſt cum D. Th. in c. 4 per magis diffuſam explicationem, quomodo genus, ſpecies, & differentia ſe habeant ad intentiones Logicas; & primò debemus explicare terminos poſitos in titulo, ſcilicet quod natura, ſeù eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ, poteſt tripliciter accipi, primò vt ſignificata per modum partis, ſecundò vt per ſe exiſtens ſeparata à ſingularibus, tertiò vt ſignificata per modum totius. Sed hoc tertium membrū ſubdiuiditur ſcilicet quod natura ſubſtantiæ compoſitæ ſignificata per modum totius poteſt accipi tripliciter primò ſecundum ſe, quod idem eſt ac natura conſiderata ſecundum eas conditiones, ſiuè ea prædicata quæ conueniunt ſibi ex ſua definitione, ſeù in primo modo dicendi per ſe; ſecundò poteſt conſiderari natura ſecundum eſſe quod habet in ſingularibus, quod idem ſonat quod natura conſiderata ſecundum eas conditiones ſiuè illa prædicata, quæ conueniunt ſibi ex hoc, quod in ſingulari, vel in ſingularibus habet eſſe; tertiò conſideratur natura ſecundum eſſe quod habet in intellectu, quod idem ſonat quod natura conſiderata ſecundum eas conditiones, ſiuè illa prædicata, quæ conueniunt ſibi ex hoc, quod habet eſſe in intellectu S. Doctor modo in hoc c. 4. ponit ſecundum ſingula membra ſex Concluſiones, quatuor negatiuas, & duas affirmatiuas. Ità Caiet. &c.

Notab. 1 Caiet. in quo explicantur quatuor differentiæ quæ conueniūt naturæ diuerſimodè conſideratæ.

Quò ad primùm. Caietanus ex D. Thom. aſſignat quatuor differentias harum conditionum, quæ conueniunt naturæ ſecundum prædictas tres conſiderationes. Et primò conditiones debitæ naturæ ſecundum ſe ſumptæ ſunt prædicata eſſentialia, homo enim ſecundum ſe non eſt niſi animal rationale. Conditiones verò debitæ naturæ ſecundum alias duas acceptiones ſunt prædicata denominatiua, homo

enim

enim non eſt res illa quæ conuenit ei ex eſſe in ſingularibus, ſed ab ea denominatur non enim homo eſt albedo, quæ conuenit ei ex hoc quod eſt in Socrate, ſed ab ea denominatur albus; ſimiliter homo non eſt res illa, quæ conuenit ei eſſe in intellectu puta relatio vniuerſalitatis, aut ſpeciei, ſed nominatur ab ea vniuerſalis, & ſpecies; & licet hæc duo vltima membra in hoc conueniant, quod attenduntur penès prædicata denominatiua, differunt tamen, quia prædicata denominatiua, quæ conueniunt naturæ ſecundum eſſe in ſingularibus, aliquid ponunt reale ſuprà ipſam, ſicut album addit ſuprà hominem naturam albedinis, quæ eſt ens reale; Prædicata vero denominatiua, quæ conueniunt rei ſecundum eſſe in intellectu nihil ponunt reale ſuprà naturam ipſam, ſed denominationem negatiuam, aut relatiuam, ſecundum aliquam relationem rationis. Cùm enim dico homo eſt ſpecies ly ſpecies nihil reale addit ſuprà hominem, ſed ſolam relationem rationis, qua reſpicit ſuum genus, ſpecies enim generis eſt ſpecies.

Secunda differentia. Secundo differunt in hoc quòd natura abſolutè ſumpta, nec eſt vna numero, nec plures numero. Si enim eſſet vna numero non poſſet reperiri in pluribus numero quòd patet eſſe falſum eò quod natura humana eſt in Socrate, & in Platone, quod ſic patet natura ſecundum ſe eſt vna numero, ergò non poteſt eſſe diſtincta numero, ergò non poteſt reperiri in pluribus numero quod erat intentum. Prima conſequentia harum eſt clara ex eo, quia impoſſibile eſt alicui conuenire oppoſitum eius, quod conuenit ei ſecundum ſe; ſicut impoſſibile eſt homini conuenire irrationale; diſtinctio autem numeralis oppoſita eſt vnitati numerali, & idcò ſi natura ſecundum ſe habet vnitatem numeralem, nunquàm habere poteſt diſtinctionem numeralem. Patet etiàm quod natura ſecundum ſe non ſit plures numero ſequeretur enim naturam humanam non eſſe in Socrate, quia non poſſet habere vnitatem numeralem, ex quo vendicet ſibi ſecundum ſe diſtinctionem numeralem. Natura autem ſecundum eſſe in ſingularibus vnitatem, & diſtinctionem numeralem ſortitur: propterea namque homo eſt vnus numero, quia Socrates eſt vnus numero. Et propterea homo eſt diſtinctus numero in pluribus, quia Socrates,& Plato ſunt diſtincti numero.

Tertia differentia. Tertiò differunt, quod natura ſecundum ſe ſumpta nullum eſſe ſibi vendicat, ſcilicèt nec eſſe in ſingulari, aut ſingularibus, nec eſſe in intellectu; nec etiàm vendicat ſibi non eſſe in ſingulari, & ſingularibus, aut non eſſe in intellectu: quod patet ex eiſdem fundamentis. Si enim eſſe in ſingulari eſſet de ratione ſua, nunquam extrà illud inueniretur, cùm nihil inueniatur extrà id, quòd eſt de eius ratione; ſimiliter ſi eſſe in ſingularibus eſſet de eius ratione non poſſet in vno inueniri: quia in vno natura exiſtens non eſt in pluribus ſimiliter ſi eſſe in intellectu eſſet de ratione eius, nunquàm poſſet extrà intellectum reperiri, eodem modo ſi non eſſe in ſingularibus, aut ſingulari eſſet de eius ratione nunquàm poſſet habere eſſe in intellectu, & hoc ex illo fundamento, quòd nulli poteſt conuenire oppoſitum, quod eſt de ratione ſui. Vnde natura abſolutè ſumpta ab omni eſſe, & non eſſe abſtrahit ſinè præciſione, idest nec includit, nec excludit aliquod huiuſmodi eſſe, vel non eſſe; natura autem tàm ſecundo, quàm tertio modo accepta alterum illorum eſſe includit, & alterum excludit, vt de ſe patet: homo enim ſecundum quòd eſt in ſingularibus non eſt in intellectu; & è contrà ſecundum quòd eſt in intellectu non eſt in ſingularibus.

Quarta differentia. Quartò differunt, quòd natura per modum totius ſignificata ſecundum ſe ſumpta eſt ea, quæ prædicatur de indiuiduis, cum dicitur Socrates eſt homo. Natura autem ſumpta, tam pro vt eſt in ſingularibus quàm pro vt in intellectu non

prædi-

prædicatur de indiuiduis, quòd ſic declaratur. Id prædicatur de indiuiduis; quòd attribuitur illis in proportione : ſed natura abſolutè accepta, & non ſecundum eſſe in ſingularibus, neque ſecundum eſſe in intellectu, attribuitur indiuiduis in proportione : ergò natura abſolutè ſumpta, & non ſecundum eſſe in ſingulari, vel in intellectu prædicatur de indiuiduis. Maior eſt nota ex terminis. Minor declaratur exemplaritèr, cùm dico Socrates eſt homo, ſenſus proportionis eſt, Socrates eſt animal rationale, ità quod in iſta proportione nihil attribuitur ipſi Socrati niſi eſſe animal rationale, quæ ſunt conditiones humanæ naturæ abſolutè acceptæ, vt patet; non enim cum dico Socrates eſt homo attribuo Socrati aliquid debitum naturæ humanæ ex eſſe in ſingularibus, aut ex eſſe in intellectu, neque attribuo Socrati habere naturam humanam cum aliquo addito : ſed tantùm attribuo Socrati habere naturam humanam, ſeù eſſe animal rationale, quæ ſunt, vt dictum eſt, conditiones naturæ humanæ ſecundum ſe acceptæ. Nec igitur primò modo ſumpta eſt, quæ prædicatur de indiuiduis, & non natura ſecundò, & tertiò modo. Ità Caietanus cum D. Thom. cap. 4. tex. 4.

Notabile ſecundum Caiet. in quo declaratur quid ſit eſſe ſubiectiuè, & obiectiuè in intellectu.

Notat ſecundò Caietanus circà illam propoſitionem D. Thom. ſcilicèt eſſentia ſecundum eſſe in intellectu eſt vniuerſalis genus, ſpecies, differentia, &c. quod eſſe in intellectu contingit dupliciter ſubiectiuè, & obiectiuè. Eſſe in intellectu ſubiectiuè eſt inhærere ipſi, ſicut accidens ſuo ſubiecto, vt albedo ſuperficiei. Eſſe in intellectu obiectiuè eſt terminare actum intellectus; intellectus eſt duplex in nobis agens, & poſſibilis, vt dicitur in tertio de Anima tex. comm. 17. Intellectus agens eſt ille, qui abſtrahit ſpeciem intelligibilem à phantaſmatibus. Intellectus poſſibilis eſt ille, qui intellectionem recipit in ſe. Vniuerſale duplex in repreſentando, & in prædicando. Vniuerſale in repreſentando in propoſito eſt illud quod repreſentat rem non repreſentando conditiones eius indiuiduales. Vniuerſale in prædicando eſt illud, quod prædicatur de multis differentibus ſecundum eſſe. Et ſic addit Caietanus, illa propoſitio D. Thom. trifariam verificatur. Primò ſic. Natura ſecundum eſſe obiectiuum in intellectu agente eſt vniuerſalis in prædicando; ſecundò ſic : natura ſecundum eſſe ſubiectiuum in intellectu poſſibili, eſt vniuerſalis in repreſentando; tertiò ſic : natura ſecundum eſſe obiectiuum in intellectu poſſibili eſt vniuerſalis in prædicando. Et pro prima verificatione res extrà ſecundum quod eſt actu intelligibilis, eſt obiectiuè in intellectu agente, ſic enim terminat eius actionem, quia ad hoc poſitus eſt ab Ariſt. intellectus agens, vt faciat rem intelligibilem in actu vt Comment. dicit in 3. de Anima com. 18. Fit autèm actu intelligibilis res extrà ab intellectu agente non per hoc quòd recipiat, aut perdat aliquid ſecundum eſſe per illius actionem, ſed ex hoc, quòd eius ſpecies intelligibilis producitur ab intellectu agente. Per hoc enim res extrà repreſentatur non repreſentatis conditionibus indiuidualibus, cùm quibus erat intelligibilis in potentia non in actu. Vnde ipſa productio ſpeciei intelligibilis eſt factio rei extrà intelligibilis in actu. Habet enim factio illa duos terminos, vnum intrà animam, ſcilicet ſpeciem intelligibilem, quæ realitèr producitur de nouo in intellectu poſſibili; & alium extrà, ſcilicèt rem cuius eſt illa ſpecies, quæ nihil reale ex hoc acquirit, ſed tantùm denominationem extrinſecam, ſcilicèt quòd eſt abſtracta ab hic, & nunc, quòd eſt actu intelligibilis. Ità Caietanus cum D. Thom. in tex. 7. 4. cap.

Quæ ſit differentia eſſe in intellectu agente, &

Natura autèm, proſequitur Caietanus, extrà, ſecundum quod eſt actu intellecta eſt obiectiuè in intellectu poſſibili, ſic enim terminat eius actionem, quæ eſt intelligere. Fit autèm, & eſt res extra actu intellecta, non per hoc quod

Aa ali-

eſſe in intellectu poſſibili.

aliquid accipiat, aut amittet per actionem intellectus poſſibilis, ſed ex hoc, quod conceptus eius formatur ab intellectu poſſibili: tùnc enim res intelligitur quando eius conceptum formamus; vndè ipſa conceptùs formatio eſt factio rei extrà actu intellectæ, habet enim & hæc actio duos terminos, vnum intrà animam, ſcilicèt conceptum, qui realitèr fit, qui nihil aliud eſt, quàm expreſſa ſimilitudo rei, rem præſentem obiectalitèr faciens ipſi intellectui poſſibili; & alterum extrà, ſcilicèt rem, quæ ex producto conceptu extrinſece denominatur aut actu intellecta. Ex his patet, quæ ſit differentia, & quæ ſit conuenientia in intellectu agente, & in intellectu poſſibili; differentia ſiquidem eſt, quia ex hoc, quòd obiectiuè in intellectu agente ſit, & eſt actu intelligibilis, non autèm actu intellecta; conuenientia autem eſt, quia tàm ex hoc, quod obiectiuè eſt in intellectu agente, quàm ex hoc quòd eſt obiectiuè in intellectu poſſibili, habet quod ſit repreſentata abſque conditionibus indiuidualibus, & conſequentèr quòd ſit abſtracta ab hic, & nunc, &c. Ità Caietanus.

Notabile tertiũ in quo explicatur quid ſit vniuerſale in prædicando, & conſideratur tripliciter.

Notat tertiò inſupèr Caietanus ibidem circa ly vniuerſalis in prædicando ex Auicenna 5. Met. cap. 1. quòd vniuerſale in prædicando eſt id quòd in intellectu non eſt impoſſibile prædicari de multis. Et hoc tripliciter poteſt ſe habere. Primò quòd illa multa ſint actu in rerum natura, ſicut homo obiectus intellectui eſt vniuerſale reſpectu Socratis, & Platonis. Secundò quod illa multa non ſunt, poſſunt tamèn eſſe, ſicut domus ſeptem angulorum obiecta intellectui eſt vniuerſale reſpectu plurium ſeptangulorum, quæ non ſunt, poſſunt tamèn eſſe; tertiò quod illa multa nec ſint, nec poſſint eſſe ſicut Luna obiecta intellectui eſt vniuerſale reſpectu plurium Lunarum, quas impoſſibile eſt eſſe. Et Gabriel obiectus intellectui eſt vniuerſale reſpectu plurium Gabrielium, quos implicat contradictionem eſſe. Vniuerſale primo modo vocatur à S. Thoma 1. p. quæſt. 13. vniuerſale ſecundum rem, & rationem, quia res illa realitèr eſt in pluribus, & non ſolùm vt obiecta intellectui. Vniuerſale tertio modo vocatur ibidem vniuerſale, ſeù commune ſecundum rationem tantùm, quia res illa non inuenitur realitèr in pluribus, ſed vt obiecta intellectui tantùm. Vniuerſale ſecũdo modo ibi diſtinguitur contrà vniuerſale primò modo: Poſſet tamèn nomine proprio dici vniuerſale ſecundum rationem, & ſecundum rem in potentia tamèn. Nec ſolùm nomina imponuntur ibi à D. Thom. ſed & dictorum ratio aſſignatur valdè ſubtilis, quæ fundatur ſuper quatuor propoſitiones. Prima eſt hæc vniuerſalitas, & prædicabilitas non conueniunt rei ſecundum ſe, nec ſecundum eſſe quod habet extrà animam, patèt ex dictis. Secunda eſt hæc. Res materialis, quæ ſola per propriam ſpeciem cognoſcitur à nobis ſecundum quod eſt in intellectu noſtro obiectiuè repreſentatur abſque conditionibus indiuidualibus: hæc etiàm patèt ex dictis. Tertia eſt hæc res immaterialis, etiàm Deus ipſe ſecundum quod eſt in intellectu noſtro obiectiuè repreſentatur per modum rerum materialium, ſcilicèt non repreſentatis proprietatibus indiuidualibus; & hæc patet de ſe, quia res illæ non cognoſcuntur à nobis ſecundum quod in ſe ipſis ſunt, ſed per modum rerum materialium, nec per proprias ſpecies, ſed per ſpecies rerum materialium. Quarta eſt hæc. Res omnis vt repræſentata abſque conditionibus indiuidualibus non magis reſpicit vtrùm æqualitèr ad vnum, & multa ſe habeat. Nihil enim fingi poteſt vnde abſtractum vt abſtractum vnum magis reſpiciat, quàm plura, vel è contrà. Vndè & notantèr Auicenna poſuit in diffinitione vniuerſalis illam particulam, ly ſecundum quod eſt in intellectu. Multa enim ſunt vniuerſalia, quibus tàm ſecundum eſſe extrà, quàm ſecundum propriam rationem repugnat prædicari de pluribus,

quid ſit vniuerſale in actu prædicãdo.

ribus,

Digitized by Google

ribus, vt dicitur de intelligentijs. Nulli autèm vniuerſali ſecundum quod eſt in intellectu repreſentatum abſque propria, & particulari exiſtentia, proprietate, & hypoſtatica repugnat prædicari de pluribus. Ex quibus formatur talis ratio; res quælibet & ſola æqualitèr ſe habens ad vnum, & plura indiuidua, eſt vniuerſalis in actu prædicando: ſed quælibet res ſola vt repreſentata intellectui noſtro; eſt æqualitèr ſe habens ad vnum, & plura inferiora: ergò res quælibet, & ſola vt repreſentata intellectui noſtro eſt vniuerſalis in actu prædicando. Maior patet ex diffinitione vniuerſalis aſſignata ab Ariſt. 1. Perih. Minor verò quo ad ſecundam partem patet ex prima propoſitione; & quò ad primam patet ex reliquis tribus. Ex his, addit Caietanus corrollariè elicio, quòd ad hoc quòd aliquid ſit vniuerſale in prædicando in actu, non exigitur actualis relatio naturæ obiectæ ad particularia, ſed ſufficit quòd res ipſa ſit in ea diſpoſitione, ſecundum quàm intellectus ad libitum poſſit illam relationem ſibi verè attribuere, nihil addendo prætèr ipſam actualem relationem. Ità Caiet. loc. cit.

Quartum Notabile Caiet quid ſit vniuerſale in repreſentando, & quot conditiones.

Notat quartò Caietanus ibidem, quòd natura ipſa habet duas ſimilitudines in anima, ſcilicèt ſpeciem intelligibilem, & conceptum, ſcilicèt ſpeciem ſiuè impreſſam, ſiuè expreſſam, ideo ſecundum vtramque partem, eſt vniuerſalis in repreſentando. Quare autèm, & quo modo opporteat duas ſpecies ponere, ſi Deus conceſſerit nobis vitam, alibi dicetur. Quamuis autèm propoſitio iſta D. Thom. negatiua ſcilicèt eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ per ſe non in ſingularibus exiſtens non eſt ſpecies, ſiuè genus, poſſit omnibus modis dictis verificari, attamèn primus, & tertius ſunt de Mente D. Thom. Intendimus enim hic de vniuerſali in prædicando, quòd intentionem Logicam ſonat, & non de vniuerſali in repreſentando, quòd nulla intentione ſecunda Logica vniuerſale dicitur; ſed ex eſſe proprio, quòd ſecundum rem ſortitur; & ſic poteſt gloſari, quòd ipſa natura habet eſſe in intellectu agente, vel poſſibile tàm obiectiuè, quàm ſubiectiuè abſtractum ab omnibus indiuidualibus conditionibus, & habet rationem vniformem obiectiuè in prædicando, ſubiectiuè in repreſentando ad omnia indiuidua quæ ſunt extrà, pro vt eſſentialitèr eſt ſimilitudo omnium obiectiuè in eſſendo, ſubiectiuè inducens cognitionem omnium in quantùm ſunt homines, nàm vt ſic aſſimilantur; & ex hoc, quòd talem relationem, ſcilicèt vniformitatis, & ſimilitudinis eſſentialis, vel repreſentatiuè habet natura ad omnia indiuidua, intellectus adinuenit rationem ſpeciei, ideſt ſecundam intentionem, quæ eſt ſpecies & attribuit hanc ipſi naturæ vniformitèr ſe habenti ad indiuidua, ex hoc, quod repreſentatur abſque omni indiuiduantium difformitate. Ità Caietanus loco citato.

Notabile quintum, & vltimum in quo explicatur quid ſit prædicari formalitèr, & fundamentalitèr.

Notat vltimò Caietanus ex D. Thom. textu vltimo cap. 4. pro materia totius huius Lectionis duas diſtinctiones. Prima eſt. Prædicari capitur duplicitèr ſcilicèt formalitèr, & fundamentalitèr. Secunda eſt hæc. Genus duplicitèr accipitur, ſcilicèt formalitèr, & fundamentalitèr, ſeù materialitèr, & vt intelligas terminos debes ſcire, quòd in hac propoſitione homo eſt animal ſunt tria, ſcilicèt ly homo, ly eſt, & ly animal, quæ extrà animam nihil aliud ſunt quàm natura humana importata per ly homo, & natura ſenſitiua importata per ly animal, & vnitas ſeù coniunctio earum intèr ſe importata per ly eſt: Hæc enim tria intellectus apprehendens in ſecunda ſua operatione format hanc propoſitionem, homo eſt animal, qua formata reflectendo ſe ſuper illa tria vt terminant actum ſui componentis adinuenit, & attribuit eis quaſdam relationes. Et ly homini attribuit relationem ſubiecti, & ly animali relationem prædicati, & ly, eſt relationem præ-

dicationis. Vndè prædicatio formalitèr eſt illa relatio adinuenta ab intellectû; fundamentalitèr, ſeù materialitèr eſt coniunctio rei prædicatæ cum re ſubiecta; ſimilitèr cùm intellectus apprehendit naturam ſenſitiuam, & reflexerit ſe ſuper illam, vt ſtat ſub actu eius, viderit que eam vt ſic indifferentèr ſe habere ad ſpecies, in quibus inſpexerat primo naturam illam ſaluari, attribuit naturæ ſenſitiuæ ſeù obiectio animali relationem generis, & ſic genus formalitèr eſt illa relatio: genus autèm fundamentalitèr, ſeù materialitèr eſt natura ipſa puta ſenſitiua, & ſic patent termini diſtinctionum ſuprà in principio Lectionis. Ex quibus tria deducimus, quæ etiàm nos declarauimus, addit Caietanus, in noſtra Logica cap. de genere, & ſpecie.

Primum ex dictis Corrollarium. Primum Corrollarium eſt. Quòd genus quando diffinitur à Porphyrio, ſumitur formalitèr, quia genus fundamentalitèr, putà animal, non includit in diffinitione ſua prædicationem fundamentalem quia in diffinitione animalis non ponitur coniunctio eius cum homine, vel boue, neque prædicationem formalem, quia in diffinitione rei non ponitur res ſecundæ intentionis.

Secundum Corrollarium. Secundum eſt, quod in diffinitione generis formalitèr non cadit prædicatio fundamentalis de ſpecie puta homine, quia relatio generica, coniuncta non eſt realitèr rei, quæ denominatur ſpecies, & per conſequens prædicari de pluribus poſitum in diffinitione generis, eſt accipiendum formalitèr, ſcilicèt pro relatione prædicationis: vna enim relatio poteſt cadere in diffinitione alterius, ita vt conceptus relationis, quæ eſt prædicatio de pluribus, &c. cadat in conceptu relationis, quæ eſt genus. Et ſic illi qui aſſerunt, genus, & ſpeciem diffiniri pro ſecundis intentionibus in concreto loquuntur de mente D. Thomæ.

Tertium Corrollarium. Tertium Corrolarium eſt, quod aliquid dicitur prædicari de ſpecie duplicitèr. Vno modo vt res denominata prædicabilis de ſpeciebus, & ſic animal prædicatur de homine, & boue. Alio modo vt id quo res denominatur prædicabilis de ſpeciebus, & ſic genus in cuius diffinitione ponitur prædicari de ſpeciebus, prædicatur de ipſis ſpeciebus, v. g. aliquid dicitur diſgregatiuum viſus duplicitèr vno modo vt res denominata diſgregatiua viſus, hoc enim modo nix dicitur diſgregatiua viſus; alio modo vt id quo res denominatur diſgregatiua viſus, quemadmodum albedo dicitur diſgregatiua viſus, cùm in diffinitione eius ponatur diſgregare viſum. Et ſicut ſtant iſta duo ſimul, ſcilicèt quod res diffinita per diſgregare viſum eſt albedo, & non nix: res autèm denominata diſgregatiua viſus eſt nix, & non albedo;ità præcisè in propoſito ſtant iſta duo animal, ſcilicèt quòd res diffinita per prædicari de ſpeciebus, eſt relatio generica, res autèm denominata prædicabilis de ſpeciebus eſt natura, quæ ſubeſt illi relationi, puta animal, ità quòd res diffinita per prædicari &c. eſt genus formalitèr non materialitèr: res autèm denominata prædicabilis eſt genus materialitèr, non formalitèr. Vndè in littera S. Thomas dicit quòd ratio prædicabilitatis clauditur in hac intentione, quæ eſt genus; id tamèn, cui intellectus intentionem prædicabilitatis attribuit non eſt ipſa intentio generis, ſed res, cui etiàm ipſa intentio generis attribuitur. Ità Caietanus ſuper tex. vlt. D. Thom. in cap. 4.

Error Auuerrois circà vnitatem intellectus. Quò ad ſecundùm. In textu 7. cap. 4. Caietanus cùm D. Thoma recitat errorem Commentatoris, ſcilicèt Auuerrois ex 3. de Anima comm. 5. qui voluit ex vniuerſalitate formæ intellectæ vnitatem intellectus concludere. Et ideò S. Thomas ait, quòd quamuis hæc natura intellecta habeat rationem vniuerſalis ſecundum quod comparatur ad res, quæ ſunt extrà animam, quia eſt vna ſimilitudo omnium, ſecundum tamen eſſe, quod habet in hoc intellectu, vel illo eſt quædam ſpecies in-

ſintellectâ particularis. Et infrà in quarto loco ponemus rationem Auuerrois probans ſuum errorem, ex cuius ſolutione manifeſtabimus veritatem poſitam à D. Thom.Ità Caietanus, &c.

Quò ad tertiùm. Prima Concluſio ponitur à Caietano negatiua ex D. Thom. ſic. Eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ ſignificata per modum partis, ſicut animalitas, humanitas, rationalitas, non eſt genus, neque ſpecies, neque differentia. Probatur à Caietano cum D. Thom. ſub tali forma. Genus, ſpecies, & differentia prædicatur in recto de hoc particulari ſuppoſito, puta Socrate: ſed eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ ſignificata per modum partis non prædicatur in recto de hoc particulari ſuppoſito: ergò eſſentia talitèr ſignificata non eſt genus, nec ſpecies, nec differentia. Omnes propoſitiones patent ex præcedenti lectione ſuper caput tertium. Et ideò dicit Auicenna, quòd rationalitas, quæ ſignificat per modum partis non eſt differentia, ſed principium differentiæ; & ſimilitèr animalitas non eſt genus, ſed generis principium, & humanitas non eſt ſpecies; ſed ſpeciei principium, ſicut albedo eſt principium albi, & pars eſt principium eius cuius eſt pars. Ità Caietanus in tex. 1. D. Thom.

Prima Concluſio Caietani ex D. Thom. negatiua cũ ſua probat. quod non ſit genus eſſentia ſignificat per modum partis.

Secunda concl. negatiua eſt hæc Eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ per ſe non exiſtens in ſingularibus non eſt ſpecies, ſiuè genus. Probatur à Caietano cum D. Thom. Genus, ſeù ſpecies eſt id, quo indiuidua cognoſcuntur: eſſentia per ſe ſubſiſtens non in ſingularibus, non eſt id quo indiuidua cognoſcuntur: ergò eſſentia per ſe ſubſiſtens non eſt genus, nec ſpecies. Maior patet ex eo quòd vnumquodque per ſuum, genus, ſpeciem, & differentiam cognoſcitur. Minor patet ex eo quòd vnumquodque cognoſcitur quidditatiuè per id quòd eſt in eo, & non per id quòd non eſt in eo. Ità Caietanus ex textu D. Thom. ſecundo vbi eſt alia ratio, &c.

Secunda Concl. negatiua cum ſua probatione, quod non ſit genus, &c. nec vt exiſtens in ſingularibus.

Tertia Concluſio, quæ eſt affirmatiua eſt hæc. Eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ ſignificata per modum totius eſt ſpecies, genus, vel differentia. Probatur ſic ex D. Thom. Genus, ſpecies, ſeù differentia ſubſtantialitèr continent implicitè totum, quod eſt in indiuiduis; eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ non niſi ſignificata per modum totius continet implicitè totum eſſe indiuiduorum: ergò eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ ſignificata per modum totius eſt genus, vel ſpecies, vel differentia. Propoſitiones omnes patent ex præcedenti Lectione ſuper caput tertium vbi diximus, quòd genus, ſpecies, vel differentia conueniunt in hoc, quòd ſignificant totum, quod eſt in inferioribus, & ſua abſtracta excludunt ea, quæ ſunt in inferioribus. Eſt igitur animal genus, homo ſpecies, rationale differentia. Ità Caietanus ex tex. 2. D. Thom.

Tertia affirmatiua cum ſua probatione quod ſit genus, &c ſignificata per modum totius.

Quarta Concluſio, quæ eſt negatiua, eſt hæc, eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ abſolutè ſumpta non eſt vniuerſalis vt ſpecies, &c. Probatur ſic. Vniuerſale eſt vnum commune multis: eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ ſecundum ſe non eſt vna communis multis: ergò eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ ſecundum ſe non eſt vniuerſalis, &c. Maior eſt Ariſt. 2. Poſt. Minor probatur ex eo, quòd ſi ſecundùm ſe eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ eſſet vna, & communis, in quocumque inueniretur illa eſſentia, eſſet vna, & communis multis, quòd eſt impoſſibile. Conſequentia patet ex eo quod omne quod conuenit alicui ſecundum ſe, conuenit ei in quocumque ponatur, vt ex 1. poſt. apparet. Impoſſibilitas autèm conſequentis adeò eſt manifeſta, vt Auicenna dicat ſecundo ſuæ Metaphyſicæ quod nullus ſanæ mentis poteſt oppoſitum illius opinari. Quis enim eſt adeò fatuus, qui dicat eſſentiam Socratis ſibi communem eſſe, & Platoni? Et D. Thomas ait, In Socra-

Quartà Concl. negatiua cum ſua probatione quod nõ ſit vniuerſalis vt ſpecies, eſſentia abſolutè ſumpta.

Digitized by Google

te non poteſt eſſe communitas, quia quidquid eſt in eo indiuiduatum eſt. Ità Caietanus ex textu 5. D. Thom.

Quinta negatiua cum ſua probatione, quòd nec ſit vniuerſalis vt eſt in ſingularibus.

Quinta Concluſio quæ eſt etiàm negatiua eſt hæc. Eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ ſecundum eſſe quod habet in ſingularibus non eſt vniuerſalis. Probatur ſic. Vniuerſale eſt in multis: eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ ſecundum eſſe quod habet in indiuiduis non eſt vna in multis, ſed diuerſa: ergò eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ ſecundum eſſe quòd habet in indiuiduis non eſt vniuerſalis; & per conſequens nec ſpecies, nec genus, nec differentia, quæ vniuerſalitatem ſupponunt. Ità Caietanus ex tex. 6. D. Thom.

Sexta affirmatiua quod ſit vniuerſalis ſecundum eſſe in intellectu.

Sexta Concluſio affirmatiua eſt hæc. Eſſentia ſecundum eſſe in intellectu eſt vniuerſalis, genus, ſpecies, & differentia, &c. Probatur. Vnum in multis, & de multis eſt vniuerſale: Natura ſecundum eſſe in intellectu eſt vna in multis, & de multis, ergò eſt vniuerſale. Probatur Minor. Vniformitèr ſe habens ad multa, vt eſſentialis eorum imago, eſt vnum in multis, & de multis: natura ſecundum eſſe in intellectu eſt huiuſmodi, quia habet eſſe abſtractum ab omni difformitate indiuiduorum, eſſentialiter eorum cognitionem gignens: ergò &c. Ità Caietanus ex tex. 7. D. Thomæ.

Argum. primũ Caietani contrà vnum dictum D. Thomæ.

Quòd ad quartum. Arguit Caietanus contrà illud dictum D. Thom. in notabilibus, ſcilicet quòd natura abſolutè ſumpta nec vnitatem, nec pluralitatem habet. Quod vnum non eſt diffinibile, non eſt, vt dicitur 7. Met. tex. comm. 15. imò nec intelligibile vt habetur 4. Met. comm. 10. Et ſi concedatur vnitas, qualis ſit iſta vnitas non eſt facile aſſignare; numeralis non eſt, vt diximus, non ſpecifica, non generica, cùm hæ ex intellectu fiant, nec analogica vnitas eſt, vt de ſe patet: Homo enim non eſt aliquod vnum analogicè. Nec etiàm facilè quiſquis dicet, An vnitas illa ſit realis, an non?

Reſponſio Caiet. ad 1. Argum.

Reſp. Caietanus. Quòd natura abſolutè ſumpta habet vnitatem quamdam, vt efficacitèr concludit ratio S. Thomæ in tractatu de natura Generis. Et quando quæritur, eſt numeralis, an ſpecifica? dico quod eſt vnitas formalis, quæ eſt alia à numerali, ſicut diuiſio formalis, eſt alia à numerali. Nec illa vnitas formalis eſt ſpecifica, aut generica formalitèr, ſed eſt fundamentum vnitatis ſpecificæ, & vnitatis genericæ: hæ enim vnitates formalitèr ab intellectu fiunt, illa verò omnem actum intellectus præuenit. Quòd autèm in littera dicatur à D. Thom. quòd natura abſolutè ſumpta, nec eſt vna, nec plures, intelligendam eſt de vnitate, & pluralitate numerali. Quando autèm quæritur an ſit realis, vel non, dico quòd ſecundum ſe eſt realis primo illorum modorum, quos poſuimus ſupra, accipiendo ens reale, ſicut & natura ipſa, vt abſolutè ſumpta; & ſicuti natura ſecundum eſſe in ſingularibus eſt ens reale ſecundo modo, idelt vt diſtinguitur contrà non exiſtens in actu, ità vnitas illa, quæ ſemper naturam comitatur in particularibus poſita eſt realis verè, & propriè: idem eſt enim iudicium de natura, & de eius vnitate. Ità Caietanus in quæſt. 6. cap. 3. §. quo ad quartum.

Secundum Argum Caietani, contra aliud D. Tho. dictum.

Secundò. Arguit Caietanus contrà illud dictum, quòd natura abſolutè ſit illa, quæ prædicatur de indiuiduis. Natura abſolutè ſumpta non eſt vniuerſalis, neque communis: in huiuſmodi autem propoſitionibus Socrates eſt homo, & Socrates eſt animal, & ſimilibus, prædicatur vniuerſale, & ſuperius de particulari, & inferiori; ſimilitèr etiam cum quæritur an iſta prædicatio Socrates eſt homo ſit æqualis de æquali, vel inferiùs, de inferiori, non videtur poſſe reſponderi tenendo, quòd natura abſolutè prædicetur, cum illa, nec æqualis, nec ſuperior ſit,

Reſp.

Reſponſio Caiet. ad Argum. 2.

Reſp. Caietanus, quod ſicut in natura extra eſt conſiderare ipſam rationem agendi, & eſt conſiderare conditionem eius, ſine qua non operatur, v. g. in colore conſideratur natura eius, ex qua eſt viſibilis, & conſideratur particularitas, quæ eſt conditio ſine qua non eſt viſibilis; ità in natura prædicabili eſt conſiderare duo ſcilicet id quod prædicatur, & attribuitur ſubiecto, & conditionem ſine qua non attribuitur illi; ſicut in hac propoſitione Socrates eſt homo; id quod attribuitur ſubiecto eſt ipſa natura humana, & nihil aliud; conditio vero ſine qua ly homo non prædicatur de Socrate eſt eſſe vniuerſale ſuperius commune, vel aliud huiuſmodi, vt habetur ex Ariſt. 7. Met. tex. Comm. 16. nulla res prædicatur niſi vt habet eſſe in intellectu, eo quod prædicatio ab intellectu dependet. Vndè ad dubium dico, quod natura ſecundum ſuam rationem eſt id quod prædicatur de ipſo indiuiduo: eſt enim prædicatio rei de re, ſuperioritas tamèn, & vniuerſalitas, & huiuſmodi ſunt conditiones eius; & ideo ad interrogationem an in illis prædicationibus ſit prædicatio æqualis, vel ſuperioris, dico, quod eſt prædicatio ſuperioris, nec obſtat quod ſuperioritas non inſit naturæ abſolutè, quæ prædicatur: quoniam non dicit S. Th. quod naturæ abſolutè pro vt abſtrahit ab omni eſſe conueniat hæc conditio ſcilicet prædicatio de indiuiduis: ſed dicit quod res cui conuenit illa conditio ex natura abſolutè, & non aggregatum ex natura, & eſſe in intellectu, ſeù in ſingulari: non enim cum dico Socrates eſt homo, eſt ſenſus, Socrates eſt homo ſecundum eſſe in intellectu, aut in ſingulari, aut ſuperiori, aut æquali, ſed Socrates eſt habens humanitatem. Vndè valdè eſt attendenda diſtinctio intèr id quod prædicatur, & conditionem prædicati, qua non attenta, fortè decepti ſunt dicentes, quod ex hoc textu abſolutè habetur, quod homo eſt Animal, non ſit prædicatio ſuperioris, nec inferioris, nec æqualis. Senſus ergo litteræ eſt, natura abſolutè quæ eſt prædicatur, ideſt natura ſecundum conditiones ſibi debitas ex eſſe in intellectu, vel ſingulari cum quo ſtat, quod eſſe in intellectu vniuerſalitas, & ſuperioritas ſint conditiones, ſinè quibus, natura ipſa non prædicatur de pluribus. Ità Caiet. in membro q. 6. cap. 4.

Tertium Arg. Caiet. quod Socrates ſit ſpecies.

Arguit 3. Caiet. In definitione ſpeciei ponitur etiam prædicari de indiuiduis, ſicut etiam in definitione generis ponitur prædicari de ſpeciebus, ergo videtur non rectè dictum, quod Socrates non ſit ſpecies, & quod non ſit genus. Motiuum huius Argumenti tangitur à D. Th. in textu cum dicitur, & tamen prædicari per ſe conuenit generi cum in eius definitione ponatur: quia implicat quod aliquid per ſe prædicetur de aliquo in quocumq; modo perſeitatis, & non conueniat illi, & cum prædicari de ſpeciebus conueniat per ſe generi, & de indiuiduis conueniat per ſe ſpeciei, & quælibet pars definitionis in recto primo modo perſeitatis conueniat definito, clarè ſequitur, quod hæc erit vera homo eſt ſpecies, homo eſt genus.

Reſponſio Caiet. ad 3. Argum.

Reſp. ex doctrina allata in notabilibus de prædicari de ſpeciebus dupliciter formalitèr, & denominatiuè, quod prædicatur de homine, & Boue denominatiuè eſt Animal, quod autèm prædicatur formaliter de Homine, & Boue eſt genus. Et huiuſmodi diſtinctio poteſt applicari ad ſpeciem reſpectu indiuiduorum, ad differentiam, proprium, & accidens, & reliqua huiuſmodi, & ſic ſolues multas obiectiones, & illuceſcet tibi veritas multarum propoſitionum, quæ obſcurè apparent. Ità Caiet. ex D. Th. tex, vlt. c. 4

5. Arg. Caiet. quod eſt ratio Auerrois probans vnitatem intellectus

Arguit vltimò Caiet. ex D. Th. pro Auerroi de vnitate intellectus ſuper tex. 7. in 1. p. cap. 4. ſic. Quod eſt vniuerſale ſuam vniuerſalitatem retinens eſt indiſtinctum numero. Forma intellecta, ideſt natura ſecundum eſſe in intellectu ſubiectiuè eſt vniuerſalis ſuam vniuerſalitatem retinens: ergo eſt indiſtincta numero:

ergò

Digitized by Google

ergo ſubiectum eius, quod eſt intellectus poſſibilis, non eſt diſtinctum numero, & ſic vnus intellectus in omnibus hominibus erit; Maior videtur ex ſe nota, quia vniuerſalitati opponitur diſtinctio numeralis: Minor verò ex eo patet, quod ſpecies intelligibilis repreſentat vniuerſale. Hæc eſt ratio Auuerrois, quæ licet pro ſui ſolutione exigat aliud principium, quantùm tamen præſentis negotij eſt concluditur ex dictis &c.

Reſponſio Caiet. ad rationem Auerrois.

Reſp. Caiet. pro nunc, quod Maior eſt vera de vniuerſali in eſſendo, ſcilicet idæa Platonis ſi daretur, ſed falſa poſtea Minor, quia ſpecies intelligibilis non eſt vniuerſalis in eſſendo, cùm ſit in ſingulari ſubiecto, ſcilicet in intellectu poſſibili, qui indiuiduum quoddam eſt, licet immateriale. Et de vniuerſali in repreſentando falſa eſt Maior quia eſt id, quod rem vniuerſalem repreſentat, quia reſpicit, non ſubiectum in quo eſt, ſed obiectum, vndè non repreſentat obiecta diſtincta numero, ſed vnum & idem obiectum omnium repreſentat omnes ſpecies cuiuſdam rei, puta ſpecies humanitatis in te, & me, ſicut eadem Socratis facies à pluribus per plures ſpecies idem omninò repreſentantes, videtur. Minor autem de tali vniuerſali in repreſentando eſt vera, vt patet ex dictis, quia ſpecies intelligibilis repreſentat naturam, non repreſentando eius conditiones particulares, vt dictum eſt, Ità Caiet. loc. cit. qui ibi in c. 4. proponit, & ſoluit has tres quæſtiones. Prima eſt An natura abſolutè ſumpta vnitatem vel pluralitatem habeat; ſecunda an ſit illa quæ prædicetur de indiuiduis; & tertia an vniuerſalia in actu ſint extrà Animam, ſed quia ex dictis, & dicendis infrà ſunt diſcuſſa. Ideò hic pro nunc omittuntur Breuitatis gratia &c.

Appendices ad Lectionem 12. Metaphyſicalem in Tractatu de Ente, & Eſſentia.

SVbtilitates Metaphyſicales, & Logicales circà naturam generis, ſpeciei, & differentiæ ipſius S. Doctoris non penetrant multi de quibus inter Neotericos Paſqualigus in ſua Metaphyſica diſp. 49. ſect. 1. recitando tertiam ſententiam pro definito generis, quid definiatur, ait quod mens D. Th. in c. 4. de ente, & eſſentia eſt ſatis obſcura. Et relictis Commentarijs noſtri Eminentiſſimi Caietani ibi ſtatuit contra ipſum hanc Concluſionem, ſcilicet quod quando definitur genus per prædicari de pluribus differentibus ſpecie, definitum non ſit concretum ex natura, & ſecunda intentione, ità vt ſecunda intentio ſit id quod formaliter definiatur, natura verò materialiter tantum; & deindè in eadem ſecunda lectione, num. 7. ponit aliam Concluſionem, quod in illa definitione nullo pacto definiatur ſecunda intentio, quia Caietano attribuit quod quando definitur genus definiatur genereitas non in abſtracto, ſed in concreto, vt eſt ratio qua natura denominatur prædicari de pluribus differentibus ſpecie, & dicit eſſe ipſius Soti, & Scoti, & Nigri, & Villalpandi, & Sanchez, & aliorum recentiorum Thomiſtarum; vndè in num. 8. reijcit illam diſtinctionem Caietani de prædicari fundamentaliter, & de prædicari formaliter, ſcilicet de ratione formali cur natura prædicetur; & reſpuit etiam exemplum Caietani de niue per diſgregare viſum &c. & quod aliud eſt prædicari eſſentialiter, & aliud prædicari de eſſentia, & dicit in numero 14. quod hæc doctrina eſt omnino falſa, & improbabiliſſima, vndè putat per ſuam rationem quam ibi affert doctrinam Thomiſticam proſus euertere; ſicuti, & etiàm num. 15. dicit non minus eſſe improbabilem Reſponſionem Ruuij Soc. Ieſu qui defendit D. Th. & Caiet. Et tandem in num. 16. ponit per hanc ſuam Concluſionem ſuam ſen-

Digitized by Google

ſententiam, ſcilicet quod in definitione generis definitur formaliter natura generica, prout præſcindit ab hac, vel illa natura generica determinata. Et hic deſtruit diſtinctionem Caietani de Animali, quod eſt denominatiuè genus, & de prædicari formaliter &c. quam ſententiam ſuam dicit eſſe Iauelli tract. 4 de quinque Prædicabilibus, Soncinatis, Montaneſij, & aliorum recentiorum. Et in ſect. 3. Reſpondet rationibus Caietani ex D. Th. deſumptis. Legas ibi &c.

Et circà definitionem generis an ſit quidditatiua, ait Paſqualigus in diſp. 50. ſect. 6. num. 6. quod illa Porphyrij eſt quidditatiua ſecundum rem, & quod modo quidditatiuo poteſt accipi. Definitio tamen quidditatiua generis ait in ſect. 6. num. 9. quod eſt illa ſecundum quam dicitur, quod genus eſt vniuerſale aptum eſſe in multis ſpecie diuerſis, vel quod eſt ſubiectum compoſiti Metaphyſici, & in ſect. 7. reſpondet rationibus illorum, qui dicunt genus non poſſe quidditatiuè definiri, quia ſupponunt falſum, quod genus importet concretum ex natura, & genereitate, & citat B. Alb. Magnum tract. p. Prædicab. c. 3. Ammonium, & Boetium. Et Caiet. citat pro ſua ſententia, & Scotiſtas, & Ruuium, quia Porphyrius tradit definitionem generis per genus quod eſt prædicabile, & per differentiam quæ conſiſtit in tali modo prædicandi. Pro alia ſententia quæ procedit media via, ſcilicet quod genus poſſit, quidditatiuè definiri, non tamen per definitionem Porphyrij quidditatiuè definiatur, citat. D. Th. opuſc. 48. c. 2, Sotum, Toletum, Ruuium, Nigrum, Sanchez, & Auerſam.

Quomodo autem genus, ſpecies, & differentia &c. vt vniuerſale, ſe habeant per modum totius Paſqualigus in diſp. 51. in ſect. 1. refert D. Th. p. poſt. tex. 17. & opuſc. 42. & Caietanum in Logica c. de differentia, & B. Alb. Magnum, & Iauellum, Sotum, & Toletum, vt abſurdum putantes, & impoſſibile quod genus contineat in actu confuſo, & indeterminato omnes differencias, ſed ſi continet, contineat ipſas ſolùm in potencia, & hanc ſententiam Paſqualigus ſect. 2. explicat vt veram. In diſputatione tamèn 53. ſect. 3. num. 5. declarat magis propriam ſententiam Paſqualigus, & dicit, quod genus vt eſt totum potentiale, importat tantum, in prædicari de ſpeciebus, partem ſpeciei, & tantùm in potentia continet differentias, non autèm in actu confuſo, prædicatur igitur vt totum potentiale de ſpeciebus, & adhuc prædicatur vt pars ſpeciei. Et in ſect. 4. reſpondet rationibus D. Th. & Caietani in c. 3. cit. à Paſqualigo, quæ probant, quod quando genus prædicatur de ſpeciebus, non ſe habet vt pars, ſed vt totum potentiale dicens explicitè rationem genericam ſuperiorem; in confuſo verò totam eſſentiam ſpeciei, de qua prædicatur, quia ſi Animal non eſſet totum, quod eſt homo, (ſunt verba D. Thomæ) ſed pars eius, non prædicaretur de eo, cum nulla pars integralis prædicetur de ſuo toto. Vide Paſqualigum in ſect. 4. quomodo reſpondent diſtinguendo de partibus Phyſicis, & de partibus Metaphyſicis. Et quomodo etiam tribuat Caietano, quod quando genus prædicatur &c. ſe habeat vt pars actualis illius,

LECTIO XIII. METAPHYSICALIS

IN TRACTATV DE ENTE, ET ESSENTIA.

Quænam ſit conuenientia, & differentia inter eſſentias ſimplices ſeparatas, & inter eſſentias ſubſtantiarum compoſitarum.

Ex Caiet. cum D. Th. in toto cap. 5. de Ente, & Eſſentia.

Declaratio Tituli, eiuſq; ſenſus data à Caiet.

CAiet. exponit titulum, & ſenſum lect. 13. & ait. Intentum D. Th. in cap. 5. eſt declarare multa de eſſentijs ſubſtantiarum ſeparatarum, ſcilicet de Anima, de Intelligentijs, & etiàm aliqua de ipſa prima cauſa; ſed præcipuè in præſenti lectione intendit declarare, quomodo iſtæ eſſentiæ ſimplices non admittant in ſe compoſitionem ex materia Phyſica, ſed tantùm compoſitionem Metaphyſicam, & quænam ſit iſta compoſitio Metaphyſica. Et quia hoc declcrare non poteſt niſi comparando iſtas formas ſimplices, ipſis eſſentijs, ſubſtantiarum compoſitarum, ideò ponit infrà conuenientiam, & differentiam, intèr ipſas; quia quod ſint effectiuè à Deo intelligentiæ, & quod ſint compoſitæ ex actu, & potentia, iàm dictum eſt in hoc Tractatu in præcedentibus lectionibus. Reducitur ergo præcipua conſideratio, ad compoſitionem ex eſſe, & exiſtentia. Ità Caietanus.

Notab. 1. Caiet. in quo explicantur duæ differẽtiæ intèr eſſentias ſimplices, & compoſitas.

Quo ad primum notat primo Caiet. in 2. p. cap. 5. de ente, & eſſentia cum D. Th. duas differentias intèr eſſentias ſimplices, & intèr eſſentias ſubſtantiarum compoſitarum; quod prima pars primæ differentiæ (differentia enim prima habet duas partes) eſt quod eſſentia ſubſtantiæ ſimplicis ſignificat formam tantùm; eſſentia autèm ſubſtantiæ compoſitæ ſignificat compoſitum quid ex materia, & forma; ſecunda pars differentiæ primæ eſt quod eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ eſt plurificabilis numero in eadem ſpecie, ſicut eſſentia humana diſtinguitur numero à Socrate, & Platone; eſſentia autem ſubſtantiæ ſimplicis, ideſt ſeparatæ à materia non eſt plurificabilis in plura indiuidua eiuſdem ſpeciei, ſed quodlibet indiuiduum conſtituit vnam ſpeciem, & diſtinguitur ſpeficè ab alio; & hoc fundatur in duabus propoſitionibus quarum prima eſt, quod actus eſt ille, qui diuidit, & ſeparat ex 7. Met. tex. Comm. 49. & omnis diuiſio aut eſt formalis, aut quantitatiua ex 3. Met. Comm. 11. & ex Auuerr. 9. Phyſ. Comm. 6. Secunda propoſitio eſt, Formæ ſpecificæ ſunt indiuiſibiles formalitèr. Ex his deducitur quod formæ ſpecificæ, quæ recipiuntur in materia diuiduntur ad diuiſionem materiæ per quantitatem, & ſic ſunt multa indiuidua eiuſdem ſpeciei, & formali quidem. Forma autèm ſpecifica non recepta in materia omni diuiſione caret, & formali quidem ex eo quod ſpecies ſpecialiſſima eſt; quantitatiua autèm ex eo quod non eſt recepta in materia, quam

ſe-

ſequitur quantitas, & ideò non poſſunt eſſe multa indiuidua in eadem ſpecie: multitudo enim diuiſionem ſequitur.

Secunda differentia principalis eſt, quod eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ poteſt ſignificari vt totum, & pars, non autem eſſentia ſubſtantiæ ſimplicis; vnde oritur, quod quia prædicatum non debet habere rationem partis, quod eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ quandoq; prædicatur de ea, & quandoq; non, quandò ſignificatur vt pars; eſſentia autem ſubſtantiæ ſimplicis, quia vt pars denotabilis non eſt, ſemper prædicatur de eo cuius eſt. Differentia ergo poſita hic, eſt cum additione intelligenda, ideſt quod eſſentia ſubſtantiarum compoſitarum ex ſe habet, quod ſignificabilis ſit, & per modum totius, & per modum partis. Eſſentia autem ſimplicium ex ſe non habet, quod ſignificetur per modum totius, & partis, ſed ab intellectu tantùm; & ideò diuerſitas, quæ intèr abſtractum, & concretum in ſubſtantijs compoſitis eſt, ex parte rei eſt, & reducitur ad diſtinctionem, quæ eſt intèr ſubiectum deferens, & formam delatam; diuerſitas autèm, quæ eſt intèr abſtractum, & concretum in ſubſtantijs ſeparatis non eſt niſi ex parte intellectus, vt Commentatoribus dicit. Et per hoc dicit Auicenna, quod quidditas ſimplicis, & ipſum ſimplex, & quidditas compoſiti non eſt ipſum compoſitum. Ex his inſurgit illa quæſtio An in ſubſtantijs ſeparatis idem ſit quidditas, & id cuius eſt, ideſt natura, & ſuppoſitum, quæ forſan diſcutietur alibi. Ita Caiet. in textu 4. & 5. *Secunda differentia principalis, pro vt ſuprà declaratur.*

Notat 2. Caiet. ex D. Th. in tex. 5. differentiam, & conuenientiam inter has duas compoſitiones ſubſtantiales, ſcilicet ex materia, & forma, & ex eſſe, & eſſentia; quod primo conueniunt in hoc quod vtraque conſtat ex actu, & potentia: materiam enim, & formam clarum eſt ſe habere vt potentiam, & actum. Eſſentiam autem & eſſe ex eo liquet, quod ſe habent vt potentia, & actus, quia quidditas quælibet ex hoc ponitur in rerum natura, quod exiſtentiam acquirit. Secundo conueniunt in hoc, quod vtriuſque extrema ſunt in eodem genere, tàm enim materia, & forma hominis, quàm eſſentia, & eſſe eius, in genere ſubſtantiæ, & in ſpecie humana reponuntur. *2. Notab Caiet. in quo exponitur conuenientia,*

Differunt autem quo ad decem. Primò quia extrema primæ compoſitionis ſunt partes ſubſtantiæ, & non ſunt ſubſtantia propriè loquendo vt patet. Extremorum verò ſecundæ compoſitionis neutrum eſt pars ſubſtantiæ, ſed alterum eſt ſubſtantia ſcilicet eſſentia; alterum verò extra ſubſtantiam, ſcilicet eſſe. Secundò differunt, quia extremum illud, quod ſe habet vt potentia in prima compoſitione eſt ens purè potentiale, ſcilicet materia; extremum verò illud, quod ſe habet in potentia in ſecunda compoſitione non eſt pura potentia, ſed ens in aliqua ſpecie quidditatiuè completum, ſcilicet eſſentia. Tertiò differunt quia extremum illud, quod ſe habet vt potentia in prima compoſitione non eſt id quod eſt, nec propriè loquendo eſt quod fit: materia enim propriè non fit vt dicitur 7. Met. Comm. 27. eiuſdem autem eſt eſſe, cuius eſt fieri, cum fieri ad eſſe terminetur; extremum verò id quod in ſecunda compoſitione ſe habet vt potentia eſt id quod eſt, & fit, cùm omnis factio ad compoſitum terminetur ſicut ibidem dicitur. Quartò differunt quia extremum illud, quod in prima compoſitione ſe habet vt actus, non eſt vltima actualitas rei, ſed cauſat alium vlteriorem actum, ſcilicet exiſtentiam cuius receptiuum eſt compoſitum; extremum verò illud, quod in ſecunda compoſitione ſe habet vt actus eſt vltima actualitas illius generis ſubſtantialis. Quintò differunt quod in prima compoſitione illud extremum eſt ità actus, vt tamen comparetur ad alium vt potentia; in ſecunda verò compoſitione ità eſt actus, quod ad nihil ipſius rei comparatur vt potentia. Sextò differunt quod illud extremum in prima compoſi- *Exponuntur decem differentiæ intèr compoſitionem ſubſtantialem ex materia, & forma, & ex eſſe, & eſſentia pro vt ſuprà.*

Digitized by Google

tione quod ſe habet vt actus ità eſt actus, vt fit de intellectu, ſeù definitione rei extrinſecè: Forma enim ſecundum omnes extrinſecè in definitione concipitur. In ſecunda verò eſt extrà quidditatem rei: Definitio enim non ſignificat eſſe, vel non eſſe, vt dicitur p. poſt. Septimò differunt, quia ex extremis primæ compoſitionis fit vnum tertium per ſe vnum; ſecundæ verò compoſitionis non fit vnum tertium per ſe vnum, neq; per accidens propriè loquendo: ex duobus enim actibus non fit tertium per ſe vnum, nec per accidens, quia vnum per accidens aggregat res diuerſorum generum, cum hoc tamen ſtat quod eſſentia per ſe adunetur cùm eſſe. Octauò differunt quia prima compoſitio eſt compoſitio ex his, & ideo fit ibi vnum tertium; ſecunda verò compoſitio eſt cum his: non enim dicitur quod res componatur ex eſſe, & eſſentia: benè tamen quod adunantur per ſe. Nonò differunt quia prima compoſitio ad pauciora ſe extendit, quàm ſecunda quia in ſenſibilibus tantum prima inuenitur; ſecunda inuenitur, & in rebus ſenſibilibus, & in rebus immaterialibus. Prima infert ſecundam, & non è contrà. Decimò differunt quo ad paſſiones ſuas: compoſitionem enim primam quantitas, accidentia ſenſibilia, & tranſmutatio localis ſequuntur; compoſitionem autem ſecundam neque generatio, neque corruptio, nec tranſmutatio aliqua Phyſica ſequitur, ſed tantùm recipere, & recipi, perficere, & perfici, quia hæc ſequuntur actum, & potentiam, illa verò materiam, & formam. Ità Caiet. ſuper tex. 5. & 6. ex D. Th.

Notab. 3 Caiet. in quo explicatur proportio inter formam, & exiſtentiã.

Notat 3. Caiet. ex D. Th. ex 5. differentia proportionem intèr formam, & exiſtentiam repetendo ea quæ dixit ſuprà ex eſſe proueniente à forma. Proportio formæ, ait Caiet. ad eſſe actuale, eſt ſicut proportio diaphaneitatis ad lumen: forma ſiquidem recipit exiſtentiam, & cauſat eam, ſicut diaphaneitas lumen. Sicut namque aer in eo quod aer non eſt capax luminis, ſed opportet ipſum diaphaneitate informari, vt proprium ſuſceptiuum luminis fiat; ideoque nec aer, nec diaphaneitas, ſed aer diaphanus eſt, qui primò luminoſus eſt, licet ſecundario, tàm aer, quàm diaphaneitas lumine careat; ità in propoſito materia ſola non eſt capax exiſtentiæ, quia actus in propria ſuſcipi debet potentia, ſed opportet in ipſa formam recipi, vt proprium ſuſceptiuum exiſtentiæ fiat, non materia, nec forma, ſed compoſitum ex eis. Id enim quod primo exiſtit eſt compoſitum, cuius primò eſt etiam fieri: tamen tàm materia, quàm forma ſecundario actuatur illa exiſtentia. Vndè ſicut diaphaneitas eſt cauſa formalis aeri diaphano, & eius complementum formale ad hoc vt proprium ſit ſuſceptiuum luminis, & cùm hoc comparatur ad lumen adueniens vt potentia recipiens, licet ſecundariò ad actum; ità forma eſt cauſa formalis compoſito, & complementum eius formale, adhoc vt proprium receptiuum exiſtentiæ fiat, ac per hoc comparatur ad ipſam exiſtentiam ſubſequentem vt potentia recipiens, ſecundariò tamèn ad actum receptum; vndè fit vt ipſum eſſe actualis exiſtentiæ ad nihil aliud comparetur, vt potentia ad actum, ſed ſit vltima actualitas omnis rei, etiàm ipſius formæ. Ità Caiet. circà differentiam quintam loc. cit.

Forma vt forma, & non vt talis poteſt habere eſſe extrà cauſatum.

Et nota quod loquendo de forma vt forma, & non vt talis vel talis eſt, intellecta propoſitio D. Th. Illud quod habet rationem cauſæ poteſt eſſe ſinè altero, verificatur, quando aſſumitur, & intelligitur, quod habet rationem cauſæ ſecundum ſuum ordinem, quia cum independens ſit à cauſato conſequens eſt, vt aliquid pertinens ad ſuum ordinem poſſit habere eſſe extrà cauſatum; & eſt ad propoſitum, quando intendimus concludere, quia forma ſecundum ſuum genus non dependet à materia, ità quod aliqua forma poteſt inueniri ſeparata. Ità Caiet. in textu 3. ex D. Th.

Poſitio Auicennæ.

Quo ad ſecundum Caiet. non recitando opiniones circa ea, quæ controuertuntur

iuxtà

Digitized by Google

iuxtà principia, & placita diuerſa cuiuſcumque Scholæ, præmittit tantùm cum D. Th. concordem ſententiam Philoſophorum in cap. 5. de omnimoda ſimplicitate primæ cauſæ. Quamuis enim, ait, cauſæ primæ ſimplicitatem, omnes concedant, compoſitionem tamen materiæ, & formæ. In intelligentijs, & animabus quidam nituntur ponere, cuius poſitionis fuiſſe dicitur Auicembron Auctor libri fontis vitæ. Et tamèn hoc dictis Philoſophorum reperitur eſſe contrarium, quia eas ſubſtantias quas nominant à materia ſeparatas, abſq; omni materia eſſe illas probant vt modo declarabitur per ſequentes Concluſiones cum D. Thoma. Ità Caietanus loc. cit.

bron ponens compoſitionem ex materia, & forma in intelligentijs.

Quo ad 3. Ponitur hæc prima Concluſio à Caietano ex D. Th. in principio cap. 5. omnis ſubſtantia intellectualis eſt immaterialis, ideſt incompoſita ex materia, & forma, ideſt independens à materia. Probatur à Caiet. ex D. Th. in forma ſic. Omne patiens, vel agens, vel recipiens, vel habens in ſe intelligibile in actu eſt immateriale: ſed omnis ſubſtantia intellectualis eſt patiens, vel agens, vel recipiens, vel habens in ſe intelligibile in actu: ergo omnis ſubſtantia intellectualis eſt immaterialis. Maior quo ad tres ſui partes ex eodem medio probatur ſcilicet ex hoc quod intelligibile in actu opportet eſſe immateriale ex 3. de Anima: Agens autem immateriale in ipſam rem opportet eſſe immateriale, eo quod agens non poteſt eſſe ignobilius ſuo effectu ex tertio de Anima tex. Comm. 18. & 40. & ibi etiàm patet, quod recipere materiale non poteſt res immaterialis, quia vnumquodque recipitur per modum recipientis, & per id innoteſcit, quod habere non poteſt res immaterialis cognoſcibile in ſe ipſa niſi ſit immateriale. Minor autem ab omnibus conceditur. Fruſtrà enim eſſet ſubſtantia intellectualis niſi aliquid intelligeret, cum vnumquodq; ſit propter ſuam operationem, vt dicitùr in ſecundo Cæli tex. Comm. 17. Nec valet Reſp. quod Maior eſt vera de materia corporali, quæ ſola impedit intelligibilitatem in actù, non autèm de materia ſimpliciter, à qua non eſt immunis ſubſtantia intellectualis immunis à materia corporali tamèn &c.

1. Concl. Caiet. ex D. Th cum ſua probatione quod omnis ſubſtantia intellectualis non eſt compoſita ex materia, & forma.

Reſp. Caiet. ex D. Th. ratione ducente ad impoſſibile. Materia corporalis per te impedit intelligibilitatem: ergo forma corporalis eſt id vndè Materia habet, quod impediat intelligibilitatem: hoc eſt impoſſibile ergo à deſtructione conſequentis &c. Conſequentia eſt nota ex terminis; cùm enim Materia Corporalis duo dicat, ſcilicet ly Materia, & ly Corporalis, & ex ly Materia per te non impeditur intelligibilitas in actu, reſtat quod hoc impedimentum ſit ex ly Corporali: ſed ly Corporalis nihil addit ſuprà materiam niſi formam Corpoream: ergo ex forma corporali, ſeù forma corporea oritur quod non impediat intelligibilitatem in actu. Falſitas autèm conſequentis probatur ſic. Omnis forma non concepta cùm materia eſt actu intelligibilis ex. 3. de Anima tex. Comm. 11. forma corporea eſt forma ſecundum ſe non concepta cùm materia, accipitur enim vt diſtincta contrà Materiam: ergo forma corporea ſecundum ſe eſt actu intelligibilis.

Reſp. Caiet. ad obiectionem contrà rationem.

Tunc vltrà. Nihil ſecundum ſe actu intelligibile ex ſe impedimentum præſtat intelligibilitati: Forma corporea eſt huiuſmodi: ergo forma corporalis non eſt id vndè Materia impedimentum intelligibilitatis ſumat, quòd erat probandum; eſt igitur tàm Anima intellectiua, quàm quælibet intelligentia non compoſita ex materia, & forma, ſi accipiamus compoſitionem ex materia, & forma vniuocè, pro vt ſcilicet materia, & forma nominant partes eſſentiales rei, quemadmodum vt diximus ſuprà ſunt aliquæ ſubſtantiæ compoſitæ; eſt tamen in eis aliud genus compoſitionis, ſcilicet ex forma, & eſſe, vt aliàs infrà dicetur, & ſic habetur prime pars

in-

intenti ſcilicet quod eſſentia in ſubſtantijs intellectualibus non ſignificat quid compoſitum ex materia, & forma. Itá Caietanus ex D. Thom. ſuprà tex. 2.

Secunda Concl. Caiet. ex D. Th cũ ſua probatione quod ſubſtantia immaterialis eſt forma tantum.

Secunda Concluſio ponitur à Caiet. ex D. Th. ſuprà tex. 3. Eſſentia ſubſtantiarum intellectualium eſt immaterialis, & forma tantum. Probatur quæcumque itá ſe habent, quod vnum eſt cauſa alterius, & non e contrà, illud quod habet rationem cauſæ poteſt eſſe ſine altero: ſed forma, & materia itá ſe habent, quod forma cauſat eſſe materiæ, & non è contrà: ergo forma poteſt eſſe ſinè materia, non tamen materia ſinè forma: ſed eſſentia intelligentiarum non eſt compoſita ex materia, & forma, & non poteſt eſſe materia tantùm, ergo eſt forma tantùm. Maior propoſitio conſtat ſupra in fine vltimi notabilis. Minor patet ex 9. Met. tex. Comm. 13. & 15. vbi habetur, quod actus eſt prior potentia ſimpliciter, & independens ab ea; ex eo enim quod forma eſſentialiter eſt actus, materia autèm eſſentialiter potentia, neceſſe eſt dependere hanc à forma, ſine qua actualitas non inuenitur, & ſic patet Minor, quia à forma abſolutè in eo quod forma dependet materia in ſuo eſſe, ſicut potentia ab actu, & non è contrà. Quod verò alicui actui conueniat quod non inueniatur niſi receptus in aliqua potentia, hoc eſt ex eius imperfectione, & non habet hoc in eo quod actus; & ſimiliter quod aliquæ formæ non ſint niſi in materia, hoc habent ex ſua imperfectione formæ, quæ attenditur penès diſtantiam à primo principio Deo glorioſo, & penès propinquitatem ad materiam primam; vndè tales formæ non ſolùm cauſant eſſe materiæ, ſed & ipſæ cauſatæ ſunt quodammodò à materia; cauſæ enim ſunt ſibi inuicem cauſæ ex ſecundo Phyſicorum. Itá Caiet. loc. cit.

3. Concl. Caiet. ex D Th. cum ſua probatione quod omne ens aliud à Deo eſt compoſitum.

Tertia Concluſio ponitur à Caietano ex D. Th. tex. 6. Omne ens aliud à primò eſt compoſitum ex eſſe, & eſſentia. Probatur à Caietano ſub tali forma. Omne habens aliquid realiter ſuæ quidditati coniunctum, quod eſt extrà eius eſſentiam, eſt compoſitum ex quidditate, & ex illo additamento, id eſt eſſentia, & eſſe: ſed omne ens aliud à Deo habet aliquid reale ſuæ quidditati realiter coniunctum extrà eſſentiam eius ſcilicet ipſum eſſe: ergo omne ens aliud à Deo eſt compoſitum ex eſſe, & eſſentia. Maior relinquitur à S. Th. manifeſta, modificatur tamen in ly additum quod ſit extrà eſſentiam rei, ſcilicet particulariter ſumptum, quia ſi ſumitur per ly inferius, cùm ſit extrà eſſentiam ſuperioris, non tamèn componit cum illo, & ſic modificata, ly eſſe intelligitur extrà eſſentiam rei, ſcilicet Socratis, non enim poneretur in eius definitione, ſi definiretur. Manifeſta eſt igitur maior, quia duo adunata, quarum neutrum eſt contrahens alterum, & alterum ſe habet vt actus, & alterum vt potentia, non niſi per compoſitionem realiter ſunt coniuncta. Minor patet ex 6. Differentia allata ſuprà in ſecundo notabili. Et ex Ariſt. 2. poſt. dicente quod nulla definitio ſignificat eſſe. Nec valet Reſpondere, quod aliqua res, cuius quidditas eſt ſuum eſſe, & illius definitio non abſtrahit ab eſſe ſeù exiſtere.

Elidītur fuga aduerſariorum à Caiet.

Contrà, ait Caietanus, omne plurificabile, ſeù plurificatum multiplicatur altero trium modorum, ſcilicet vel per additionem differentiæ formalis; vel per receptionem vtriuſque in materia; vel per receptionem vnius in materia, & alterius ſeparationem: ſed illa quidditas quæ eſt ſuum exiſtere nullo iſtorum modorum eſt multiplicabilis: ergo quidditas quæ eſt ſuum eſſe nec plurificabilis, nec plurificata eſt: ergo eſt vna tantùm, & ſic omne aliud ab ea non eſt ſua exiſtentia. Proceſſus eſt clarus. Maior tamen declaratur. Cùm pluralitas ſequatur diuiſionem, diuiſio alicuius fit per differentias formales ſicut natura generica Animalis multiplicatur

in

in homine, & Leone; vel per differentias indiuiduales, ſicut natura ſpecifica in Socrate multiplicatur, & in Platone propter hoc quod humanitas Socratis, eſt in alia materia ſignata ab illa, in qua eſt humanitas Platonis; vel tertio modo poteſt imaginari diuiſio intèr aliqua duo eiuſdem naturæ propter hoc quod alterum eſt omnino ſeparatum à materialibus conditionibus; alterum verò eſt concretum illis, ſicut homo ſeparatus apud Platonem diſtinguitur ab homine particularitèr propter hoc quod ſeparatus eſt immaterialis, natura verè Socratis eſt recepta in hac materia. Nec apparebit diſcurrenti per omnia prædicamenta aliquis alius modus realis multiplicationis in vniuerſo. Nec aliquis mihi obijciat, quod quantitas, & ſubſtantia diſtinguuntur realiter, & tamèn non per differentias formales nec &c. Quoniam ſiuè modis, ſiuè differentijs fiat diuiſio non refert, dummodò contrahens ad aliquam limitatam naturam trahat contractum.

Minor rationis principalis declaratur.

Minor autem declaratur quo ad omnes eius particulas. Primo quod non ſit multiplicabilis per modum generis patet ex eo, quod genus recipit additionem differentiæ, per quam trahitur natura generis ad determinatam naturam ſpecificam, & ſic perdit genus, puritatem propriam: Animal enim contractum ad humanam ſpeciem non eſt purum Animal, ſed Animal humanum. Illa verò quidditas, quæ eſt ſua exiſtentia eſt ipſum eſſe purum, & non coarctatum ſtatim enim, quod contraheretur perderet puritatem, & eſſent ibi duo, ſcilicet eſſe, & quidditas, ad quam contractum eſſet; ſecunda pars minoris clarius patet, quod enim recipitur in alio non eſt eſſe purum, & per ſe ſubſiſtens, ſed ſuſtentatur in alio; quidditas autem, quæ eſt ſuum eſſe eſt pura, & conſequentèr per ſe ſubſiſtens, & non alteri admixta, in quo ſuſtentetur; tertia pars Minoris per idem quoque patet; ſi enim vna quidditas, quæ eſt ſuum eſſe eſt ſeparata, altera quæ eſt recepta, ex hoc quod eſt recepta non poterit eſſe eadem ſuæ exiſtentiæ: eſſe enim receptum, vt dictum eſt, non poteſt eſſe idem quidditati; & ſic concluditur quod quidditas quæ eſt ſuum eſſe, eſt vna tantùm, quæ eſt prima cauſa omnium, ac per hoc cætera habent diſtinctum eſſe à ſuis eſſentijs. Ità Caiet. loc. cit. tex. 7.

Arg. vnicum Caiet. contrà 2. differentiam ſuprà.

Quo ad 4. Arguit Caietanus ſic. Quod eſſentia ſubſtantiæ ſimplicis non poteſt ſignificari vt pars, & totum, vt poteſt ſignificare eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ, vt dicitur in ſecunda differentia, eſt falſum: ergo &c. probatur hoc ex eo quod impoſitis nominibus ſubſtantijs ſeparatis poſſunt ſignificari earum eſſentiæ in abſtracto, & in concreto, & conſequentèr vt totum, & pars. poſſum enim dicere Gabriel, & Gabrieleitas, Deus, & Deitas &c. ergo nulla eſt differentia ſecunda poſita in ſecundo notabili.

Reſp. Caiet. ad Arg. ſuum.

Reſp. Caietanus, quod licet ſic appareat, diligentèr tamèn inſpicienti oppoſitum illuceſcit. Conſiderandum enim eſt, quod loquimur de eſſentijs, & rerum conditionibus earum, quæ eas ſequuntur, & non de illis, quæ ex ſolo opere intellectus ſunt: eſſentiæ enim ſubſtantiarum compoſitarum, ex eo quod duas partes realiter habent, ſeù ex eo quod ſunt formæ in materia, ex ſe habent, vndè intellectus noſter fundet in eis ſignificationem per modum partis, & per modum totius; cum enim ſignificat formam illam in habente, ſeù deferente, ſignificatur vt totum, & concretum, vt homo; cùm autem ſignificat illam non vt in habente, ſeù deferente, ſed per ſe, ſignificat in abſtracto, & per modum partis, vt humanitas; eſſentia autèm ſubſtantiarum immaterialium, quià dicunt formas non receptas in materia, ideò ex ſe non habent quod ſignificentur in concreto, & in abſtracto vt totum, & pars &c. non eſt enim ibi deferens, nec delatum. Sed quia intellectus noſter intelligit eas ſimplices, & altiſſimas per modum rerum compoſitarum vt dicit Comment.

Digitized by Google

ment. 12. Met. Comm. 39. & D. Th. p. p. q. 13. fuit neceſſe quod in illis formaret abſtractum, & concretum, & intelligeret eas per modum totius, & partis; & ſic ab intellectu tantùm, & non ex ſe habetur, quod eſſentia ſimplicium ſignificetur per modum totius, & partis; & ſic diuerſitas, quæ eſt intèr abſtractum, & concretum in ſubſtantijs ſeparatis non eſt niſi ex parte intellectus, vt dictum eſt, quando ſupra eſt declarata ſecunda differentia in ſecundo notabili. Ità Caiet. ex D. Th. c. 5. tex. 4.

Appendices ad Lectionem 13. Metaphyſicalem in Tractatu de ente, & eſſentia.

IN hoc Capite quinto de ente, & eſſentia Caietanus proponit ſex Quæſtiones; Prima eſt vtrùm materia poſſit eſſe ſine forma, quæ in ſenſu Phyſico per principia Phyſicalia eſt deciſa ab ipſo diffusè in ſua Phyſica 1. Phyſ. quæſt. 11. In ſenſu verò Metaphyſico ſecundum principia Metaphyſicalia eſt diſcuſſa in hoc Tractatu ſuprà quæſt. 3. Secunda Quæſtio eſt vtrùm quælibet intelligentia vnum habeat tantùm indiuiduum, quæ à Caietano ſecundum principia Logicalia in prædicabilibus cap. de Specie pag. mihi 25. & 26. examinata eſt; in alio tamèn Tractatu infrà ſecundum principia Metaphyſicalia diſcutietur. Tertia Quæſtio eſt vtrùm intelligentiæ ſint à Deo effectiuè productæ, quæ à Caietano in hoc Tractatu ſuprà diſcuſſa eſt. Quarta Quæſtio eſt vtrùm eſſe actualis exiſtentiæ realitèr diſtinguatur ab eſſentia; quæ iàm ſoluta eſt ſecundum principia Phyſicalia à Caietano in ſua Phyſica in 1. Phyſ. quæſt. 14. ſed infrà ſecundum principia Metaphyſicalia iterùm diſcutietur. Quinta Quæſtio eſt de numero intelligentiarum, quæ forſitan in vltimo Tractatu Metaphyſicali examinabitur. Sexta Quæſtio eſt vtrùm in ſubſtantijs ſeparatis idem ſit quidditas; & id cuius eſt, ideſt natura, & ſuppoſitum, quæ in Tractatu ſequenti agendo de natura, ſuppoſito, & ſubſiſtentia ponetur ſuo loco.

Circà prædicta in hac 13. Lectione illi qui tenent intelligentias non pertinere ad obiectum Metaphyſicæ niſi ſecundum quaſdam rationes communes, quibus cum cæteris rebus conueniunt, non autèm quatenùs tales nempè quatenùs quædam ſubſtantiæ ſpirituales per ſe ſubſiſtentes, & completæ, & quatenùs ſecundum rem abſtrahunt ab omni materia non poſſunt dici obiectum partiale Metaphyſicæ, vt cum aliquibus Paſqualigus tenet in ſua Metaphyſica diſp. 19. num. 3. qui ponit obiectum Metaphyſicæ totale, & adæquatum conſtare ex ſuis principijs intrinſecis, & ità abſtrahere à materia, vt illi non repugnet eſſe in materia ſecundum illud eſſe quo abſtrahit. Cùm his igitur ſtante hac opinione non eſt, immorandum, ſed cùm Thomiſtis, & Caietano qui tenent obiectum totale, & adæquatum Metaphyſicæ eſſe ens in quantùm ens cum ſua abſtractione ab omni materia in communi ſumpta præſcindens ab ea, quæ eſt ſecundum rem, & ſecundum rationem, ſunt defendenda, quæ ſuprà probat doctrinalitèr Caietaus ſecundum principia D. Thomæ, Et videndus eſt Magiſter Raphael Ripa in defenſionem doctrinæ Caietani ſuper cap. 5. de ente, & eſſentia D. Tho.

Quomodò autem genus, & differentia in qualibet ſpecie deſignentur opportet videre Paſqualigum in ſua Metaphyſica diſp. 68. ſect. 4. vbi contra Auerſam ſolùm diſputat, & ait in num. 1. Nos non negamus poſſe in aliqua ſpecie plura genera, & plures differentias deſignari, ità vt eadem natura ſecundum vnam differentiam ab vna differat, & ſecundum aliam ab alia, & ſimplicitèr ſecundum vnam

ſes

rationem genericam conueniat cum vno, & ſecundum aliam conueniat cum altero de ſe hoc manifeſtum eſt. Sed contrà Auerſam ſtamus, quia contendit quod pro genere, & differentia huius determinatæ ſpeciei poſſit hic, vel ille gradus deſignari, nos autèm dicimus, quòd ſolùm aliquis certus, & determinatus gradus interueniat in quacumque ſpecie ſiuè infima, ſiuè ſubalterna, vt talis eſt.

Quomodò autèm ex genere, & differentia conſtituatur compoſitum Metaphyſicum, & modus quo fiat iſta compoſitio, & quomodo compoſitio ex genere, & differentia ſit ſemper vera compoſitio Metaphyſica, iàm recitauimus in præcedentis Lectionis Appendice, quæ contrà Caietanum habet Paſqualigus in diſp. 70. ſect. 1. & 2. & in diſp. 71. de eſſentia compoſiti Metaphyſici, ſeù ſpeciei. Et in ſect. 4. quomodo ſe habeant vniuerſalitas, prædicabilitas, & ſubijcibilitas ibi habetur.

Circà primùm notabile Caietani de duabus differentijs poſitis intèr eſſentias ſimplices ſubſtantiales, & eſſentias ſubſtantiarum compoſitarum præcipuè circà illud de eſſentia, & forma ſimplici immultiplicabili numero; vide Paſqualigum in diſp. 85. num. 5. contrà Caietani Reſponſionem de illa diſtinctione ſpeciei ſecundum rem, & vt obiecta intellectui, cùi non repugnat pro illo ſtatu obiectiuo multiplicari ſecundum Caietanum, impugnantem ipſum cum alijs.

LECTIO XIV.

METAPHYSICALIS

IN TRACTATV DE ENTE, ET ESSENTIA.

De Finitate, & Infinitate eſſentiæ, & eſſe in ſubſtantijs ſimplicibus.

Ex Caietano in toto Capite ſexto de ente, & eſſentia.

CAIETANVS diuidit hoc Caput ſextum D. Thom. de ente, & eſſentia in quatuor partes. In prima ait Caietanus, agitur de eſſentia Dei; in ſecunda de eſſentia intelligentiarum, & animæ; in tertia oſtenditur quomodo iſta ſe habeant ad intentiones Logicas; in quarta explicatur vnum notabile de eſſentijs compoſitis. Tres pratèr primam faciunt ad propoſitum pro inueſtiganda finitate, & infinitate eſſentiarum. Et circà primam ponetur Concluſio infrà vt præambularis ad alias Concluſiones. Hinc tangitur ſolummodò radix non ponendi Deum in genere, ſcilicèt quòd cùm in ſolo Deo eſſe ſit de conceptu quidditatiuo, ideò ſolus Deus extrà genus ponitur, & fundatur ſuper tres propoſitiones hæc radix prima eſt hæc. Quidditas quæ eſt eadem ſuæ exiſtentiæ actuali non eſt ad aliquod genus determinata. Hoc declaratur in 2.

Declaratio Tituli eiuſque legitimi ſenſus data à Caietano.

Digitized by Google

cont. gent. cap. 25. Secunda propoſitio eſt hæc. Exiſtentia actualis ad nullum genus determinata, eſt purum eſſe: animal enim ſi non eſt determinatum ad aliquam ſpeciem, erit purum animal; ſicuti etiàm albedo ſi non eſt coarctata in aliquo ſubiecto, erit pura albedo; ſic etiàm eſſe ad nullius naturæ capacitatem prædicamentalis determinatum, neceſſe eſt quòd ſit purum eſſe; vndè ſi abſtractio huiuſmodi eſt per opus intellectus puritas ipſa erit ſecundum rationem; ſi ſecundum rem, puritas ipſa erit ſecundum rem. Tertia propoſitio eſt hæc. Eſſe eſt de conceptu quidditatiuo puri eſſe dumtaxat, quia non eſt intelligibile, quòd de puro eſſe non prædicetur quidditatiuè, & non ſit ipſum eſſe, cùm purum eſſe ponatur. Quòd autèm cætera non recipiant eſſe in ſuis quidditatiuis conceptibus, ex eo patèt, quòd cùm eſſe non habeant in ſua puritate, ſed ſuis quidditatibus coaptatum, poſſunt ſecundum ſuas quidditates, abſque eſſe, & non eſſe diffiniri. Stantibus his deuenimus ad explicationem huius Lectionis 14. Ità Caietanus.

1. Notabile Caiet. in quo declaratur quomodo actus finiatur per potentiã, & potentia finiatur per actum.

Quò ad primùm, Notat Caietanus ex D. Thom. tex. 3. cap. 6. quantùm ad finitatem ipſius eſſe, & ipſius eſſentiæ, quòd actus finitur per potentiam, in qua recipitur. Et potentia finitur per actum quem recipit diuerſimodè tamèn: quòd enim eſt in potentia non eſt determinatum, ſed determinabile per actum, ad quem eſt in potentia, cùm autèm ipſum receperit, ab eo formalitèr finitur. Similitèr actus ſecundum eſſentiam ſuam receptibilis eſt in hoc, & illo, & conſequentèr determinabilis ad hoc vel illud ſubiectum; cùm verò receptus eſt in hoc, iàm non remanet in eo amplitudo, & indefinitio ad hoc vel illud, eſt enim ad hoc determinatus. Eſt ergo duplex finitas, & duplex infinitas, altera ſcilicèt ex parte actus, & altera ex parte potentiæ; infinitas ex parte potentiæ imperfectionem ſonat, cùm ſit per carentiam actus potentiam finientis, infinitas autèm ex parte actus perfectionem maximam dicit, cùm ſit per carentiam potentiæ finientis actum. In cuius ſignum formæ ſecundum rem non receptæ in aliquo, longè perfectiores ſunt formis receptis vt patet; cùm ergò eſſe ſubſtantiarum intellectualium ſit receptum in earum eſſentia, conſequens eſt quòd ſit finitum eo modo quo actus finitur per potentiam, vndè contractum, & limitatum ad genus ſui receptiui, naturæ ſcilicèt cuius eſt. Quia verò eſſentia earum non eſt recepta in aliquo, cùm ſit forma non recepta in materia, conſequens quoque eſt quòd ſit infinita infinitate ſe tenente ex parte actus: non enim eſt determinata ad capacitatem alicuius materiæ ipſam recipientis, ſicut ſunt formæ rerum materialium. Ità Caietanus ex D. Thom. loc. cit.

Notabile ſecundum Caietani in quo exponitur quod nam ſit illud irreceptum quod eſt infinitum, & non infinitum ſimplicitèr.

Notat ſecundò ibidem ad confirmationem prædictæ Doctrinæ, quòd hæc propoſitio, ſuper quàm fundantur, ſcilicèt omnis res ſecundum ſuum ordinem receptibilis in alio, realitèr irrecepta, eſt infinita infinitate oppoſita finitati, quàm res ſui ordinis recepta contrahit. Dico ſecundum ſuum ordinem receptibilis in alio propter compoſita, & materiam, quæ in tota ſua latitudine irreceptibilia ſunt; dixi & infinitate oppoſita, &c. quia ſicut non quodlibet receptibile eſt in quolibet, ſed quilibet actus habet proprium receptiuum, vt habetur in ſecundo de Anima tex. comm. 24. & 26. ità non ex qualibet receptione ſequitur qualibet finitas, ſed determinata ex determinata; & per oppoſitum ex tali irreceptione, talis infinitas oppoſita, ſcilicèt finitati, quàm ſi recepta eſſet, res illa contraheret, v. g. albedo cùm ſit receptibilis in ſubiecto, ſi ponatur irrecepta erit infinita non quacumque infinitate, ſed ea, quæ opponitur finitati, quàm in ſubiecto habet. In propoſito ergò tàm eſſe, quàm forma ſecundum ſuum ordinem rece-

pti-

Digitized by Google

ptibilis rationem habet (neutri enim recipi repugnat) ſed in alio, & alio receptiuo: receptiuum enim proprium ipſius eſſe, eſt quidditas, ſeù ſuppoſitum, formæ verò eſt materia. Et ideò ſicut alteriùs rationis eſt receptio formæ in materia, à receptione eſſe in eſſentia, vt ſuprà oſtendimus; ità alterius rationis eſt finitas formæ per materiam à finitate eſſe per eſſentiam, eſto conueniant in hoc, quod vtraque eſt per modum, quo actus finitur per potentiam, & ſimilitèr diuerſarum rationum oportet eſſe infinitatem, qua forma ſortitur ex hoc quòd eſt irrecepta in materia, & infinitatem, qua eſſe ſortitur ex hoc, quòd in nulla quidditate eſt receptum. Forma namque ex hoc quòd eſt recepta in materia infrà ipſam clauditur amplitudinem ſuam, qua ad hoc, vel illud particulare eſt indefinita, amittit; & ideò ex hoc quòd ſeparata eſt à materia non alitèr eſt infinita, niſi quia ad nullius materiæ capacitatem coarctata eius terminis caret. Eſſe autèm quia ex hoc quòd recipitur in aliqua quidditate ad illius genus, & ſpeciem coarctatur; ſi verò irreceptum ponatur ad nullum genus diffinitum, & conſequentèr cuiuslibet generis terminis carens, erit ſimplicitèr infinitum. Ità Caiet. loc. cit.

Notabile tertiũ Caietani in quo ponuntur quatuor pro ſubſtantijs compoſitis.

Notat tertiò Caietanus colligendo quatuor in tex. vltimo cap. *6*, ex D.Thom. pro ſubſtantijs compoſitis. Primùm quòd eſſe earum eſt limitatum, quia habet illud ab alio, vtpote diſtinctum realitèr à ſe, & per hoc primò diſtinguitur à primo ente, cuius eſſe eſt infinitum, & idem realitèr ſuæ quidditati; ſecundum eſt quòd earum eſſentia eſt recepta in materia ſignata, ſunt enim in hoc, vel in illo ad hic, & nunc determinatæ, ſicut formale ad ſuum materiale; tertiùm eſt, quòd ex iſtis duobus Corrollarie ſequitur, quòd ſunt finitæ ſuperiùs, & inferiùs; ſuperiùs quidèm, quia habent eſſe limitatum, & eſſentia earum per ipſum eſſe, quòd vt ſuperiùs reſpicit terminatur, inferiùs verò, quia recipiuntur earum formæ in materia, & ipſæ ad hoc, & ad illud terminantur, quæ reſpiciunt vt inferiùs, per hoc quòd in his, & illis conditionibus materialibus recipiuntur tanquàm in parte materiali. Quartùm eſt quòd eſſentia earum eſt multiplicabilis numeralitèr in eadem ſpecie proptèr materiæ ſignatæ diuiſionem. Et per hæc tria differunt ab eſſentijs intelligentiarum in ſecundo ordine poſitis, vt ſunt immunes à materia. Ità Caiet. loc. cit.

Error Scoti recitatur à Caietano, & alter error quod Deus ſit eſſe commune omnium, & ideò non perfectus.

Quò ad ſecundùm. Caietanus poſt tex. 5. D. Thom. recitat errorem Scoti, & ait. Scotus in 1. ſent. diſt. 20. quæſt. 2. cum ſuis diſcipulis imponit S. Thomæ, quòd hic probet, quòd in omni forma non recepta in materia ſit infinitas ſimplicitèr, ſed hoc peccatum delebitur infrà in ſolutione Argumenti Scoti, vndè in propatulo erit manifeſta veritas S. Thomæ, ſicuti & etiam ſufficientèr habetur in vltima adnotatione ſuprà. In textu verò 3. eiuſdem cap. *6*. excluditur à D. Thoma, error quorumdam dicentium, quòd Deus eſt eſſe commune omnium. Imaginati ſunt iſti, addit Caietanus, quòd cùm omnia conueniant in hoc, quòd habent eſſe, ipſum eſſe omnium, quo res formalitèr ſunt, in communi, ſeù vniuerſali, ſit ipſe Deus Glorioſus. In textu verò 4. excluditur à D. Thom. ſecundus error, ſcilicèt quòd Deus non ſit ſimplicitèr perfectus, ex eo quòd eſt eſſe omnium, ſed per ſequentes Concluſiones veritas S. Doctoris à nobis manifeſtatur.

Prima Concluſ. Caietani ex D. Th. cum ſua probatione quod Deus ſit ipſũ eſſe, & non in genere.

Quò ad tertiùm. Ponitur ex primo textu D. Thom. à Caietano hæc prima Concluſio veluti præambularis ad alias ſequentes. Eſſentia in Deo ſignificat ipſum eſſe eius, & per conſequens Deus non eſt in genere. Probatur à Caietano ex D. Thom. prima pars, ſub tali forma.

A quibuſdam Platonicis ideò dicitur quòd Deus non habet eſſentiam, ſed quòd ſit ipſa pura exiſtentia, quia eſt verè ipſum eſſe, ſed hoc non poſſunt affirmare,

Digitized by Google

vt eſt ſecundum rei veritatem, niſi quia exiſtentia actualis diuina eſt ipſa quidditas eius, & quòd prædicetur de ipſo in primo modo dicendi per ſe: ergò ſecundum rei veritatem, & ſecundum ipſos Platonicos non poteſt concludi niſi quòd eſſentia Dei ſignificet ipſum eius eſſe. Minor iàm probata eſt vbique à D. Thom. & in præcedenti Lectione, quòd exiſtentia Diuina eſt prædicatum in primo modo dicendi per ſe; & dato etiàm, & non conceſſo, vt tenent aliqui, quòd eſſe, & eſſentia in creaturis ſit idem realitèr, ſi ipſum exiſtere eſt eſſentia Dei, quòd de nullo alio citrà Deum verificatur, iàm de ſe conſtat quòd eſſentia in Deo ſignificat ipſum eſſe eius. Ità Caiet. loc. cit.

Probatio ex D. Th. ſecundæ partis quod non ſit in genere Deus.

Probatur ſecunda pars in tex. 2. ſic à Caietano ſub tali forma ex D. Thom. Omne quod eſt in genere habet quidditatem prætèr ſuum eſſe: Deus non habet quidditatem prætèr ſuum eſſe, vt dicit prima pars Concluſionis, ergò Deus non eſt in genere. Maior probatur ſic, Omnia, quæ ſunt in genere indiſtincta ſunt in eſſentia generis, vel ſpeciei, diſtincta autèm per diuerſimodè habere eſſe illius naturæ genericæ, vel ſpecificæ: ergò eſſe naturæ genericæ, vel ſpecificæ eſt prætèr ipſam naturam genericam, vel ſpecificam, & ſic omne quòd eſt in genere habet naturam prætèr ſuum eſſe. Antecedens huius conſequentiæ eſt de ſe notum: homo enim, & leo ſunt indiſtincti in natura animalis, diſtinguuntur autem intèr ſe per hoc, quòd diuerſimodè habent eſſe animatum: genus enim habet diuerſum eſſe in ſpeciebus; ſimilitèr Socrates, & Plato indiſtincti ſunt in natura humana, diſtinguuntur autèm intèr ſe, quia habent diuerſum eſſe humanum: Non enim eſt intelligibile, quòd homo habeat idem eſſe in Socrate, & Platone. Conſequentia verò patèt ex eo quòd videtur imaginabile, quòd in quo aliqua diſtinguuntur, non ſit prætèr id, quo aliqua conueniunt, vt diximus ſuprà in declaratione tituli. Ità Caiet. loc. cit.

Secunda Concl. Caietani ex D. Th. cum ſua probatione quod intelligentiarum eſſentia ſit infinita, eſſe verò finitum.

Secunda Concluſio ex D. Thom. Eſſe intelligentiarum eſt finitum eſſentia autèm infinita. Probatur à Caietano ſub tali forma. Id cuius eſſe eſt receptum, forma autèm irrecepta habet eſſe finitum, eſſentiam autèm infinitam: ſed intelligentiæ ſunt huiuſmodi, ergò &c. Et nota quòd in ratione hac ſenſus ſemper eſt tàm de finitate, quàm de infinitate ſe tenente ex parte actus: tali enim finitate eſſe intelligentiarum finitum eſt, & tali infinitate earum eſſentia eſt infinita; ſi enim loqui volumus de finitate ſe tenente ex parte potentiæ earum eſſentia finita inuenitur, & potentia in eis eſt terminata per actum eſſendi. Vndè in libro de cauſis dicitur, quòd intelligentiæ ſunt finitæ ſuperiùs, & infinitæ inferiùs, quia eſſe earum, quod eſt ſupremum in eis eſt receptum, eſſentia verò quod infimum eſt non eſt recepta, & quia eſſentia earum vt reſpicit id quòd eſt ſuprà ſe formalitèr, ſcilicèt ipſum actum eſſendi eſt finita recipiendo ipſum; vt autèm reſpicit id quòd eſt infrà ſe, materiam ſcilicèt eſt infinita vtpotè non recepta in ipſa, &c. Ità Caiet. tex. 5. cap. 6.

Tertia Concluſ. Caietani ex D. Th. cum ſua probatione quod intelligentiæ ſunt in Prædicamento.

Tertia Concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. tex. 7. Intelligentiæ ſunt in prædicamento. Probatur. Omne id in quo differt ab eſſentia eſt in prædicamento: intelligentiæ ſunt huiuſmodi, ergò Minor eſt probata. Maior probatur ſic, Omne habens eſſe limitatum eſt in genere, ſi enim habet eſſe limitatum, vtique ad aliquod genus eſt determinatum: quòd enim ad nullum genus diffinitum eſt, & per ſe ſubſiſtit quomodo eſſe limitatum habebit? Omne autèm ens in quo eſſe diſtinguitur à ſua eſſentia habet eſſe limitatum, vt dictum eſt: ergò omne tale eſt in prædicamento, ergò habet genus, ſpeciem, & differentiam. Et quamuis, addit Caietanus, occultæ ſint nobis earum differentiæ, ſufficit ſcire de eis quæſtionem an eſt, & ignorare queſt. quid eſt, nouimus enim differentiam in illis

eſſe,

eſſe, ſed quæ ſint, latet, ſecundum ſe, & in hoc conueniunt cum ſubſtantijs inferioribus. Latent ſecundum accidentales proprietates, quæ ſunt earum paſſiones, quia excedunt facultatem naturalem intellectus humani, qui ſe habet ad manifeſtiſſima naturæ, ſicut oculus Noctuæ ad lumen Solis, & in hoc differunt à ſubſtantijs ſenſibilibus, quarum propriæ differentiæ nominibus ſuarum proprietatum ſignificantur, ſicut cauſæ nominibus ſuorum effectuum, vndè omninò immanifeſtæ ſunt nobis intelligentiarum differentiæ quò ad quid eſt, &c. Ità Caietanus loc. cit.

Primum Arg. Caietani cum ſua Reſp quæ exponit quomodo Deus dicatur ipſum eſſe commune.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus pro Scoto. Eſſe nulla additione ſpecificatum eſt eſſe commune: Deus eſt eſſe nulla additione ſpecificatum: ergò Deus eſt eſſe commune.

Reſp. Caietanus quòd Maior eſt falſa, ſi intelligatur, quòd eſſe à nulla additione ſpecificetur ſecundum rem extrà animam ſubſiſtendo, Minor tamèn eſt vera in hoc ſenſu. Maior autèm eſt vera ſi intelligatur ſecundum intellectus cogitationem tantùm, Minor tamèn erit falſa: quia eſſe commune per intellectum à ſua abſtractione acceptum nullam contradictionem includit; ſecundum quòd eſt extrà intellectum ſine contradictione non inuenitur. Omne namque eſſe eſt contractum ad ſubſtantiam, vel accidens: eſſe autèm quòd eſt quidditas diuina eſt purum abſque omni additione ſecundum rem, & ex ipſa ſua puritate ſecundum rem, eſt diſtinctum ab aliorum eſſe, & hoc nullo modo eſt commune; ſicut albedo ſeparata ex hoc ipſo quòd eſſet pura albedo eſt diſtincta albedo ab alijs albedinibus cùm ſubſtantijs mixtis, & non eſt albedo in communi.

Maior illa poteſt, & eſt falſa ſi intelligatur quòd eſſe nulla additione ſpecificetur actu, & potentia, Minor tamèn in tali ſenſu eſſet vera, ſed falſa ſi intelligatur, quòd nulla additione contrahatur eſſe actu tantùm, Maior autèm vera. Eſſe namque in communi licèt nulla additione ſit contractum, eſt tamèn contrahibile, alitèr nulla res haberet eſſe, quæ aliquid addit ſuprà ipſum eſſe, & ſic homo non haberet eſſe, cùm habeat vltimo eſſe, ſcilicèt humanitatem, quantitatem, &c. Vndè eſſe, quòd eſt commune actu tantùm ſpecificatione caret. Eſſe verò Diuinum nullam ſpecificationem habet actu, nec aliquam habere poteſt, & ideò actu, & potentia additione caret. Et hæc eſt ſolutio, quàm in littera S. Thom. ponit ſuo alijs verbis, ſcilicèt quod omne commune nec includit, nec excludit additionem, ideſt non includit actu, poteſt tamèn habere illam. Eſſe verò Diuinum non ſolùm non includit illam, imò excludit, ideſt non ſolùm non includit actu, imò nec potentia, & ſic excludit illam; quod enim impoſſibile eſt conuenire alicui, excluditur omninò ab illo, vt habetur in 1. cont. gent. cap. 27. Ità Caietanus ſuper tex. 3. ex D. Thom.

Secundum Argumentum Caietani cum ſua Reſp. quæ exponit quomodo Deus ſit ſolum ipſum eſſe in ſua puritate.

Arguitur ſecundò à Caietano ſic. Id quod habet eſſe tantùm eſt imperfectum reſpectu eius, quod habet eſſe, viuere, intelligere: ſed Deus habet eſſe tantùm: ergò Deus eſt imperfectior alijs. Maior eſt ex ſe nota. Minor deducitur ex dictis. Quòd eſt purum non eſt admixtum alijs, ſcilicèt ipſi viuere, intelligere, &c. alitèr eſſet purum, & non purum: Deus eſt purum eſſe, ergò non eſt admixtus alijs, ſcilicèt viuere, & intelligere, & per conſequens Deus non habet niſi eſſe quod erat probandum.

Reſp. Caietanus quod ſolutio huius Argumenti non explicatur à S. Doctore niſi in 1. c. g. cap. 29. vbi ex hac propoſitione, quòd Deus ſit purum eſſe ſubſiſtens, deducit Deum eſſe vniuerſalitèr perfectiſſimum, & propterea notantèr in littera dicit in hoc textu, Imò habet omnes perfectiones, &c. ac ſi dicat quod ex hoc

quod

quod eſt purum eſſe non ſequitur Deum aliqua perfectione carere, ſed oppoſitum potiùs ex hoc concluditur. Et fundamentum eſt hoc. Id cui conuenit eſſe ſecundum totam virtutem, ſeù poteſtatem ipſius eſſe, nulla perfectione, ſeù nobilitate eſſendi caret: ſed eſſe purum ſubſiſtens eſt id cui conuenit eſſe ſecundum totam virtutem, ſeù poteſtatem ipſius eſſe: ergò eſſe purum ſubſiſtens nulla perfectione eſſendi caret. Maior declaratur ex eo quod omnis perfectio cuiuſcumque generis non niſi ſecundum aliquod eſſe eſt: non enim ſapientia perficit hominem, niſi homo ea ſapiens ſit, nec iuſtitia perfectio hominis dici poteſt, niſi homo ea iuſtus ſit.

Exemplum de albedine ſeparata per ſe ſi ſubſiſteret quod non careret perfectione ſibi poſſibili applicatur ad ipſum purum eſſe ſubſiſtens.

Si igitur omnis perfectio attenditur ſecundum aliquod eſſe, id in quo tota plenitudo eſſendi reperitur, omnem perfectionem paret habere, & ſic repugnat, quòd id habeat eſſe ſecundum totam amplitudinem ſuam, & aliqua perfectione eſſendi careat. Minor verò exemplaritèr notificatur, ſicut enim ſi albedo ſeparata inueniretur, nihil ei de virtute albedinis deeſſe poſſet. Vt enim dictum eſt, ratio quare huic albedini non ineſt tota perfectio poſſibilis in ſpecie albedinis poſſibilis eſt quia coarcta a eſt receptiuo, quod ſecundum totum poſſe eius non recipit eam; ità ipſum eſſe ſi receptum eſt in alio, coarctatum eſt ad naturæ illius recipientis limites, ſubſtantiam ſcilicèt vel accidens, & conſequentèr limitatum ad illius generis nobilitatem; ſi verò purum, & non receptum ſit in aliqua natura, erit ſimplicitèr illimitatum, & infinitum, & ſimplicitèr præhabebit omnes perfectiones poſſibiles reperiri in ente. Cùm autèm audis, quòd albedo ſi ſeparata ſit omnem perfectionem poſſibilem ſpeciei habet, non intelligas (vt veritatis Æmuli obijciunt) quòd negatio, ſcilicèt receptionis eius in alio, daret ſibi illam perfectionem; ſed ſicut receptio albedinis eſt conditio ad ſuam requiſitam imperfectionem ità negatio receptionis eſt conditio ſuæ illimitatæ perfectionis comes. Vnde efficax Argumentum ex receptione, & ſeparatione eius ſumitur tanquàm à conditionibus neceſſarijs inſeparabilibus. Ità Caiet. ſuper tex. 4.

Tertium Arg. Caietani ex Scoto.

Arguit tertiò Caietanus ex Scoto. Si eſſe in Deo eſt infinitum ſimplicitèr, quia in nullo receptum eſt, iàm eſſentia intelligentiæ tàm immaterialis ſeparatæ, quàm compoſitæ erit infinita ſimplicitèr, ergò & Reſp. ſuprà, & fundamentum eſt nullum. Probatur ſequela, quia eſſentia eorum in nullo penitùs recepta eſt. Conſequentia patèt, quia arguere ex irreceptione valdè læue videtur, & eſt res ridicula. Ità Scotus.

Confirm. 1. & 2. Arg. Scoti.

Confirmatur primò. Forma finitur per materiam: ergò forma quæ non eſt natura eſſe in materia, eſt infinita. Antecedens, & Conſequentia fundantur in Doctrinæ D. Thom.

Confirmatur ſecundò. Eſſe eſt poſteriùs eſſentia, & eius accidens apud nos? ergò eſſentia intelligentiæ in primo ſigno naturæ videtur infinita intenſiuè, & conſequentèr non finibilis per eſſe in ſecundo ſigno.

Reſp. Caiet. ad Argum. Scoti.

Reſp. Caietanus ad Argum. Scoti ex dictis in notabilibus, quòd ſubſtantia compoſita nullam infinitatem ex ſua irreceptione habet; eſſentia tamèn intelligentiæ, quæ clauditur in ordine formæ, cum ſit pura forma ſeparata à materia, & non ſit ipſum eſſe, ex ſua irreceptione in materia eſt infinita, ſed non ſimplicitèr. Eſſe verò Diuinum quòd ſub ipſius eſſe ordine concluditur ex ſua irreceptione in quidditate, ſeù eſſentia eſt infinitum ſimplicitèr.

Reſp. Caiet. ad 1. Confirmationem.

Ad primam Confirmationem. Reſp. Caietanus ex D. Thom. quòd peccat multiplicitèr Argum. Primò non eſt verum quòd ratio à nobis aſſumpta ſit ad concludendam infinitatem ſimplicitèr, quia apud nos concludit tantùm de infinitate ſecundum quid. Secundò peccat ſecundum fallaciam conſequentis, quia forma priùs

natura

Digitized by Google

natura eſt finita in ſe, quàm finiatur per materiam, iuxtà illud 3. Phyſ. Corpus finitur ad aliud corpus, ergò ſi non eſt finitum ad aliud corpus erit infinitum, & in hoc error Scotiſtarum manifeſtè patet, quia cùm dicitur à nobis forma finitur per materiam ly *per* denotat cauſam præciſam finitatis prædictæ ſecundum quid: non enim forma ſecundum ſe eſt tali modo finita, cum ſecundum ſe ſit indeterminata ad hanc, vel illam materiam, & ideò benè ſequitur, ergò forma quæ non eſt nata recipi in materia eſt infinita ſecundum quid. Si enim Affirmatio eſt cauſa præciſa affirmationis, Negatio erit cauſa negationis, non eſt autèm talis proceſſus in 3. Phyſ. quia corpus non finitur per aliud corpus cauſalitèr, & præciſè. Ità Caietanus.

Reſp. Caiet. ad Confirmationem ſecundam Argum. Scoti.

Reſp. ad ſecundam obiectionem Scoti, quòd licèt eſſe ſit poſteriùs eſſentia ordine generationis, & accidens eius, ideſt extrà conceptum formalem: eſſentia tamèn in illo priori eſt finita ſimplicitèr, & per hoc quòd eſt receptiua ipſius eſſe, & non eſt ipſum ſuum eſſe, &c. ſicut enim per hoc quòd eſſentia eſt ipſum eſſe, eſt infinita ſimplicitèr, vt patet in Deo ex dictis in prima Concluſione; ità per hoc quòd eſſentia non eſt ſuum eſſe non eſt infinita ſimplicitèr iuxtà maximam illam. Si affirmatio eſt cauſa affirmationis, &c. Quia ergò in omni priori eſſentia intelligentiæ eſt fundamentalitèr receptibilis ipſius eſſe, & ab hoc abſtrahi non poteſt, licèt non in omni priori habeat illud, ſequitur quod ſit ſimplicitèr finita per ſuum eſſe, ideſt per hoc quod non eſt ſuum eſſe, ſed eſt actuabilis illa, vel actuata, &c. Sic enim, & non alitèr intelligitur, quando dicitur quòd eſſentia intelligentiæ finitur per ſuum eſſe; quòd verò non ſit multiplicabilis numeralitèr niſi ſola anima, aliàs diſcutietur in ſenſu Metaphyſico. Ità Caietanus ſuper tex. 5. D. Thom. in fine.

Argumentū vltimum Caiet. contrà primam concluſionem cum ſua Reſponſione.

Arguit Caietanus vltimò ad hominem contrà primam Concluſionem, quòd ſaltèm Deus ſit reductiuè in aliquo genere. Quia hoc concedit S. Doctor in 1. ſent. diſt. 8. qu. 4. art. 2. ad 3. Et in quæſt. de potentia qu. 7. art. 3. ad vlt. ergò, &c.

Reſp. Caietanus quòd manifeſtè apparet ex 1. ſent. Nullam eſſe repugnantiam intèr dicta hic, & alibi: diſtinguitur ſiquidèm ibi, quòd eſſe in genere vt principium ſtat duplicitèr. Primò modo vt contentum in illo genere, & ſic negatur Deum eſſe in genere vt principium; alio modo vt principium continens ipſum genus, & hoc modo Deus eſt quodammodò in omnibus generibus, & per approprationem in genere ſubſtantiæ tanquàm ſibi magis appropinquante, & hoc conceditur in locis prædictis: Aduertendo quod id quod in quæſtione de potentia tacuit, in 1. ſent. ſuppleuit; vndè congruè dici poteſt quòd Deus eſt in genere vt principium, non quòd reducitur ad genus, ſed ad quod ipſum genus reducitur. Et quòd iſta ſit mens S. Thomæ ex eo conijcere potes, quòd in art. 5. concludendo de Deo dicitur, vndè non continetur in genere ſicut principium: dicendo enim non continetur, præſeruauit ſe ab eſſe in genere, ſicut principium continens, ad quod reducitur ordine quodam omne genus. Ità Caietanus in 1. p. quæſt. 3. art. 5. in fine.

Appendices ad Lectionem 14. Metaphyſicalem in Tractatu de Ente, & Eſſentia.

QVòd Deus non ſit vllo modo in genere, nec ſimplicitèr, & propriè, ſicut ſpecies quæ continentur ſub genere; nec per reductionem, ſicut & principia, & priuatione, ſicut punctus, & vnitas reducuntur ad genus

genus quantitàtis, ſicut principia, cæcitas autèm, & priuatio reducitùr àd genus ſui habitus. Legas D. Thom. in 1. p. quæſt. 3. art. 5. & 1. cont. gent. cap. 17. & 25. cum Ferr. ibi. Et 1. ſent. quæſt. 42. & diſt. 19. quæſt. 42. & potentia quæſt. 7. art. 1. & opuſc. 3. cap. 12. & opuſc. 2. cap. 3. & 5. Et legas Appendicem Ven. Porrectæ, vbi ex dicto Innoc. 3. in Conc. Lateran. extrà de Summa Trin. & Fide Cath. quòd ſcilicèt Deus verus eſt ſimplex omninò, & eſt vnum ſolum vniuerſorum principium, concludit quòd ſi eſt purus actus erit omninò ſimplex; & ſi extenditur ad omnia genera erit vniuerſorum principium. Alioquin ſi eſſet Deus in genere directè non eſſet omninò ſimplex, cùm omne tale admixtum actum potentiæ habeat; & ſi eſſet in genere per reductionem non eſt vniuerſorum principium, cùm omne tale ad ſuum genus tantùm extendatur: & nota etiàm Reſponſione D. Thom. ad primùm.

Circà alias Concluſiones præcipuè circà tertiam, quòd intelligentiæ ſint in Prædicamento Magiſter Ripa Venetus noſter Defenſor Doctrinæ Caietani citat in cap. 6. quæſt. 5. art. 2. pag. mihi 835. omnes Diſcipulos D. Thomæ, & Antiquos, & Modernos. Soncinatem quæſt. 47. 12. Met. Iauellum 10. Met. quæſt. vlt. Banneſium, quos ſequitur Toletus ex Modernis. Durandum qui in 2. ſent. diſt. 3. quæſt. 2. concedit intelligentias locari vtique in genere, ſed negat eaſdem ex genere, & differentia conſtare, de quo videnda ſunt, quæ in ſequentibus cùm D. Thom. & Caietano dicemus.

Et quomodo ex genere, & differentia conſtituatur ſpecies Logica, & compoſitum Metaphyſicum intèr alios Neotericos videndus eſt Paſqualigus citans alios modernos in ſua Metaphyſica diſp. 70. ſect. 1. & ſect. 2. vt in præcedentibus Lectionibus adnotauimus aliqua ſua dicta in Appendicibus illarum. Et diſp. 71. ſect. 1. vbi diffinit quid ſit compoſitum Metaphyſicum. Vndè poſteà genus, & differentia deſumatur agit in diſp. 69. ſect. 1. & 2. Et nos in ſequentibus veritatem Thomiſticam ſolidioribus principijs cùm Caietano aperiemus meliùs quàm facit Paſqualigus cum ſuis modernis, quos ibi citat.

Cæterùm Quæſtiones quas Caietanus proponit, & ſoluit in cap. 6. de ente, & eſſentia ſunt quinque. Prima eſt, An perfectiones exiſtentes in Deo ſint aliquo modo diſtinctæ abſque omni opere intellectùs, quæ in Tractatu infrà 10. de perfectionibus Dei ad examen reducetur. Secunda eſt, An anima intellectiua, quæ eſt vltima intèr ſubſtantias intellectuales, ſit multiplicata numeralitèr, hæc etiàm in eodem Tractatu ſimul cum intelligentijs ſeparatis dilucidabitur. Tertia eſt, An anima humana ſit hæc per ſuam hecceitatem, de qua in Tractatu infrà de principio indiuiduationis erit ſermo. Quarta eſt, An intelligentiæ ſint à nobis quidditatiuè cogitabiles in hac vita, quæ in Tractatu 10. de ſubſtantijs ſeparatis ſuum locum habebit. Quinta eſt, Vndè ſumatur genus, & differentia in ſubſtantijs immaterialibus, pro vt in ſequenti Lectione declarabitur cum Caietano ipſo.

Digitized by Google

LECTIO XV.
METAPHYSICALIS
IN TRACTATV DE ENTE, ET ESSENTIA.

Si Intelligentiæ locantur in Prædicamento, quomodo ex earum eſſentia ſumitur genus, & differentia.

Ex Caiet. in fine cap. 6. de Ente, & Eſſentia, & alibi.

Declaratio Tituli, eiuſq; ſenſus data à Caietano.

CAietanus in præſenti lect. cum D. Th. in hoc c. 6. de Ente, & Eſſentia, & in 2. c. g. c. 95. ait: S. Doctor in his locis aperiendo modum quomodo genus, & differentia in eis aſſignetur dicit quod conuertuntur hæc duo, intelligentiæ, ſunt in genere, ergo conſtant ex genere, & differentia, ideò declarandum eſt vnde nam in ipſis ratio generis, & differentiæ ſumatur, quia genus, & differentia ſe habent veluti propria paſſio, & effectus omnino inſeparabilis illius quod ponitur in prædicamento non autem tanquàm cauſa, quoniam ſe habent vt partes eſſentiales ad id. Et in hac lectione ſupponendum eſt, quod in rebus compoſitis ex materia, & forma quatuor intelliguntur, materia quæ eſt vna pars compoſiti, & altera pars, quæ eſt forma; & ipſamet tota quidditas vt habet rationem perfectibilis per vlteriorem perfectionem formalem, & tandem ipſa met tota quidditas. v. g. In homine potes conſiderare materiam, in qua ſua forma recipitur, & formam in illa receptam. Et inſuper ipſe homo in quantùm ſubſtantia eſt, vt ſubſtantia habet rationem perfectibilis per corporeum, per rationale &c. & in quantùm eſt rationalis naturæ quæ eſt vltima eius perfectio formalis. His ſuppoſitis opportet explicare, quomodo iſta quatuor ſe habeant ad genus, & ad differentiam. Ità Caiet. in principio huius cap. 6.

Notab. 1. Caiet. in quo explicatur quod diuerſimodè fundant genus, & differentiam partes rei, & Phyſicè, & Metaphyſicè.

Quo ad primum notat primò Caietanus circa illa quatuor, quod materia quæ eſt pars, & ipſum inſuper totum, & perfectibile vlteriori perfectione fundant genus diuerſimodè tamen; Forma verò, quæ eſt pars, & inſuper ipſum totum, vt poſteriori perfectione formali perfectum, fundant differentiam, etiàm diuerſimodè. Cum enim genus poteſtate contineat differentias, incompleteque, ac in potentia rei naturam explicet, totumq; id, quo adhuc perfici poteſt, importet, & radix potentialitatis in rebus ſenſibilibus ſit materia; meritò à toto ſecundum quod poſſibile eſt formaliter perfici, & à materia ipſa, ſumi dicitur genus. Similitèr cùm differre, ſit diuidere, terminare, & actuare genus, totumque ſecundum poſteriorem perfectionem, & actualitatem ſit explicare, & ex alia parte radix actualitatis, & perfectionis ſit forma, meritò à toto, ſecundum quod perfectum eſt, & à forma ipſa ſumitur differentia. Diuerſimodè tamen fundant genus, & differentiam, & ipſæ partes rei, ſcilicet materia, & forma; & forma, & quidditas tota vt perfectibilis, & perfecta. Sumitur enim genus à tota eſſentia, vt habet rationem perfectibilis, tanquàm à re

ſormaliter ſignificata, ſeù denominata ab ipſa; à forma autèm vt à radice ſui formalis ſignificati: non enim materia quæ eſt pars hominis denominatur eius genus, neque forma, differentia: ſed ipſe homo vt ſubſtantia, & animal, generis denominationem ſortitur, vt verò corporeus, & rationalis differentiæ denominationem habet. Et propterea quia materia, & forma fundant radicaliter genus, & differentiam ex Ariſt. 7. Met. tex. Comm. 33. ideò habetur, quod ſicut tota ratio ſe habet ad totam rem, ſic pars rationis ad partem rei. Et in 2. Met. tex. Comm. 9. Inuenies genus ſumi à materia, & differentiam à forma. Prætereà, & Commentator in ſecundo Cæli Comm. 49. ait, quod ſi corpora cæleſtia conueniunt in genere; & differunt in ſpecie, ſunt compoſita ex materia, & forma. Inuenies quoque quod quia genus, & differentia à tota eſſentia ſumuntur, vt à re ſignificata nomine primæ intentionis, & denominata nomine ſecundæ intentionis, & non à parte, inuenies, dico, Illuſtres viros dicere quandoq; quod genus non ſumitur à materia, & differentia non ſumitur à forma, quorum cum intuitus fueris rationes, videbis, quod ſupradictis non aduerſantur. Ità Caiet. loc. cit.

Notab. 2 Caiet. quod in ſimplicibus immaterialibus genus non ſumitur à materia, nec differentia à forma.

Notat 2. Caietanus ibidem, quod à ſubſtantijs materialibus ad immateriales aſcendendo, genus ſumi non dicimus à materia nec differentiam à forma, quia carent his partibus, vndè reſtat vt à tota eſſentia tàm genus, quàm differentia non ſolum formaliter, ſed etiàm radicaliter in eis ſumatur; propterea, & Auicenna vt in littera dicitur aſſignat diuerſitatem intèr differentiam ſubſtantiarum compoſitarum, & ſimplicium, dicens, quod differentia in ſpeciebus compoſitis ex materia, & forma, eſt ſimplex; differentia verò rerum non compoſitarum, non; & vocat differentiam ſimplicem eam, quæ non à toto radicalitèr, ſed à parte eius exit, quæ eſt ſimplex. Sumuntur ergo ex tota eſſentia in ſubſtantijs immaterialibus genus, & differentia, ſed differentèr, quia genùs ſumitur ex tota eſſentia, ſecundum id quo eſſentialiter vna aſſimilatur, alteri, conueniunt enim Intelligentiæ in aliquo prædicato quidditatiuo; differentia verò ſumitur à tota eſſentia ſecundum id quo vna differt ſubſtantialitèr ab alijs, & hic eſt certus formalis perfectionis gradus indiuiſibilis formaliter; quanto aliqua intelligentia ſortita fuerit vt ſit proximior puriſſimo actui, qui eſt Deus glorioſus, tanto perfectior erit: per hoc enim differunt intèr ſe, quod vna, altera propinquior eſt actui puro, & plus à potentialitatis natura recedit. Ità Caiet. in principio c. 6. ſeù quæſt. 5.

Notab. 3. Caiet. in quo exponitur quod illud quod eſt in genere eſt compoſitū ex materia, & forma, vel propriè dictis, vel impropriè ideſt ex eſſe, & eſſentia, vt Angeli.

Notat 3. Caietanus cùm D. Th. in p. p. q. 88. a. 2. in Reſp. ad 4. differentiam in deſumi genus, & differentiam in compoſitis materialibus, & in immaterialibus. S. Doctor, ibi habet, quod ſubſtantiæ immateriales creatæ in genere quidem naturali non conueniunt cum ſubſtantijs materialibus, quia non eſt in eis eadem ratio potentiæ, & materiæ: conueniunt tamèn cum eis in genere Logico, quia etiàm ſubſtantiæ immateriales ſunt in prædicamento ſubſtantiæ, cùm earum quidditas non ſit earum eſſe. Deus tamèn non conuenit cùm rebus materialibus neq; ſecundum genus naturale, nec Logicum, quia Deus nullo modo eſt in genere, vt diximus in præcedenti lectione, vndè per ſimilitudines rerum materialium aliquid affirmatiuè poteſt cognoſci de Angelis ſecundum rationem communem, licet non ſecundum rationem ſpeciei, de Deo autèm nullo modo.

Hoc idem S. Doctor confirmat in q. 50. a. 2. ad 1. vbi ait quod differentia eſt, quæ conſtituit ſpeciem, quia ſpecies rerum ſunt ſicut numeri, qui differunt per additionem, & ſubtractionem vnitatis vt dicitur in 8. Met. tex. 10. In rebus autèm materialibus aliud eſt quod determinat ad ſpecialem gradum, ſcilicet forma, & aliud quod determinatur. Vnde ab alio ſumitur genus, & ab alio differentia, ſed

in

In rebus immaterialibus non eſt aliud determinans, & determinatum, ſed vnaquæque earum ſecundum ſe ipſam tenet determinatum gradum in entibus; & ideò genus, & differentia in eis non accipitur ſecundum aliud, & aliud, ſed ſecundum vnum, & idem, quæ tamen differunt ſecundum conſiderationem noſtram. In quantum enim intellectus noſter conſiderat illam rem vt indeterminatè, accipitur in eis ratio generis; in quantum verò conſiderat vt determinatè, accipitur ratio differentiæ. Et Caietanus addit ad hæc, in Reſp. ad primum aduerte quod tria facit circà illam propoſitionem ex 8. Met. quod ſcilicet genus ſumitur à materia, differentia à forma, quæ aſſumitur in Arg. Primo oſtendit quid formaliter requiratur ad rationem differentiæ, ſcilicet determinare ad aliquem gradum in entibus; ſecundò ex hoc declarat in quibus habeat locum illa propoſitio Philoſophi, ſcilicet in materialibus; tertiò ex eodem fundamento oſtendit aliter poni in Angelis differentiam, & genus. Et hic diligentèr notato S. Thomam à Peripateticis non diſcrepare in ponendo Angelos in genere, quia vt hic patet etiàm verba Ariſt. ex 8. Met. tex. vlt. Imitatur, & non ex parte rei, ſed ex parte noſtræ conſiderationis, dicit, genus diſtingui in eis à differentia, & hæc intellige de intrinſecis eorum loquendo. Ità Caiet. in loc. cit. q. 50. p. p.

Notab 4. Caiet. in quo explicatur quid ſit loqui de genere, & differentia per ſe, & per accidens.

Notat 4. Caiet. altius exordiendo pro declaratione doctrinæ prædictæ D. Th. quod aliud eſt loqui de genere, & differentia ſimpliciter, & ſecundum ea quæ ſibi accidunt, & per ſe conueniunt, & aliud eſt loqui de eis ſecundum quod ad tales naturas applicantur; ſi enim loquimur in hoc ſecundo ſenſu, ſic ad vtriuſque, generis, ſcilicet, & differentiæ rationem exigitur, & ſufficit quod differentia quidem explicet certum, & limitatum gradum entis non extraneæ naturæ à natura generis, cuius eſt diuiſiua formaliter; genus verò explicet certam naturam determinabilem formaliter. Et primum quidem horum, quæ de differentia dicimus, ſequitur ex eo quod differentia adueniens generi conſtituit ſpeciem, & ponit ipſam in determinato gradu entis, illo ſcilicet quem explicat, vt patet in 8. Met. relatum à D. Th. in q. 50. p. p. a. 2. ad primum de ſpeciebus numeri; ſecundum autem ſequitur ex eo quod differentia diuerſificare debet genus, ità vt non ſolùm ipſa ſpecies ſit altera ab altera ſpecie, ſed natura generis in hac ſpecie ſit diuerſa à natura generis in alia ſpecie, & hoc ex 10. Met. tex. Comm. 24. Vndè in 11. de Animalibus ait Ariſt. quod ſi debeat diuidi figura, differentiæ eius non erunt habere Angulos æquales multis rectis, quia hæc accidentia ſunt figuræ; genus autem certam naturam ſignificare oportet, vt tranſcendentia excludantur, determinabilem verò formaliter, vt ſpecialiſſima ſegregentur. Si autem loquamur de genere, & differentia vt applicantur ad ſubſtantiales materias, ſic genus non ſolùm explicat rem, & determinabilem formaliter, ſed etiàm radicaliter ſumitur a materia; & differentia ſimiliter non ſolum ſignificat determinationem, & actuationem generis, ſed ſumitur radicaliter à forma: ſed hæc accidunt generi, & differentiæ, ex eo quod eſſentia, cuius ſunt, eſt compoſita, & realiter integra ex duobus principijs materia, ſcilicet determinabili, & forma determinante. Per ſe enim conuenit Animali quod ſignificet naturam ſenſitiuam determinabilem formaliter per rationale; ſed quia natura ſenſitiua habet quod ſit determinabilis per rationale ex hoc quod habet materiam, ideò accidit huic generi, quod eſt Animal in quantum eſt genus quod ſumatur à materia, vndè ſi natura ſenſitiua eſſet determinabilis per rationale, & non ratione materiæ, nihilominus Animal eſſet genus; ſimiliter rationale per ſe habet quod ſignificet ratiocinatiuam perfectionem eſſentialiter determinatiuam naturæ ſenſitiuæ, ſed quia gradus intellectiuus habet quod determinet ſenſitiuam

Digitized by Google

ex eo quod Anima intellectiua eſt forma corporis, ideò accidit huic differentiæ, ſcilicet rationali in quantùm eſt differentia quod ſumatur à forma; non minus enim rationale eſſet differentia ſi perfectio ratiocinatiua determinaret ſenſitiuam, abſque eo quod informaret Anima ipſum corpus; proptèr hoc communitèr dicitur quod ſumitur genus ab eo quod eſt materiale, potiùs quàm à materia, & differentia ſumitur ab eo quod eſt formale potiùs quàm à forma, & illud conuenit ei per ſe, hoc autem per accidens.

In ſubſtantijs ſeparatis in acceptione generis, & differentiæ ſaluatur id quod eſt per ſe, & non id quod eſt per accidens vt contingit in eſſentijs compoſitis.

Et ſic aſcendendo ad ſubſtantias immateriales, harum ſimplex eſſentia cùm ſit determinata, & definita ad certum perfectionis gradum, cùm infinitæ entitatis non ſit, conſequens eſt, vt in ea ſit, vndè genus, & differentia ſumi queant: ex hoc enim quod natura limitata eſt ex ipſa determinatione ſumitur differentia; ex natura autèm communi quæ determinari intelligitur ſumitur genus; ex eo verò quod ſimplex, habet quod ex ſe ipſa terminetur, ità quod non habet duas partes reales quarum altera terminetur, & altera terminet, ſicut ſubſtantiæ ſenſibiles habent materiam, & formam. Et ſic in acceptione generis, & differentiæ in ſubſtantijs immaterialibus ſaluatur id quod eſt per ſe ſcilicet quod genus ſignificet certam naturam formaliter determinabilem; & differentia explicet determinatam perfectionem ſubſtantialem formaliter conſtitutiuam illius in certo gradu entis, eſto non ſaluetur id quod eſt per accidens, ſcilicet quod genus ſumatur à materia, differentia verò à forma. Ità Caiet. loc. cit. §. Ad maiorem horum &c.

Notab. 5. Caiet. in quo traditur Regula generaliſſima vnde ſumatur genus, & differentia.

Notat vltimò Caiet. in fine cap. 6. Vnam regulam generaliſſimam, per quam dignoſcatur à quo ſumatur genus, & differentia fundatam in tribus propoſitionibus. Prima propoſitio eſt. Omne indiuiduum diſtinctum realiter à ſuo eſſe habet plura prædicata quidditatiua, quorum ſucceſſu magis, ac magis appropinquat ad ſuum eſſe. Secunda propoſitio eſt. Intèr prædicata quidditatiua ſupradicta talis eſt ordo, quod tantò vnumquodq; eſt actualius, quantò plus appropinquat ad eſſe: & tanto eſt potentialius, quantò remotiùs eſt ab eſſe. Tertia propoſitio eſt. Genus ſumitur ab eo, quod eſt vt potentiale, differentia verò ab eo quod eſt vt actuale. Ex his tribus propoſitionibus conficitur hæc regula. Genus, & differentia in omnibus ſumuntur à tota eſſentia rei ſecundum elongationem, & propinquitatem ad ipſum eſſe exiſtentiæ. Genus enim generaliſſimum, cùm eſſentiam maximè determinabilitèr explicet, ab eo ſumitur quo eſſentia ipſa ab exiſtentia eſt magis elongata, vtpotè determinabilis, & perfectibilis omnibus differentijs, ad hoc vt eſſe ſuſcipere poſſit. Differentia quoq; vltima, cùm ſit conſtitutiua ſpeciei, & proprium illi gradum donet intèr entia, vltimum complementum ipſius eſſentiæ eſt, ad hoc quod ſit, & vltrà ipſam, vt iàm diximus, nullum indiuiduum aliud complementum intrinſecum vt ſic expectat. Genera verò, & differentiæ intermediæ, ab intermedijs ſumuntur (& propter hoc dicitur, quod definitio explicat definitum à prima potentia vſque ad vltimum actum) includit ſiquidem primum genus, quod ſumitur ab eo, quo primo eſſentia ipſa poteſt habere eſſe, & omnes differentias quibus eſſentia paulatim determinetur, & actuetur vſq; ad vltimam differentiam, quæ eſt actus vltimò determinans, & perficiens ipſam, vt habeat eſſe, propter hoc Porphyrius ait, quod ſecundum interius perſcrutantes, differentia eſt quæ conducit ad eſſe; nec propter hoc intendimus quod genus, & differentia ſumatur ab eſſe actualis exiſtentiæ, ſcimus enim quod definitiones abſtrahunt ab eſſe; ſed intendimus quod genus, & differentia ſumuntur, vt verbis S. Thomæ vtamur, ab ordine ad eſſe actualis exiſtentiæ; ab ordine autèm dicimus, non relatione ordinis, ſed fundamento eius, ab eo ſcilicet quo eſſentia appropinquat, vt receptum

ad

ad ipſum eſſe, & ab eo quo eſſentia elongatur ab ipſo. Ità Caiet. circà finem c. 6.

Sententia antiquorum recitata à Caiet. & explicata quod genus non eſt materia, & quod poſſumus vocare aliquando genus materiam cui eſt ſimile.

Quo ad 2. Caietanus in hoc cap. 6. & in c. 3. de ente, & eſſentia quod materia non ſit genus, ſic loquitur. Iſta eſt antiqua Alexandri ſententia; & Auuerroes dixit, Alexandrum ſcripſiſſe demonſtratiuè, quod genus eſt aliud à materia, & hoc docuit Auicenna 5. Met. c. 5. & B. Alb. Magnus 5. Diuinorum tract. 6. c. 10. Alenſis, Ægidius 7. Diuin. q. 9. vbi tres differentias intèr genus, & materiam ex Commentatoris doct. affert. Et Zimara, & intèr antiquos Scholaſticos eſt communis. Vndè ſi inueniatur aliquando in ſcriptis clariſſimorum virorum ſcilicet Ariſtotelis, Auuerrois, S. Doctoris &c. ſcriptum quod genus eſt ſimile materiæ, hoc ideò dicitur, ad ſignificandum genus non eſſe materiam: nihil enim eſt ſimile ſibi ipſi, & nihil ſe ipſum proportionaliter reſpicit, dicit Ariſt. 9. diuin. hinc Porphyrius cap. de differentia dixit quod genus eſt proportionale materiæ, & cauſa huius ſimilitudinis, & proportionis affertùr à nobis cum D. Th. cap. 3. ratione ſcilicet imperfecti, contrahibilis, potentialis, receptiui, & determinabilis, quæ quidem tàm materia, quàm genus important. Et inſuper quia multæ conditiones inſequentes materiam, inſequuntur, & genus, ideò iurè hoc illi comparatur, ſimileq; dicitur, vndè poſſumus aliquando genus vocare materiam.

Quod nec Differentia ſit forma opinio explicata à Caiet.

Et quod nec differentia ſit forma apertè hoc docemus cum D. Th. in 6. p. illius c. 3. Aliqui tamèn volunt, quod forma non modo differentiæ nomen induit, ſed etiàm vt forma eſt dicat totam definitionem, vt Auuerroes videtur velle; Alij verò volunt, quod forma non vt forma, neque ſub hac conſideratione, qua induit rationem differentiæ dicat totam definitionem, vel ſpeciem, ſed quod ſit ſemper pars intèr quos Ægidius Romanùs. Communis tamèn ſententia eſt, & in compoſitis ſubſtantialibus hoc nullus negat, quod forma quatenus forma eſt dicit ſemper partem rei, & definitionis, & pro vt differentia eſt, dicat totum, ideſt dicat, & genus, & materiam, quando vt genus accipitur, & differentia à forma. Itaq; nos dicimus, addit Caietanus, quod ſi interrogeris an in rebus materialibus ſumatur genus à materia, & differentia à forma, affirmatiuè, & negatiuè potes reſpondere, ſi loqueris de eo à quo formaliter ſumuntur vel proximè, negandum eſt cum Ferr. in c. g. c. 95. ſi de eo tanquam à radice, vel remotè, & originaliter, affirmandum eſt cum eodem Ferr. & alijs, vt ſuprà explicauimus. Ità Caiet. loc. cit.

Opinio D. Th. de ſubſtantijs ſeparatis ideſt intelligentijs, quod in ipſis ſit vera ratio generis, & differentiæ explicata à Caietano.

Aſcendendo autèm ad ſubſtantias immateriales, ſcilicet intelligentias, dicas firmiſſimè cùm D. Th. quod in ipſis ad eſt vera ratio generis, & vera ratio differentiæ. Et vnum tantùm eſt, quod in ipſis fundat rationem generis, & vnum ſimiliter, quod fundat rationem differentiæ. Vndè ſi interrogeris vndè in illo vno accipitur genus, & differentia, Reſpondeas, quod accipitur ab earum eſſentia, vt eſt ab eſſe elongata, vt videlicet ſtat ſub gradu ſubſtantiæ immaterialis, vel intellectualis; differentia verò ab eadem ſumitur vt eſt propinqua eſſe (cuius nominatio non expectetur, quia ignoratur) quam tamen ſi liceat nominare, vel adumbrare, dicas eſſe gradum propinquitatis ad primum ens, & ſicut per hos propinquitatis gradus magis, & minus propinquæ ſunt actui puriſſimo, ità ex illis ſumuntur ſpeciæ earum differentiæ. Ità Caiet. in c. 6. & 3. de ente, & eſſentia, vt in notabilibus ſuprà.

1. Concl. Caiet. ex D. Th cum ſua probatione quod generi accidit, vt ſumatur à materia, & differentiæ à forma.

Quo ad 3. Prima Concluſio ponitur à Caiet. ex D. Th. c. 3. & 6. de Ente, & Eſſentia ſic. Materia non eſt genus, nec differentia eſt forma; Imò accidit generi vt ſumatur à materia, & differentiæ vt ſumatur à forma. Probatur à Caietano ex D. Th. ſub tali forma. Materia non eſt totum illud, cuius eſt materia, ſed ſolummodo pars, & forma eſt tantùm pars; ſed genus non eſt pars, ſed totum eius cuius eſt

genus,

genus, & differentia dicit totum ſpeciei, de qua dicitur in recto: ergo materia non eſt genus, nec differentia eſt forma. Minor propoſitio, & maior ſunt probatæ in omnibus locis à D. Th. & præcipuè in c. 3. & 6. de Ente, & Eſſentia, vt vidimus ſuprà. S. Doctor dixit, & probat ſemper quod genus eſt totum, ſicut, & differentia, quod ſit totum ſpeciei, & quod materia, & forma non poteſt prædicari de re cuius eſt materia, & forma prædicatione formali, & in recto, quia ſunt partes, & nulla pars prædicatur de ſuo toto in recto, & prædicatione formali: benè tamen genus, & differentia prædicantur in recto, & prædicatione formali, quia dicunt totum cuius ſunt genus, & differentia. Ità Caiet. loc. cit.

2. Concl. Caiet. ex D. Th cum ſua probatione quod in intelligentijs adeſt vera ratio generis, & differentiæ, & plenè declaratur.

Secunda Concluſio ponitur à Caietano ex D. Th. ſic. In intelligentijs adeſt vera ratio generis, & vera ratio differentiæ, & vnum tantùm eſt fundans rationem generis, & differentiæ. Non probatur à Caiet. in forma, ſed declarat deducendo ipſam ex doctrina D. Th. in vltimo notabili ſuprà ex illa regula fundata in illis tribus propoſitionibus. Ibi enim diximus, addit Caiet. quod in abſtractis adeſt eſſentia tota quatenus perfectibilis, & potentialis, & eadem quatenus perfecta eſt, & actualis, quæ formaliter, & proximè fundant rationem harum ſecundarum intentionum, ſcilicet generis, & differentiæ; non eſt autèm, diximus, inuenire in his ea, quæ remotè, & radicaliter fundant has intentiones quoniam clarum eſt non adeſſe in his materiam, quæ cum forma componat. In ſubſtantijs materialibus vtiq; eſt remotè fundans rationem generis, & differentiæ, in intelligentijs tamèn eſt aliud fundans; in materialibus adeſt quid remotè fundans aliud ab eo, quod fundat proximè; in ſeparatis autem nihil eſt quod remotè fundet: conueniunt vtiq; in ratione generis, & differentiæ iuxta ea, quæ his nominibus ſecundæ intentionis per ſe, & vt ſic inſunt, non autèm penes ea, quæ his poſſunt accidere: videmus enim plura prædicata quidditatiua in indiuiduo, de Homine, ſcilicet Socrate, dicitur ſubſtantia, corpus, viuens, Animal, & homo. Et omnibus exploratum eſt quod ipſe vt ſubſtantia valdè nimis elongatus eſt à ſuo eſſe: ad hoc enim vt ſit, oportet quod ſit corpus, quod viuens, quod Animal, quod Homo. Et notum eſt, quod magis appropinquat ſuo eſſe, quando eſt corpus, quam quandò eſt ſubſtantia, & ſic diſcurras de alijs prædicatis quidditatiuis. Si petis quare hoc? Reſpondeo quod nunquàm poteſt recipere eſſe niſi fuerit homo, cum enim eſſe ſit vltimum intèr actualia, nequit recipi in ſubiecto niſi fuerit diſpoſitum quo ad eius receptionem (actus profectò actiuorum ſunt in paſſo bene diſpoſito) diſponitur autem per actualitates præcedentes, cum non perueniatur ad extrema abſque medijs; at verò inter hæc quidditatiua prædicata, quæ dicit prima propoſitio ſuprà, is ordo eſt, quod vnumquodq; quò magis recedit ab eſſe, eſt potentialius, quo magis ei accedit eſt actualius, & hæc eſt mea ſecunda propoſitio, ſicut enim quo magis quis accedit ad ignem, eò callidior eſt, ità quò magis quis appropinquat fonti actualitatis, eo erit actualior; & cùm eſſe ſit omnium actualiſſimum quare &c. Ità poſterius prædicatum eſt actualius priori, quoniàm magis accedit ad vltimum, quod eſt actualiſſimum; ſic ly homo intèr prædicata illa, erit actualius prædicatum &c. Ex hoc igitur magis eluceſcit fundamentum Auicennæ, & S. Doctoris, cur aliquod in genere ponatur, & cur ab ipſo excludatur, quod eſt vel identitas eſſe cùm eſſentia, vel horum diſtinctio, cùm & genus, & differentia ſumantur ex varia habitudine, quam habet eſſentia ad eſſe. Ex quo tù Thomiſta colligas, ſolum Deum carere genere, & differentia, quia in quidditate ſua, quæ eſt eadem realiter cum ſuo eſſe non potes concipere, vel elongationem, vel propinquitatem ad eſſe, vt concipitur in intelligentijs creatis, & in omni ente creato. Ità Caiet. ex profundiori ſua

Me-

Digitized by Google

Metaphyſici non niſi Metaphyſicè diſcurrit in locis cit. ex D. Thom.

1. Arg. Caiet. contra ſe ipſum.

Quo ad 4. Arguit 1. Caietanus contrà doctrinam ſuam, quæ non niſi D. Thomæ eſt, poſitam in declaratione Concluſionis vltimæ. Quæcumque differunt ſecundum actum perfectum, & minus perfectum differunt ſolùm accidentalibus differentijs: intelligentiæ differunt non niſi ſecundum magis, & minus perfectum: ergo differunt ſolùm accidentalibus differentijs. Proceſſus bonus, Concluſio verò eſt falſa; ergo altera præmiſſarum; non maior vt probabitur ergo minor, quæ eſt poſitio ſupradicta. Probatur maior, quia magis, & minus non variant ſpeciem: albedo enim magis perfecta, & minus perfecta vnius ſpeciei ſunt: quæcumque autem ſunt eiuſdem ſpeciei, accidentalibus ſolùm differentijs diſtinguuntur, cum in omnibus eſſentialibus conueniant.

Reſp. Caiet. ad Arg. contra ſe ipſum.

Reſp. ex D. Th. quod perfectius, & minùs perfectum poſſunt attendi, vel penes modum habendi aliquam vnam formam ſimpliciter, vel penès formas ipſas habitas magis, & minus. Primo modo non variant ſpeciem, ſed ſecundo modo: quæcumque enim ità ſe habent quod ſecundum diuerſos gradus perfectionis athomam ſuſcipiunt formam, ſolo numero ſic diſtinguuntur, vt patet de albo. Ea verò, quæ diuerſos gradus perfectionis non eiuſdem formæ, ſed plurium formarum ſuſcipiunt, eſſentialiter, ſeù ſpecificè diſtingui neceſſe eſt, vt patet de Homine, & Boue. Vndè patet Reſp. ad Argumentum, & eius probationes quod primo modo minor eſt falſa, ſecundo modo maior. Cuius probatio ideò videtur ſinè additione vulgata, quia comparatio denotata in ly magis, & minus non fit propriè niſi in athoma ſpecie, vt dicitur 7. Phyſicorum Comm. 17. Ità Caiet. in Reſp. ad primam tacitam obiectionem.

2. Arg. Caiet. propriè Metaphyſicum.

Secundo Arguit Caiet. ibidem ex eodem D. Thoma ſic. Vbicumq; ſunt verum genus, & veræ ſpecies ibi debet eſſe artificialis diuiſio illius generis per duas veras differentias: ſed in intelligentijs inuenitur verum genus, & veræ ſpecies: ergo ibi debet eſſe diuiſio per duas differentias veras. Concluſio eſt contrà diuiſionem ſuprà aſſignatam, vbi dictum eſt, genus intelligentiarum deſcendit ad duas ſpecies per magis perfectum, & minus perfectum, quæ non ſunt veræ differentiæ. Maior verò probatur ex eo, quod vbi verum genus cum veris ſpeciebus inuenitur oportet eſſe diuiſiuas ipſius generis, & ſpecierum conſtitutiuas differentias; ex eo autèm quod diuiſio eſt ſecundum artem debet eſſe bimembris, vt Boetius teſtatur.

Reſp. ex S. Doctore, quod Maior eſt vniuerſaliter impoſſibilis ſecundum Ariſt. ſententiam in 2. libro de Animalibus. Et addit Caiet. quod cùm veræ differentiæ appellentur differentiæ poſitiuæ non extraneæ contrariæ inter ſe conuertibiles cùm his, quorum ſunt differentiæ, vt ibi dicit Ariſt. c. 3. genus illud quod plures duabus ſpeciebus continet immediàtè non poteſt diuidi duabus vere differentijs, ſed ſi veris differentijs diuidendum erit poteſtatem eius euacuantibus, oportet quod diuidatur pluribus duabus, & ſic diuiſio non erit bimembris; ſi enim diuiſione bimembri partiendum erit, oportet alteram differentiam eſſe non veram, erit enim cùm priuatione accepta alterius; ſicut ſi Animal immediatè contineat hominem, Bouem, & Leonem oportet tribus veris differentijs diuidi, vel altera vera puta rationali, altera non vera, ſed priuatiuè communi reliquis duabus puta irrationali. Quià igitur inueniuntur aliquæ res in mundo plures duabus contentæ immediatè ſub aliquo communi formaliter diuiſibili, ideò dicitur quod impoſſibile eſt vniuerſaliter, quod omnis diuiſio fiat per duas differentias veras, & hoc in propoſito noſtro accidit; Cum enim intelligentiæ careant genere ſubalterno, vt S. Th. in tract. de natura generis c. 5. teſtatur, eo quod perfectio earum ex pluribus coniun-

ctio-

Digitized by Google

ctionibus differentiarum non conſurgit; ſicut perfectio ſpecierum in iſtis inferioribus, quibus non ſufficit genus commune, & differentia, omnes immediatè ſub vno genere continebuntur; & ſic genus earum, ſi veris differentijs ad illas deſcendere debet, opportet multimembrem fieri diuiſionem nobis ignotam, quod ſi bipartita diuiſione contrahendum erit alteram ſimpliciter neceſſe eſt eſſe non veram, quia priuatiuam, alteram propter debilitatem intellectus noſtri ad nullam propriam earum differentiam deſcendere potentis, neceſſe eſt quoque eſſe non veram. Tales autem fuerunt differentiæ aſſignatæ in littera, ſcilicet magis perfectum, & minus perfectum. Ex his iàm patet Reſp. ad obiectionem declarata impoſſibilitate maioris vniuerſaliter. Boetij verò dictum non obſtat: quamuis enim dicat diuiſionem omnem ad bimembrem reduci, non tamen dicit, quod omnis bimembris fiat per differentias veras inferiorum per illam diuiſionem accipiendorum. Ità Caiet. in c. 6. circà finem.

Arg. 3. Caiet. contrà 2. Concl. cũ ſua Confirmat.

Arg. 3. Intelligentiæ ſunt ſubſtantiæ vt toties cùm Ariſt. dictum eſt, & dicuntur carere potentia: ergo impoſſibile eſt vt in eis locum habeat genus, quia hoc eſt quoddam potentiale, & determinabile, & contrahibile, vndè ſi non poteſt in eis inuenire genus, certè nec differentia vt de ſe patet. Inſuper ſi in ipſis dicatur, quod non ſit potentia nec materia, iàm dicendum erit, quod genus ſumetur in ipſis ab eſſentia, & differentia ab eſſe: ergo cùm definitiones conſtent ex genere, & differentia, iàm definitiones ipſæ non abſtrahunt ab eſſe, quod eſt contrà omnes Philoſophos.

Reſp. Caiet. ad Arg. 3.

Reſp. Caietanus vt ſuprà in notabilibus, quod toties dictum eſt, quod compoſitio Phyſica ex materia, & forma ab Ariſtotele ſemouetur ab intelligentijs, non autem ſemouetur Metaphyſica quæ eſt eſſe, & eſſentiæ, actus, & potentiæ, ac ſubindè generis, & differentiæ.

Reſp. Caiet. ad Confirmationem.

Ad illud autem quod adiungitur in Argumento ex iiſdem notabilibus dicitur, quod differentia in ipſis non ſumitur ab exiſtentia actuali, ſed ex ordine ad ipſam, à quo non abſtrahunt definitiones, quoniam differentia conducit ad eſſe; & diximus inſuper quod omnes intelligentiæ in hoc conueniunt, quod eſſentiam habent ab eſſe diſtinctam, cùm hoc tamen quod vnius eſſentia, eſt alia ab eſſentia alterius, quoniam reſpicit aliud eſſe, & alium eſſendi gradum, qui omnes formaliter, ac ſpecificè ſecernuntur, & magis, ac minus nobiles ſunt, ſed hos gradus non exprimimus, quoniam non nouimus, illi enim ſolùm callent eos, qui illarum ad Deum propinquitatem, & à ſenſibilibus elongationem ſpeculantur, vt dicebat S. Doctor in illo c. 5. de natura generis. Ità Caiet. in hoc c. 6.

Appendices ad Lectionem 15. Metaphyſicalem in Tractatu de ente, & eſſentia.

DVrandus conuenientiam genericam non admittit in ijs, quæ materia propria carent. Vaſquez verò non admittit iſtud axioma genus ſumitur à materia, differentia à forma in Schola Metaphyſica. Aliqui autem Moderniores non intelligentes ſubtilitates Metaphyſicales D. Th. & Caietani in hoc c. 6. de Ente, & Eſſentia, volentes ſequi ipſos, minus rectè explicant terminos adhibitos à Ferr. in ly remotè, & proximè, & à Caietano in ly radicaliter, & formaliter vndè dicunt quod in materialibus ſubſtantijs genus remotè, & radicaliter deſumitur à materia propriè dicta, & differentia à forma. Proximè verò, & formaliter à materia communiter dicta, ſeu ab eo quod materiale eſt, & determinabile ità vt non omni-

omninò excludatur forma, quòd quidem eſt contrà ſententiam vtriuſque Thomæ, &c.

Suarez autèm in ſua Metaphyſica diſp. 30. ſect. 4. relinquendo rationem efficaciſſimam D. Thom. qua vbique probat impoſſibile eſſe Deum conſtare ex genere, & differentia, quia tale debet habere exiſtentiam diſtinctam à ſua eſſentia, vtitur alia ratione, ne conueniat cum D. Thom. & Thomiſtis in hoc principio diſtinctionis eſſentiæ ab exiſtentia probando per infinitatem Dei, & eſſentiæ Diuinæ, quod qui habet eſſentiam finitam, neceſſe ſit, quod conſtet ex genere, & differentia, vt faciunt etiàm alij per pauci Neoterici cùm Paſqualigo citato in appendicibus præcedentium lectionum. Videas, & legas Paſqualigum in ſua Met. diſp. 68. ſect. 1. vbi num. 1. recitat ſententiam Durandi ſuſtinentis ſimplicia quidem eſſe in genere, quia limitata ſunt, non tamen conſtare ex genere, & differentia, vndè in eſſentia ſpecifica ipſorum non poteſt aſſignari genus, & differentia, & hoc non ſolùm verificatur de ſubſtantijs ſimplicibus, ſed etiàm de accidentibus. Et num. 2. cum omnibus alijs & Antiquis, & Neotericis fatetur eſſe improbabilem ſententiam Durandi, & quòd oppoſita ſit communis, illamque omnes admittant. Et dicit quod de hac re nemo prætèr Auerſam in Logica qu. 13. ſect. 1. ex profeſſo diſputat. Signum eſt hoc, quod non aduerterit D. Thom. & Caietanum, & in cap. 3. & in cap. 6. de ente, & eſſentia, & in 1. p. in ſua ſumma, & alibi, vbique ex profeſſo in locis citatis tractat de hac re, & de ſubſtantijs ſimplicibus, & de accidentibus, quod habent genus, & differentiam, & aſſignat id, vndè poſſit ſumi genus, & differentia cùm Caietano, vt etiàm ſuprà in hac præſenti lectione 15. vidimus diffusè. Et ſic Paſqualigus cùm ſolo Auerſa mittit manus ad prælium, & digitos ad bellum contrà Durandum reſpondendo eius rationibus, & contrà ipſum arguendo ſect. 1 num. 3. 4. 5. & 6. Et in alijs ſectionibus præcipuè ſecunda num. 1. in aſſignando vnicuique ſpeciei proprium genus, & propriam differentiam, ex quibus componuntur tanquam ex partibus Metaphyſicis, videtur non legiſſe D. Thom. nec Caietanum, cùm repetat, quod de hac re non inuenit Auctores qui ex profeſſo diſputent prætèr Auerſam; vndè per tres ſuas Concluſiones recitatas ſuprà in Appendicibus diſcurrit optimè contrà Auerſam cum D. Thom. & Caietano non nominando, nec citando ipſos, aſſignando proprium genus, & propriam differentiam; ſed tacendo rationem D. Th. & Caietani, vtitur illa Suarezij ex finitate rei in ſect. 5. num. 12. ſcilicet quod in qualibet ſpecie completa debet primus, & vltimus gradus eſſentiæ, intèr quos clauditur reliquum illius eſſentiæ, vndè omnes alij ſunt intermedij: & hac vtitur ratione, vt manifeſtet omnibus, quod non conſentit principio illi Thomiſtico, & fundamento de diſtinctione eſſentiæ ab eſſe reali, & de ordine ad eſſe; & tamèn velit, & nolit opportet quod ratio ſua de finitate rei fundetur in illo principio Thomiſtico. Legas etiàm ipſum in diſp. 69.

Quidquid ſit de Neotericis, Diſcipule mi Thomiſta, ſi vis eſſe verus Metaphyſicus fundes te diligentèr in Doctrina D. Thom. & Caiet. locis citatis ſupra. Et in Summa legas in 1. p quæſt. 3. art. 4. & . D. Thom. & Caietanum. Et circà ſubſtantias ſeparatas, ſcilicet intelligentias ſeù Angelos, legas ipſos in 1. p. quæſt. 50. art. 2 & 4. (& de Anima in quæſt. 75. art. 4 & 5. cùm Appendicibus ibi Venerab. Porrectæ) & alios in opuſc. & cont. gent. & in libris ſent. ibi citatis in margine locis,

LECTIO XVI. METAPHYSICALIS IN TRACTATV DE ENTE, ET ESSENTIA.

Quo accidentia ponantur in prædicamentis, & vndè ab ipſis deſumat Metaphyſicus, Genus, & differentiam.

Ex Caietano cum D. Thom. in cap. 7. de ente, & eſſentia.

Declaratio Tituli eiuſque diuiſio data à Caietano.

CAIETANVS in principio huius cap. 7. de ente, & eſſentia declarando Titulum ſic ait, In hoc Tractatu tertio de ente, & eſſentia vnico Capitulo contentum, determinatur de eſſentia, & eſſe accidentium, vt nihil ſub latitudine entis intactum relinquatur. Et diuiditur in tres partes, in quarum prima, quid ſignificet eſſentia in accidentibus declaratur; in ſecunda verò diuerſitas accidentium à ſubſtantia intèr ſe; in tertia autèm quomodo ſe habeant ad intentiones Logicas. Primùm, & tertiùm declarabitur in præſenti lect. 16. & in ſequenti 17. ſecundum iàm eſt declaratum in noſtra Phyſica in 1. Phyſ. quæſt. 10. & 13. vbi prima, & ſecunda diuiſio accidentium probatur, dùm ibi quæritur an omnis forma educatur de potentia materiæ. Et de tertia diuiſione ſcilicèt quòd quædam accidentia cauſantur ex principijs eſſentialibus ſubiecti ſecundum actum perfectum, & quædam ſecundum aptitudinem tantùm declarabitur infrà in præſenti Lect. in tertia Concluſione. Ità Caiet. loc. cit.

Notabile primùm Caiet. in quo explicatur natura accidentium.

Quo ad primùm. Notat Caietanus declarando naturam accidentis, quòd accidentia habent vnum modum eſſendi, ſcilicèt eſſe in alio, non enim ſunt niſi inſint alicui: habent autèm duos modos intelligendi, eo quòd intellectus eſt natus ea quæ ſunt adunata in re diuidere: intelliguntur enim quandoque cointelligendo ſibi ſubiectum cui inſunt, & intelliguntur per modum accidentis eo quòd accidentis eſſe, eſt in alio eſſe; quandoque verò intelliguntur ſolitariè non cointelligendo, ſcilicèt eis ſubiectum, cui ſecundum rem inſunt, & tunc intelliguntur per modum ſubſtantiæ, eo quòd eſſe per ſe, ideſt ſolitariè ſoli ſubſtantiæ conuenit: accidentia enim ſemper comite egent; cùm autèm modus ſignificandi non fundetur ſuper modo eſſendi, ſed intelligendi, ſicut habent duos modos intelligendi, ſic habent duos modos ſignificandi; & ſic quandoque ſignificantur conſignificando ſubiectum, & tunc ſignificantur per modum accidentis, & vocantur ſignificata in concreto, vt album, nigrum, &c. quandoque verò ſignificantur ipſa ſola abſque ſcilicèt ſubiecti conſignificatione. Et tunc ſignificantur per modum ſubſtantiæ, & vocantur ſignificata in abſtracto vt albedo, & nigredo: abſtractum enim, & concretum in accidentibus licèt differant in modo ſignificandi, ideſt penès conſignificare ſubiectum, & non ſignificare ipſum, conueniunt tamèn in ſigni-

ſignificatione ipſius formæ accidentalis : album enim puram qualitatem ſignificat, vt dicitur in prædicamentis, ſicut & albedo. Album ſignificat albedinem in ſubiecto, albedo autèm ſignificat albedinem abſque illo. Quia igitur accidentia in concreto totum coniunctum important, puta albedinem in ſubiecto, coniunctum autem hoc non ſit vnum per ſe, ſed vnum, & ens per accidens, & illud quòd in prædicamento reponitur debeat importare vnum & ens per ſe, cum prædicamenta, ex 5. Met. tex. comm. 14. diuidant ens per ſe; ideò infrà probabitur in Concluſione, quòd accidentia in concreto non propriè reponuntur in prædicamento. Ità Caietanus ex D. Thom. in 3. p. cap. 7. de ente, & eſſentia in principio.

Notat ſecundò Caietanus, quòd de abſtracto, & concreto, quomodo ſint in prædicamento aliter Metaphyſicus, & alitèr Logicus iudicat : cum enim apud Metaphyſicum, qui res ſecundum ſuas eſſentias conſiderat, & non ſecundum modos intelligendi, vel ſignificandi, abſtractum, & concretum non differant, eo quod eadem res abſtractè, & concretè conſiderata ſit, dicit Metaphyſicus, quod ſicut abſtractum, ità & concretum eſt in genere : res enim per ſuam eſſentiam ingreditur, vel egreditur genus metaphyſicalitèr ſumptum, ideſt per rem generis, & non per modum ſignificandi, vnde Metaphyſicus non dicet album ens per accidens, ſed hoc album vt patet in 5. Met. Logicus autèm qui non res ſecundum ſuas naturas, ſed ſecundum intentiones adiunctas primis intellectis, ac ſignificatis conſiderat, dicet abſtractum eſſe in genere, concretum verò non, proptèr alietatem modi ſignificandi. Et contrario ordine ſe habent ſubiectum, addit Caietanus, & forma ad ſignificationem nominis concreti, & eius modi ſignificandi: importat enim concretum ratione ſignificationis primò formam, & ſubiectum non niſi ex conſequenti copula; quo ad modum verò ſignificandi primò ſubiectum, & ex conſequenti formam importat. Cuius ſignum eſt quod in diffinitione concreti exprimitur primò ſubiectum tanquàm genus, quòd eſt prima pars diffiniti, & forma ſecundo loco ponitur quaſi differentia. Dicimus namque quod ſimum eſt naſus curuus. Abſtractum verò, & ex ſignificatione, & ex modo ſignificandi primò formam importat; ſecundariò autèm, & ex conſequenti ſubiectum. In cuius ſignum in eius diffinitione forma ipſa primò exprimitur vt genus, ſubiectum autem ſecundariò loco differentiæ, vt patet cùm dicitur ſimitas eſt curuitas naſi. Oritur autèm hæc differentia ex eo quòd concretum importat habitudinem intèr ſubiectum, & formam pro vt incipit a ſubiecto, & terminatur ad formam. Abſtractum verò importat habitudinem intèr ſubiectum, & formam pro vt incipit à forma, & terminatur ad ſubiectum, vt in exemplis datis apparet. Ex hoc enim quod habitudo importata per concretum importatur ex modo ſignificandi, vt incipiens à ſubiecto, ſequitur quod primò importet ſubiectum à quo incipit, & ſimilitèr ex hoc quod habitudo importata per abſtractum importatur ex modo ſignificandi vt incipiens à forma, ſequitur vt primò importet formam à qua incipit. Cauſa enim huius diuerſitatis eſt, quia concreta ad compoſita ſignificanda inuenta ſunt, compoſitio autèm oritur à ſubiecto; abſtracta verò inuenta ſunt ad ſignificandas formas apud nos inuentas, ſimplices quidèm, ſed à quibus denominatio ad ſubiecta deriuatur; vndè & concreta compoſitum quid ſonant, abſtractum verò formas; non igitur proptereà dictum eſt, quod abſtractum ſolam formam importet, quia nullo modo copulat ſubiectum, ſed quia ex modo ſignificandi compoſitum non ſonat, nec principalitèr importat ipſum ſubiectum, quemadmodum concretum, ſed extrinſecè tantùm terminum habitudinis formæ ſignificatæ. Ità Caiet. loc. cit.

Notabile ſecundum Caiet. in quo explicatur quomodo abſtractum, & concretum ſint in prædicamento ſecundum Metaphyſicum, & Logicum.

Digitized by Google

Tertium notabile Caiet. in quo oſtenditur quod res ponitur in prædicamento dupliciter.

Notat tertiò ibidem, quòd aliquid facit rem reponi in prædicamento dupliciter. Vno modo vt ratio reponendi ipſum in prædicamento, alio modo, vt conditio ſine qua non. Ratio reponendi rem in genere ſiuè in ſpecie, tàm apud Logicum, quam apud Metaphyſicum eſt eſſentia illius rei: res enim per ſuam eſſentiam ad genus, & ſpeciem definitur. Conditio autèm ſine qua non eſt modus ipſe ſignificandi. Et in prædicamento quidem ſubſtantiæ conditio ſine qua res non ſuſcipit generis, vel ſpeciei denominationem eſt modus ſignificandi in concreto. In prædicamentis autèm accidentium conditio, ſine qua non eſt modus ſignificandi in abſtracto, propterea cùm dictum eſt concretum accidentale, non directè reponi in prædicamento apud Logicum, intellige hoc proptèr defectum conditionis ſine qua non, & non proptèr defectum rationis reponendi. Et ſimilitèr cum dicitur, quòd humanitas, & vniuerſalitèr abſtractum ſubſtantiale non eſt in genere ſubſtantiæ, intellige hoc proptèr defectum conditionis ſine qua, & non rationis reponendi. Hinc, addit Caietanus, in fine cap. 7. vndè ſumatur genus, ſciendum eſt quòd primò ens diuiditur per quoſdam modos in prædicamenta, ſicut quodammodò genus in ſpecies per differentias; ità quòd ſicut ſpecies per id quo generis partes efficiuntur, in eſſe ſpecifico conſtituuntur, ità prædicamenta per id quo partes entis fiunt, in eſſe generaliſſimo conſtituuntur; & ideò modi proprij, quibus ens ad quodlibet prædicamentum deſcendit, ſunt illi, penès quos prima genera conſtituta ſunt. Sunt autèm iſti modi per ſubſtantiuum, menſuratiuum, diſpoſitiuum, relatiuum, actiuum, &c. vt dicitur in 5. Met. tex. comm. 14. Et ideò nota, quod cùm genus ſumatur à re ſecundum id quo habet rationem determinabilis, Primùm genus ſumendum eſt à re ſecundum id quo primò habet rationem determinabilis: primò autèm habet rationem determinabilis res ſecundum primùm ſui gradum concepta. Primus autèm gradus rei is eſt, quem res ex illo modo ſortitur, quo proprium ſibi locum intèr partes entis vendicat. Et ideò primùm genus ſumptum ab illo modo entis importat rem vt primò determinabilem: & propterea iſta ſe conſequuntur, ſumi à re ſecundum propriam potentiam eius, ideſt ſecundum id quo primò habet rationem determinabilis, & ſumi à re ſecundum modum illum quo pars entis fit. Ità Caiet loc. cit.

Notabile quartum Caiet. in quo explicatur cauſa cur ponatur in diffinitione accidentis ſubiectum.

Notat vltimò Caietanus in fine cap. 7. quòd cauſa quare in diffinitione accidentis in concreto ſubiectum ponatur loco generis non eſt ipſa natura accidentis, ità quod ſubiectum eius eſſentia pro genere ſibi vendicet, ſed eſt modus eius ſignificandi: quia enim concretum ex modo ſignificandi importat totum coniunctum, ſcilicèt accidens, & ſubiectum, ideò per modum rerum diffinitur compoſitarum, in quibus genus ſumitur à materia, & differentia à forma, & propterea ſubiectum cùm ſe habeat vt materia, loco generis ponitur; & natura accidentis cùm ſe habeat vt forma, loco differentiæ ponitur, & dicitur ſimum eſt naſus curuus; non ſic autèm eſt cum diffinitur accidens in abſtracto, tunc enim ponitur vt genus id quod eſſentia ipſius accidentis determinat ſibi vt genus, & ponitur loco differentiæ id, à quo accidens ſecundum ſuam naturam, ſpecificam differentiam trahit, ſcilicèt ſubiectum proprium, & dicitur ſimitas eſt curuitas naſi. Ità Caietanus loc. cit.

Opinio D. Tho. explic. à Caiet quod nomina acciden. iù concretiuè dicta reductiuè ponuntur in prædicamento.

Quò ad ſecundum. Circà poſitionem accidentium in prædicamento ſic ait in cap. 7. Dic ergò reſolutè quòd vtrumque accidens, ſeù vtràque via (vt explicauimus in ſecundo notabili) ſignificatum reponitur in genere Metaphyſico abſolutè; in genere etiàm Logico ſi attendatur ratio qua quid in genere conſtituitur; at ſi ſpectetur conditio ſine qua non, dicas quod abſtractum ſolùm in hoc genere locatur;

Me-

Digitized by Google

Memento tamèn ſemper quod eſt ſermo de eo, quod directè in genere ſtatuitur; nàm ex reductione, vt humanitas, & animalitas ſpectant ad ſubſtantiæ genus, quæ tamèn abſtractiuè ſignificantur. Ità album, & coloratum reducuntur ad cathegoriam accidentis, quamuis fuerint concretiuè expreſſa. Sic apertè S Doctor in textu habet cap. 7. ſic. Nomina accidentium concretiuè dicta non ponuntur in prædicamento ſicut ſpecies, vel genera niſi per reductionem. Ità Caietanus.

Opinio D. Tho. explicata à Caiet. quod genus non poſſit ſumi à materia in accidentibus.

Quod verò genus, & differentia in accidentibus non poſſit ſumi à materia, & forma patèt, quia non componuntur ex materia, & forma. Vndè aliundè deſumuntur hæ ſecundæ intentiones à D. Thom. Accidentis enim eſſentia propriam habet potentiam ſecundum illum modum quo conſtituitur pars entis, quare ex hoc modo eſſendi obtinent genus primum. Et quemadmodum ſpecies conſtituuntur in eſſe ſpecifico per id quo efficiuntur generis partes, merito ſcilicèt differentiarum per quas genus ad ipſas venit; ità prædicamenta conſtituuntur in eſſe prædicamenti, & conſequentèr generis generaliſſimi per id merito cuius efficiuntur partes entis. Hi autèm ſunt varij modi eſſendi per quos ens ad ipſa deſcendit; & cùm in hoc conueniant, vt ſint in alio, hoc non poteſt eſſe eorum genus, aliàs generaliſſima non eſſent generaliſſima, ſed modi hi ſunt, quibus quod vis eorum proprium eſſe, in, ſortitur, quæ varietas attenditur in vario modo, quem habent ad primum ens, hoc eſt ad ſubſtantiam, & ſic ſecundum hanc, vel illam rationem ad ſubiectum hoc & illud erit genus, ſeù cathegoria accidentium.

Quod differentia in accidentibus nō ſumatur à forma, explicatur à Caietano,

Differentia autèm ſumitur ex diuerſitate propriorum principiorum, non ſolùm quando accidens immediatè cauſatur à ſubſtantia, ſed etiàm quando vnum accidens eſt alterius principium proprium, & hoc declaratur à poſteriori à D. Thom. in textu. Scito tamèn, quod nec D. Thom. nec nos aſſerimus ſubiectum eſſe differentiam accidentis, ſed poni loco differentiæ: nàm accidentia habent genus proprium atque differentiam ſui generis, quod colligitur etiàm ex B. Alberto Magno 7. Diuin. tract. 1. in fine cap. 9. & clariùs in cap. 11. Et Capreolus hoc innuit in 4. ſent. diſt. 12. ad primùm Aureoli contrà primam Concluſionem: hæc tamen explicari non poſſunt abſque ſubiecto, quòd eſſentialitèr reſpiciunt. Et quando dicitur, quod ratio S. Thomæ non eſt vniuerſalitèr vera, quia contingit aliquando vt ſubiectum ponatur loco generis, & non differentiæ in diffinitione proprij accidentis, ad hoc diximus in vltimo notabili ſuprà, hoc euenire ſolùm, quando accidentia concretiuè ſumpta diffiniuntur, vt ſimum eſt naſus curuus. Ità Caiet loc. cit.

Opinio D. Tho. explicata à Caiet. quod accidētia habent vtique eſſentiam ſuam, ſed incompletam,

Et de eſſentia accidentis, dicimus, quòd cum ens dicatur analogicè de ſubſtantia, & accidente, opportet quod in hoc ſaluetur aliqua ratio entitatis, alioquin non eſſet intèr ipſa analogia ſed æquiuocatio: vndè ex hoc omnes aſſerunt accidentia habere incompletam eſſentiam, & diffinitionem, & ly incompleta non deſtruit eſſentiam, ſed ſupponit, limitat, & declarat, ſic Ariſtoteles, & omnes eius interpretes intelligunt in 7. Diuin. à cap. 14. vſque ad 19. Et Capreolus licèt in 2. ſent. diſt. 18. dicat in quæſtione prima quòd accidens habet entitatem integram, ſeù completam, non in alio ſenſu dicit, niſi in hoc, quod non poteſt cum alia entitate conſtituere aliquid per ſe vnum, quòd inſtar ſpeciei, vel indiuidui ſit in genere collocabile. Cæterùm habet incompletam, & diminutam eſſentiam, quoniàm non compe it ſibi ex ſui natura eſſe in ſe, ſed id habet ex inhærentia ad aliud alterius naturæ, cui non ſanè confert, ſed recipit eſſe ab illo, hoc eſt inhærentia ad ſubiectum, & ſic non eſt abſoluta à ſubiecto, ſed illud ſem-

per

Digitized by Google

per reſpicit, vt dicemus in ſequenti Lectione, & ſic omnes vno ore fatentur habere accidentia incompletam diffinitionem, cùm per ſubiectum ſemper diffiniantur. Ità Caietanus in toto hoc cap. 7.

Prima Concluſio Caietani cum ſua probatione ex D. Tho. quod accidentia habent eſſentiã incompletam.

Quò ad tertiùm. Concluſio prima ponitur à Caietano ex D. Thom. in principio huius cap. 7. ſic. Accidentia habent eſſentiam incompletam. Probatur à Caietano ſub tali forma. Quæcumque habent diffinitionem incompletam, habent eſſentiam incompletam: accidentia ſunt huiuſmodi, ergò &c. Maior patet ex eo, quòd eſſentia eſt id, quod per diffinitionem ſignificatur. Minor probatur, quia quæcumque diffiniuntur neceſſariò per aliquod quòd eſt extrà eorum eſſentiam, habent diffinitionem incompletam: talium enim diffinitio non completur per intrinſeca, ſed egent intrinſeco additamento: ſed accidentia ſic diffiniuntur: probatur hoc, quia in diffinitione eorum oppottet ponere ſubiectum ex 7. Met. tex. comm. 15. ergò accidentia habent diffinitionem incompletam. Quomodò verò in tribus conueniant accidentia cum formis ſubſtantialibus, & differant ab ipſis in quinque, in noſtra Phyſica ex tex. 1. D. Thom. cap. 7. aſportauimus in 1. Phyſ. quæſt. 6. num. 92. & 93. vbi agitur de forma, quæ enumeratur intèr principia naturalia, cùm noſtris declarationibus ibi. Ità Caiet. loc. cit.

Secunda Concl. Caietani cum ſua probatione ex D. Tho de diuiſione 3. accidentium.

Secunda Concluſio ponitur à Caietano hic pro tertia diuiſione accidentium ex D. Thom ſic. Quædam accidentia cauſantur ex principijs eſſentialibus ſubiecti ſecundum actum perfectum, quædam verò ſecundum aptitudinem tantùm. Probatur Concluſio de hac tertia quia de prima, & ſecunda diuiſione probata eſt à Caietano in 1. Phyſ. quæſt. 20. Et profundiorem huius diuiſionis cauſam Caietanus elicit ex 1. 2. quæſt. 10. art. 1. ad 2. ſic. Quod ſcilicèt ideò aliqua accidentia oriuntur ex principijs eſſentialibus inſeparabilitèr ſecundum actum completum, aliqua autèm ſeparabilitèr ſecundum actum completum, & inſeparabilitèr ſecundum aptitudinem, quia illa ſequuntur rei actualitatem, iſta verò potentialitatem. Quòd ſic intelligo, quia vnumquodque agit ſecundum quod eſt actu, patitur autem ſecundum quod eſt in potentia: ex ſufficienti enim rei actualitate procedit, quod accidens in ſe complete producatur; & per oppoſitum ex ſufficienti actualitate, & conſequenter potentialitate, ex qua omnis ſufficientia eſt, prouenit quòd res habet accidens in ſe ſecundum aptitudinem tantùm, & quòd ab illo expectet actualitatem, ſeù quod accidens ſeparabile ſit ſecundum actualitatem, quod idem eſt. Inſupèr cùm eſſe, & bonum actualitatem ſequantur, & non eſſe, & malum potentiam ſequantur, ex actualitate rei prouenire neceſſe eſt, eſſe accidens perfectum, & inſeparabile ſecundum actum, & aptitudinem; & per oppoſitum ex rei potentialitate procedere opportet incompletionem accidentis, ſeparabilitatem eius ſecundum actum: eſt enim ſeparabilitas ipſa quoddam non eſſe, cum nihil aliud ſit, quàm negatio neceſſariæ ſequelæ ſui eſſe completi, ad eſſe ſubiecti. intellige autem hic, vt ſuprà, ſcilicèt quòd ex actualitate ſubiecti aptitudo eſt, ex potentialitate autèm ſeparabilitas accidentis ſecundum ſuam actualitatem.

Paſſiones cum D. Tho in 1. 2. non collocauit ſimplicitèr inter accidentia ex eſſentialibus principijs fluẽtia.

Et aduerte hic quòd S. Doctor, paſſiones, quæ dicunt aptitudinem non collocauit ſimplicitèr inter accidentia ex eſſentialibus principijs fluentia, ſed potiùs ipſarum paſſionum, & aptitudinum actus, quos ſecundum incompletum eſſe aptitudines vocauit. Fecit autem hoc, quia aptitudo de ſe non habet rationem alicuius per ſe producti, ſeù producibilis: nullum enim naturale producens intendit aptitudinem, ſed actum illius: non eſt namque opus riſibilitate, niſi vt rideatur; vndè & riſibilitas incnoatio quædam riſus eſt; proptereà igitur inter effectus eſſentialium principiorum aptitudo non eſt ſimplicitèr poſita, ſed actus;

quia

Digitized by Google

quia non ipſa, ſed eius actus eſt qui à principijs productiuis intenditur. Et quia aptitudo, nihil aliud eſt, quàm quædam inchoatio, inchoatio autèm ſit actus imperfectus, ideò accidentia ſecundum actum incompletum aptitudines vocantur. Ità Caiet. ex tex. 3. diuiſionis prædictæ accidentium.

Tertia Concluſio Caietani cũ ſua probatione ex D. Tho. quod ſola accidentia in abſtracto propriè ſunt in prædicamento.

Tertia Concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. ibidem. Accidentia in concreto non ſunt propriè in prædicamento, benè tamèn accidentia in abſtracto. Probatur à Caietano ex D. Thom. in dictis ſuprà in notabilibus. Nullum nomen importat ens, & vnum per accidens, quandò eſt propriè in prædicamento: ſed concretum accidentale importat vnum, & ens per accidens: ergò nomen concretum accidentale ponitur in prædicamento propriè, & per ſe nequaquam. Minor declaratur ſuprà ex differentia intèr concretum accidentale, & ſubſtantiale: ex accidente enim, & ſubiecto non fit niſi vnum per accidens vt dicitur 7. Met. Et ideò non debet poni in prædicamento niſi reductiuè, eo modo, quo res impura ad ſuæ naturæ puritatem reducitur. Et ſic remanet ſecunda pars Concluſionis vera, quod accidentia, ſcilicèt in abſtracto in prædicamento ſuſcipiunt prædicationem generis, & ſpeciei. Et in propoſito S. Doctor explicat vtramque partem Concluſionis ſic; apud Logicum res illa, quæ albedinis nomine intelligitur diuerſimodè ſignificata in prædicamento eſſe affirmatur, & negatur; ſi enim in abſtracto ſignificetur, cùm ſic ſpeciei denominationem habeat in prædicamento reponitur. Si autèm in concreto ſignificetur, cùm ſic ſpeciei, vel generis denominationem non habeat, quia rem extraneam ex modo ſignificandi includit in prædicamento eſſe directè negatur. De natura humana, & ſimilibus etiàm dicimus, quod ſignificata nomine hominis, eſt ſpecies; ſignificata verò nomine humanitatis ſpecies non eſt, ſed ſpeciei principium. Intentio autèm S. Thom. eſt declarare, quomodo accidentia ſe habeant ad intentiones Logicas, & non ad cuius generis rem pertineant; ideò concretum accidentale à Prædicamentis propriè ſeparauit. Ità Caietanus ex D. Thom. vtramque partem Concluſionis declarat in tertia parte cap. 7.

Quarta Concl. Caietani cum ſua probatione ex D. Tho. non ſumitur genus, & differentia in accidentibus ex materia, & forma.

Quarta Concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. ibidem ſic. Genus, & differentia in accidentibus non ſumuntur in eis ex materia, & forma, ſed primùm genus ſumitur ex proprio modo eſſendi, quo Prædicamentum ipſum conſtituitur pars entis: differentiæ verò ſumuntur ex diuerſitate propriorum principiorum.

Probatur à Caietano prima pars ex D. Thoma ſic. Incompoſitum ex materia, & forma non poteſt habere genus ſumptum à materia, & differentiam à forma: ſed accidentia ſunt incompoſita ex materia, & forma: ergò non poteſt in eis ſumi genus à materia, & differentia à forma, ſicut fit in ſubſtantijs compoſitis: quod qualitèr intelligendum ſit, iàm in præcedenti lectione declarauimus.

Secunda pars probatur à Caiet.

Secunda pars probatur ſic. Primum genus opportet explicare eſſentiam ſecundùm propriam potentiam, quæ eſt in ea, ſicut vltima differentia debet explicare eſſentiam ſecundum vltimum actum: ſed eſſentia accidentis ſecundum modum illum, quo pars entis conſtituitur, habet propriam potentiam: ergò ex illo modo ſumendum eſt primum genus, vt explicatum eſt à nobis faciliori methodo in notabili ſuprà 3 & 4.

Tertia partis probatio.

Tertia pars probatur à Caietano ex D. Thom. à poſteriori. Signum enim, quod differentiæ ſumantur ex diuerſitate propriorum principiorum, eſt, quòd in diffinitione accidentium in abſtracto, quæ propriè habent genus, & differentias, ſubiectum ponitur loco differentiæ: hoc enim non eſſet niſi accidentia differrent penès ſua propria principia: propterea enim propriæ paſſiones differunt intèr ſe,

quia

Digitized by Google

quia principia ſubiecti ex quibus cauſantur differunt intèr ſe. Et manifeſtum hoc quoque fit, addit Caietanus, non ſolùm quando accidens immediatè cauſatur à ſubſtantia, ſed etiàm quando vnum accidens, eſt alteriùs principium proprium; tùnc enim differentias ſortiuntur accidentia cauſata penès diuerſitatem accidentium cauſantium, vt patet de relationibus, quarum differentia attenditur penès ſua fundamenta, & ſuas cauſas, puta actionem, paſſionem, quantitatem, &c. vt patet ex diuiſione Relatiuorum facta ab Ariſt. 5. Met. tex. comm. 20. Et per hoc excluditur obiectio quæ poſſet fieri de ſecunda, & tertia paſſione eiuſdem ſubiecti. Poſſet enim aliquis obiicere, quomodo eſt alia differentia ſecundæ paſſionis à differentia primæ paſſionis, ſi ex principijs, ex quibus fluit paſſio differentia ſumitur, quandoquidem eadem ſunt principia à quibus fluit prima, & ſecunda? quia excluſa eſt iſta obiectio per hoc, quod dictum eſt quod quando vnum accidens eſt principium alterius, differentia poſterioris accidentis, non ex diuerſitate remotorum principiorum, ſed propriorum attenditur; & ideò cùm prima paſſio ſit principium ſecundæ non ſunt eadem propria, & immediata principia primæ, & ſecundæ. Ità Caietanus in fine huius cap. 7. quòd iterùm explicabitur in Argumento intrà eiuſque ſolutione.

Argum. Caiet. contra tertiam partem quartæ Concl. cum ſua Reſponſ.

Quo ad quartùm. Contra hanc tertiam partem Concluſionis arguit Caietanus ſic. Differentiæ accidentium quandoque ſumuntur ab effectibus: ergò non ſemper differentiæ accidentium ſumuntur ex eorum proprijs principijs. Patet antecedens, differentias albedinis, & nigredinis dicimus congregare, & diſgregare viſum.

Reſp. Caietanus, quod hoc contingit non ex natura ipſorum accidentium. Sed ex nobis, quibus propria principia accidentium cum occulta ſint, opus eſt ex effectibus differentias ſumere, quæ differentias veras quodammodò nobis inſinuant, ſicut in exemplo propoſito liquet: albedo enim, & nigredo differunt à priori ex abundantia, & paucitate lucis: lux enim in opaco corpore exiſtens aliqualitèr obumbrata albedinem conſtituit, valdè autèm offuſcata nigredinem; à poſteriori autem differunt congregatione, & diſgregatione viſus: ex hoc enim contingit diſgregare viſum, quia ibi eſt ſatis de luce, & non è contrà. Et quia abundantia, & paucitas lucis non ità nobis manifeſta ſunt ſicut congregare, & diſgregare viſum, ideò loco propriarum differentiarum congregatiuum, & diſgregatiuum ponimus dicentes albedo eſt color diſgregatiuus viſus, nigredo verò congregatiuus. Addit Caietanus in fine huius Reſponſionis in cap. 7. in fine. In prædictorum explicatione meam opinionem ità probatam eſſe volo vt ſi veritati conſentanea inuenta non fuerit, & ingenio, & ætati venia detur. Adoleſcentiam enim adhuc ago; vbi autèm veritatis tramitem ſecuta videbitur, Gratiarum debitæ actiones D. Thomæ habeantur, à quo quidquid veri eſt didici. Ità Caietanus in fine opuſculi de ente, & eſſentia cap. 7.

Argumentum ſecundum Caietani contra tertiam cõcluſionem.

Arguit ſecundò Caietanus contrà tertiam Concluſionem ſic. Si accidentia in concreto accepta in genere Metaphyſico reponuntur, & in genere quoque Logico quo ad rationem reponendi. S. Doctor hoc debebat annunciare abſolutè (quod ponuntur in prædicamento; Maior enim conſideratio habenda eſt de genere Metaphyſico, & Logico merito rationis reponendi, quàm de Logico ratione tantùm conſiderationis ſine qua non, & tamèn cùm hac diſtinctione non eſt locutus, ſed abſolutè dixit in prædicamento locari nequaquam.

Confirmatio.

Inſuper quomodò variatus modus ſignificandi ſufficiet, & non ſufficiet generi Logico, cùm ſit poſterior ipſis rebus, & in illo priori res ipſæ, ſunt vel non ſunt in prædicamento?

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Caiet. ad Arg. 2.

Reſp. Caietanus ad Argumentum ex notabilibus ſuis ſuprà, quod quantùm ſpectat ad genus Metaphyſicum nil facit ad propoſitum, quoniam non intendit in littera S. Doctor oſtendere cuius nam naturæ, vel quidditatis ſint accidentia quod eſset tale genus aperire, cùm nil aliud ſit eſse in hoc genere, quàm hanc, & illam obtinere quidditatem, hoc enim dictum eſt in præcedentibus: ſed intendit hic, quomodo ſe habeant ad Logicas intentiones, quomodo poſſint denominari genera, & ſpecies, &c. Et ſic iure meritò negatum fuit hæc accidentia eſſe abſolutè in prædicamento in ſubiecta tamèn materia. Quod verò dicitur de genere Logico facilè ſoluitur cùm enim bonum ex integra cauſa, malum verò ex particulari defectu contingat, & quia non omnia requiſita habent, vt in genere Logico poſſint directè conſtitui, ideò ab ipſo arcentur.

Reſp. Caiet. ad obiectionem additam ipſi Arg. 2.

Ad illud quod additur de vario modo ſignificandi Reſp. Caiet. vt ſupra, quod quamuis modus ſignificandi ſequatur res vt ſic, & abſolutè, attamèn præcedit eaſdem, vt ſunt Logicæ conſiderationis, & ſic in illo priori res poſſunt eſſe in genere Phyſico, vel Metaphyſico, non autèm in genere Logico de quo loquimur. Et vt clarius intelligas Reſp. recole ea quæ diximus ſupra, quod ſcilicet Logicus conſiderat res iuxtà intentiones adiunctas primis intellectis, ac ſignificatis &c. Vndè quemadmodum ſignificatiua vox præuenit ſecundam intentionem, & immediatius ipſa ſequitur rem intellectam, prius enim per hanc vocem Homo ſignifico naturam humanam, quam eandem ſpeciem denominem, ità modus ſignificandi præuenit modum denominandi per ſecundas intentiones. Sic fit, vt ordo vniuerſus eorum, quæ pertinent ad nomina primæ intentionis, præcedat ordinem eorum, quæ ſpectant ad nomina ſecundæ intentionis; ſic, inquam, vox ſignificans, & modus vocis ſignificandæ, quæ ſpectant ad illum ordinem primæ intentionis, præuenit nomina generum, & ſpecierum ſpectantium ad ſeriem ſecundarum intentionum. Logicus itaque, iàm diximus, cùm in ſecundarum intentionum ſpeculatione immoretur, rem vnam vno modo ſignificatam collocabit in genere, & eandem expreſſam alio modo, ab eodem remouebit: quoniam vna, & eadem res vno modo ſignificata poterit denominari ſpecies, vel genus, alio modo nequaquam. Ità Caiet. in p. p. huius c. 7. & vltimi de Ente, & Eſſentia.

Appendices ad Lectionem 16. Metaphyſicalem in Tractatu de Ente, & Eſſentia.

PRo Intelligentia doctrinæ D. Thomæ, & Caietani in præſenti lect. 16. Legas Magiſtrum Ripani in c. 7. de Ente, & Eſſentia, vbi pro ſententia vtriuſque Thomæ citat omnes Auctores antiquos, vbi etiam ſoluit illam quæſtionem famoſiſſimam de vnica forma ſubſtantiali in compoſito, & illam aliam vtrùm propria paſſio poſſit ſeparari à ſubiecto. Caietanus verò in hoc c. 7. occaſionaliter mouet quæſtiones quatuor. Prima eſt an inhærentia aptitudinalis ſit de eſſentia accidentis, & quia hæc concernit eſſentiam accidentis, ideò in ſequenti lectione tractabitur. Secunda eſt an dimenſiones interminatæ præcedant formam ſubſtantialem in materia. Hæc tractata eſt à Caiet. in p. Phyſ. quæſtione ſua 13. Tertia eſt an eadem accidentia numero ſint in genito, & corrupto, & hæc etiam tractatur à Caietano in p. Phyſ. quæſt. ſua 20. de quibus dubijs duobus poteſt legi noſter Ripa in hoc c. 7. de Ente, & Eſſentia q. 3. a. 4. & 5. & q. 4. a. 1. & 2. & a. 3. 4. & 5. Quarta eſt an accidens habeat aliquod ſubiectum proprium, vel an aliqua accidentia ſint ita cõmunia quod nulli propria, quæ qui lẽ a ſportabitur in alio Tracta-

Digitized by Google

tu Metaphyſicali infrà, Magiſter Ripa examinat illam in hoc eodem c. 7. q. vltima pag. mihi num. 968.

Intèr Neotericos Paſqualigus in ſua Met. diſp. 49. ſect. 3. num. 1. & 2. ſub alijs terminis dicit de ſupremis generibus quod non habeant genus, vt dicit Caiet. in ſecundo loco huius lectionis explicando propriam ſententiam quod ſcilicet in accidentibus non poteſt genus ſumi à materia, & differentia à forma. Paſqualigus ait ſumma genera non habent aliquid commune, ideſt determinatum genericum, & ſuperius ad ipſa alioquin non eſſent ſumma genera, benè tamèn aliquid commune, quod inuoluitur in ſuis peculiaribus rationibus, quibus conſtituunt ſumma genera. Et in diſp. 57. ſect. 1. num. 2. ait quod ſi loqui velimus ſecundum rem certum eſt, genus ſupremum poſſe quidem habere ſuprà ſe aliquam rationem tranſcendentalem vt eſt ratio entis, non tamèn poteſt habere ſuprà ſe aliquid, quod ſit propriè genus, neq; enim rationes tranſcendentales ſunt genus cùm imbibantur intrinſecè in differentijs, quod eſt contrà rationem generis. Vndè poſteà genus, & differentia deſumatur, & quomodo in qualibet ſpecie debeat genus, & differentia deſignari, videas in Paſqualigo opinionem Neotericorum ab ipſo cit. in diſput. 68. & 69.

Pro opinione D. Th. & Caietani quo ad genus, & differentiam vndè ſumatur in accidentibus in explicanda quidditate accidentis attendenda ſunt ea, quæ ſub terminis Metaphyſicalibus habet ſapientiſſimus Godoy, & profundiſſimus Io: à S. Thoma qui dicit idem quod Caiet. quod ſcilicet differentia ſumitur à proprijs ſubiectis, vel ex effectibus talium accidentium quando differentiæ vltimæ ſunt nobis ignotæ &c.

LECTIO XVII. METAPHYSICALIS

IN TRACTATV DE ENTE, ET ESSENTIA.

Eſſentia Accidentis, an ità requirat indiſpenſabiliter ſubiectum, vt nec per Diuinam potentiam poſſit illo carere.

Ex Caiet. in cap. 7. q. 15. & 3. p. q. 77. art. 1. per totum.

Explicatio Tituli eiuſq; ſenſus data à Caiet.

CAietanùs explicat titulum ſic. Auctores ſub varijs formalitatibus proponunt difficultatem. Prima an ſit verum quod eſſentiæ accidentales non ſint eſſentialiter abſolutæ à receptiuo; ſecundo an ſit verum quod eſſentiæ accidentales neceſſariò per ſubiectum definiantur; & tertio an inhærentia aptitudinalis, vel actualis ſit de eſſentia accidentis, & hoc quo ad curſum naturalem; ſpectata poſteà diuina omnipotentia quærimus cum S. Doctore

an

an accidentia remaneant ſine ſubiecto in hoc Sacramento in 3. p. q. 77. a. 1. A multis prima tria quæſita ſeparatim conſueuerunt tractari, primo definientibus de accidentis eſſentia, mox de definitione: ſed nos docendo qualis ſit eſſentia accidentis, ex hoc patet negotium de eiuſdem definitione, quia hæc duo inſeparabiliter ſe conſequuntur quia qualis eſſentia, talis definitio, & hæc omninò ex illa pendet, & propterea ſub vnica illa formalitate libuit hoc explicare. Ità Caiet.

Notab. 1. Caiet. in quo ex D. Th. explicatur quid ſit iſta inhærentia aptitudinalis.

Quo ad primum Caietanus ex Ariſt. & D. Th. notat in c. 7. q. ſua 15. quod aliquod eſſe abſolutum, vel reſpectiuum ſtat dupliciter, ſcilicet à ſubiecto, & termino. Ens abſolutum à ſubiecto eſt id quod non eſt natum recipi in alio, vt ſubſtantia; reſpectiuum autem aliud vt ſubiectum eſt id quod eſſentialiter natum eſt recipi in alio, vt omne accidens. Abſolutum à termino eſt id quod formaliter non reſpicit aliud præciſè vt terminum ad quem vt ſubſtantia, quantitas, qualitas; reſpectiuum autem ad aliud vt terminum eſt id quod formaliter reſpicit aliud præciſè vt terminum ad quem, ſicut prædicamentum relationis. In hoc enim differt relatio pertinens ad prædicamentum relationis ab alijs reſpectibus cæterorum generum (qui à quibuſdam tranſcendentes vocantur,) quod reſpectus pertinens ad genus ad aliquid eſſentialiter, eſt ad aliud non vt receptiuum, vel cauſam efficientem, aut formalem, aut finalem, ſed præciſè eſt ad aliud tanquam terminum; vnum enim relatiuorum nec eſt forma, nec finis, nec efficiens alterius, ſed terminus. Propter quod dixit B. Albertus Magnus quod vnum relatiuorum non eſt definiendum per reliquum, eo quod ly per denotat cauſalitatem. Reſpectus autem aliorum generum, qui propter vocabulorum penuriam reſpectus dicitur, reſpicit eſſentialiter aliud, ſed vt ſubiectum, vel materiam, vel formam, & è contrà, vt de Commenſuratione animæ intellectiuæ dicitur. Cum ergo inhærentia aptitudinis importet reſpectum ad aliud vt receptiuum, ipſam non de genere relationis, ſed identificatam cuilibet generi, modò ens abſolutum, modò relatiuum ſignificare dicimus. Vndè non prohibetur inhærentia aptitudinalis eſſe de eſſentia accidentis abſoluti ex eo quod eſt reſpectus. Imò ex hoc quod accidens abſolutum à ſubiecto non eſt, licet à termino, ſequitur, quod de eſſentia eius ſit eſſentialis dependentia ad ſubiectum, quam inhærentia aptitudinalis explicat. Ità Caiet. loc. cit.

Notab 2. Caiet. in quo declaratur modus dicendi D. Th in ordine ad conſeruationem ſupernaturalem accidentis.

Notat 2. Caiet. in 3. p. q. 77. art. 1. in principio Commenti differentiam modi dicendi D. Th. à modo dicendi ipſius Scoti in ordine ad potentiam Dei conſeruatiuam accidentis ſine proprio ſubiecto. Primò differt quo ad eſſe, nàm cùm accidens in ſubiecto non ſit quod eſt, ſed quo eſt, ex ſola conſeruatione accidentis in ſuo eſſe non conſeruato ſubiecto, non acquirit accidens nouum modum eſſendi, ſed perdit priorem per modum ſignificatum per ly, In, definit enim eſſe actualiter inhærens, ſed vbi conſeruationi apponitur collatio noui modi, accidens non ſolùm perdit actualiter inhærere, ſed acquirit nouum modum eſſendi, vt quod prius fuerat quo eſt, modo ſit quod eſt, & hic eſt modus eſſendi ſubſtantiæ. Et huic differentiæ annectitur altera, quod conſeruatio ſola accidentium ſine ſubiecto, eſt veluti violentia, hoc eſt quod ſi fieret ab agente ſecundo eſſet violentia, quemadmodum ſi lapis abſq; aliquo alio fulcimento ſola agentis virtute ſuſtineretur in loco ſuperiori. Et ratio violentiæ eſt, quia accidens cum ſuo eſſe ſeparatum ab inesse, ſuſtinetur vt prius erat, ſcilicet quo eſt, ex quo non acquirit aliun eſſendi modum. At ſi accidens cum modo eſſendi per modum ſubſtantiæ conſeruetur ſinè ſubiecto, naturaliter conſeruatur in ſupernaturaliter acquiſito eſſendi modo.

Secunda differentia in modo di-

Secundo differunt quo ad eſſe ſubiectum, nàm ex ſola conſeruatione accidentium ſine ſubiecto, dimenſiones non ſunt plus ſubiectum aliorum accidentium, quam

Ff 2 prius

Digitized by Google

cendi D. Th à modo dicendi Scoti.

priùs erant: priùs erant ſolùm receptiuæ accidentium, & non ſuſtentatiuæ eorũdem; poſt ſeparationem igitur, tàm dimenſiones, quàm reliqua accidentia remanent ſine ſubiecto ſuſtentatiuè; & intèr dimenſiones, & alia accidentia hoc inter eſt, quod accidentia alia retinent ſubiectum receptiuum, ideſt ſe ipſas dimenſiones; ipſa verò quantitas caret etiàm receptiuo, ſed vbi quantitati collatus ponitur modus ſubſtantiæ, ipſa quidem nec ſuſtentatiuo eget, quia eſt per modum ſubſtantiæ, reliquorum verò accidentium ipſa eſt receptiuum, & ſuſtentatiuum, receptiuum quidèm ex ſe, ſuſtentatiuum verò ex acquiſito modo ſubſtantiæ.

Tertia differentia.

Tertiò differunt ſecundùm actionem, quia ſola conſeruatio non conſtituit actiuum ſubſtantiæ, & per modum ſubſtantiæ, ſed modus eſſendi per modum ſubſtantiæ conſtituit actiuum vt quod reſpectu omnis producibilis, cuius ibi ſaluatur actiuum vt quo.

Quarta differentia.

Quartò differunt quo ad paſſionem, ſeù potentiam paſſiuam, quoniam per ſolam conſeruationem non acquirunt nouam aliquam potentiam paſſiuam, ſed ſi collatus ponitur modus ſubſtantiæ, collata conſequentèr ponitur vis, atque potentia ſubſtantiæ vt poſſit inde fieri, quidquid poſſet ſubſtantia. ſi eſſet. Ità Caiet. loc. cit.

Opinio D. Th. & antiquorũ Philoſophorum quod eſſentia accidentis ſit aptitudinalis inhærentia recitata, & explicata à Caiet.

Quo ad ſecundum Caiet. de inhærentia aptitudinali, ait, quod S. Doctor cum ſuis Diſcipulis ſuſtinet vbiq; inhærentiam aptitudinalem eſſe de eſſentia accidentis, quidquid dicant aliqui quod in via Ariſt. vtraq; inhærentia, & actualis, & aptitudinalis ſit de eſſentia accidentis, & quod melius dicitur à Philoſophis, dicunt iſti, quod eſſentia actualis eſt ipſummet accidens, quàm quod ſit de eius eſſentia. Sanctus Doctor tamen, & Capreolus, & Alenſis, & Ferr. 4. c. g. c. 65. & vt Philoſophi, & vt Theologi ſentiunt cum Auicenna, qui purus fuit Philoſophus cit. à D. Th. in 4. ſent. diſt. 12. q. 1. a. p. quæſtiuncula 1. ad 1. & 2. & 3. p. q. 77. a. 1. ad 2. Inhærentiam ſolùm aptitudinalem eſſe de eius eſſentia, & quando S. Doctor, addit Caietanus, probat poſſe accidens actu à ſubiecto ſeparari, ex propoſitionibus ſcitis, & non creditis, & ex Phyſica depromptis id efficit. Quidquid dicant etiàm Bacchon, Iandunus, Sueſſanus, in via fidei inhærentiam actualem, ſed tantùm aptitudinalem eſſe de eſſentia accidentis. Et Dominicus Soto cum antiquis Thomiſtis varia Philoſophorum dicta refert, quibus non omnino impoſſibile fuit viſum, accidens poſſe eſſe abſque ſubiecto. Quod iſta poſtea aptitudinalis inhærentia non ſit Relatio ſuſtinemus contrà Scotum, qui in 2. ſent. diſt. 12. q. 1. Concl. 3. qui dicit quod ſi hic reſpectus accidentalitas, fuerit accidens abſolutum, puta quantitas, qualitas, eſt impoſſibile quod quæuis inhærentia ſit de eius eſſentia, ſed in alio loco videtur innuere inhærentiam aptitudinalem, & negare actualem. In prima tamèn quæſt. ſua ſuper 7. Diuin. diſtinguendo quod aliud eſt aliquid eſſe idem realiter, & eſſentialiter alicui, & aliud eſt eſſe de eius eſſentia, dicit aptitudinem eſſe eandem eſſentialiter, vel realiter ipſi accidenti, & negat neutram inhærentiam, & actualem, & aptitudinalem eſſe de eſſentia accidentis. Ità Caiet.

Opinio Scoti, & D. Th. recitata à Caiet quo ad conſeruationem accidentis ſinè proprio ſubiecto in Euchariſtia.

Quo ad verò conſeruationem ſupernaturalem accidentis ſinè proprio ſubiecto in Euchariſtia Caiet. ſic diſcurrit in 3. p. q. 77. a. p. In quæſtione iſta de accidentibus Euchariſtiæ omiſſa tanta opinionum varietate, vt ſolidior, rationabiliorque via appareat notandum duxi, duplicem eſſe opinionem de modo eſſendi iſtorum accidentium ſine ſubiecto. *Prima* opinio eſt, quod iſta accidentia ſunt ſinè ſubiecto per ſolam conſeruationem à Deo extrinſecam, ipſiuſque ſola manutenentia, ità quod cùm prius haberent duo, ſcilicet eſſe in ſubiecto, & vtrumque conſeruabatur à Deo, poſteà deſinente Deo conſeruare ly ſubiecto, & conſeruante eſſe quod habebant ipſa ſine ſubiecto ſunt. Ità Scotus in 4. ſent. diſt. 12. S. Doctor autèm ſu-

ſti-

Digitized by Google

ſtinet, quod vltrà conſeruationem additur noua actio diuina conferens accidentibus his nouum modum eſſendi, ſcilicet per modum ſubſtantiæ, vndè collatum ſit dimenſionibus habere ſubſtantiæ proprietatem, actum, vim, atq; virtutem, vt plenius manifeſtauimus ſuprà in ſecundo noſtro notabili. Ità Caiet. loc. cit.

Quo ad 3. Prima Concluſio ponitur à Caietano ex D. Th. tex. 1. c. 7. ſic. Inhærentia aptitudinalis eſt de eſſentia accidentis, & non eſt relatio. Probatur à Caietano tali forma immò declaratur. Conſona eſt hæc noſtra poſitio rationi ergo &c. probatur hoc. Sicut eſſe, Ad, conſtituit accidentis relationem, ità eſſe, In, conſtituit accidens vniuerſale: contrahitur enim ens per ſe per, In, ad nouem genera accidentium; & ideò ſicut, Ad, eſt de eſſentia relationis ità, In, eſt de eſſentia accidentis. Vnde ſimplicius in Comment. Prædicam. ait quod ly ineſſe nullum conſtituit genus, ſed omne accidens circuit. Et S. Doctor in pluribus locis, ait, quod definitio accidentis eſt hoc ſeù aliud, huiuſmodi cui eſſe debetur in alio, vndè ſi inhærentia aptitudinalis non eſſet de eſſentia accidentis, poſſet completa definitione ipſum accidens concipi abſq; aptitudinali inhærentia in eius definitione poſita, quod eſt impoſſibile: opportet enim ipſum in ſua definitione habere eſſentialem dependentiam ad ſubiectum, quam inhærentia aptitudinalis explicat, alitèr ſubiecto non eſſet opus ad definiendum. Ità Caiet. loc. cit.

Concl. 1. Caiet. ex D. Th. cum ſua probatione quod inhærentia aptitudinalis eſt de eſſentia accidentis, & quod non ſit relatio.

Et confirmatur ex D. Th. in Reſp. ad 2. q. 77. 3. p. pro ſaluanda definitione, & eſſentiæ accidentis in accidentibus Euchariſtiæ ſic diſcurrit. Ens cùm non ſit genus, hoc ipſum quod eſt eſſe non poteſt eſſe eſſentia ſubſtantiæ, vel accidentis. Definitio ergo ſubſtantiæ non erit hæc eſt ens per ſe ſinè ſubiecto, nec definitio accidentis erit hæc, eſt ens in ſubiecto. ſed opportet dicere ſic, quod quidditati, ſeù eſſentiæ ſubſtantiæ competit habere eſſe non in ſubiecto, ſed per ſe exiſtere, & in ſe ſubſiſtere; quidditati autèm, ſiuè eſſentiæ accidentis competit habere eſſe in ſubiecto; in hoc autèm Sacramento non datur accidentibus, quod ex vi ſuæ eſſentiæ non ſint in ſubiecto, ſed ex diuina virtute ſuſtentante; & ideò non deſinunt eſſe accidentia, quia nec ab eis ſeparatur definitio accidentis, nec competit eis definitio ſubſtantiæ. Ità Caiet. ex D. Th. loc. cit.

Confirmatio ex D. Th prædictæ rationis probatiua.

2. Concluſio ponitur à Caiet. ex D. Th. in 3. p. q. 77. 2. p. ſic. Rationabilior eſt opinio D. Th. ponens conferri dimenſionibus modum, & vim ſubſtantiæ in accidentibus Euchariſtiæ.

2. Concl. Caiet. cũ ſua probat. quod ſcilicet opinio D. Th. eſt rationabilior, dimenſiones habere modum, & vim ſubſtantiæ.

Probatur à Caiet. primo diſcurſu rationabili ſic. Vnico miraculo opinio D. Th. vt ſolidior ſaluat omnia apparentia, & naturalitatem omnium actionum, & paſſionum, ergo vt talis eſt amplectenda. Probatur hoc. Saluantur primò naturaliter omnes, quæ ad ſenſum apparent mutationes à naturalibus agentibus circà Euchariſtiam; nàm ſuppoſito hoc vno miraculo, quæcumq; fiunt naturaliter, ſaluantur, ac ſi fierent in ſubſtantia, ex hoc quod vice ſubſtantiæ ſupponitur Quantitas ſcilicet habens modum, vim, & proprietatem ſubſtantiæ, quia non plus ex immediata conſeruatione manutenentur, quàm cùm mediante ſubſtantia conſeruantur: eſt enim conſeruatio Dei ſuauis rebus ipſis conſeruatis, & ideò non conſeruatio diuina, ſed res conſeruata ſuccumbit agenti naturali corrumpenti quo ad actionem, & paſſionem. Inſuper ſecundò apparet rationabilior, ex hoc, quia paucitas miraculorum præeligenda eſt potiùs quam multitudo, ſed ſic ponendo vnum ſolum miraculum, ponitur quod etiam eſt conſecrationi annexum ergo &c. Ad ſenſum enim conuincimur, quod ex ſpeciebus illis educibilis eſt de potentia ad actum per agens naturale raritas, quæ non eſt educibilis de potentia dimenſionum, & reliquorum accidentium ibi exiſtentium, niſi ſicut medio; quoniam conſtat raritatem educi de po-

ten-

ſentia materiæ paruificabilis ſub amplioribus dimẽſionibus: ex eo enim quod ibi non eſt materia, niſi ponatur aliquid vice materię, opportet dicere, aut huiuſmodi ſpecies nõ eſſe rarefactibiles, aut per agens naturale educi raritatẽ de potẽtia ad actũ abſq; aliquo ex quo ſit educibilis raritas de potentia ad actum, quod non eſt intelligibile abſq; nouo miraculo. Igitur ne pluralitas miraculorum ponatur non oppottet eſſe ſollicitum circà entitatem prædictorum, ſcilicet modi eſſendi, proprietatis, vis, virtutiſque ſubſtantiæ ſi res de genere accidentium, puta quantitas, ponatur cum ſuo eſſe, & ſit ideò vis, virtuſque ſubſtantiæ habens actum, modumq; ſubſtantiæ. Ità Caiet.

Alio diſcurſu magis rationi conſentaneo probatur à Caiet. ſua Concl.

Declaratur alio diſcurſu manifeſtiori à Caietano probante Concluſionem ſic. Si conſideremus ea quæ opinata ſunt in Phyſica rationabilior adhuc apparet poſitio S. Thomæ prædicta, ergo &c. probatur &c. Videmus in primis in Elementis quædam non ſemina proportionalia ſeminibus, cùm generetur Animal ex putrefactione; videmus quoq; imperfectiſſima entia qualia ſunt ſemina vicem gerere perfectorum Animalium, cum generantur Animalia perfecta per propagationem; opinamur quoq; dari proportionalia membra, puta in carentibus corde aliquid proportionale loco cordis; credimus quoq; lumen effici vi Aſtri illius in quo recipitur puta Lunæ, & tenent multi, accidentia propria eſſe vires ipſarum ſubſtantiarum; ex quibus omnibus ſi aduertamus, quantitatem eſſe rem propinquæ, & quaſi proportionalis naturæ cum materia, vtiq; non apparebit impoſſibile, aut à ratione alienum, quod ipſa met res, quæ eſt quantitas, fiat vice materiæ, & ſit, ac ſuppleat officium materiæ, veluti quoddam proportionale materiæ, ſicut proportionale cordi facit officium cordis, nec opportet aliam entitatem quærere, quoniam accidentia fluentia à principijs ſubſtantialibus ſubſtantiæ, & hoc ipſo, quod ex principijs illis fluunt, ſunt non ſolùm accidentia puta calor, ſed ſunt vis, & virtus ſubſtantiæ, ità quod poſſunt producere ſubſtantiam, vt alias diffusè dictum eſt in Phyſica, licet aliqui ſentiant contrarium; dicatur igitur quod pariformitèr quantitas Euchariſtiæ poteſt ſortiri à ſuprema omnium ſubſtantiarum, vt ſit vice ſubſtantiæ &c. multò enim vehementioris, ac intimioris efficaciæ eſt primæ ſubſtantiæ actio, quam quicumq; fluxus accidentis à principijs ſubſtantialibus ſubiecti. Hic ergo eſt modus, quo facillimè, abſq; multiplicatione tàm miraculorum, quàm entitatum ſaluatur apparentia circà accidentia Euchariſtiæ intèr agendum, & patiendum. Ità Caiet.

Caiet. affert ex D. Th. textu rationabilia de accidentibus pro ſua concluſione 2.

Quibus prælibatis; addit Caietanus, ex D. Th. 3. p. q. 77. cit. ad 1. & 4. ad ſingula deſcendendo, habemus primò quod accidens tranſit de quo eſt, in quod eſt, & eſt deinceps compoſitum ex quod eſt, & quo eſt. Et in Reſp. ad 1. a. 2. habemus, quod quantitas tranſit de ſubiecto medio in recipiendo, ad ſubiectum in ſuſtentando. Et in art. 3. in Reſp. ad 3. Tertiò habemus quod id quod diximus ſuprà de accidentibus fluentibus à ſubſtantia, totum ibi habetur. Ità Caiet in loc. cit. 3. p. q. 77. cit.

Arg. 1. Caiet. ex Scoto contra 2. Concluſionem.

Quoad 4. Arguit Caietanus contrà hanc ſecundam Concluſionem ex Scoto. Duo mihi ſunt intolerabilia, ait Scotus. Primum quod forma ſubſtantialis geniti non ſit immediatè à forma ſubſtantiali generantis; ſecundum eſt quod qualitates agant in virtute formæ ſubſtantialis producendo ſubſtantiam: ſed D. Th. fundat ſuper hæc duo ſuam doctrina de diſpenſatione accidentis à ſubiecto: ergo eſt intolerabilis ſua doctrina. Maiorem longo proceſſu probat Scotus, vt diximus in Phyſica &c.

Reſp. Caiet. ad Arg. Scoti.

Reſp. Caietanus præter ea quæ dixit in Phyſica, declarando hic ſolummodo ſenſum S. Doctoris, quem forte noluit intelligere Scotus, ſibi dando occaſionem impu-

pũgnandi D. Th. Quando igitur dicimus qualitates agere in virtute formæ ſubſtantialis non ſomniamus rem aliam abſolutam, aut reſpectiuam, ſed ipſam qualitatem eſſe virtutem illius ſubſtantiæ, ſicut dicimus ſemen eſſe virtutem generantis: propterea ſicut conſeruato ſemine ſemen Bouis generat Bouem, & ſemen Hominis generat hominem, procul dubio in virtute hominis à quo fluxit (Sol enim, & Homo generant hominem ex ſecundo Phyſicorum) & tamen non oportet ſemen illud ſubordinari defuncto homini, ita quod referatur ad illum, aut moueatur ab illo: ſat eſt enim ſeruari ſicut fluxit ab illo. Qualitas pariformiter vini conuerſi in ſanguinem Chriſti, quia erat virtus vini, ſi pro quiá conſeruatur, ſicut erat productiua eſt vini, conuerteret nihilominus Guttam aquæ in vinum, non minus quàm ſi ſubſtantia vini ſubeſſet: Nec oportet ſubordinari vino conuerſo, nec moueri ab illo, ſed dicitur agere in virtute illius, quia eſt virtus, quæ fluxit ab ipſo. Ità Caietanus in fine Comm. art. 1. q. 77. 3. p. qui ait, ſed hæc Metaphyſicis reſolutionibus reſeruemus.

Arg. 2. Caiet. ex Scoto contrà 1. Concluſionem.

Arguit ſecundo Caiet. contrà 1. Concluſionem ex Scoto in 4. ſent. diſt. 12. q. p. nulla relatio eſt de conceptu formali rei abſolutæ: omnis relatio eſt inhærentia: ergo nulla inhærentia eſt de conceptu formali rei abſolutæ. Vel ſub alia forma arguitur ſic. Id quod eſt eſſentialiter ad ſe non includit in ſe eſſentialiter reſpectum ſecundum Aug. 7. de Trin. cap. 2. Sed accidens abſolutum eſt ad ſe: ergo accidens abſolutum non includit eſſentialiter reſpectum: ſed inhærentia eſt reſpectus: ergo &c. Vel ſub alia forma formatur ratio Scoti ſic. Omne quod relatiuè dicitur, eſt aliquid prætèr relationem: fundamentum enim relationis eſt aliud formaliter à relatione: ſed accidens abſolutum, puta qualitas relatiuè dicitur inhærens, ergo eſt aliquid abſolutum præter inhærentiam.

Reſp. Caiet. ad Arg. Scoti.

Reſp. Caietanus, quod minor Scoti eſt falſa, & deceptus videtur Scotus, quia non vidit differentiam intèr reſpectum In, & Ad; reſpectus enim, In, non eſt relatio, nàm licet talis reſpectus terminetur ad ſubiectum, & conſequentèr ſubiectum ſit terminus, non terminat tamen vt terminus, ſed vt receptiuum illius. Et hoc oportet hic valdè attendere. Aliud eſt enim dicere, A, eſt terminus talis reſpectus, &, A, terminat talem reſpectum vt terminus, vt diximus in notabilibus. Et per hoc patet Reſp. ad alias formas eiuſdem Argumenti ſemper enim ſupponunt aptitudinalem inhærentiam eſſe relationem. Ità Caiet.

Arg. Caiet. ex Scoto contrà eandem Concluſionem.

Arguit Caiet. contrà eandem primam Concluſionem. Inhærentia aptitudinalis per nos eſt de eſſentia accidentis: ergo quantitas, & qualitas per nos, non ſunt genera generaliſſima. Tenet conſequentia ex eo, quod tunc à quantitate, & à qualitate cæteris accidentibus poſſet abſtrahi conceptus communis quidditatiuus eiuſdem rationis in omnibus illis inferior conceptu entis, & ſuperior nouem illis generibus, ſcilicet eſſe, In; Et ſic cum omnis talis conceptus ſit genus, nouem genera accidentium non erunt generaliſſima: haberent enim ſuperueniens genus.

Reſp. Caiet. ad Arg. Scoti.

Reſp. Caietanus negando conſequentiam. Dicitur namque quod eſſe, In, eſt diuerſarum rationum in prædicamentis ſicut, & ens; ſiquidem, In, eſt Analogum ad nouem genera accidentium, ſicut, & ens ad omnia genera. Et nota quod in accidentibus Euchariſtiæ auſertur actualis inhærentia ab ſubiectum cum per ſe ſubſiſtant, ſaltèm quantitas, quæ in nullo eſt, vt in ſubiecto, & non auſertur aptitudinalis, ſemper enim ſunt eiuſmodi naturæ, quibus ſecundum ſe, & vt ſic acceptis debetur illa inhærentia, vt ſcilicet reſpiciant ſubiectum, quia entitas illa cuius ſunt genus, & differentia non eſt à ſubiecto abſoluta. Et recole ſemper quod accidentia illa nouem genera nullam naturam determinatam dicunt quapropter nequit eſſe,

eſſe, In, genus, in quo generaliſſima conueniunt. Itá Caietanus in fine q. 15. cap. 7. & alibi pluribus in locis.

Appendices ad Lectionem 17. Metaphyſicalem in Tractatu de Ente, & Eſſentia.

CIrca iſtam inhærentiam aptitudinalem, quæ ſtatuitur eſſentia accidentis á D. Th. & Caiet. vide Ripam in hoc c. 7. q. 1. explicantem dilucidè dicta S. Thomæ, & Caietani à pag. mihi 885. vſq; ad 895. Et legas etiàm Caiet. lib. 2. de Anima c. 2. pag. mihi 80. vbi habet quod accipiendo differentiam accidentis in ly ineſſe abſtractiuè ſcilicet accidens eſt res, cui debetur, quod eſſe ſuum ſit inhæſiuum, ſiuè actualiter inhæreat, ſiuè non nil curando, non poteſt eſſe ſenſus niſi verus, & ſubtilior, & profundior, & tanto Philoſopho dignior, cui ſenſui videtur conſentire Paulus Soncinas in 2. Concl. 7. Met. q. 1. ſcilicet non curando quod dicatur quod inhærentia actualis vel aptitudinalis ſit de eius eſſentia. Iauellus eodem loco in tertia diſtinctione docet quod ſecundum Ariſt. vel neutra inhærentia, vel vtraque eſt de eſſentia accidentis. In fine tamèn quæſtionis docet cum S. Doctore, & Caietano, & Capreolo ſolam inhærentiam aptitudinalem eſſe de eius eſſentia.

De hac retamen legendus eſt omnino noſter Mag. Picinardus Theologûs Vniuerſitatis Patauinæ qui in ſua Apocriſi cap. 6. & 7. præcipuæ §. 2. vbi per quindecim Argumenta depuratur à furfure veritas Catholica de accidentibus in Euchariſtico Pane contrà illam abſurdiorem Philoſophicam nouitatem negantem accidentia Euchariſtica in ſe quid reale eſſe, & aſſerentem Corpus Chriſti Domini, vice nedum ſubſtantiæ Panis, ſed Accidentium ſenſus noſtros immutare, ac deludere, contrà quæ inclamat Tertullianus lib. de Carne Chriſti, inclamat, & etiam Picinardus noſter, omniſque Schola Thomiſtarum, & Scotiſtarum. Inclamat condemnatio facta à Summo Pontifice Clemente X. recitata à noſtro Picinardo pag. mihi 165. Legas igitur ipſum à pag. 111. vſq; ad pag. 156.

Legas etiam Eminentiſſimum noſtrum Capizuchium in ſuo Tomo celeberrimo de quo erit ſermo alibi. Legas etiam Minaldum noſtrum in ſua abbreuiata Metaphyſica lib. 3. dub. 10. verùm ſubiectum ſit prima radix indiuiduationis accidentium.

Et vt plenius intelligatur Concluſio D. Th. in 3. p. q. 77. art. 1. ſcilicet quod accidentia in hoc Sacramento manent ſine ſubiecto, quod quidem virtute diuina fieri poteſt, opus eſt Diſcipulo Thomiſtæ legere, & iterum legere litteram Textualem ibi D. Thomæ, & Commentaria Caietani ibi pro ſua ſecunda Concluſione, quantum ad modum eſſendi eorumdem accidentium in quantitate, quæ gerit vicem ſubſtantiæ, quæ priùs erat ſubiectum eorum proprium. Et nota Reſp. D. Th. ad quartum, vbi Venerab. Porrecta dat hanc doctrinam circà ly accidentia per Conſecrationem adipiſcuntur, ſeù habent eſſe, vndè ſunt compoſita ex eſſe, & quod eſt, vt in p. p. de Angelis diximus q. 50. a. 2. ad 3. & cum hoc habent etiàm compoſitionem partium quantitatiuarum. Hucuſq; D. Th. & Porrecta addit. Hinc ex D. Th. habes, quod accidentia in Sacramento ſinè ſubiecto remanentia non ſunt ſimpliciora quàm Angeli, qui ex eſſe, & quod eſt componuntur loc. cit. Imò, & non ſunt æquè ſimplicia vt Angeli, quoniam ipſa accidentia habent vnam compoſitionem, quam non habent Angeli, compoſitionem, ſcilicet partium, quantitatiuarum ex hac Reſp. D. Th. & declaratione Venerab. Porrectæ, & ex ijs quæ habet

Caie-

Caietanus in præſenti lect. 17. quantùm ad modum eſſendi accidentium, habes diſcipule mi Thomiſta, quomodo poſſis euadere Metaphyſicus perfectus diſcurrendo de eſſentia accidentium. Legendo poſtea litteram D. Thom. textualem, & Appendices eiuſdem Ven. Porrectæ de modo quo remaneant ſine ſubiecto in Sacramento accidentia habes vndè euadas perfectus Theologus, & Canoniſta contrà Vuicleſum confutando ipſum cùm Concilijs Conſtantienſi, Lateranenſi, & Florentino, quia vt accidentia remanerent in ſubiecto ponebat ſubſtantiam panis, & vini poſt conſecrationem remanere, & ſic negabat verè dari tranſubſtantiationem panis, & vini; ſicuti & adeſt contrà Nouatores Condemnatio Clementis X. recitata à Magiſtro noſtro Piccinardo prout ſuprà &c. legas etiàm litteram textualem D. Thom. art. 2. quæſt. 77. in 3. p. vbi concludit D. Thom. quòd neceſſe eſt dicere, quòd accidentia alia, quæ remanent in Euchariſtiæ Sacramento ſunt ſicut in ſubiecto in quantitate dimenſiua panis, & vini remanente, ex quo articulo Caietanus ſumpſit fundamentum ſuæ Concluſionis ſecundæ ſuprà, & legas etiàm Appendices ſuper hunc articulum ſecundum ipſius Vener. Porrectæ, &c.

TRACTATVS QVARTVS
INCIPIT
METAPHYSICALIS.

LECTIO PRIMA METAPHYSICALIS.
SVPER PRINCIPIA INTRINSECA ESSENTIÆ.

Quid ſit Perſona an ſit idem quod eſſentia, ſuppoſitum, ſubſiſtentia, & hypoſtaſis.

***Ex Caietano in* 1. *p. q.* 29. *art.* 1. *&* 2. *&* 39. *art.* 1.**

Declaratio totius Tituli eiuſq; ſenſus in ly perſona præcipuè data à Caietano.

CAIETANVS poſt diligens examen Metaphyſicale dè ente, & eſſentia in præcedenti Tractatu tertio. In hoc quarto reducit ad examen principia intrinſeca eiuſdem eſſentiæ; & ſic in locis citatis præcipuè in quæſt. 29 art. 1. declarat titulum, & dicit intrinſeca naturæ præcipuè intellectualis ſunt perſona, ſuppoſitum, ſeù ſubſiſtentia, & hypoſtaſis. Et hic aduerte quod cùm vnaquæque Ars terminis vtatur, prout in illa Arte conſueuerunt accipi, quod ex eo liquet, quia ſignificatio nominis eſt ad placitum, & tantò magis translatio ex vna ſignificatione in aliam, cùm inquàm ſic contingat rationabile eſt vt princeps omnium ſcientiarum Metaphyſica, quæ etiàm dicitur Diuinorum ſub lumine naturali proprijs quandoque gaudeat vocabulis, & Theologia etiàm vt Regina Scientiarum ſub lumine Fidei ſuis etiàm proprijs gaudeat. Et propterea non quæritur hic de nomine perſonæ vtcumque, ſed vt eſt in vſu Theologorum, & Metaphyſicorum. Et ſic Laurentius Valle veluti Grammaticus inerudite arguit diffinitionem Boetij de perſona datam, quæ vt infrà videbimus optimè eſt data; ſi de perſona modo declarato eſt inſtituenda Lectio. Et ly idem ſonat veram identitatem realem, & non eſt ſuperflua iſta quæſtio pro Diuina ſimplicitate in præcedenti Tract. declarata dùm ex D.Th. 1. p. qu. 3. iàm diximus, quòd ſit idem omninò realitèr quidquid inuenitur in Deo, quia hic non quæritur de perſona quantùm eſt ex parte ſimplicitatis eſſentiæ Diuinæ, ſed cauſam neceſſitatis aſſignamus reuocandi ad examen, dùm ex parte Trinitatis ſuppoſitorum, ſeù perſonarùm in vnitate eſſentiæ, occaſio de nouo ſumitur dubitandi an perſona in Diuinis ſit idem quòd eſſentia, cum hoc etiàm præcipuè ſpectet ad Metaphyſicum non vtcumque Gentilem, ſed Catholicum, Ità Caiet. loc. cit.

Quo

Digitized by Google

Notabile primũ Caietani in quo incipis declarare diffinitionem de perſona data à Boetio.

Quò ad primùm. Notat 1. Caietanus ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 29. art. 1. in Reſp. ad 1. 2. & 3. quod aliquid reale, ſcilicèt modus ſubſiſtendi vltrà naturam ſpecificam conuenit indiuiduis ſubſtantiæ, vt diximus in prædicamentis. Ex Reſponſione ad ſecundum habes poſtea, quòd ſubſtantia indiuidua non ſumitur hic, vt diſtinguitur contrà ſubſtantiam vniuerſalem, ſed vt diſtinguitur contrà eſſentiam ſubſtantiæ tàm vniuerſalem, quàm particularem. Hæc enim tantùm vocatur ſubſtantia prima, ſuppoſitum, perſona, &c. Quid autèm addat ſuprà hanc humanitatem ſubſtantia prima, ſeù ſuppoſitum hoc diſcutitur in 3. p. in vnione Verbi cùm humana natura; & in ſequenti Lectione quæ ſpectant ad Metaphyſicum dicemus. Pro nunc ſufficiat ſcire quòd addit omnimodam incommunicabilitatem, & ratione huius Deitas ſuppoſitum non eſt, & eſt ità incommunicabilis, quod nec communis eſſe poteſt, nec aſſumi, ratione cuius hæc humanitas, nec etiam ſuppoſitum eſt. In Reſponſione poſteà ad quintum habes quod ex hac diffinitione S. Seuerini Boetij tradita in libro de duabus naturis, ſcilicèt Perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia habetur, quòd anima ſit nequaquam perſona, vt contendit Scotus in 1. ſent. diſt. 23. non penetrans, quid importet ſubſtantia prima quæ hic dicitur indiuidua. Et ad primum, ait S Doctor, quòd licèt hoc, vel illud ſingulare diffiniri non poſſit, id tamèn, quòd pertinet ad communem rationem ſingularitatis diffiniri poteſt. Et ſic Philoſophus diffiniuit in lib. prædicam. cap. de ſubſtantia ipſam ſubſtantiam primam, & hoc modo Boetius diffiniuit Perſonam. Ità Caiet. loc. cit.

Notabile ſecundum Caiet. in quo comparatur ſubſtantia ad alia nomina.

Notat ſecundò Caietanus in 2. art. quæſt. 29. ex D. Thom. duas diſtinctiones. Prima eſt ipſius ſubſtantiæ in eſſentiam, & in ſubſtantiam primam; ſecunda eſt ipſius primæ ſubſtantiæ in tria nomina, duo quidem rei, & vnum intentionis. Prima eſt Phyl. in 5. Met. Subſtantia dicitur dupliciter vno modo dicitur ſubſtantia quidditas rei, quàm ſignificat diffinitio; ſecundum quòd dicimus eſt, quòd diffinitio ſignificat ſubſtantiam rei, quàm quidem ſubſtantiam Græci Vſiam vocant, quàm nos poſſumus dicere eſſentiam; alio modo dicitur ſubſtantia ſubiectum, vel ſuppoſitum, quod ſubſiſtit in genere ſubſtantiæ. Et hoc quidem communitèr accipiendo nominari poteſt, & nomine ſignificante intentionem, & ſic dicitur ſuppoſitum. Nominatur etiàm tribus nominibus ſignificantibus rem, quæ quidem ſunt, res naturæ, ſubſtantia, & hypoſtaſis ſecundum triplicem conſiderationem ſubſtantiæ ſic dictæ. Secundum enim quòd per ſe exiſtit, & non in alio vocatur ſubſtantia: illa enim ſubſiſtere dicimus quæ non in alio, ſed in ſe exiſtunt; ſecundum verò quòd ſupponitur alicui naturæ communi, ſic dicitur res naturæ, ſicut hic homo eſt res naturæ humanæ, ſecundum verò quod ſupponitur accidentibus dicitur hypoſtaſis, vel ſubſtantia. Quòd autèm hæc tria nomina ſignificant communitèr in toto genere ſubſtantiarum, hoc nomen perſona concludit S. Doctor, ſignificat in genere rationalium ſubſtantiarum. Ità Caietanus art. 2. cit.

Notabile 3. Caiet ex D. Thom in quo oſtenditur quod perſona in Diuinis imbibitur in illa re ſumma, & ratione formali ſumma adæquans totum in re, &c.

Notat tertiò Caietanus in art. 1. quæſt. 29. loquendo de Deo, quod ſicut in Deo ſecundum rem, ſiuè in ordine reali eſt vna res non purè abſoluta, nec purè reſpectiua, nec mixta, aut compoſita, aut reſultans ex vtraque, ſed eminentiſſimè, & formalitèr habens, quòd eſt reſpectiui, imò multarum rerum reſpectiuarum, & quod eſt abſoluti; ità in ordine formali, ſeù rationum formalium ſecundum ſe, non quo ad nos loquendo, eſt in Deo vnica ratio formalis non purè abſoluta, nec purè reſpectiua, non purè communicabilis, nec purè incommunicabilis: ſed eminentiſſimè ac formalitèr continens, & quidquid abſolutæ perfe-

ſectionis eſt, & quidquid Trinitas reſpectiuè exigit. Opportet autèm ſic eſſe, quia opportet cuilibet ſimpliciſſimæ rei ſecundum ſe maximè vni, reſpondere vnam adæquatam rationem formalem: alioquin non eſſet per ſe primò vnum intelligibile à quouis intellectu. Et Confirmatur hoc, quia Verbum Dei vnicum tantùm eſt: Conſtat enim Verbum ſi perfectum eſt, adæquare id cuius eſt. Fallimur autèm ab abſolutis, & reſpectiuis ad Deum procedendo, eo quod diſtinctionem intèr abſolutum, & reſpectiuum quaſi priorem re Diuina imaginamur. Et conſequentèr illam ſub altero membro opportere poni credimus, & tamèn eſt totum oppoſitum; quoniam res Diuina prior eſt ente, & omnibus differentijs eius, eſt enim ſuper ens, ſuper vnum &c. Et propterea quemadmodum virtutes inferiores non vt dearticulatæ diſtinctæ intèr ſe ad vnam ſolis virtutem etiàm formalitèr eleuantur, multò magis abſolutum, & reſpectiuum ad vnam rem, & rationem formalem Diuinam eleuantur. Ità Caiet. loc. cit.

Opinio D. Tho. acceptans vt optimam diffinitionem Boetij, & quod ſit idem quod eſſentia in Diuinis.

Quo ad ſecundùm Caietanus ex D. Thom. art. 1. quæſt. 29. in 1. p. oſtendit ibi traditam optimè fuiſſe de perſona diffinitionem à Boetio contrà Laurentium Vallequi dixit non ſignificare ſubſtantiam, ſed qualitatem. Et in art. 2. oſtendit quàm ignorantèr ſint locuti illi, qui poſuerunt hypoſtaſim, & ſubſiſtentiam in natura intellectuali non eſſe idem cum perſona. Et de identitate perſonæ cùm eſſentia, & intèr illa nomina recitat Caietanus confutationem D. Thomæ circà primum modum dicendi qui ponebat eſſentiam ſignificare communia, & cætera nomina perſonarum diſtinctionem. Sed S. Doctor cenſurat illum & in quæſt. 29. cit. & in 1. ſent. diſt. 23. dicens, quòd etiàm ſi Deus non eſſet Trinus, ſed vnus tantùm ſecundum Philoſophos Metaphyſicos nihilominùs ſecundum iſtos datur in Deo, & eſſentia, ſeù quo eſt, ideſt Deitas, & id quod eſt, ſcilicèt Deus, & Deus dicitur eſſentia non ex eo quòd dat eſſe, ſed ex eo quod habet eſſe, inquantum dat eſſe, & ſapientiam, dicitur efficere eſſe, ac ſapientes; inſupèr non benè loquuntur iſti dicentes nomen hypoſtaſis ſignificare in abſtracto proprietatem, quia eſt nomen concretum, vt hoc nomen Pater, & ſic primus modus dicendi non eſt congruus. Videatur de alijs modis dicendi circà hæc nomina D. Thomas, & quæſt. 29. cit. & in 1. ſent. diſt. 23. ſufficiat ſcire ne egrediamur à Metaphyſica quod in art. 2. quæſt. 29. D. Thom. ait, quod hoc nomen ſuppoſitum, ſingulare, particulare, indiuiduum, & hæc ſubſtantia ſunt nomina ſecundæ intentionis, quando autèm nominatur res naturæ, ſubſiſtentia, & hypoſtaſis ſunt nomina primæ intentionis. Ità Caietanus.

Opinio D. Tho. circà nomen perſona explicata à Caietano contrà Porrectanos qui dicebant non eſſe idem quod eſſentia.

Et S. Doctor in quæſt. 39. art. 1. in 1. p. (ait Caietanus) recitat opinionem Porrectanorum, qui volunt Perſonam non eſſe idem quod eſſentia, quia eſt relatio tantùm aſſiſtens, & conſequentèr non tranſit in eſſentiam, nec in perſonam: ſed hoc patet eſſe falſum, quia relatio in rebus creatis non ſolùm aſſiſtit, ſed ineſt, & ſic in Deo non ſolùm adeſt, ſed ſubſtantiale eſſe habet, vt oſtendit S. Doctor in quæſt. 28. & ſic S. Thom. tenet quod in Deo non eſt aliud ſecundum rem eſſentia à perſona, ſed ſecundum rationem tantùm. Perſonæ tamèn à ſe ipſis inuicem ſecundum rem diſtinguuntur, ſicùt nec relationes ipſæ diſtinguuntur ab inuicem ſecundum quòd ſunt idem realitèr cùm eſſentia. Et ad primùm S. Doctor ait, quòd in creaturis non poteſt eſſe diſtinctio ſuppoſitorum per relationes, ſed opportet quod ſit per principia eſſentialia, quoniam relationes non ſunt ſubſiſtentes in creaturis, vt ſunt in Diuinis, & ideò ſecundum quod habent oppoſitionem ad inuicem poſſunt diſtinguere ſuppoſita; & in creaturis ſuppoſita relatiua dari non poſſunt. Ità Caietanus ex D. Thom. loc. cit.

Quo

Digitized by Google

Prima Concluſ. Caietani ex D. Th. cum ſua probatione quod ſcilicet ſit optima diffinitio Perſonæ data à Boetio,

Quò ad tertiùm. Caietanus pro diffinitione perſonæ ponit ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 29. art. 1. hanc primam Concluſionem. Diffinitio Boetij eſt competens, ſcilicèt Perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia.

Manifeſtatur ſic à Caietano in fine Comment. art. 1. Præfata diffinitio explanat ambas proprietates indiuidui rationalis naturæ, ergò eſt competens, &c. Probatur, quia eam, quæ conuenit ſibi in quantùm eſt ſingulare ſubſtantiæ, explanat per ly indiuidua ſubſtantia; eam verò quæ competit ſibi in quantùm ſingulare rationalis naturæ, explanat per ly rationalis naturæ, cùm enim indiuiduum inferioris, ſit etiàm indiuiduum ſuperioris vtriuſque conditiones habere oportet; & rurſum cùm tribuantur indiuiduo duo, ſcilicèt eſſe, & operari, per vtrumque indiuidua ſignificauit primò, ſcilicet per eſſe, ſecundò per operari, vniuerſalia enim neutrum habent.

Declaratio ſecunda pro prima Concluſione facta à Caietano ex D. Th.

Declaratur ſecundò à Caietano eadem Concluſio ex D. Thom. art. 3. ad 4. ſic. Perſona dicitur ſubſtantia quatenùs ſubſtantia non dicitur à ſubſtando accidentibus, ſed à per ſe exiſtere, dicitur ly indiuidua, non prout eſt nomen ſecundæ intentionis, vt ad tertium dicitur, neque pro vt dicit ly indiuidua, ſubſtantiam indiuiduam per materiam, ſed ſolùm ſecundum quòd importat incommunicabilitatem; dicitur ly naturæ rationalis non ſecundum quod propriè ratio diſcurſum importat ſed communitèr, ideſt vt permittitur ſe extendere ad omnem naturam intellectualem ſignificandam. Et hoc modo tàm Homo, quàm Angelus, & Deus eſt perſona, ideſt ſubſtantia naturæ intellectualis. Et in hac diffinitione ly ſubſtantia ponitur loco generis, quia ſubſtantia, eſt quid commune ad primam, & ſecundam ſubſtantiam vt docet S. Doctor ad ſecundum. Item additur ſubſtantia incommunicabilis per quam particulam ſubſtantia in communi contrahitur ad ſtandum pro ſubſtantia prima. Item additur ly naturæ prout natura ſignificat eſſentiam, vt docet S. Doctor ad quartum. Tamdèm dicitur intellectualis, quia perſona eſt nomen dignitatis impoſitum primis ſubſtantijs, ac ſolummodò indiuiduis naturarum intellectualium, ad denotandum, ſcilicèt eorum dignitatem excedentem nedum indiuidua prædicamentorum accidentium, ſed etiàm cætera indiuidua prædicamenti ſubſtantiæ. Ità Caiet. loc. cit.

Secunda Concluſio Caietani ex D. Thom.

Secunda Concluſio ponitur à Caietano in comparatione ad alia nomina ex D. Thom. art. 2. quæſt 29. Perſona ſignificat in genere rationalium ſubſtantiarum id quod ſignificant in toto genere ſubſtantiarum hæc tria nomina, ſcilicèt ſubſiſtentia; res naturæ, & ſubſtantia, ſeù hypoſtaſis.

Prob. ſecundæ Concluſionis facta à Caietano.

Manifeſtatur hæc Concluſio ex illis duabus diſtinctionibus D. Thom. allatis in Notabili ſuprà, quomodo Perſona non ſit idem quòd eſſentia, & quomodo ſit idem quòd hypoſtaſis, & ſubſiſtentia. Poteſt tamèn Concluſio probari ſic. Quando res in nobilitate, dignitate, ac perfectione naturæ ſuperat alias, tunc peculiari nomine inſigniri debet: ſed intèr ſubſtantias primas, ſubſtantia prima intellectualis naturæ, quia eſt domina ſui actus, in perfectione ſuperat alias ſubſtantias primas: ergò debet vocari particulari nomine Perſona, quod ſignificat ſubſtantiam primam, hypoſtaſim, vſioſim, ac ſubſiſtentiam naturæ rationalis.

Corrollariũ Caietani ex D. Tho. cum probatione 1. partis.

Hinc adeſt Corrollarium ex D. Thom. ſic. In genere ſubſtantiarum intellectualium omnia illa tria nomina ſunt idem cum Perſona, non tamèn abſolutè.

Probatur prima pars Corrollarij. Perſona in genere ſubſtantiarum rationalium per ſe exiſtit, & non in alio, & opponitur alicui naturæ communi, & ſupponitur accidentibus; ſed ratione primi eſt ſubſiſtentia, ratione ſecundi eſt res natu-

ræ

ræ, ratione tertij eſt hypoſtaſis, ideſt ſubſtantia prima: ergò verè prima pars Corrollarij.

Probatio ſecundæ partis, quod illa nomina abſolute nō ſunt idem quod Perſona.

Probatur ſecunda pars Corrollarij. Eſſentia cùm dicatur quidditas rei, ſubſiſtentia autem res naturæ, hypoſtaſis, & perſona dicatur ſuppoſitum quidditatis illius, videtur quod non ſint idem, quia hypoſtaſis, & perſona addunt ſuprà rationem eſſentiæ principia indiuidualia, neque ſunt idem cùm eſſentia in compoſitis ex materia, & forma, vt dictum eſt in præcedenti Tractatu tertio agendo de Diuina ſimplicitate, & magis infra dicetur cum de diſtinctione ſuppoſiti à natura erit ſermo. Ità Caietanus &c.

Tertia Concluſio Caietani ex D. Tho cum ſua probatione quod perſona ſit idem realitèr quod eſſentia in Diuinis.

Tertia Concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. 1. p. quæſt. 39. art. 1. Perſona in Diuinis eſt idem realitèr quòd eſſentia: ipſæ tamèn perſonæ intèr ſe diſtinguuntur realitèr.

Probatur à Caietano quo ad vtramque ſic. Perſona eſt relatio ſubſiſtens in Diuina natura: ergò eſt idem realitèr, quòd eſſentia, & diſtincta realitèr ab altera perſona relatiuè illi oppoſita. Probatur ſequela, quia relatio in Deo comparata ad eſſentiam non differt re, ſed ratione tantùm; Comparata autèm ad oppoſitam relationem habet diſtinctionem realem, & hoc ex vi oppoſitionis relatiuæ realis; quomodo autèm differat non re, ſed ratione tantùm, dicemus infrà in Reſp. ad duo argumenta Scoti. Ità Caiet. loc. cit.

Argum. primū Caietani contrà 1. Concluſionem cum ſua Reſponſione ex D. Thoma.

Quo ad quartùm. Arguit Caietanus contrà diffinitionem Boetij ex D. Thom. in quæſt. 29. art. 1. ad 4. ſic. Natura eſt principium motus, & quietis in eo in quo eſt primò, & per ſe, & non per accidens, vt dicitur in 2. Phyſ. tex. 3. Sed Perſona eſt in rebus immobilibus ſicut eſt in Deo, & in Angelis in quibus eſt eſſentia, & non natura; ergò in diffinitione Perſonæ eſſentia magis quàm natura erat ponenda.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. quòd natura ſumpta non pro eſſentia rei, ſed pro principio intrinſeco cuiuſcumque motus, eſt principium motus; modo in Deo, & Angelis eſt natura ſumpta pro eſſentia; & non pro principio motus, & quietis in eo in quo eſt. Et ſic poſita eſt in diffinitione natura pro vt dicit eſſentiam. Et quare non poſuit eſſentiam? Reſp. quod non poſuit eſſentiam ſumptam ab eſſe, quod eſt communiſſimum, ſed poſuit eam pro vt ſumitur ab aliquo genere determinato rerum, quod eſt genus naturæ intellectualis, ad quod ſignificandum natura poſita eſt; ſicut etiàm poſuit rationale, non pro vt ſumitur à ratione diſcurſiua, ſed pro vt eſt operatio naturæ intellectualis. Et ſic perſona eſt ſubſtantia indiuidua, ideſt omnibus modis incommunicabilis naturæ intellectualis. Ità Caietanus ex D. Thom. multis in locis.

Argum. Caiet. ex Scoto contrà tertiam Concluſionem.

Arguit Caietanus ex Scoto in quæſt. 39. art. 1. ſic. In Diuinis Pater ſecluſo actu intellectus habet in re entitatem communicabilem, & incommunicabilem: ergò habet rem in ſe diuerſarum rationum formalium. Probatur ſequela, quia ſi eſſet res vnius rationis in ſe, vel eſſet tantùm communicabilis, vel tantùm incommunicabilis, quod eſt Hæreticum.

Reſponſio Caiet. ad Argumentum ex Scoto.

Reſp. Caietanus negando conſeqnentiam, ad probationem negatur aſſumpta conditionalis: ex hoc enim quòd eſt vnius rationis in ſe non ſequitur, ergò tantùm communicabilis, vel tantùm incommunicabilis, ſed ſtat quod ſit communicabilis, & incommunicabilis propter infinitatem illius rationis formalis, nec eſt mirabilius, quod vnica ratio formalis habeat vtrumque, quam quod habeat vnicam rem, imò illud ſequitur, ſecundum rectam Metaphyſicam ex hoc poſito per Fidem. Poteris tamèn Nouitijs diſtinguere illam conditionalem, quod eſt vera de vna ratione

tione formali limitata, non autèm de illimitata, vt in propoſito contingit.Ità Caietanus loc. cit.

Aliud Argum. Caietani ex Scoto pro vt ſuprà.

Arguit Caietanus ibidem ſic ex Scoto. Pater intelligens ſe in primo ſigno originis, aut intelligit eſſentiam, & paternitatem, vt duo obiecta formalitèr diſtincta, aut non; ſi ſic, habetur intentum, quia cognitio intuitiua rei eſt ſecundum eſſe præſens in ſe; ſi non, ergò diſtinguuntur in modo concipiendi: ergò ex diſtinctione inter ea, hoc non eſt communicabile, & hoc incommbnicabile, & tenet ſequela, quia diſtinctio ſecundum modum concipiendi nihil facit in re.

Reſp. Caietani ad aliud Argum. Scoti.

Reſp. Caietanus, quod Pater non intelligit eſſentiam, & Paternitatem vt duo obiecta formalia ſecundum ſe, ſed vt vnum formalitèr, & multa vniuerſalitèr, vt patet ex dictis ſuprà, non ita quod in illa ſumma re, atque ratione formali Paternitas, & eſſentia ſint vniuerſalitèr, ſed ità quod ſint formalitèr, & realitèr: ſed diſtinctio earum eſt vniuerſalitèr, quia ità ibi ſunt, ac ſi eſſent diſtinctæ, & rurſùs, quia ità exercet propria vtriuſque, ac ſi eſſent diſtinctæ. Vndè Scotus errauit dimittendo hunc modum loquendi, & introducendo alium de diſtinctione formali ex natura rei; nouus ſiquidem hic modus eſt alienus valdè à Diuinitatis eminentia formali, dearticulat enim eam formalitèr. Modum autèm quem nos ſequimur cùm D. Thom. tantæ rei vtcumque conſonat. Ità Caiet. loc. cit.

Inſtat Caietanus ex Aureolo contrà ſuam Reſponſionem

Inſtat Aureolus in Reſp. ad ſecundum relatus à Caietano ſic. Effectus in actu habet cauſam in actu, ſed non contradicere, communicabile, & incommunicabile diſtingui, & non diſtingui eſt effectus in actu, antè omnem actum intellectus: ergò habet cauſam in actu, ſed cauſa eius eſt diſtinctio: ergò eſt ibi diſtinctio antè omnem actum intellectus. Nec valet reſpondere, quòd eſt ibi diſtinctio fundamentalitèr, ſic enim cauſa non eſſet in actu, & tamèn effectus eſſet in actu contrà Philoſophum in 5. Met. & 2. Phyſ.

Reſp. Caietani ad inſtantiam Aureoli.

Reſp. Caietanus poſt aliorum relata Reſponſa, negando vniuerſalitèr illam propoſitionem, ſcilicèt quòd ſola diſtinctio eſt cauſa huius effectus: nàm iſte effectus poteſt oriri à diſtinctione, vt à cauſa quaſi vniuoca; & à vniuerſalitèr continente diſtinctionem vt à cauſa æquiuoca; modo conſtat, quod quia effectus poteſt oriri à cauſa ſola vniuoca, & à cauſa ſola æquiuoca, ad poſitionem effectus in actu, non ſequitur determinatè altera cauſarum, ſed ſub diſiunctione; & quia ſic eſt in propoſito, concedo quòd effectus in actu habet cauſam in actu: ſed illa vel eſt diſtinctio in actu, vel continens vniuerſalitèr diſtinctionem. Et hoc ſecundum membrum verum eſt in propoſito, nec aliquid obiectorum ab Arguente contra hoc militat. Et benè hoc nota, addit Caietanus, in omnibus materijs, vbi de cauſa diſtinctionis ſecundum formalem rationem ex parte rei à Scotiſtis, & alijs moleſtaberis: hoc enim vno, omnium ora obſtrues. Ità Caietanus in fine comment. art. 1. quæſt. 39. in 1. p. ex D. Thoma.

Argum Caietani ex D Tho. contrà primam Concluſionem.

Arguit Caietanus ex D. Thom. ibidem in 1. p. quæſt. 39. art. 1. ſic. In quibuſcumque enim eſſentia eſt idem quod Perſona, ſeù ſuppoſitum, oportet quòd ſit tantùm vnum ſuppoſitum vnius naturæ, vt patet in omnibus ſubſtantijs ſeparatis: eorum enim, quæ ſunt idem re, vnum multiplicari non poteſt, quin multiplicetur, & reliquum: ſed in Diuinis eſt vna Eſſentia, & tres Perſonæ: ergò eſſentia non eſt idem quod perſona.

Reſp. Caietani ex D. Tho ad Argumentum.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. pro vt ſuprà diſtinguendo ly vnum multiplicari non poteſt per principia abſoluta concedo; per relationes nego. Multiplicatio in Diuinis eſt tantùm per relationes. Et relationes ſecundum quod ſunt in eſſentia conſideratæ ſunt realitèr vnum non tantùm cùm ipſa eſſentia, ſed etiàm intèr ſe

inui-

Digitized by Google

inuicem. Sic ergò Paternitas vt in eſſentia, eſt Filiatio vt in eſſentia; & vtraque vt in eſſentia, nàm relationes vt in eſſentia ſunt realitèr ipſa eſſentia. Sic ergò Paternitas eſt eadem res eſſentialis, quæ Filiatio; & Filiatio eadem res eſſentialis, quæ eſt Paternitas, & harum vtraque eſt eadem res eſſentialis, quæ proceſſio amoris. Sic ergò Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, vt in eſſentia conſiderati ſunt idem re, ideſt eadem res eſſentialis iuxtà illud à Filio dictum. Ego & Pater (ſubintellige ſemper idem de Spiritu Sancto) vnum ſumus. Ratio horum omnium eſt vna, quia ſcilicèt Relationes ad eſſentiam, & vt in eſſentia non opponuntur. Cæterùm relationes eædem comparatæ ad inuicem, ideſt non vt eſſentia, ſed vt vna ad aliam conſideratæ, oppoſitionem Relationis neceſſariò dicunt, & ideò neceſſariò ad inuicem realitèr diſtinguuntur. Vndè, addit Caietanus, aduerte, quod ſumma reſponſionis conſiſtit in hoc, quod illa maxima in Argumento non tenèt vbi natura eſt abſoluta, & ſuppoſitum reſpectiuum, & hoc proptèr oppoſitionem Relatiuam. Ità Caietanus in Reſp. ad 1. art. 1. cit.

Appendices ad Lectionem 1. Metaphyſicalem in Tractatu de principijs intrinſecis ipſius Eſſentiæ.

LEctio præſens prima huius Tractatus quarti Metaphyſicalis, appellàt aliàs tres Lectiones, vt medullitus intelligatur, & penetretur, ſcilicèt vnam de principio indiuiduationis, quæ ponetur in proprio Tractatu infrà; Aliam de vnitate Dei, quæ etiàm ſpectat ad proprium Tractatum infrà; & aliam de diſtinctione rationis ratiocinatæ, ſeù virtuali Thomiſtica, & de diſtinctione formali ex natura rei Scotica, quæ etiàm habet ſuum locum in Tractatu proprio infrà. Videas intèr Neotericos defendentes doctrinam Caietani in præſenti Lectione noſtrum Marcum Ferro Venetum in Tractatu de Trinitate, vbi examinat illam de verbo ad verbum, ſicuti & S. Doctoris, quæ eſt eadem. Et in pag. mihi 501. probationem D. Thomæ ex Caiet. in quæſt. 39. art. 1. quod eſſentia, & perſona, licet ſit ſecundum ſe vna ratio formalis, & duæ ſolum formalitèr virtualitèr; ex parte tamèn noſtri ſunt duæ rationes formales obiectiuæ actualitèr diſtinctæ. Legas ipſum loc. & num. cit.

Si vis eſſe perfectus Metaphyſicus Catholicus, & non Paganus, aut Gentilis, legas litteram S. Thomæ in art. 1. quæſt. 39. in 1. p. vbi quærit verùm in Diuinis Eſſentia ſit idem quod Perſona, cùm illa de Diuina ſimplicitate, ſcilicèt quæſt. 3. art. 3. & in 1. ſent. diſt. 34. quæſt. 2. art. 1. cùm Commentarijs eiuſdem Eminentiſſimi Caietani, tùm in art. 1. & 2. eiuſdem quæſt. 39. cum alijs Metaphyſicis primæ Claſſis in Scola Thomiſtica, ſcilicèt ex Scola Vniuerſitatis Salmaticenſis, Banneſium, Io: à S. Thom. Godoy. Ex Vniuerſitate Sorbonenſi, Toloſana, Capreolum, Gonet, Arnù Cathedraticum in Vniuerſitate Patauina.

Sed nunquam omittas inſpicere ea, vt ſis perfectus Metaphyſicus Canoniſta; quæ habet Ven noſter Porrecta in his Articulis cit. in ſuis Appendicibus. Et præcipuè aduertas quæ habet in Reſponſione ad primum D. Thomæ, quæ eſt ſuprà data ad vltimum Argumentum contrà tertiam Concluſionem. Ait enim Ven. Porrecta. Cùm ergò ſolùm ratione oppoſitionis originis diſtinctio realis in Diuinis reperiatur, & nulla ad eſſentiam originis oppoſitio ſit, non enim eſſentia generat, neque generatur; non ſpirat, neque ſpiratur, reſtat hoc firmum, quod nullum omninò ſimplicitati eſſentiæ fiat præiudicium, ex eo quod perſonæ illæ tres realitèr, ideſt per oppoſitiones relatiuas originis multiplicentur. Quod enim

multi-

multiplicatio relationum vt tantùm dicunt, Ad, non variet rem abſolutam patet exemplo. Homo ſiquidèm Pater non eſt in ſubſtantia, ſed in abſoluto, compoſitior ex eo quod decem habet Filios, quam ipſe met tunc erat, quandò vnum ſolùm, imò quando nullum habebat Filium. Manifeſtius enim eſt hoc, quam vt declaratione indigeat. Ergò ità ſimpliciſſimus eſſentialiter eſt Deus nunc, quando Trinus eſt in perſonis, ſicuti eſſet, ſi abſq; huiuſmodi eſſet perſonis. Eſt ergo ibi, & Summa Trinitas, & Summa Vnitas, ſiuè quod idem eſt, Vna Trinitas, & Trina Vnitas, ideſt Trinitas in Vnitate, & Vnitas in Trinitate, & ſic per hanc rationem ex viſceribus Metaphyſicæ Chriſtianæ deductam reijciendus eſt error hæreticalis Auuerrois vt referr direct. inq; 2. p. q. 4. ineptiſſimè dicentis, quod ſi Deus eſſet Trinus, & Vnus, eſſet quid compoſitum, & Vnitate congregationis vnum. Ità Vener. Porrecta.

Legendus eſt etiàm D. Th. pro penetranda quidditate perſonæ, eiuſq; qualitate identitatis, & diſtinctionis cùm alijs nominibus hypoſtaſis, ſubſiſtentiæ, & eſſentiæ in q. 29. art. 1. & 2. cùm Commentarijs Eminentiſſimi Caietani; & Ven. Porrectæ eiuſq; Appendicibus, in quibus adnotat efficaciam rationis D. Th. in c. 2. p. quæ conuincit Hypoſtaſim naturæ rationalis, & Perſonam eſſe idem; & in 2. art. eius ratio conuincit ignorantiam ponentium Hypoſtaſim, & ſubſiſtentiam, in natura intellectuali non eſſe idem cùm perſona. Et in Argumento 1. D. Th. a. 2. notat illam conſequentiam ergo perſona omninò idem eſt, quod hypoſtaſis, diſtinguit ly Hypoſtaſis ſumpta ſecundùm vſum loquendi concedo, ex quo eſt quod ſumatur pro indiuiduo rationalis naturæ ratione ſuæ excellentiæ. Secundum verò propriam ſignificationem negatur quia apud Græcos ex propria ſignificatione nominis habet, quod ſignificet quodcumq; indiuiduum ſubſtantiæ. Et in Reſp. ad ſecundum notat vnam regulam, quæ eſt, quod quando S. Doctor in Argumentis ſcit, quod difficultas, vel in corpore, vel in prioribus Argumentis prætacta, & reſoluta, iterum directè tangitur tunc nouam Reſponſionem pro eodem nodo ſoluendo non adducit, quaſi ex hoc innuens, quod vult eſſe per præmiſſa ſatisfactum, & ſolutione iàm data, nouitèr ſe conuertit, ſi opus eſt, ad declarandum aliud, v. g. in 2. Arg. tangitur difficultas de identitate ſubſtantiæ, & perſonæ, Reſp. D. Th. ibi nihil dicit an ſint idem vel non perſona, & ſubſiſtentia quia iàm in corpore, & quaſi à ſimili ad primum prius ſoluta fuerat ad plenum talis difficultas, ſed ad declarandam maiorem, ſcilicet ſicut dicimus tres perſonas in Diuinis, ità tres ſubſiſtentias ſe totaliter conuertit, Quare nihil dicit an ſint idem vel non.

LECTIO II. METAPHYSICALIS

In Tractatu Quarto

DE PRINCIPIIS INTRINSECIS IPSIVS ESSENTIÆ.

Quid addant ſuprà hanc naturam illa principia, ſcilicet Perſona, Suppoſitum, Subſiſtentia &c.

Ex Caiet. in fine q. 8. ſuper cap. 5. de Ente, & Eſſentia, & p. p. q. 3. a. 3. & 3. p. q. 4. per extenſum ibi in a. 2. & q. 17. a. 2.

EXplicata inpræcedenti lectione à Caietano quidditate perſonæ, factaquè comparatione cùm prædictis nominibus, pro vt perſona extenditur ad quamcumq; naturam intellectualem, & oſtenſo quod in diuinis perſona eſt idem quod eſſentia. Quæſtio modo in præſenti lectione difficillima ab ipſo explicatur, puta quid addat ſortes, ſuprà hanc ſuam humanitatem compoſitam ex hac Anima, & ex hoc Corpore; & ſimiliter quid addat Gabriel ſuprà naturam ſuam ſingularem. Et de perſona, ſeù ſuppoſito, ſeù ſubſiſtentia Gabrielis ſub alijs verbis Caietanus hanc reſoluit difficultatem quærendo in c. 5. de Ente, & Eſſentia in fine q. 8. cùm Ariſt. ex 7 Met. tex. Comm. 20. & 21. & 3. de Anima Comm. 9. an in ſubſtantijs ſeparatis idem ſit quidditas, & id cuius eſt; ideſt natura, & ſuppoſitum.

Declaratio ampliſſima Tituli, eiuſque ſenſus data à Caiet.

Vndè Caietanus declarando titulum in 3. p. q. 4. ſic ſubiungit. Simpliciter autèm & generaliter ratio Dubij Magni eſt tanta diuerſitas opinionum, & obſcuritas rei: Clauduntur enim in quæſtione iſta quatuor quæſita. Primum eſt An Perſona ſuprà hanc naturam addat in re aliquid an ſolùm ſecundum rationem; ſecundum eſt an ſupponendo quod addat aliquid in re, an iſtud ſit poſitiuum, vel negatiuum. Tertium quid ſit illud poſitiuum an negatiuum intrinſecum, vel connotatum; Et quartum an iſtud additum ſit intrinſecum perſonæ, vel extrinſecum. Hoc quartum explicabitur in ſequenti lectione tertia. Prima tria ad euitandam, addit Caietanus, repetitionem tractabuntur ſimpliciter ſimul in præſenti lect. 2.

Et in p. p. q. 3. a. 3. ſubiungit Caiet. hic locum non habent vel Argumenta, vel ſolutiones, quæ inuoluunt ſignificationem per modum partis, excluſionem, incluſionem, aut explicitam, aut implicitam, de quibus eſt ſermo in c. 3. de Ente, & Eſſentia, Cùm autèm natura ſit ea qua aliquid eſt, ſuppoſitum verò id quod eſt, & quod eſt habens ipſam naturam vt diximus in p. c. de Ente, & Eſſentia; & natura vt quo, & ſuppoſitum vt quod accipiatur, hinc idem eſt quærere An natura, & ſuppoſitum diſtinguantur, ac quærere an quo eſt, & quod eſt, vel an quidditas, &

& ha-

& habens quidditatem diſtinguantur; vndè non eſt mirùm ſi à Doctoribus id ipſum quæratur ſub varijs terminis, viſis, ac vocibus. Senſus igitur Tituli eſt vniuerſalis. An citrà Deum natura, & ſuppoſitum, ſeù quo eſt, & quod eſt ex vi ipſarum rerum diſtinguantur realiter per inclusionem alicuius realis, ſiuè extrinſeci, ſiuè intrinſeci; ſiue vt complectamur diſtinctiones etiàm vocales, poſitiui ſiuè negatiui in entibus, per ſe tùm ſimplicibus, tùm compoſitis. Ità Caietanus in 3. p. q. 4. a. 2. Metaphyſicè diſcurrit.

Loca D. Th. cit. à Caiet. quæ dubiam reddunt controuerſiam, & pro parte affirmatiua, & negatiua.

Et addit Caietanus in principio huius lect. a. 2. in 3. p. quod varius modus loquendi D. Th. in diuerſis locis de hac re, valdè grauem, & ancipitem facit hanc difficultatem; & ratio dubij eſt hinc, & indè ex parte D. Thomæ; nam in corpore art. 2. q. 4. & in Reſp. ad tertium habetur quod addat aliquid poſitiuum, dùm dicit, quod perſonam opporteret corrumpi ſi præexiſteret aſſumptioni, & in præcedenti art. de perſona Angeli dictum eſt cum adiunctione, ſcilicet quod aliquid perfectionis corrumperetur. Et rurſus dicitur, quod Perſona Diuina ſua vnione impediuit ne natura humana propriam perſonalitatem haberet, ſi enim nihil adderet, ad ipſum nihil impedimentum præſtitum eſſet. Et in quolib. 2. a. 4. ad 2. ait, quod ipſum eſſe non eſt de ratione ſuppoſiti, quia tamèn pertinet ad ſuppoſitum, & non eſt de ratione naturæ, manifeſtum eſt, quod ſuppoſitum, & natura non ſunt omnino idem, in quibuſcumque res non eſt ſuum eſſe. Sic D. Th. pro parte affirmatiua citatus à Caietano.

Motiua D. Th. pro parte negatiuæ.

Pro parte negatiua Caiet. citat D. Th. in Reſp. ad ſecundum a. 2. q. 4. in 3. p. vbi dicit quod naturæ aſſumptæ non deeſt propria perſonalitas propter defectum alicuius, quod ad perfectionem humanæ naturæ pertineat, ſed propter additionem &c. ſi enim perſona adderet aliquid poſitiuum ſuprà hanc naturam opporteret illud deeſſe naturæ aſſumptæ; & ſic falſum eſſet, quod Perſonalitas deeſt, non propter defectum alicuius, quod ad perfectionem ſpectat: conſtat enim quod ſi perſonalitas poſitiuum aliquid addit, illud vtiq; ad perfectionem ſpectaret, cùm perſona ſignificet perfectiſſimum quid in genere ſubſtantiæ. Inſuper loquendo de Angelis, ſeù ſubſtantijs ſeparatis à materia dicit in p. p. q. 3. a. 3. in c. & in 4. c. g. c. 55. & in q. 7. de potentia a. 4. & 7. Met. lect. 10. & lib. 8. lect. 3. & l. 9. & in libris ſent. multis in locis docet, quod in ſubſtantijs ſeparatis à materia, ſcilicet Angelis idem eſt, ſuppoſitum, & natura ſecundum eſſe, licet differat ſecundum rationem. Ità D. Thom. cit. à Caiet. qui cùm ſuſtinent partem affirmatiuam D. Th. reſpondet auctoritatibus D. Th. pro parte negatiua per ſequentes Adnotationes cum Petro Bergomenſi in ſua Tabula aurea dub. 1. 4. littera, Angelus &c.

Notab. 1. Caiet. in quo exponitur triplex differentia ſuppoſiti à natura.

Quo ad Primum notat Caiet. Primo triplicem inueniri differentiam ſuppoſiti à natura. In ſubſtantijs ſiquidem materialibus ſuppoſitum differt à natura dupliciter, ſcilicet, & ſecundum rem, & vltra hoc etiam ſecundum rationem. Primo modo differt intrinſece, quia aliquid reale ſuppoſitum ſibi intrinſecum includit, quod non includit natura, ſcilicet principia indiuiduationis. Si enim Socrates definiretur, iàm in eius definitione poneretur hæc materia, quæ non ponitur in definitione naturæ humanæ. Secundò differt extrinſecè, quia aliquid reale extrinſecum ſibi includit ſuppoſitum, ſcilicet eſſe actuale exiſtentiæ quod non includit natura; exiſtentia enim primò eſt actus ſuppoſiti, cuius eſt fieri, quæ tamen caderet in definitione Socratis, ſi definiretur, quod autem tertiò differat ſecundum rationem de ſe conſtat. In ſubſtantijs autem ſeparatis, quæ ſunt aliæ à prima, ſuppoſitum differt à natura duobus modis tantùm, ſcilicet extrinſecè ſecundum rem, & ſecun-

dùm rationem ; nihil enim reale intrinſecum ſibi includit ſuppoſitum in eis ; quòd non includat natura : quia non indiuiduatur per aliquod poſitiuum contrahens naturam ſpecificam, quod ſit veluti differentia indiuidualis intrinſeca ſuppoſito, ſicut eſt in ſubſtantijs materialibus; ſed quia in eis, vt iàm dictum eſt, exiſtentia differt realiter à natura, quæ primò, vt dicetur in lect. ſequenti, eſt actus ſuppoſiti ; ideò ſuppoſitum in eis differt extrinſecè à natura : addit enim extrinſecè realitatem exiſtentiæ. Differt deindè ſecundò, ſecundum rationem, & de hoc non eſt difficultas. In Deo autèm Glorioſo, vt vidimus in præcedenti lectione, ſuppoſitum vno modo tantùm differt, ſcilicet ſecundum rationem, quia nec natura diuina indiuiduatur per additum, nec exiſtentia ſua diſtincta eſt realiter ab eius eſſentia ; vndè patet quod in Angelis vtraq; pars Controuerſiæ eſt vera aliquo modo, ſcilicet quod in ſubſtantijs ſeparatis differant ſecundum rem, & quod quid eſt, & id cuius eſt, quia extrinſeca differentia differunt ſecundum rem ; & quod ſint idem, quia non differunt per aliquam intrinſecam differentiam realem. Hanc autem eſſe mentem D. Thomæ diligentèr intuenti ſupradicta loca allegata ſupra pro parte negatiua, facilè innoteſcere poteſt. Quia Gloſa iſta non adducitur ſine fundamento, cùm ex quolib. 2. q. 2. a. 2. ad 1. illam extrahat Petrus Bergomenſis in ſua Tabula aurea. Gloſa prima dub. 114. Ità Caiet. ex D. Thoma in cap. 5. de Ente, & Eſſentia in fine quæſtionis 8. &c. & in p. p. q. 3. a. 3. §. Circà terminos aſſumptos &c.

Notab. 2. Caiet. in quo dicitur quod ſuppoſitum, & natura poteſt conſiderari Logicè, Phyſicè, & Metaphyſicè

Notat 2. Caiet. cùm Petro Bergomenſi ex D. Th. 7. Met. lect. 11. quod ſuppoſitum, & natura poſſunt iterùm conſiderari tripliciter, ſcilicet Logicè, Phyſicè, & Metaphyſicè. Primo modo ſunt idem in omni ente per ſe, ſiuè compoſito, ſiuè ſimplici, ſed in ſolo ente per accidens differunt, vt habetur in 7. Met. lect. 4. & 5. quia Logicus eſt artifex rationis conſiderans naturam, & ſuppoſitum abſtractè, vt habens eſſe in intellectu ſinè ijs, quæ in re ſunt ſecundum quod natura ſumitur pro ſecunda ſubſtantia, & ſuppoſitum pro prima, & ſic ſunt idem, vt dicitur in Prædicamentis; ſecundo autèm modo ſunt in omni ſimplici idem ſiue creato, ſiuè increato, & tantùm in rebus materialibus differunt, quia Phyſicus, ſiuè Metaphyſicus eſt artifex realis conſiderans res, vt ſunt extrà intellectum in rerum natura ; & quia in re materiali eſt aliquid conſtituens ſuppoſitum, quod non conſtituit naturam ſpeciei, non autèm in re immateriali, ideò ſecundùm Phyſicum, ſiuè Metaphyſicum natura, & ſuppoſitum in Angelis ſunt idem, ſed in compoſitis differunt; tertio autèm modo in omnibus Creaturis differunt, & in ſolo Deo ſunt idem, quia Metaphyſicus eſt maximè abſtractiuus, quia abſtrahit ab omni materia non ſolum ſecundum eſſe, ſed etiàm ſecundum rationem, ideò ſumit naturam pro ipſa forma totius in abſtracto, ſoppoſitum autèm pro re ſubſiſtente cùm omni eo quod eſt in re. Et quia in omni re, præterquàm in Deo, ſunt aliqua prætèr formam totius, ideò ſecundum Metaphyſicum ſuppoſitum, & natura ſunt idem in Deo, in Creaturis autèm differunt. Ità Caiet. loc. cit.

Notab. 3 Caiet. in quo exponitur quod natura, & ſuppoſitum intelligitur dupliciter, & ſecundum rem, & ſecundum modum ſignificandi.

Notat 3. Caietanus in p. p. q. 3. a. 3. in Comment. §. Circà terminos aſſumptos in Enthymemate formato ex ratione D. Th. inc. 5. Ratio differentiæ intèr naturam, & ſuppoſitum eſt diſtinctio naturæ à materia indiuiduali : ergo in formis ſimplicibus, quæ per ſe ipſas indiuiduantur, non differt ſuppoſitum à natura. Notat, inquam, Caietanus. Poſſumus de natura, & ſuppoſitis loqui dupliciter vno modo ſecundum rem tantùm, alio modo ſecundum modum ſignificandi. Sumuntur natura, & ſuppoſitum ſecundum rem tantùm, quando ſumuntur ſecundum proprias rationes rei, quam ſignificat natura, & rei quam ſignificat ſuppoſitum, abſtrahendo à modis ſignificandi v. g. quando ſumitur natura humana ſecundum eius

pro-

Digitized by Google

propriam definitionem, & ſortes ſecundum eius rationem propriam non curando an natura ſignificetur in abſtracto, vel in concreto &c. Sumuntur autem ſecundum modos ſignificandi cùm ſumuntur, vt ſtant ſub nominibus primæ intentionis putà humanitas, Homo, ſortes ſorteitas &c. ſermo in antecedenti illo eſt de natura, & ſuppoſito ſecundum rem, & non ſecundum modum ſignificandi, hoc enim potius Logici, illud Metaphyſici negotij eſt. Et ideò ceſſant omnes argumentationes, & reſponſiones, quæ immiſcent ſignificari per modum partis, vel excludere à ſignificatione, aut nec excludere, nec includere, & ſimilia, quæ ad differentiam inter hæc ex modis ſignificandi, non ex rebus ſpectant. Nec obſtat quod in c. art. 3. cit. inferatur, quod humanitas ſignificatur vt pars formalis hominis, ad probandum quod natura non includat materiam indiuidualem, quoniam hoc allatum eſt, vt ſignum à poſteriori notius, ad manifeſtandum etiàm ex modo ſignificandi diſtinctionem ſecundùm rem naturæ à materia indiuiduali.

Modi diuerſi differentiæ, & diſtinctionis aſſignati à Caiet.

Diſtingue ſecundo in ly differre, & differentia: hæc eſt enim duplex ſecundum rationem, & ſecundum rem, & hæc ſubdiuiditur in differentiam realem intèr rem, & rem, & in differentiàm realem intèr includentem aliquid reale, & non includentem illud. Includere autèm, & non includere nùnc dicimus non ex modo ſignificandi, ſed ex ratione formali rei ſignificatæ formaliter ſumptæ. Et hæc rursùs ſubdiuiditur in differentiam realem penes incluſionem alicuius realis intrinſecè ſicut Homo differt ab Animali, quia includit intrinſecè rationale, & penes incluſionem alicuius realis extrinſecè, ſicut diſciplinabile differt ab homine, fingendo quod diſciplinabilitas ſit eadem res, quod natura hominis, quia includit extrinſecè diſciplinam vt actum, per quem definitur, quam non includit Homo in ſua ratione. Ità Caiet. loc. cit.

Notab. 4. Caiet. in quo declarantur prædictæ differentiæ, ſeù diſtinctiones in tertio notabili.

Quartò notat ibidem Caietanus declarando prædictas differentias, quod quattuor ſunt modi differentiæ; ſecundum rationem tantùm, vt eſt intèr hominem, & humanitatem; intèr rem, & rem, vt eſt intèr ſortem, & Platonem; intèr rem includentem intrinſecè aliquid reale, & abſtrahentem; & intèr includentem intrinſecè aliquid reale, & abſtrahentem ab illo. In illo antecedente, ſeù ratione ſuprà, eſt tantùm ſermo di differentia tertio modo ideſt penès incluſionem intrinſecam: non enim eſt ſermo de differentia ſecundum rationem tantùm, quoniam ſuppoſitum, & natura in omnibus, etiàm in Deo ſic diſtinguuntur: Deus enim & Deitas ratione modi ſignificandi diſtinguuntur, ità quod iſta eſt Hæretica Deitas generat Deitatem, & iſta Catholica Deus generat Deum, vt patet in principio Decretalium; neq; etiàm eſt ibi ſermo de differentia reali qualis eſt inter rem, & rem: conſtat enim quod natura ſubſtantialis, & ſuppoſitum non poſſunt naturaliter ſic diſtingui, vt ſint totalitèr duæ res diuerſæ; nec etiàm eſt ibi ſermo de differentia reali extrinſeca quoniam falſum eſſet illud antecedens, & falſum eſt quod in ſubſtantijs immaterialibus non differt ſuppoſitum, & natura: In ſubſtantijs enim ſeparatis ſuppoſitum à natura differt extrinſecè, quia ſuppoſitum vt ſic includit ſubſiſtere, quod eſt eſſe per ſe non intrinſecè, ſed quodammodo quaſi vt proprium actum ad quem quodammodo deberet definiri, ſi definiretur, natura autèm non. Et propterea S. Thomas, vt diximus in primo notabili, in quolib. 2. q. 2. a. 2. de tali differentia loquens dixit quod in Angelis differt ſuppoſitum à natura, relinquitur ergo quod ſit ibi ſermo de differentia penès incluſionem intrinſecam; tùm quia ratio illa manifeſtè ſecundum talem differentiam in littera art. cit. diſtinguit ſuppoſitum à natura in rebus materialibus, quia ſcilicet ſuppoſitum includit materiam indiuidualem, quam non includit natura, conſtat enim hoc intelligi de intrinſeca incluſio-

ſio.

ſione; Tùm quia in ſeparatis à materia tali differentia non diſtinguitur ſuppoſitum à natura, vt ibi affirmatur, ex eo quod indiuiduantur per ſe ipſa, ideſt quia eſt idem conſtituens naturam, & indiuiduum, ac per hoc nihil intrinſecum includit indiuiduum, quod non claudat natura, & è conuersò; Tùm quia idem cenſetur iudicium in littera ibi de identitate ſuppoſiti naturæ, in ſubſtantijs ſeparatis, & Dei cùm Deitate, hoc enim non eſt ſimpliciter verum, niſi de differentia intrinſeca loquendo, quoniam, vt iàm dictũ eſt, in quolibetis aliud protulit Iudicium loquẽdo de differentia intrinſeca. Sẽſus ergo antecedẽtis ſuprà eſt, quod ratio differentiæ intrinſecè inter naturam, & ſuppoſitum ſecundum rem, seù rationes formales ſumpta, eſt diſtinctio naturæ à materia indiuiduali, & ſimiliter ſenſus omnium Concluſionum, quæ implicitè hic continentur de ſuppoſito, & natura in rebus materialibus, & in ſeparatis à materia &c. eodem intellectu ſumendus eſt.

Epilogus factus à Caiet. omniũ dictorum à ſe in prædictis notabilibus. His adnotatis immediatè Caietanus epilogat omnia, quæ dicta ſunt in hoc ſuo quarto, & tertio notabili dicens. Et ſi prædicta diligentèr inſpexeris, complecteris diſpoſitionem omnium rerum quo ad identitatem, & diſtinctionem intèr ſuppoſitum, & naturam. Habes enim in primis, quod ſuppoſitum, & natura non ſubſtantialiter conſtituens ſuppoſitum, ſiuè ſit natura, accidentis, vt ſortes, & eius complexio, ſiuè ſit ſubſtantia quaſi aduentitia, vt humanitas Verbi Dei diſtinguuntur quadruplicitèr, ſcilicet vt res, & res, & intrinſecè, & extrinſecè, & ſecundum rationem. Habes ſecundò quod ſuppoſitum, & natura in ſubſtantijs compoſitis diſtinguuntur intrinſece, & extrinſecè, & ſecundum rationem. Habes tertiò quod In ſubſtantijs immaterialibus diſtinguuntur ſuppoſitum, & natura non intrinſecè, ſed extrinſecè ſecundum rem, & ſecundum rationem. Habes quartò quod in Deo nullo modo diſtinguuntur ſecundum rem Deus, & Deitas, ſed ratione tantùm modi ſignificandi. Habes, & etiàm concordiam dictorum S. Thomæ, & intellectum eorum, quæ in diuerſis locis de hac materia ſcripta ſunt. Ità Caiet. in fine Comment. a. 3. q. 3. in p. p.

Notab. 5 Caiet. in quo explicatur quid ſit iſtud additum ſubſiſtentia. Quintò notat Caietanus, quid ſit iſtud additum, ſcilicet quomodo perſona ſit principium naturæ, & etiàm ſubſiſtentia quomodo ingrediatur inter principia naturæ, & hoc in 3. p. q. 4. in fine art. 2. ait enim, quod in vnoquoque noſtrum duplex eſt vnitas naturæ, & perſonæ, & per conſequens duplex entitas naturæ, ſcilicet, & perſonæ, quia ens, & vnum conuertuntur, vt dicemus infrà in alio Tractatu. Et hæc vnitas, & entitas perſonæ non excluditur à cauſalitate naturæ dùm dicitur quod ex principijs naturæ conſtituitur ex Anima, & Corpore; Et ideò vtendum occurrit regula communium Deo, & Creaturis, puta eſſe, Sapientiæ, Scientiæ, & huiuſmodi, quæ dicimus transferri in Deum formaliter, ſublato eo quod imperfectionis eſt in Creaturis, ità quod licet in Creaturis perſonare, & perſonari non nihil cauſalitatis habeat annexum, formaliter tamèn ſinè cauſalitate comparari ad naturam ſublato omni eo quod imperfectionis eſt, vt in Diuinis inuenitur nullam cauſalitatem includit, & ſic interuenit in Myſterio Incarnationis quod ſecundum nullam cauſalitatem dicitur eſſe intèr perſonam, & naturam humanam, alioquin communis eſſet Toti Trinitati. Verumtamen natura, seù principia non ità cauſant perſonalitatem, vt interueniat media actio, ſed per modum naturalis ſequelæ Perſonalitas adeſt naturæ, non ſicut propria paſſio naturaliter conſequitur ſubiectum iàm conſtitutũ quoniam non ea ratione adeſt Perſonalitas, quaſi quod data forma dentur conſequentia ad formam: ſed ſicut perfectio, seù complementum, effectus naturaliter ſequitur effectum cuius eſt complementum, & vt perſonatur vltimum complementum aſſequitur. Quo fit vt actio, qua fit hic homo inchoata, & de-

Digitized by Google

deducta vſq; ad Terminum Incluſiuè ſit, quando ſit natura perſonata quam ſignificat hic Homo, ſeù Sortes; Quandò verò fit, aut vt inchoata conſideratur, & deducta eſt vſque ad naturam hanc abſtrahendo à perſonalitate, inconſumata eſt, quoniam eſt vſq; ad terminum excluſiuè. Modus ergo quo perſonalitas ſequitur naturam, vel naturæ principia eſt, quo terminus actionis rei factæ naturaliter adeſt in fine actionis rei factæ, niſi adſit impedimentum: Impediuntur enim in compoſitis ſubſtantijs principia naturæ, conſtituta iàm natura à conſtitutione ſui termini; & ſimiliter in ſubſtantijs Angelicis natura ipſa quæ ſit impediretur in ſuo fieri à conſecutione ſui termini. Et propterea ſublato impedimento non opportet quærere aliam cauſam donantem complementum, quoniam ipſa natura ſecundum ſe, habet in ſe ſufficiens conſecutiuum ſui &c. Ità Caiet. de perſonalitate in loc. cit.

Notab. 6 Caiet. in quo explicatur idem quod ſupra, ſcilicet quid ſit ſubſiſtentia.

Notat 6. Caiet. ibidem art. 2. quod ſubſiſtentia eſt realitas in genere ſubſtantiæ reductiuè ſicut reliquæ realitates conſtitutiuæ ſubſtantiarum, vt rationale, & huiuſmodi, quamuis non poſſit dici differentia propriè loquendo, ſed eſt Terminus Vltimus, ac vt ſic pùrus naturæ ſubſtantiæ. Vbi tria dicit S. Doct., primò quod eſt Terminus naturæ, quod probatur ex hoc, quod naturam perſonari, & naturam terminari, & perſonare, eſt terminare naturam. Exponimus enim ſic quod natura humana in Chriſto perſonatur per Verbum, quia terminatur per illius perſonam, & è contrà Verbum perſonare naturam illam, quia terminat illam. Secundò quod eſt vltimus, quia nunquàm natura eſt terminata vltimatè, donec perſonetur, quantumcumque enim indiuiduetur, niſi perſonetur, non eſt vltimatè terminata, vt patet de Humanitate Chriſti quæ eſt ſecundum ſe, & in ſe ſingularis, & terminabilis per perſonam Verbi, aut per propriam, terminata autem de facto per perſonam Verbi. Conſtat autèm quod ſi eſt terminata perſonalitate propria, vel aliena, ſtante illa non eſt terminabilis vlterà, niſi fortè extenſiuè non ex parte ſui, ſed ex omnipotentia alterius potentis etiàm ſe ipſum terminum illius efficere, vt dicitur à D. Th. in alia q. 3. p. Si vna natura aſſumeretur à duabus perſonis Diuinis: ſed hoc non tollit, quin prima perſona aſſumens terminauerit vt vltimus terminus, ſed terminos, multiplicat extenſiuè. Eſt igitur perſonalitas Terminus Vltimus naturæ; quando autèm dicitur, vt ſic purus ad maiorem explicationem non ad neceſſitatem appoſitum eſt; ad inſtruendum nouitios, quod terminare vt terminare nullam dicit cauſalitatem, & quod perſonalitas vt terminans naturam, nullam cauſalitatem dicit reſpectu naturæ terminatæ, ità quod non ſolùm eſt extrà genera cauſarum extrinſecarum, ſed etiàm extrà cauſas intrinſecas, quoniam nec in genere cauſæ formalis, nec in genere cauſæ materialis ſe habet ad naturam, ſed vt Terminus eius. Vnde & in Myſterio Incarnationis dictum eſt quod vnio perſonalis ſecundum nullum genus cauſæ attenditur nec hoc eſt figmentum, ſed teſtimonium habet ex terminis quantitatis; Punctum enim eſt ità terminus lineæ, quod nulla cauſa eſt illius. Ità Caiet. poſt Concluſionem primam a. 2. q. 4. in 3. p.

Opiniones de ſuppoſito, & natura Illuſtrium Virorum relatæ à Caiet.

Quo ad ſecundum Caietanus in 3. p. q. 4. a. 2. refert opiniones nouem. Prima eſt Henrici de Gandauo in quolib 4. q. 8. qui ſuſtinet quod ſuppoſitum, & natura hæc in omnibus ſubſtantijs ſunt idem re, & differunt ſolo modo intelligendi, ità quòd quidem eſt quo, & quod diuerſa tamen ratione. Secunda eſt Heruæi in quolib. p. q. 6. qui tenet quod ſuppoſitum, & natura ſunt idem re quo ad intrinſeca, ſed differunt realiter, quantùm ad connotata, quæ oſtenduntur ex modo ſignificandi, & quæ ſimul cùm natura habentur, ſine quibus natura eſſe non poteſt v. g. ſortes eſt ipſa ſua humanitas in concreto, vt ſignificatur habens reliqua, ſinè quibus humanitas non habetur in rerum natura. Tertia opinio refertur ab eodem Heruæo,

ſizo, & Ioanne de Neapoli ſimulq; impugnatur, & eſt quod natura, & ſuppoſitum differunt realiter medio modo inter extrinſecè, & intrinſecè, ità quod ſuppoſitum addit ſuprà naturam affectionem quamdam, qua natura ſubeſt accidentibus, ità quod ſortes eſt ſua humanitas, quia ſortes ſignificat ſuam humanitatem vt affectam accidentibus, Humanitas verò non. Quarta opinio eſt Capreoli, ſcilicet quod ſuppoſitum, & natura differunt realiter per vnum connotatum extrinſecum, ſcilicet actum eſſendi, quia actus eſſendi, & hoc eſt verum, non clauditur in ſuppoſiti ratione, ſed connotari per ſuppoſitum, cùm eſſe ſit actus proprius ſuppoſiti, vt quod eſt. Quinta opinio recitatur etiam ab Heruæo, & Ioanne de Neapoli, ſimulque impugnatur, & eſt quod ſuppoſitum differt realiter à natura, quia dicit compoſitum ex natura, & eſſe exiſtentiæ. Sexta opinio eſt Scoti in 3. ſent. diſp. p. q. p. & eſt quod Perſona addit ſuprà naturam hanc cum duplici negatione aliquod negatiuum intrinſecum conſtitutiuum perſonæ; ità quod hæc humanitas eſt perſona per hoc quod nec apta nata eſt terminari ad perſonalitatem diuinam, nec actualiter terminatur per eam. Septima opinio recitatur à Scoto, & Ioanne de Neapoli, & eſt quod ſuppoſitum addit ſuprà naturam ſingularem, ſingularem entitatem poſitiuam intrinſecam ſuppoſito, & conſtitutiuam ipſius, ſicut hæc humanitas addit ſuprà humanitatem, vt dicit Scotus; vel vt modus eſſendi addit ſuprà naturam cuius eſt, refert Io: de Neapoli; & reducitur entitas iſta ad genus ſubſtantiæ, ſicut eſſe quale ad genus qualitatis, & punctum ad genus quantitatis: ab vtroque impugnatur hæc opinio. Octaua dicit ſuppoſitum differre à natura, quia ſortes dicit compoſitum ex materia, & forma, humanitas autèm formam, ſed non eſt ad propoſitum hæc opinio in Myſterio Incarnationis, in quo ſupponimus Filium Dei aſſumpſiſſe ſingularem humanitatem compoſitam ex hac Anima, & hoc Corpore iuxtà illud *D. Ath.* Perfectus Homo ex Anima rationali, & humana carne ſubſiſtens, & tamèn non aſſumpſit Hypoſtaſim humanam. Nona opinio eſt Io: de Neapoli propinqua, & affinis ſextæ opinioni, & eſt quod Perſona addit ſuprà naturam hanc ſolam negationem annexam extrinſeci poſitiui, & intrinſecæ vnionis ad illud, ità quod ſuppoſitum ſignificat illam met rem, quam ſignificat natura, ſed ſignificat eam vt habet hanc duplicem negationem, ſcilicet quod in nullo extrinſeco ſuſtentetur.

Fundamentum omnium harum opinionum, quæ conueniunt in hoc, quod ſuppoſitum nihil poſitiuum intrinſecum addit ſuprà naturam ſingularem, eſt hoc, ſcilicet quod illud intrinſecum conſtat non poſſe eſſe accidens, nec ſubſtantiam, quæ ſubſtantia eſt forma, aut materia, aut compoſitum ex vtraque. Accedit ad hæc auctoritas Ariſt. in 7. Met. vbi tractat hanc quæſtionem dicentis, quod in his quæ ſunt per ſe, idem eſt quod quid eſt, & id cuius eſt: conſtat enim ſubſtantiam eſſe de numero eorum, quæ ſunt, & dicuntur per ſe. Modus autèm ſignificandi, & aſſumptio humanitatis ſingularis à Chriſto ſine ſua Perſonalitate cogit nos ad ponendum aliquid ſuperadditum negatiuum ſecundum alios, poſitiuum ſecundum nos; vndè quæ ſit opinio D. Th. à nobis defenſata iàm oſtendimus ſuprà in notabilibus. Et *Opinio D.Th.de addito poſitiuo ſuprà naturam explicata à Caiet. cũ reſponſione eiuſdem Caiet. ad auctoritates in contrariũ.* quando D. Thomas in q. 4. a. 2. in Reſp. ad ſecundum in 3. p. videtur negare illud additum reale poſitiuum, ſi ſubtiliter inſpiciemus, addit Caietanus, litteram Reſp. videbimus quod littera ſupponit defectum propriæ perſonalitatis in humanitate aſſumpta. Et cauſam ibi reddit, non defectum alicuius quod pertineat ad perfectionem naturæ vt diſtinguitur contrà Perſonam, ſed additionem alicuius, quod eſt ſuprà naturam, idelt Perſonalitatis Diuinæ. Vbi clarè patet ſecundum planum litteræ ſenſum, quod defectus perſonalitatis ſupponitur, & cauſa illius defectus redditur, & ſimpliciter non dicit, nihil deficere, ſed aſſerit nihil deficere ſpectans ad

per-

Digitized by Google

perfectionem naturæ, cuius oppoſitum nos non dicimus, ſed hoc expoſuimus ex ipſo S. Doctore, quòd intelligitur de natura vt diſtinguitur contrà hypoſtaſim, & hoc clariùs patet in Reſponſione ad tertiùm art. cit. cùm ibi dicatur, quòd natura quæ aſſumitur impeditur à propria perſonalitate; Aliquid ergò deficit non pertinens ad perfectionem naturæ, ſed ad perſonam, quæ impeditur. Et ad illud de ſubſtantijs ſeparatis iàm dedimus Gloſam in Adnotationibus præcedentibus cùm Petro Bergomenſi. Ità Caietanus in 3. p. quæſt. 4. art. 2. §. reſtat nunc ſatisfacere, &c.

Concluſio prima Caietani cum ſua prima probatione Metaph quod poſitio D.Th de ſuper addito poſitiuo ſuprà naturam eſt probabilior, & rationabilior.

Quò ad tertiùm. Concluſio prima Caietani ex D. Thom. in 3. p. quæſt. 4. art. 2. §. ſimplicitèr autèm &c. eſt hæc. Poſitio illa, quæ dicit, quòd ſuppoſitum creatum addit ſuprà naturam aliquid reale poſitiuum tanquàm ſui conſtitutiuum ab ea realitèr diſtinctum, eſt rationi conſentanea, tùm ex ijs, quæ ſunt nota lumine naturali, tùm ex lumine Fidei.

Probatur primò à Caietano Metaphyſicè ex 5. Met. ſub tali forma. Quemadmodum ſubſtantia ſumpta pro eſſentia non ex modo eſſendi affirmatiuo, vel negatiuo conſtituitur ſed ex conſtitutiua intrinſecè realitate, ſcilicèt per eſſe per ſe, circumloquendo, hoc eſt non in alio vt accidens, ità ſubſtantia pro hypoſtaſi ſumpta non actu eſſendi tali modo, ſed ex realitate conſtitutiua ipſius intrinſecè, ſcilicèt per eſſe per ſe ſeparatim tali modo conſtituitur: ergò rationi naturali conſentanea eſt prædicta poſitio. Conſequentia de ſe eſt manifeſta. Antecedens probatur, Ariſtoteles enim non tacuit iſtam realitatem, ſed expreſſit ipſam in proprio conſtituto, dùm in 5. Met. ſubſtantia diſtincta eſt in ſubſtantiam pro hypoſtaſi, & ſubſtantiam pro eſſentia ſubſtantiali. Et in prædicamentis ſubſtantia prima propriè principalitèr, & maximè ſubſtantia dicitur. Idem autèm ſignificatur per ſubſtantiam primam, quod ſignificatur per hypoſtaſim, ſuppoſitum, & perſonam niſi quod perſona in ſolis rationalibus locum habet, vt diximus: ergò verum eſt antecedens, quòd ſicuti ſubſtantia ſumpta pro eſſentia conſtituitur ex conſtitutiua intrinſecè realitate cui debetur eſſe tali modo, quem circumloquimur per eſſe per ſe, hoc eſt non in alio, vt accidens; ità ſubſtantia ſumpta pro hypoſtaſi conſtituitur tali modo, ſcilicèt per realitatem conſtitutiuam ipſius intrinſecè, cui debetur actus eſſendi, quem circumloquimur per eſſe per ſe ſeparatim, ità quod repugnat ei eſſe in alio vt in quod, ſiuè vt quo in quod, ſiuè vt pars, aut quaſi pars in toto. Vndè ſi nomina propria naturarum cùm ſuis pronominibus vt hic homo, hic bos, vt ego, tu, ille, & ly omnes, nos confitemur ſignificare formalitèr ſubſtantiam, & non negationem, aut accidens, aut extranea cur diuertimus à communi confeſſione dùm perſcrutamur quid rei ſignificatæ, ponendo pro perſonalitate negationem, quòd à nullo in illis nominibus, & pronominibus confitetur, & non ſtamus in ſententia eo magis probabili, quanto magis conſona communi Confeſſioni? Ità Caietanus loc. cit.

Secunda probatio Caietani Theologica ſub lumine Fidei.

Probatur ſecundò eadem Concluſio Theologicè à Caietano. Theologi ponentes perſonalitatem in Diuinis, rem poſitiuam dicunt, & non dicunt, quod ſuppleuit nihil in humanitate aſſumpta, cùm negatio ſit nihil formalitèr: ergò etiàm Theologicè loquendo ſub lumine Fidei perſona addit aliquid poſitiuum reale ſuprà hanc naturam aſſumptam à Verbo. Antecedens habetur in D. Thom. quòd ſcilicèt Theologi dicentes Perſonam Verbi in Chriſto ſupplere perſonam humanam, intendunt quod ſuppleat ſubſiſtentiam, quam ſignificat perſona humana, ſeù hic homo, & hoc in multis locis fatetur D. Thom. in Reſponſione ad tertiùm art. 2. cit. ait, quòd ſi perſona Diuina aſſumeret naturam Angeli exiſtentis deſtrueretur

eius perſonalitas. Et in art. 4. in corp. & ad 3. docet de perſona humana quod deberet corrumpi, ſi præexiſteret aſſumptioni. Et in quæſt. 17. 3. p. art. 2. ait quod ſuſceptiuum exiſtentiæ non eſt natura, ſed eſt perſona; & quæſt. 35. docet quod ſuppoſitum, & non natura eſt ſubiectum Filiationis realis, ergò ex D. Tho. fatendum eſt, ſi aliquid veritatis dicit (vt verè nihil diceret, ſi ſuppoſitum non adderet ſuprà naturam aliquid poſitiuum ab illa realitèr diſtinctum, & conſtitutiuum ſuppoſiti) quòd perſonalitas non eſt negatio, aut modus ſignificandi, aut extraneum quid, ſed quòd ſit ſubſtantia loco cuius in Chriſto eſt Perſona Verbi, quæ verè eſt hic homo, & perſona humana, ad quam vt ſic poſteà conſequuntur illæ negationes, & repugnantiæ ad eſſe quo, & eſſe partem, & capacitates ad perſonalitates reales, vt ſunt actus eſſendi, filiatio, & quod eſt, & habens eſſe, & reliqua quæ attribuuntur hypoſtaſi, ſeù perſonæ. Ità Caiet. loc. cit.

Secunda Concl. Caietani cum ſua probatione primæ partis quod ſcilicèt ſubſiſtentia eſt vltimus terminus.

Secunda Concluſio Caietani ponitur immediatè poſt rationem ſuam Theologicam in art. 2. cit. ab ipſo ſic. Illud poſitiuum additum ſuprà naturam tanquàm ſuum formale conſtitutiuum, eſt ipſa realitas ſubſtantialis diſtincta realitèr ab ipſa exiſtentia, & natura, quæ dicitur ſubſiſtentia vltimus terminus purus vt ſic naturæ ſubſtantialis.

Probatur à Caietano prima pars ex ſuis notabilibus ſuprà ſub tali forma. Dictum eſt ſuprà quòd perſonare, & perſonari, ſunt terminare, & terminari vltimatè: ergò Perſonalitas eſt vltimus terminus. Antecedens manifeſtatur, quia licèt perſonalitas propria naturæ, & perſonalitas aliena idem alitèr faciat, quoniam aliena propriam ſupplet, intèr tamèn alienam, & ipſius naturæ propriam eſt terminare, & terminari, vt patet in Myſterio Incarnationis: ergò &c. Ità Caietanus loc. cit. vbi adducit alias rationes Theologicas, ad quas remittimus Diſcipulum Metaphyſicum; & præcipuè ad illam D. Thom. in 3. ſent. diſt. 5. quæſt. 3. art. 3. cit. à Caietano, vbi S. Doctor ait, quòd illud quòd aſſumitur trahitur ad aliquid completiùs (perſona enim maximam completionem importat) ipſum incompletum exiſtens, ex quo clarè habes naturam ſingularem ſinè perſonalitate eſſe incompletam. Nunquam audiui quod negatio compleat, quòd ſit completio, & quòd dicat maximam completionem. Ità Caietanus ex D. Thom.

Probatio Caiet. ſecundæ partis, ſcilicèt quod ſubſiſtentia diſtinguitur realitèr ab ipſa exiſtentia, & natura realitèr in quacumque ſubſtantia creata.

Probatur ſecunda pars à Caietano. Exiſtentia, & ſubſiſtentia in homine diſtinguuntur realitèr, ſed eadem eſt ratio de exiſtentia, & ſubſiſtentia cuiuſcumque alterius ſubſtantiæ creatæ, quo ad hoc, quod eſt diſtingui, vel non diſtingui realitèr: ergò ſubſiſtentia, & exiſtentia in qualibet creata ſubſtantia diſtinguuntur realitèr. Minor, & conſequentia patent. Et Maior probatur præſupponendo ſententiam D. Thom. & communem, quod Humanitas Chriſti non exiſtit propria exiſtentia, ſed exiſtentia Dei, ſicuti etiàm non ſubſiſtit ſubſiſtentia propria, ſed Diuini Verbi. Suppoſito hoc. Probatur ſic Maior. Quod primò, & immediatè in Chriſti humanitate ſupplet Diuinum Verbum non eſt eius exiſtentia, ſed ſubſiſtentia: ſed ſi propria ſubſiſtentia, & exiſtentia humanitatis non diſtinguerentur realitèr, ſed eſſent idem, tàm primò, & immediatè Verbum Diuinum ſuppleret in Chriſti humanitate ſubſiſtentiam, quàm exiſtentiam, ergò, &c. Maior hæc ſecunda probatur. Vnio Diuini Verbi per ſe primò, & immediatè non eſt facta in aliquo abſoluto, ſed relatiuo, ideſt in ſubſiſtentia, ſeù perſona Diuini Verbi, vt docet S. Doctor in 3. p. quæſt. 4. art. 3. Sed exiſtentia in Diuinis eſt aliquid abſolutum, & non relatiuum, vt docet in 1. p. quæſt. 40. ergò &c. Ità Caietanus loc. cit.

Quo ad quartùm, Arguit Caietanus in via D. Thom. ex 3. Argumento Aureoli

in 3. p. quæſt. 4. art. 2. ſic. Ex illa poſitione D. Thom. in prima Concluſione, quæ dicitur conſentanea rationi ſequuntur ſeptem inconuenientia, ſed præcipuè hoc, ſcilicèt quod Angelus non poſſet aſſumi à Verbo: ergò non eſt conſentanea rationi, nec quo ad ea quæ ſunt nota lumine naturali, nec quæ lumine Fidei. Probatur, quia & ſecundum Philoſophum, & D. Thom. in Angelo non differt quod quid eſt ab eo cuius eſt. Philoſophus in 3. de Anima comm. 9. dicit quòd in ſeparatis à materia idem eſt quod quid eſt, & id cuius eſt; & in 7. Diuin. comm. 20. & 21. ait, quod in quibuſdam eſt idem, & natura, & ſuppoſitum; vndè ſi hoc locum non habet in abſtractis, neſcio quomodo, & in quibus poſſit verificari Ariſt. propoſitio? Imò comm. 41. claré diſtinguit materiales ſubſtantias ab intelligentijs, & in his docet quo, & quod eſſe idem; & multa quæ in 12. Diuinorum de earumdem ſimplicitate dicuntur difficilè poterunt ſaluari, niſi dicatur, quod ſint idem. Et S. Doctor in 1. p. quæſt. 3. art. 3. vt vidimus in notabilibus docet in Angelis non diſtingui naturam, & ſuppoſitum cum ipſo Auicenna, & hoc repetit in cap. 4. de ente, & eſſentia, & ampliùs dicitur à nobis, & à D. Thom. quòd non differt intrinſecè in ipſis natura à ſuppoſito, & ſaltèm ex hoc habetur, quòd ad minus hoc additum non eſt quid intrinſecum ipſi quidditati, & habenti ipſam quidditatem.

Primum Arg. Caietani ex Aureolo quod in Angelis non diſtinguitur realitèr ſuppoſitum, & natura.

Reſp. Caiet. ex ſuo Notabili ſuprà ex 3. p. q. 4. art. 2. ad 3. Inconueniens, negando illam ſequelam Aureoli: quoniam in Angelis, & ſi non diſtinguitur ab hac natura, quoniam ſe ipſa eſt hæc, & hoc intendit Philoſophus, diſtinguitur tamèn natura à perſona, de qua diſtinctione, vel indiſtinctione Philoſophus nihil dixit: Philoſophus enim vtitur indiſtinctè nomine indiuidui, & hypoſtaſis, & ſolùm pertractat de diſtinctione quidditatis, & eius cuius eſt ſecundum principia naturæ, & indiuiduationis. Nec mirùm cùm etiàm Auctor in p. p. quæſt. 3. art. 3. ità indiſtinctè tractet, & decidat quæſtionem de diſtinctione naturæ, & ſuppoſiti; puto autèm in cauſa fuiſſe, quòd vſque hodie non fuiſſent excitata ingenia humana ad perſcrutandas ſubtilitates intèr perſonam, & indiuiduam naturam, niſi Myſterium Trinitatis, & Incarnationis reuelatum ad hoc euitaſſet. Ità Caietanus, qui vno verbo ſoluit difficultatem dicens, quod in ſimplicibus Natura, & indiuiduum non differt, benè tamèn natura, & ſuppoſitum quòd idem eſt ac dicere in ſimplicibus idem eſt quo, & quod, vt ly quod dicit indiuiduum, & hanc naturam, non autèm eſt idem realitèr quo, & quod, vt ly quod ſuppoſitum dicit, & hypoſtaſim. Hic modus reſpondendi eſt doctior pro Diſcipulis, & Lectoribus Thomiſtis, & conformior Doctrinæ noſtri Sanctiſſimi Præceptoris. Ità Caietanus loc. cit.

Reſp. Caietani ad Argumentum Aureoli.

Arguit ſecundò Caietanus in eadem 3. p. quæſt. 4. art. 2. ex Scoto contrà primam Concluſionem. Si vera eſſet illa poſitio D. Thomæ ſequereretur quòd natura intellectualis poſſet fieri actu exiſtens, & in nulla perſona. Patet ſequela, quia natura quæ aſſumitur eſt prior ſe ipſa, vt eſt ſub realitate perſonalitatis, quæ non eſt eadem realitèr, aut formalitèr naturæ, & tunc ſi non aſſumeretur, & relinqueretur ſibi, non eſſet perſonata perſonalitate creata, vel increata.

Argum. Caiet. contrà primam Cōcluſionem ex Scoto.

Reſp. Caietanus, quòd ſi eſt ſermo de potentia naturali negatur ſequela, quæ non probatur, quia ſi humanitas non aſſumeretur, perſonaretur propria perſonalitate: non enim omne priùs poteſt naturalitèr fieri ſinè poſteriori; ſi verò ſit ſermo de potentia Diuina, fateor me nullam videre rationem impoſſibilitantem, quare non poſſit Deus naturam abſque omni perſonalitate conſeruare, cum actu tamèn eſſendi miraculosè conſequente abſque perſonalitate, quæ eſt proprium il-

lius ſubiectum ſecundum naturæ ordinem, cui Diuina non eſt alligata potentia. Et ſcito, quòd ſicut cum de integritate, & perfectione, ac non defectu hominis in Chriſto eſt ſermo, intelligitur quoad naturalia, vt diſtinguuntur contrà perſonalia, teſtante etiàm D. Athanaſio, quod eſt perfectus homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens, vbi expreſsè perfectionem hominis in Chriſto conſtante ex anima rationali, & humana carne poſuit, clarum eſt autèm quòd perfecto nihil deeſt; nihil ergò deeſſe perfecto homini Chriſto aſſeritur ſi ex anima rationali, & humana carne conſtare dicitur, cum qua perfectione liquet ſtare defectum perſonalitatis, quidquid ſit illa. Quando ergò eſt ſermo de nouitate, aut de acquiſitis, ſeù acquiſibilibus per humanitatem aſſumptam, ſi ſibi dimitteretur, dicitur nihil noui acquiri, aut aduenire, ſed per ſe ipſam ſubſiſtere, intelligitur de his, quæ non ex ipſa ſeparatione conſequuntur, & quòd dimiſſa ſibi per ſe ipſam dimiſſa ſubſiſteret, in quo clauditur id quod ex ſeparatione datur, ſeù conſequitur in ipſa natura: negatio enim, & excluſio, & exceptio non cadunt ſuper concomitantibus ipſam ſeparationem quæ ponitur. Conſtat autèm ex dictis ab Auctore, quòd ſeparatio dat totalitatem, ſeù complementum, qua, ſeù quo hypoſtaſis differt à natura, & quòd natura aſſumpta impedita eſt à propria perſonalitate, quæ ad ipſam conſequeretur ſeparatam: quoniam ceſſaret vnio, quæ impediuit. Et ſi ad has Gloſas te applicabis, perſpicies omnia ſoluta, clara, & conſona. Ità Caiet. in Reſp. ad Argum. loc. cit.

Argum. Caiet. contrà ſecundam Concluſionem.

Arguit vltimò Caietanus contrà ſecundam Concluſionem. Si in ſubſtantia creata exiſtentia, & ſubſiſtentia diſtinguerentur realitèr, iàm in ea poni deberent duæ potentiæ realitèr diuerſæ ad illas recipiendas: ſed hoc eſt falſum, ergò, &c. probatur hoc, quia non ſunt intelligibiles hæ duæ potentiæ realitèr diuerſæ, ſed eadem entitas naturæ ſubſtantialis recipit exiſtentiam, & ſubſiſtentiam; nàm quatenùs eſt ens habet potentiam receptiuam exiſtentiæ, quatenùs verò eſt ſubſtantia habet potentiam receptiuam ſubſiſtentiæ. Ratio autèm entis, & ſubſtantiæ in natura ſubſtantiali non diſtinguuntur realitèr. Sequela Maioris probatur, nàm ſecundum diuerſitatem actuum eſt aſſignanda diuerſitas potentiarum propriarum illorum, cum potentia per ſe reſpiciat actum, & ab illo ſpecificetur: ergò ſi in ſubſtantia creata exiſtentia, & ſubſiſtentia realitèr diſtinguuntur, cum vtraque habeant rationem actus deberent in ipſa ſubſtantia poni duæ potentiæ realitèr diſtinctæ ad illas recipiendas, quod non debet admitti.

Reſp. Caietani ad Argumentum vltimum.

Reſp. Caietanus negando minorem, & clariùs dicetur infrà in ſequenti Lectione quòd potentia immediatè receptiua exiſtentiæ ſubſtantialis eſt ſubſiſtens, ſeù conſtitutum ex ſubſiſtentia, & natura, potentia verò, immediatè receptiua ſubſiſtentiæ eſt ſola natura ſubſtantialis. Vel ſecundò dicatur quòd ſecundum diuerſitatem actùum eſt aſſignanda diuerſitas potentiarum propriarum illorum, quando quilibet illorum per ſe primò, & immediatè reſpicitur à ſua potentia, non verò quando illi non ità reſpiciuntur; ſicut enim materia prima vna, & indiuiſibili potentia reſpicit atque recipit formam ſubſtantialem, & accidentalem, ſubſtantialem primariò, & accidentalem ſecundariò; eſto iſtæ formæ ſint intèr ſe maximè diſtinctæ, & pertineant ad diuerſa genera; Ità nos dicimus in præſenti, quòd quamuis exiſtentia, & ſubſiſtentia ſint diuerſi actus, quia tamen natura ſubſtantialis primò reſpicit ſubſiſtentiam, & ſecundariò exiſtentiam hinc fit, quòd non debent poni duæ potentiæ realitèr diuerſæ ad illas recipiendas. Ità Caietanus in locis citatis, vbi plurima alia Argumenta ſoluit, Scoti, Aureoli, Durandi cùm ipſo Capreolo, &c.

Ap-

Digitized by Google

Appendices ad Lectionem 2. Metaphyſicalem in Tractatu de principijs intrinſecis naturæ.

MAgiſter Ripa ſuper Caput quintum de ente, & eſſentia in quæſt. 3. examinat ad mentem vtriuſque Thomæ hanc Controuerſiam à pag. 641. vſque ad 661. formalizando aliquas propoſitiones Caietani, ſicut totam Doctrinam Caietani formalizat Marcus Ferro in quæſt. 30. art. 4. in 1. p. à pag. 228. vſque ad 250. ibique plura corrollaria colligit quæ declarant Mentem D. Thomæ eiuſque fideliſſimi Interpretis Caietani. Et primò colligit quòd realitas perſonalitatis eſt idem, & non idem quodammodò, ideſt non diſtinguuntur realitèr ſicut duæ res, quorum vna ad aliam non pertineat, vt homo eſt albedo, ſed diſtinguuntur ſicut res, & terminus rei, vt patet de linea, & puncto, punctus enim non eſt linea, eſt tamèn aliquid lineæ. Colligit ſecundò, quòd ſicut linea poteſt eſſe ſinè omni puncto in actu, vt de facto datur linea circularis, quæ nullo puncto actu terminatur non tamèn poteſt dari punctus ſinè linea, duo enim contradictoria non poſſunt eſſe ſimul vera ex 4. Metaph tex. 7. Sic perſonalitas cùm de ſui eſſentia ſit purus terminus ſubſtantialis poteſt dari res ſinè termino, non autèm terminus ſine re, cuius eſt terminus. Colligit tertiò ex Caietano, quòd intèr perſonalitatem, & naturam ſingularem cuius eſt perſonalitas nulla eſt compoſitio, quia intèr terminatum, & terminum iſta non datur, vt patet de linea, & puncto: linea enim ſicut non componitur ex punctis, ità neque componitur ex linea, & puncto, ſed ſicut linea, & punctus faciunt vnam numero lineam terminatam, ſic natura, & perſonalitas ſe habent vt vna numero natura ſingularis terminata à ſua ſubſtantiali forma. Impugnant Caietanum Suarez, & Cabrera 3. p. quæſt. 4. art. 2. diſp. 3. §. 6. cùm aliquibus, ſed paucis modernulis Thomiſtis, intèr quos ex prurítu, puto, potiùs impugnandi Caietanum, quàm ex ratione motus vnus imberbis eſt auſus aſſerere in ſua Metaphyſica, quòd licèt in D. Thom. non reperiatur hæc compoſitio, ſuſtinenda tamèn eſt, ſed quidquid ſit de iſto Metaphyſico, Marcus Ferro pag. 235. ſoluit rationes ab his adductas contrà Caietanum. Colligit quartò ex Caietano, quòd vltrà materiam, formam, & compoſitum non datur quarta noua ſubſtantia, ſed perſona continetur ſub nomine compoſiti, quia hypoſtaſis, ſcilicèt ſortes eſt compoſitus ex hac materia, & ex hac forma, vt in ſubſtantijs materialibus; abſolutè tamèn accepta perſona, & vt communis nedùm ad perſonas humanas, ſed etiàm ad Angelicas, ac Diuinas non dicitur compoſitum, ſed eſt terminus purus ſubſtantialis naturæ ſingularis, & de hoc ſufficit ne detur quarta noua ſubſtantia.

Io: à S. Tho. defendit Caietanum ad mentem D. To.

In huius tamèn ſubſiſtentiæ in ratione puri termini declaratione more ſuo profundiſſimo ſub terminis proprijs Metaphyſicalibus excellit omnes Thomiſtas ſapientiſſimus Io: à S. Thoma in 1. p. quæſt. 3. diſp. 4. art. 2. pag. 103. vbi quòd ſit intrinſeca ſubſiſtentia ipſi ſuppoſito, & quod terminatio ſubſiſtentiæ ſit terminus ſingularitatis, quæ pertinet ad tertium modum per ſe, & quo determinata natura adueniens exiſtentia redditur incommunicabilis, & per ſe ſubſiſtens, ideſt alteri non communicabilis declarat. Et neruosè inuehit contrà illos, qui dicunt ſubſiſtentiam eſſe terminum connaturalem naturæ, & non eſſentialem, ſeù non eſſentialitèr requiſitum. Legendus eſt omninò loc. cit. & in ſequenti Appendice iterùm citabimus, &c.

Hinc Marcus Ferro redditur toti orbi literario patientiſſimus in ſufferendis tantis,

tis, & tot obiectionibus, nec non fideliſſimus; euincit enim omnes quotquot ſunt contrà D. Thom. & Caietanum. Diſtribuit enim Argumenta in ſex Claſſes in prima, ſecunda, & tertia Claſſe ſoluit Argumenta Scoti, Aureoli, quæ ſoluuntur à Caietano. In quarta Claſſe ſoluit Argumenta Durandi, & Henrici de Gandauo. qui probant diſtinctionem ſolam ex modo ſignificandi, ſcilicèt abſtracti, & concreti. In quinta claſſe ſoluit Argumenta Capreoli, qui docet ſuppoſitum addere ſuprà naturam ſolam extrinſecam exiſtentiam, quàm opinionem reijciunt omnes Thomiſtæ, & antiqui, & moderni, exceptis paucis, qui defendunt illam. In ſexta Claſſe proponit Argumenta Suarez, quæ Caietanus ſoluit in ſequenti Lectione. In ſeptima Claſſe ſoluit Argumenta Scoti, & Vaſquezij, qui probant naturam, & ſuppoſitum ſolùm diſtingui formalitèr, vt modus rei ab ipſa re. In octaua Claſſe ſoluit Argumenta illa Suarezij, quæ probant ſubſiſtentiam eſſe modum ſubſtantialitèr compoſitum duplici modo correſpondente, & formæ, & materiæ.

Paludanus, Medina, Deza, Zumel, Blaſius à Conceptione ex Modernis cum Mahilat, in Met. p. 3. diſp. 2. ſect. 2. defendunt contrà Ferr. 4. c. g. cap. 4. Nauarettum, Ledeſmam quæſt. 4. art. 3. Nazarium, Cabreram, Bannezium, & Ioannem à S. Thom. 1. p. quæſt. 3. art. 3. diſp. 4. & Cipullum in 3. p. quæſt. 17. art. 2. dub. 3. quòd ſubſiſtentia non diſtinguitur realitèr ab exiſtentia. Caietanus in hac Lectione totus eſt cum prædictis ad defendendam affirmatiuam, quod ſcilicèt ſubſiſtentia, & exiſtentia in ſubſtantia creata diſtinguitur realitèr.

Pro ſententia Caietani legenda eſt littera S. Thom. in 1. p. quæſt. 3. art. 3. vbi quærit vtrùm hoc ſuppoſitum Deus ſit idem quod ſua eſſentia vel natura cum formalitatibus, & Append. Vener. Porrectæ ibi, & Comm. Caietani; & littera etiàm per extenſum art. 2. quæſt. 4. in 3. p. & art. 2. quæſt. 17. in 3. p. cum Comm. Caietani, & formalitatibus Ven. Porrectæ, ex quibus euadet verus Metaphyſicus Canoniſta, & ſub lumine naturali Metaphyſico, & ſub lumine Fdei Theologico, circà Myſterium humanitatis aſſumptæ vt ſingularis à ſuppoſito Verbi, &c.

Videas etiàm Arnù in ſua Metaphyſica quæſt. 4. art. 6. vbi defendit cap. 2. ſuppoſitum diſtingui à natura quia addit ſubſiſtere, ſeù eſſe per ſe num. 166.

Digitized by Google

LECTIO III. METAPHYSICALIS

In Tractatu quarto

DE PRINCIPIIS NATVRÆ INTRINSECIS.

Vtrùm Suppoſitum in quocumque, & non Natura ſit primum ſubiectum actus eſſendi, & Filiationis realis.

Ex Caietano in 3. p. quæſt. 4. art. 2. & in quaſt. 17. art. 2. & in quaſt. 35. art. 5.

Declaratio Controuerſiæ, & Tituli, eiuſque ſenſus data à D. Thom.

CAIETANVS in 3. p. quæſt. 4. art. 2. §. examinanda igitur, &c. declarat titulum hoc modo. Hæc difficultas diſcutienda eſt, & ſecundum doctrinam D. Thom. & ſimplicitèr. Ex Doctrina D. Thomæ habetur intèr naturam, & ſuppoſitum in creaturis, quod ſit talis, & tanta differentia, vt ſuppoſitum ſit primum ſubiectum actus eſſendi in rerum natura, Natura autèm nequaquàm: Si autèm velimus ipſum diſcutere ſimplicitèr, dicitur quod ſuppoſitum ſit ſubiectum Filiationis realis, natura nequaquàm, ità quod ſi natura ſiue ſuo ſuppoſito poneretur, non eſſet ſubiectum actus eſſendi, nec eſſet ſubiectum Filiationis. Primùm habetur ex D. Thom. in 3. p. quæſt. 17. art. 2. Secundùm habetur in quæſt. 35. art. 5. & hoc ſecundum, ait inficiari à nullo poteſt, quòd fundamentum hoc, ſcilicèt quo ad eſſe primò ſubiectum Filiationis realis, non ſit D. Thom. Et licet Titulus ab alijs ponatur ſub diuerſis terminis, in idem tamèn reddit. Alij quærunt ſic. Verùm in natura ſubſtantiali priùs recipiatur exiſtentia, quàm ſubſiſtentia. Alij an ex mente D. Tho. exiſtentia per ſe quatenùs indiuidua, ſeu quatenùs gradum indiuidualem naturæ ſubſtantialis reſpicit, & cùm ea vt ſic coniungitur ſit ratio ſuppoſiti creati, an verò ipſa ſubſiſtentia. Alij an ſecundum rei veritatem exiſtentia ſubſtantialis quatenùs indiuidua, ſeù quatenùs naturam indiuiduam terminat, & actuat ſit vltima ratio conſtitutiua ſuppoſiti, an verò ſit ſola ſubſiſtentia. Alij tamdèm ſub alia formalitate quærunt, vtrùm exiſtentia ſubſtantialis, quàm addit ſuppoſitum ſuprà naturam indiuiduam ſubſtantiæ pertineat ſolùm extrinſecè, an verò intrinſecè ad rationem eius conſtitutiuam. In præſenti Lectione nihil diffinietur de ſuppoſito Angelico, quia peculiarem petit difficultatem, ſed declaratio, & reſolutio reſeruatur in ſequenti Lectione. In hac tertia reſoluitur ſimplicitèr, & præcipuè de ſuppoſito Chriſti Domini. Et quia S. Doctor videtur in aliquis locis, & affirmatiuè, & negatiuè ſe habere, quæ auctoritates faciunt dubiam hanc Contro-

trouerſiam, & ſatis difficilem; ideo immediatè ponemus pro vtraquē parte loca D. Thomæ. Ità Caietanus loc. cit.

Mutua D. Tho. quæ reddunt hinc, & inde ancipitem Controuerſiam.

Et quòd expreſsè dicat S. Doctor primùm, habetur in 3. p. quæſt. 17. art. 2. & in quæſt. ad 1. vbi ait. Eſſe conſequitur naturam non ſicut habentem eſſe. Et ad ſecundùm ait quod illud eſſe æternum Filij Dei, quòd eſt Diuina natura fit eſſe hominis in quantùm humana natura aſſumitur à Filio Dei in vnitatem perſonæ. Et ad tertium ait, quòd Perſona Diuina cum ſit idem cum natura in perſonis Diuinis non eſt aliud eſſe perſonæ præter eſſe naturæ, & ideò tres perſonæ nonhabent niſi vnum eſſe. Haberetur autèm triplex eſſe ſi in ejs eſſe perſonæ, & eſſe naturæ, eſſet aliud, & aliud. Et ad quartum ait quòd ipſum eſſe eſt perſonæ ſubſiſtentis ſecundum quod habet habitudinem ad talem naturam, cuius habitudinis cauſa eſt anima in quantùm perficit naturam humanam informando corpus. De ſubiecto autèm Filiationis in 3. p. quæſt. 35. art. 5. ad primum habet: Natiuitas temporalis cauſaret in Chriſto Temporalem Filiationem realem, ſi eſſet ibi ſubiectum huiuſmodi Filiationis capax; & in fine Reſponſionis ait, natura autèm humana nullo modo poteſt eſſe ſubiectum Filiationis: quia hæc Relatio directè reſpicit perſonam. Et quod ſit ſubiectum primum actus eſſendi S. Doctor in pluribus locis hoc habet, ſcilicèt in 1. p. quæſt. 45. art. 2. & quæſt. 50. art. 2. ad 3. & de ente, & eſſentia cap. 5. & quolib. 9. art. 3. & alibi, quòd ſcilicèt proprium, & immediatum receptiuum exiſtentiæ eſt ſuppoſitum; & inſupèr quæſt. vnica de Anima art. 6. ad 2. vocat exiſtentiam vltimam actualitatem naturæ. Et in 3. ad Annib. d. 5. quæſt. vnica art. 2. ad 1. ait. Vniri dicitur duplicitèr, vel vnum fieri, vel in vno, & hoc explicat exemplo vnionis naturæ humanæ, & Diuinæ, quæ vniuntur non quia fiat vnum, ſed quod ſunt in vno, ideſt in vno ſuppoſito in quo conueniunt.

Quòd verò habeatur oppoſitum ex D. Thom. plurima eius dicta hoc oſtendunt. Prima Auctoritas eſt in opuſc. 48. tract. 3. de decem Prædicamentis cap. 2. ſub fine vbi ait. In quacumque ſubſtantia creata eſt compoſitio ex eſſe, & eſſentia, quæ non eſt compoſitio materiæ, & formæ, & compoſitio duorum principiorum ſuppoſiti, quorum eſſentia eſt potentia, & eſſe eſt actus; vndè eſſe reſpectu eſſentiæ eſt accidens, quia extrà eſſentiam rei, & dicitur ſubſtantia, quia in genere ſubſtantiæ, ſicut principium ſuppoſiti, vt actus ſimplicitèr ſecundus. Et in 3. p. quæſt. 19. art. 1. ad 4. ait: Eſſe, & operari eſt perſonæ à natura, alitèr tamèn, & alitèr; nàm eſſe pertinet ad ipſam conſtitutionem perſonæ. Et in 3. ſent. diſt. 5. quæſt. 1. art. 3. eſſe per ſe eſt de ratione perſonæ. Et in quolib. 2. quæſt. 2. art. 4. in corp. & ad 1. probat ſuppoſitum diſtingui in creatis à natura, quia ſuprà eam addit eſſe, Et quolib. 9. art. 3. ad 3. ait, quod eſſe eſt illud in quo fundatur vnitas ſuppoſiti, & in corp. eiuſdem art. dixerat quod in ſuppoſito duplex eſt eſſe, vnum ſcilicèt ex ijs, quibus eius vnitas integratur, quod proprium eſt eſſe ſuppoſiti ſubſtantiale; aliud autèm eſt eſſe ſuppoſito attributum præter ea, quæ ipſum integrant. Quod autèm ſubſiſtentia, & exiſtentia ſit per ſe vnum, & idem hoc videtur dicere D. Thom. in 1. ad Annib. diſt. 23. quæſt. vnica art. 4. in corp. vbi ait, eſſe ſignificat id quod eſt in omnibus generibus commune: ſubſiſtere verò ſpecialem modum eſſendi, qui competit ſubſtantijs, ſcilicèt eſſe per ſe. Et in 1. ſent. diſt. 23. quæſt. 1. art. 2. ad 4. ait. Perſona ſignificat quid completum ſubſiſtens, vel exiſtens in natura intellectuali, iſta diſiunctiua vocatur inferre, quòd illa duo ſint vnum, & idem. Quòd verò D. Thom. aſſerat in alijs locis; ſuppoſitum, ſeù perſonam eſſe completiſſimum, & perfe-

ctiſſi-

ctiſſimum in toto genere ſubſtantiæ iàm vidimus in præcedenti lect. Et hoc in p. p. q. 29. a. 3. in c. Et in p. ad Annib. d. 23. q. Vnica a. 1. in Argumento ſed contrà. Et in 3. ſent. diſt. 5. q. 3. a. 2. in Argumento, ſed contrà, & a. 3. in c. & in q. p. a. 3. & in 4. c. g. c. 38. ex quibus locis, deducunt aliqui quod perſona, ſeù ſuppoſitum debet neceſſario includere exiſtentiam per ſe, alias non eſſet quid completiſſimum in genere ſubſtantiæ; & inſuper inferunt contrà nos quod ſuppoſitum non conſtituitur per ſubſiſtentiam, ſed per exiſtentiam per ſe vt indiuiduam, & naturæ indiuiduæ coniunctam. Ità Cietanus qui adhærens veſtigijs antiquiorum Philoſophorum, & Thomiſtarum declarat ſuam ſententiam per ſequentes doctrinas. Et reſpondet auctoritatibus D. Th. vt videbimus &c.

Primum Notab. Caiet. in quo exponitur quomodo exiſtentia debetur natura, & quomodo ipſi ſuppoſito.

Quo ad primum notat Caiet. in 3. p. q. 17. a. 2. quod natura carens propria perſonalitate, quia præuenitur ab aliena, opportet, vt ex dictis in præcedentibus patet, quod careat propria exiſtentia ſi enim exiſtentia propria non prouenit ab ipſa actualiter, niſi in propria perſona, ex hoc ipſo quod ad alienam trahitur perſonam, ſequitur quod ad alienam trahitur exiſtentiam illius, ſcilicet perſonæ præuenientis ipſam. Et rurſus ſi exiſtentia non debetur naturæ vt quod, ſed vt quo eſt, perſonæ autèm vt quod, ex hoc ipſo, quod natura trahitur ad alienam perſonam vt ſit quo eſt, ſequitur quod ſufficienter conſecuta eſt exiſtentiam, quia conſecuta eſt exiſtentiam illius perſonæ modo conuenienti ipſi naturæ, ſcilicet vt quo: hoc enim ipſi quod eſt, quod natura aliqua ſit natura alicuius perſonę actu exiſtentis, eſt naturam illam exiſtere, ſiuè perſona illa ſit conſtituta per illam naturam, ſiuè non. Sicut igitur in Chriſto, vt in alia quæſt. tertiæ partis patet, vnam tantùm filiationem relationem realem ponimus ex defectu ſubiecti; ità in Chriſto ex defectu ſubiecti primi vnum tantum eſſe ponimus: Primum enim ſubſtantialis ſubiectum exiſtentiæ eſt perſona; Repugnat autèm Diuinæ Perſonæ exiſtentia creata duplici ratione. Prima eſt ex Diuinitate, quia Diuina perſona non poteſt in ſe recipere aliquid creatum; Secunda eſt ex communi ratione perſonæ, quia perſonæ vnius non eſt niſi vnum eſſe ſubſtantiale. Quapropter quia humanitas Chriſti præuenta eſt in Myſterio Incarnationis, vt propriam non ſortiretur perſonalitatem, ſed ad perſonalitatem Verbi aſſumpta eſt, ideò quaſi impedita eſt à proprio eſſe, & eſt ſortita eſſe perſonæ Diuinæ ex hoc ipſo quod eſt Diuinæ perſonæ natura dicta in quid; habet enim ex hoc ſuum eſſendi modum, ſcilicet eſſe vt quo: Natura enim perſonæ eſt vt quo, nec plus ſibi debetur. Ità Caiet. in 3. p. q. 17. a. 2. in fine Comment. §. Ad euidentiam horum &c. Ex quo Myſterio Incarnationis ſumit ſuæ ſententiæ Thomiſticæ fundamentum.

Notab. Caiet. 2. in quo ad explicãdum idem quod ſuprà proſequitur.

Notat 2. Caiet. ibidem art. 2. cit. in fine. Cum audis in Reſp. ad ſecundum quod eſſe Diuinum factum eſt eſſe hominis, quia natura humana aſſumpta eſt in vnitatem perſonæ; diſtinctionem de ipſo eſſe in communi, penetra, quatenus ipſum eſſe, eſt vel perſonæ, vel naturæ. Quamuis enim vnum idemq; ſit eſſe perſonæ, & naturæ, alia tamen ratione eſt naturæ, & alia perſonæ: naturæ enim eſt vt principij, perſonæ vt ſuſceptiui, vt magis videbimus infrà. Quocirca conuenire in eſſe, quatenùs eſt naturæ, eſt conuenire ad integritatem principij ipſius eſſe, hoc eſt fieri naturæ particepa, quæ eſt principium eſſendi; Et ſic materia, & forma conueniunt in vno eſſe, & eſſe eſt naturæ. Conuenire autèm in vno eſſe, quatenus eſt perſonæ, eſt conuenire, ſeù ſpectare ad integritatem perſonalium, & ſic caput, & pedes, & reliquæ partes, & natura ipſa cum ſuis partibus conueniunt in eſſe, vt eſt perſonæ; Vndè patet quod eſſe Diuinum non quatenus eſt naturæ, communicatum eſt humanitati Chriſti, quoniam conſtat, humanitatem Chriſti non concur-

rere cum Deitate ad integrandum quaſi principium ipſius eſſe, ſed eſt communicatum, vt eſt ipſius perſonæ: quoniam humanitas Chriſti aſſumpta eſt ad perſonalitatem Verbi, ità quod eſt de numero ſpectantium ad perſonalitatem Filij Dei modo excedente noſtram intelligentiam. Et propterea non ſequitur, quod vnio ſit facta in natura, nec quod vnio ſit facta cum Patre, & Filio; Communicatum ſi quidem eſt humanæ naturæ eſſe Diuinum non vt eſt naturæ, nec vt eſt cuiuſcumq; Perſonæ Diuinæ, ſed vt eſt Perſonæ Filij, quia aſſumpta eſt ad perſonalitatem Filij tantum. Ità Caiet. loc. cit. Metaphyſicat ſuum fundamentum ex Myſterio &c.

Notab. 3. Caiet. in quo ſemper magis, & magis explicatur quod eſſe conueniat naturæ, & quomodo eſt effectus formalis formæ ipſum eſſe.

Notat 3. Caietanus ibidem art. 2. cit. in Calce Comment. in Reſp. ad quartum quod effectus formalis intrinſecus, quem formā opportet ponere in materia ſua eſt eſſe eſſentiæ, ità quod forma ſubſtantialis dat naturæ ſubſtantiale eſſe eſſentiæ conſtituendo ſubſtantiæ naturam, ſeù eſſentiam completam; Et ſimiliter Anima dat eſſe animatum, quod alio nomine dicitur eſſe viuum conſtituendo eſſentiam vnam, ſeù animatam, & ſic de alijs; In hoc enim conſiſtit effectus formalis, à quo non poteſt ſeparari etiàm per intellectum forma in materia. Et ſi non intelligis formæ vlteriorem progreſſum, non habes adhuc, vt in litt. art. 2. cit. dicitur, illud quod eſt, ſed ſolummodò naturam qua aliquid eſt, quæ ſcilicet eſt eſſendi principium, & non ſubiectum. Et ideò ex hoc quod forma, ſeù Anima neceſſario dat eſſe corpori, non habetur quod eſſe ſit naturæ vt ſubiecti quod, ſed quia conſtituit naturam, quæ eſt quo, relinquit ſubſequiturum illud quod eſt quod; & ideò eſſe eſt perſonæ in ordine ad naturam &c. vt declaratum fuit &c. Et hæc ſunt conformia ijs, quæ diximus in alio Commentario de circulo, & rotunditate reſpectu eſſe ipſius formæ, quod poteſt intelligi dupliciter primo quod per ſe conueniat formæ ipſum eſſe vt principio, & ſic eſt verum, ſed quia perſeitas principij eſt impedibilis per ſuperiorem cauſam, ideò cum huius propoſitionis veritate ſtat quod in Chriſto Anima præuenitur à proprio eſſe cuius per ſe eſſet principium. Alio modo intelligitur quod per ſe conueniat formæ vt principio, & ſubiecto, ſicut propria paſſio conuenit proprio ſubiecto, & ſic non eſt vera propoſitio niſi de forma perſonalitate propria ſeù ſubſiſtentia terminata, qualis non eſt Anima Chriſti, quæ non niſi per Verbum ſubſiſtit. Vndè Auctor ibi ex prima propoſitione, forma in quantùm forma, ſubſumpta ſecunda propoſitione de forma per ſe ſubſiſtente, concludit efficaciter Angelos eſſe incorruptibiles, quia ſunt formæ ſubſiſtentes per ſe abſq; materia. Et verè ſic eſt, quia implicat formam ſubſiſtentem per ſe abſq; proprio eſſe, non minus quàm circulum ſinè rotunditate inueniri. Ità Caiet. loc. cit. qui nil profundius, perſpicacius, & clarius poteſt interpretari mentem S. Thomæ ex illo art. 2. cit. nimirum quod mens S. Thomæ eſt, quod proprium, & immediatum ſuſceptiuum exiſtentiæ, eſt ipſum ſuppoſitum. Quidquid dicant alij quod iſta ſubſiſtentia non inueniatur intrà Viſcera Doctrinæ Metaphyſicalis Sanctiſſimi noſtri Præceptoris, ſed quod eius Interpres Caietanus vocauerit eam deforis ex Regno Peruano.

De ſuppoſito opinio propria Caiet. explicata ab ipſomet confutando ſimul de mente D. Th. alienũ ſenſus.

Quo ad ſecundum Caietanus, ſatis, ſufficienterque explicauit ſententiam ſuam iuxtà mentem D. Th. ſcilicet quod ex illa realitate, quam includit hic homo, quam non includit hæc humanitas, hic homo habet quod ſit ſuſceptiuum per ſe primò actus eſſendi, & filiationis temporalis, & hoc non reducendum eſt, addit Caiet. ad differentiam ſecundum illos modos ſignificandi, aut intelligendi, nec ad differentias ſecundum connotata ad extrà, quæcumque ſint illa, quia hæc differentia in rerum natura eſt, & iuxtà conſtitutiuum per ſe primo ſubiecti filiationis realis, ſiuè actus eſſendi; & hæc differentia præuenit omnia extrinſeca, & modos intelli-

telligendi, & ſignificandi; nec etiàm recurrendum eſt ad differentiam penès negationes, quoniam negatio non eſt conſtitutiua ſubiecti entitatis realis, quamuis ſit concomitans, & circumloquens quandoq; conſtitutiuum illud: quoniam ſubiectum entitatis realis vt ſic, purum ens reale ſufficit in ſe; negatio autèm, cùm nihil formaliter ſit, non dat formaliter alicui enti, vt ſit capax entitatis realis. Hæc conuincunt intellectum, addit Caietanus, benè diſpoſitum, ſtantibus doctrinis ſuprà, de quibus ſcito, quod quamuis Thomiſtæ aliqui videantur negare hoc fundamentum eſſe D. Th. quantùm ad per ſe ſubiectum actus eſſendi, iſtorum tamèn Phantaſia oſtenditur in q. 17. aliena à doctrina Auctoris nullus tamèn inficiari poteſt, quod hoc non ſit fundamentum D. Th. quo ad per ſe primò ſubiectum filiationis realis, & hoc ſufficit efficaciæ rationis noſtræ modo infrà ponendæ. Ità Caiet. in art. 2. q. 4. cit.

Concl. vnica Caiet. cum ſua probatione quod competat perſonæ, & non naturæ eſſe immediatum ſuſceptiuum exiſtenciæ.

Quoad tertium Concluſio Caietani Vnica ex 3. p. q. 4. a. 2. & ex q. 17. a. 2. eſt talis. Huic naturæ indiuiduæ, puta huic humanitati repugnat à parte rei eſſe per ſe primò ſubiectum, & actus eſſendi, & actus filiationis, ſed hoc competit huic perſonæ, puta huic homini ratione ſubſiſtentiæ, quæ in hoc homine clauditur.

Probatur primò à Caietano ſecunda pars auctoritate D. Th. ex 3. p. q. 35. a. 5. per totum ſcilicet quod eſſe ſubiectum filiationis ſit proprium perſonæ. S. Doctor in Reſp. ad primum ſpecialiter ait. Natiuitas temporalis cauſaret temporalem filiationem realem, ſi eſſet ibi ſubiectum huiuſmodi filiationis capax: ergo Perſona eſt ſubiectum capax filiationis realis, non autèm natura. Ità Caiet. ex D. Th.

Reſp. aduerſariorum rationi 2. partis.

Reſp. Aduerſarij, quod ibi D. Th. ſolùm vult, quod eſſe non eſt ſecundum ſe, & ratione ſui ſubiectum accidentis: cum enim recipere dicat potentialitatem, & potentialitas conueniat actui ratione potentiæ in qua recipitur non conuenit conſequentèr exiſtentiæ, quæ eſt vltimus, & perfectiſſimus actus, ad recipienda accidentia niſi ex limitatione, quam habet à natura, quæ recipiendo ſuum eſſe communicat ei propriam imperfectionem, & limitationem quam habet.

Eliditur Reſp. aduerſariorum à Caiet.

Reſp. Caiet. quod perſonalitatis realitas eſt actualiſſima, cùm nec ſubiectum actus eſſendi, nec conſtitutiuum actus eſſendi, quod eſt ſubſiſtentia, poſſit eſſe actualius ipſo actu eſſendi, nec poteſt eſſe determinatiſſima, quia terminus non eſt res terminata; Sicuti punctus terminans lineam non eſt linea terminata; eſſe igitur ſecundum D. Th. eſt actualiſſimum, quia eſt actualitas omnium, etiàm ſuppoſiti. Et miror, quod aliqui ex noſtra Schola puram profitentes doctrinam D. Th. eludant phantaſiando rationes D. Th. formales, & ſe. ſuas; dùm in omnibus locis apertè probat ſuppoſitum eſſe ſubiectum vt quod, & non natura, cum dicat quod forma ſubſtantialis facit cum ſua materia hanc naturam Bouinam &c. vel naturam humanam hanc, & poſteà perſonam, & poſteà exiſtentem, & tandèm accidentia, & alia ſubſequentia. Ità Caiet. ex D. Th. loc. cit.

Probatio alterius partis Caiet. ex D. Thoma.

Probatur alia pars auctoritate D. Th. ſcilicet quod competat ſuppoſito tantum, & non naturæ eſſe ſubiectum primò actus eſſendi. Hoc expreſsè habet D. Th. in 3. p. q. 17. a. 2. in c. vbi ait. Eſſe autem pertinet ad naturam, & ad hypoſtaſim, ad hypoſtaſim quidem ſicut ad id quod habet eſſe, ad naturam autèm ſicut ad id, quo aliquid habet eſſe: Natura enim ſignificatur per modum formæ, quæ dicitur ens ex eo, quod ea aliquid eſt, ſicut albedine eſt aliquid. Album, & humanitate aliquis eſt homo. Et ad primum ait quod eſſe conſequitur naturam nõ ſicut habentem eſſe, ſed ſicut qua aliquid eſt: Perſonam autèm ſiuè hypoſtaſim conſequitur ſicut habentem eſſe. Et ad quartum ait, quod Anima in Chriſto dat eſſe Corpori, in quantùm facit ipſum actu animatum, quod eſt dare ei complementum na-

Digitized by Google

türæ, & ſpeciei : Sed ſi intelligatur corpus perfectum per Animam abſque hypoſtaſi habente vtrumq; hoc totum compoſitum ex anima, & corpore pro vt ſignificatur nomine humanitatis non ſignificatur vt quod eſt, ſed vt quo aliquid eſt, & ideò ipſum eſſe eſt perſonæ ſubſiſtentis ſecundum quod habet habitudinem ad talem cauſam, cuius habitudinis cauſa eſt Anima, in quantùm perficit naturam humanam informando Corpus: ergo apud D. Th. clarum eſt hanc naturam non eſſe ſubiectum ſuſceptiuum immediatum exiſtentiæ, ſed ſoli ſuppoſito hoc competere: Hæc enim Anima intellectiua in prioritate naturæ vnita Corpori humano, facit ſimul cum illo hanc naturam humanam, & niſi impediatur facit perſonam, & poſteà exiſtentem, & tandèm accidentia ſiuè propria, ſiuè communia, ſiuè abſoluta, ſiuè relatiua. Ità Caiet. ex D. Th. in loc. cit.

Reſp. aduerſariorum ad Authoritates D. Th.

Reſp. Aduerſarij quod D. Thomas ibi loquitur non de ſequela Phyſica, ſed de ſequela Logica per quam ſcilicet vnum infertur ab alio. Et admiſſo hoc reſpondetur ſecundò quod non ſequitur, quod eſſe diſtinguatur realiter ab hypoſtaſi diſtinctione excludentis, & excluſi, ſed ſufficiet quod diſtinguatur ab ea diſtinctione reali includentis, & incluſi, ſecundum quam etiàm verè diſtinguitur eſſe ab hypoſtaſi, quia eſſe includitur in hypoſtaſi ſicut pars in toto, & ad eam ſequitur ſicut pars dicitur ſequi ad ſuum totum; Et ſic dicunt quod natura indiuidua eſt id quo hypoſtaſis habet, & recipit eſſe, quia natura vt ſic, eſt id, in quo recipitur eſſe tanquàm in ſubiecto informi, & hypoſtaſis eſt id quod habet eſſe per modum totius tanquàm partem principalem ſui, & ſic Petrus dicitur habere eſſe ſubſtantiale per modum concreti, habens illud vt quod, ſicut pars in ſuo toto, & ſicut forma in ſubiecto formato, non autèm tanquàm in ſubiecto informi, quod à ſe excludat eſſe: exiſtentia enim ſubſtantialis recipitur in natura per modum partis principalis conſtituentis, & formantis eam in eſſe entis vt quod.

Eliditur à Caiet. Reſp. aduerſariorum.

Caietanus elidit hanc Reſp. ex ſuo notabili ſuprà, quod hoc eſt Phantaſiare in doctrina D. Th. obſcurando illam, non attendendo ad illam, quæ ab ipſo alibi traditur, vbi apertè monſtrat diuerſos modos eſſendi in ſubſtantia, ſcilicet naturæ vt principio quo, ſuppoſito aſſignat quoque ſuum ſcilicet vt immediato receptiuo, & vt quod verè eſt, & hoc euidentèr fundat in Myſterio Incarnationis de eſſe Diuino Chriſti Domini in hoc, & non in alio ordine, modi eſſendi reſpectu naturæ, & reſpectu ſuppoſiti, dùm dicit quod eſſe pertinet ad naturam. & hypoſtaſim, ad naturam ſicut ad id quo, ad hypoſtaſim, ſicut ad id quod. Quid clarius in D. Thoma? Ità Caiet. loc. cit.

Probatio Caiet. per rationem fundatam in doctrina D. Th. pro vtraq; parte Concluſionis.

Probat modò Caiet. ſuam Concluſionem quo ad vtramq; partem ſub tali forma ſic. Illa quæ ità ſe habent, vt vnus illorum ſit realiter capax duplicis actus realis, & ſic ſubiectum per ſe primò, ac immediatè ſuſceptiuum realiter duorum actuum; Alter verò ſit incapax, & repugnet illi, neceſſe eſt vt ſubiectum, cui repugnat illos recipere, careat aliquo reali, per quod realiter remaneat incapax illos recipiendi, aliud verò illud habeat per quod fiat primò ſuſceptiuum realiter vtriuſque: Sed S. Doctor talem tantamq; differentiam ponit intèr ſuppoſitum, & naturam, intèr hunc hominem, & hanc humanitatem, vt hic homo ſit realiter capax vtriuſq; actus ſcilicet eſſendi, & filiationis realis, & naturæ repugnat: ergo oppertet quod in ſuppoſito ſit aliquid reale per quod realiter fiat capax ſubiectum ſuſceptiuum illorum duorum realium actuum: ſed hoc reale non poteſt eſſe niſi ſubſiſtentia ergo ſubſiſtentia erit ratio ſuſcipiendi ſuppoſito vtrumq; illum actum &c. Minor, quod repugnet naturæ, patet quia ſi natura ſinè ſuppoſito poneretur non eſſet capax actus eſſendi, nec realis filiationis, vt patet in natura humana Chriſti, quæ quia caret

ſuo

ſuo ſuppoſitò creato ſibi connaturali, caret etiàm conſequentèr ſuo connaturali eſſe creato, & creata filiatione, vndè ſicut ſubſiſtit per ſubſiſtentiam Chriſti; Ità etiàm exiſtit per eſſe Chriſti. Ità Caietanus fundat ſuam rationem in doctrina D. Thom. de hac humanitate ſuppoſitata à ſuppoſito Diuino in Myſterio Incarnationis loc. cit.

Prima Reſp. quæ eſt Scoti ad ration. Caiet.

Scotus reſpondet quod ſi addit, addit ſuprà naturam illam duplicem negationem dependentiæ ab alia perſona, v. g. natura quamuis actu non dependeat à propria perſona in Myſterio Incarnationis, habet tamèn aptitudinem naturalem ad illam: perſona autèm nec actu, nec aptitudine ab alia perſona dependet. Vel vt Io: de Neapoli dicit perſona non ſolùm dicit negationem dependentiæ ab alia perſona, ſed etiàm negationem aſſumptibilitatis.

2. Reſp. quæ eſt Capreoli.

Alij reſp. vt Capreolus, quod addit aliquid reale extrinſecùm, ſcilicet eſſe exiſtentiæ. Itaque hic homo, & hæc humanitas differunt realiter per hoc, quod hic homo connotat exiſtentiam quam non connotat hæc humanitas.

3. Reſp. quæ eſt Scotiſtarum.

Alij verò, vt Scotiſtæ, reſpondent quod tota fabrica rationis ruit, vtpotè fundata ſuprà falſa principia: Quia Scotus tenet, quod eſſe exiſtentiæ, ac realis filiatio per ſe primò recipiatur in natura humana, & propterea concedit in Chriſto duplex eſſe, vnum increatum propriæ perſonæ Chriſti, & aliud humanum in natura humana receptum, & duplicem filiationem vnam æternam reſpectu Patris, & aliam temporalem reſpectu Matris in natura humana receptam.

4. Reſp. quæ eſt aliquorum Thomiſtarum.

Alij reſpondent quod S. Thomas vult ſolummodò, quod hæc humanitas non ſit ſubiectum capax realis actus eſſendi, & realis filiationis quia ſignificatur in abſtracto. Hic autèm homo vult quod ſit capax, quia ſignificatur in concreto, non autèm quod addat aliquid reale ſuper hanc humanitatem.

Eliditur à Caiet. hæc 4. Reſp.

Caietanus elidit omnes has fugas per ſuam rationem ſuprà. Et ab hac vltima incipiendo per ſuas doctrinas iàm allatas ſuprà in notabilibus, ait, iàm diluimus hanc Reſponſionem dicendo quod modus ſignificandi, non habet vim faciendi, quod aliquid à parte rei conueniat alicui, quod alteri repugnat: quia quod conueniat huic homini, & repugnet huic humanitati eſſe ſuſceptiuum &c. iàm diximus, quod non poteſt reduci in diuerſum modum ſignificandi, ſed in habere aliquid reale per quod huic homini conueniat, & huic humanitati repugnet, quia caret illa entitate reali ſubſiſtentiæ, quam probat ratio noſtra ex D. Th.

Eliditur à Caiet. 3. Reſp.

Penultima Reſp. Caiet. eſt. Iàm diximus in 3. p. q. 4. a. 2. nos non habere rem cùm Scotiſtis, ſed cùm Thomiſtis, ſcilicet cum Ioanne de Neapoli, & Herucæo, qui tenent perſonam non addere aliquod reale intrinſecum poſitiuum, & contrà Capreolum, qui tenet ſolùm connotare extrinſecam exiſtentiam, & cætera accidentia, & propterea adduximus illam rationem ad perſuadendos D. Thomæ diſcipulos, & conuincendos de mente D. Th. eſſe, quod ſuppoſitum addit aliquid reale intrinſecum poſitiuum, & non connotare ſolùm extrinſecam exiſtentiam, & cætera accidentia. Argumentis Scoti reſpondimus, & in præcedenti lect. & reſpondebimus in præſenti infrà immediatè in quarto loco.

Eliditur à Caiet. 2. Reſp.

Ad ſecundam fugam quæ eſt Capreoli, Caiet. Reſp. ſic. Id quod præuenit aliquid non dependebat ab illo, ſecus priùs dependeret à poſteriori: Sed antè omnia extrinſeca connotata, quæcumq; ſint illa, ſiuè ſit exiſtentia, ſiuè cætera accidentia poſt ſubſiſtentiam aduenientia datur hæc realis differentia intèr hanc naturam humanam, & hunc hominem, quod hic homo eſt capax realiter exiſtentiæ, & aliorum accidentium, & hæc humanitas non eſt realiter capax ſubiectum ſuſceptiuum illorum: ergo hæc differentia inter hanc, & hunc non eſt petenda à concomitantibus,

bus, ideſt ab eſſe, & accidentibus ab extrinſeco connotatis ab hoc homine, & non ab hac natura.

Eliditur à Caiet. 1. Reſp.

Ad primam Scoti fugam Reſp. Caiet. ſic. Id quod formaliter eſt nihil non dat formaliter poſitiuè alicui enti eſſe capax entitatis realis: ſed negatio formaliter eſt nihil: ergo licet negatio poſſit circumloqui aliquod ens poſitiuum, non poteſt tamen facere, quod naturæ repugnet, & ſuppoſito conueniat eſſe ſubiectum illius duplicis actus realis; nec negatio poteſt eſſe reale conſtitutiuum ad actus reales recipiendos. Ità Caiet. in notabilibus ſuprà loc. cit.

Arg. 1. Scoti contrà Concluſionem.

Quo ad 4. Caiet. omiſſis pluribus obiectionibus, quas facit Scotus, vt de facto ſoluit illas de filiatione reali Chriſti in 3. p. q. 35. a. 5. duæ tantùm hic recitantur, & prima eſt hæc. Si filiatio tantummodò diceretur de Chriſto ſecundum rationem perſonalitatis æternæ ſequeretur quod hæc eſſet falſa Chriſtus in quantùm homo eſt filius. Probatur ſequela quia quod præcisè Chriſto conuenit ſecundum rationem perſonalitatis æternæ non dicitur de eo in quantùm homo: propterea enim iſta eſt falſa, Chriſtus in quantùm homo eſt perſona.

2. Arg. Scoti.

Secundò arguit contrà D. Th. qui dicit filiationem temporalem Chriſti non eſſe realem, ſic. Illa eſt relatio realis, quæ conſequitur extrema ex natura extremorum ſinè actu intellectus, ſed poſita Matre generante, & ſuppoſito habente naturam per generationem ex natura extremorum ſinè actu intellectus ſequitur hic filiatio ſicut ibi Maternitas ergo &c. quod ſi quis fingat intellectum operari ad cauſandum relationem, hoc probatur, quia ſi Maria Virgo genuiſſet purum hominem fuiſſet illi verus Filius relatione reali: ergo cum Chriſtus non minus acceperit naturam à Matre, quam purus homo accepiſſet, æquè realis erit in eo relatio ſicut in puro homine fuiſſet.

Reſp. Caiet. ad 1. Scoti.

Reſp. Caiet. ad primum Scoti, quod antecedens poteſt habere duos ſenſus, ideſt ly ſecundum rationem perſonalitatis æternæ primo reduplicatiuè, & tunc conceditur totum vtpotè impertinens, quia antecedens non eſt noſtrum, & eſt falſum, quia Chriſto conuenit eſſe filium hominis non ſecundum rationem perſonalitatis æternæ, hoc eſt, non ex hoc quod eſt perſona æterna; Secundò poteſt teneri ſpecificatiuè, & ſic antecedens quidem eſt noſtrum, & verum, ſed conſequentia nihil valet, quia procedit ſecundùm primum ſenſum: Conſtat enim quod omnia perſonalia ſiuè humana, ſiuè Diuina conueniunt Chriſto ſecundum rationem perſonalitatis æternæ, ſi ly ſecundum teneatur ſpecificatiuè: Chriſtus enim ſecundum ſuam perſonam, & eſt hic homo, & filius hominis vt patet.

Reſp. Caiet. ad 2. Scoti.

Ad 2. Reſp. Caiet negando maiorem, quia opportebat addere, quod ſuppoſitum ſit capax nouæ filiationis realis: propter excellentiam ſiquidem perſonæ Chriſti prouenit, quod non conſurgat in eo filiatio realis noua: Nec opportet fingere intellectum cooperantem filiationem realem ad filiationem rationis, non fingitur, ſed neceſſariò concurrit cointellecta filiatio ad maternitatem. Et quando dicitur ſi Maria Virgo genuiſſet purum hominem &c. ergo &c. negatur ſequela quia in puro homine fuiſſet perſona capax filiationis realis nouæ. In Chriſto autèm licet æquè acceperit naturam à Matre, non tamèn eſt æquè ſubiectum filiationis, quia non eſt in Chriſto ſuppoſitum capax filiationis realis nouæ ob defectum ſubiecti propter excellentiam ſuppoſiti; Vt enim in littera art. 5. dicitur, omnia requiſita ad filiationem realem inueniuntur in Chriſto nato, excepto ſubiecto, quod quia perſona eſt, & illa eſt Deus, ideò ſubiectum realis filiationis nouæ eſſe non poteſt, cum quibus ſtantibus tene tamen, quod Chriſtus refertur ad Matrem reali relatione cauſati ad cauſam, & ſimilis ad ſimile, & ſic de alijs relationibus realibus,

quæ

quæ non immediatè ſunt in ſuppoſito ſubiectiuè. Ità Caiet. loc. cit.

Arg. Scoti probans naturam eſſe ſubiectum actus eſſendi.

Arguit 3. Caiet. ex Scoto probante quod natura eſt receptiuum exiſtentiæ, & non ſuppoſitum ſic. Compoſitio realis requirit in extremis componentibus entitatem actualem, quam vnum ab alio formaliter non habeat; Sed antè exiſtentiam nec natura, nec ſuppoſitum ſunt entitates actuales: ergo antè omnem exiſtentiam naturæ, & ſuppoſiti non eſt realis compoſitio intèr illas. Inſuper ſequeretur poſſe dari ſuppoſitum in rerum natura, quia prius poteſt eſſe ſine poſteriori; & inſuper ſuperflua eſſet exiſtentia quia natura per ſubſiſtentiam per ſe, vt quod per ſe ſubſiſtit extrà ſuas cauſas in rerum natura, cùm habeat ex ſe actualitatem eſſentiæ. Inſuper ſubſiſtentia eſt terminus vltimus, ergo poſt exiſtentiam. Inſuper probatur magis. Modus rei eſt poſterior natura ipſa re: ſed ſubſiſtentia eſt modus exiſtentiæ, ergo ſubſiſtere eſt poſt exiſtere vtpotè modus ipſius. Explicatur Minor, quia datur duplex exiſtere per ſe, & in alio, & priùs eſt exiſtere, quàm per ſe, vel in alio exiſtere, & ly per ſe, vel in alio ſunt modi ipſius exiſtere, & ſubſiſtere eſt, per ſe exiſtere, & ſubſiſtentia eſt per ſe exiſtentia.

2. Obiectio ad idem.

3. Obiectio ad idem.

Reſp. Caiet. ad 1. & 2. obiectionem Scoti.

Reſp. Caiet. ex notabilibus ſuprà, & ad primum ait, compoſitionem requirere partes actuales antè exiſtentiam non tamèn actualitate exiſtentiæ, ſed eſſentiæ: duplex eſt enim actualitas vna eſſentiæ, & alia exiſtentiæ. Ad ſecundam obiectionem Reſp. quod impoſſibile eſt dari ſuppoſitum creatum ſinè propria exiſtentia, quia ſuppoſitum creatum eſt proprium ſubiectum actus eſſendi, ſine quo actu eſſe non poteſt. Ad aliam probationem Reſp. quod in inſtanti generationis priùs forma dat materiæ eſſe actuale eſſentiæ, & ſimul cum illa conſtituit hanc numero eſſentiam à qua primò dimanat ſubſiſtentia quæ facit ſubiectum quod exiſtentiæ, & tandèm ipſa exiſtentia. Vndè non eſt ſuperflua exiſtentia quia ſuppoſitum eſt proprium ſubiectum actus eſſendi, vt probatum eſt ſuprà, & ideò priùs in genere cauſæ materialis, & ſuppoſitum habet eſſe actuale eſſentiæ, & ſubſiſtentiæ, & quo ad iſta eſſe dicitur fieri extrà ſuas cauſas. Et hoc eſt quod dicit Auctor in 3. p. q. 17. a. 2. ad 1. quod eſſe conſequitur naturam ſicùt qua aliquid eſt, & ſuppoſitum ſicut id quod habet eſſe. Ad tertiam Reſp. Caiet. probationem ſecundæ obiectionis quod dantur duo termini vltimi vnus ſubſtantialis perſonalis, qui eſt ſubſiſtentia, & alius accidentalis, qui eſt exiſtentia quæ accidit accidentalitate prædicabili omni Creaturæ, nec refert, quod dentur duo termini vltimi diuerſi generis, ideſt non directi generis.

Reſp. Caiet. ad 3. obiectionem Scoti.

Ad tertiam obiectionem Reſp. Caiet. negando, quod ſubſiſtentia ſit modus exiſtentiæ, ſed eſt ſubiectum proprium illius; Vndè natura, ſeù forma eſt principium formale quo exiſtentiæ, non tamèn eſt ſubiectum immediatum illius, ſed medio ſuppoſito exiſtit, quod eſt proprium ſolum, & vnicum ſubiectum quod exiſtentiæ per quod cætera exiſtunt. Ità Caiet. in loc. cit. vbi plurima alia Argumenta, & propria, & exterorum recitat, & ſoluit. Remittimus ibi Lectorem cum ſuis diſcipulis Metaphyſicis &c.

Appendices ad Lectionem 3. Metaphyſicalem in Tractatu Quarto de Principijs intrinſecis naturæ.

IN hac Controuerſia, & in ſimilibus intèr Thomiſtas, & exterôs, caue Diſcipule Thomiſta, ne omittas legere ea quæ habet Sapientiſſimus Io: à S. Thoma datus pro Scholæ Thomiſticæ gloria in præſenti ſæculo, ſicut in elapſo ſæculo Caietanus Interpretamentis D. Th. a Prouidentia Diuina, Mira enim habet Io: à

S. Th.

S. Th. ſub profundiſſimis terminis Metaphyſicalibus de ſubſiſtentia Caietani ex mente S. Doctoris. Attende quæſo, mi Thomiſta, quæ ſcripſit. Quidquid ſit de modo dicendi in ordine ad potentiam Diuinam, ſufficiat ſcire quod in doctrina D. Thomæ, & Thomiſtarum ſubſiſtentia non præceditur ab exiſtentia ex D. Th. in 3. p. q. cit. imò non ſolùm vnitur exiſtentia immediatè ipſi ſuppoſito vt ſubiecto denominationis, ſed etiàm vnitur ipſi ſuppoſito vt ſubiecto immediatè receptiuo exiſtentiæ, & tamquàm ei quod eſt ratio recipiendi talem vnionem, & conſtituendi vnitatem ex illa reſultantem, quia iſta vnio eſt in vno, ſcilicet ſuppoſito, & in iſta compoſitione eſſe, & eſſentiæ exiſtentia eſt extrinſeca ſuppoſito, & contingentèr accidit ipſi in propria linea ſubſtantiæ. Cæterum ſubſiſtentia eſt intrinſeca ipſi ſuppoſito, & terminatio iſta ſubſiſtend. eſt terminatio ſingularitatis, quæ ſpectat ad tertium modum perſeitatis. Et exiſtentia adueniens ſubiecto independenti, & incommunicabili redditur ſubſiſtens, & per ſe, idest non dependens, nec communicabilis; Et ità non prius aduenit ſubiecto, & poſteà ſuperuenit incommunicabilitas, ſed priùs ſubiectum redditur incommunicabile, & tunc exiſtentia adueniens redditur etiam per ſe: Ad ipſam enim exiſtentiam formaliter ſolùm ſpectat ponere rem extrà cauſas. Cæterum quod ſit huius, & illius perfectionis totum prouenit ex natura, ſeù ſubiecto cuius eſt exiſtentia. Plura, & alia profundiora habet Io: à S. Th. quæ nos colligimus in noſtris manuſcriptis Metaphyſicalibus, Cathedram Metaphyſicalem moderando in noſtræ Prouinciæ vtriuſque Lombardiæ Studijs.

Cùm Io: à S. Thoma in defenſionem ſubſiſtentiæ Caiet. adeſt Marcus Ferro in Tract. de Trinitate q. 30. a. 4. qui in octo Claſſes diſtributis argumentis aduerſariorum, vt vidimus in Appendice præcedentis *Lectionis* per ſolutiones ibi datas, cum Mag. Ripa ambo Doct. Metaphyſici Veneti ſuper cap. 5. de Ente, & Eſſentia, cùm alijs quam plurimis Thomiſtis ſtabilitur de mente D. Th. ſubſiſtentia à Caiet. & Io: à S. Thoma declarata, & manifeſtata in Scholis. Et nouiſſimè publicus Cathedraticus in Vniuerſitate Patauina pro Schola Metaphyſica Mag. celeberrimus Fr. Nicolaus Arnù in ſua Metaphyſica, q. 4. de eſſentia, exiſtentia, natura, & ſuppoſito art. 7. vbi quærit An ſubſiſtentia ſit ratio recipiendi exiſtentiam à num. 167. & 168. & vltra euidentèr oſtendit cùm D. Th. & Sapientiſſimo Io: à S. Tho. ſuppoſita diſtinctione reali vtriuſq; naturam mediante ſubſiſtentia exiſtentiam ſuſcipere, & ab ea terminari, & hoc addit quod eſt communis iſta ſententia intèr Thomiſtas quos citat, & ſequitur Mag. Parra lib. 1. Phyſ. diſp. 7. dub. 4. num. 2. & quomodò ſit medium ipſa ſubſiſtentia declarat in num. 172. & num. 174. cum Io: à S. Thoma ſoluit aduerſariorum obiectiones.

Hinc cauſa non leuis admirationis inſurgit apud nos, quod Blaſius à Conceptione in ſua Metaphyſica per paginas viginti, & octo conuocatis Complutenſibus excalceatis, impugnare, & deſtruere nititur ſubſiſtentiam, inquit ipſe, Caietani, quaſi quod ſolus Caiet. adinuenerit hunc orbem nouum litteratium ſubſiſtentiæ, non minus quàm Chriſtoforus Columbus ſuum in America, & quod magis mirandum duximus putat ſe eſſe Victorem, & triumphatorem pro Schola Thomiſtica de debellata ſubſiſtentia Caiet. Non ſunt allatæ, nec afferuntur in medium eius rationes, quia iàm ſunt ſolutæ ab ipſo met Caiet. & ab alijs Innumeris Thomiſtis.

Et aduerte pro Caiet. quod auctoritates allatæ ab ipſo Caiet. in principio huius Lectionis, quæ videntur ſonare oppoſitum de ſubſiſtentia, quæ definita eſt vt ſubiectum immediatum receptiuum actus eſſendi, vel ſunt ſolutæ à Caietano in hac præſenti lectione, vel ex ſuis dictis, & doctrinis, ſi non ſunt ſolutæ, de facili ſoluuntur.

Le-

Legas attentiſſimè D. Thom. cum formalitatibus, & Appendicibus Ven. Porrectæ in 3. p. quæſt. 4. art. 2. cum Commentarijs diffuſiſſimis eiuſdem Caietani in quibus declarat etiàm præcedentem Lectionem ſecundam. Legas etiàm in eadem 3. p. art. 2. quæſt. 17. vbi quærit S. Doctor vtrùm in Chriſto ſit tantùm vnum eſſe cum Commentarijs diffuſiſſimis eiuſdem Caietani, & formalitatibus, & Appendicibus Ven. Porrectæ pro ſecunda etiàm lectione præcedenti. Legas etiàm in 3. p. art. 5. quæſt. 35. vbi quærit S. Doctor vtrùm in Chriſto ſint duæ Filiationes cùm Commentarijs, quæ etiàm deſeruient pro lectione infrà in Tract. de Relationibus, vbi ex ipſis extrahitur lectio Metaphyſicalis. Legas etiàm formalitates, & Appendices ibi Ven. Porrectæ cum eius Corrollario deducto ex probatione Concluſionum à Ven. Porrecta.

LECTIO IV.
METAPHYSICALIS
In Tractatu quarto
DE PRINCIPIIS INTRINSECIS IPSIVS ESSENTIÆ, VEL NATVRÆ.

Ex Caietano in locis citatis in præcedenti lect. 3. præcipuè in 3. p. quæſt. 4. art. 2. & quæſt. 17. art. 2.

Vtrùm ſuppoſitum Angelicum, vel propria natura ſit primum ſubiectum actus eſſendi, ſicut in alijs creatis.

DE SVPPOSITO, & Naturæ Angelica Metaphyſici, ait Caietanus, peculiarem inſtituunt quæſtionem, quia natura Angelica ex ſe ipſa eſt indiuiduum. Et quia de Natura, & Suppoſito dupliciter loqui poſſumus, primò ſecundum rem inſpiciendo proprias rationes ipſorum; & deindè ſecundum modum ſignificandi inſpiciendo varios modos ſignificandi in abſtracto, vel in concreto, ſub nomine totius, vel partis, ſub nomine primæ, & ſecundæ intentionis. Significatio in primo ſenſu propria eſt Metaphyſici. In ſecundo ſenſu prout ſic, vel ſic ſignificantur Logica quæſtio apparet. Et ſic vt Metaphyſicè quærendo de proprijs rationibus, & meritis naturæ, & ſuppoſiti, ſenſus Tituli erit an in ſuppoſito Angelico ſit talis realitas, quæ ſit conſtitutiuum ſuppoſiti Angelici, quæ vocatur ſubſiſtentia, per quam reddatur capax natura ſua indiuidua recipiendi actum eſſendi, quod eſt idem ac quærere an

Declaratio Tituli eiuſque ſenſus quæſtio facta a Caietano.

quo eſt, & quod eſt, vel an quidditas, & habens quidditatem diſtinguantur non ſicuti res, & res, vt duo diſparata, quaſi quod illa nihil ſit huius; nec quæritur an diſtinguantur ratione, cùm hæc ponatur in Deo, qui eſt maximè ſimplex: ſed quæritur an ibi ſit gradus diſtinctionis, qui eſt intèr rem includentem aliquid reale intrinſecè, & intèr rem non illud includentem, vel ab illo abſtrahentem; vel potiùs ſit ille alius gradus, qui eſt intèr rem aliquid reale extrinſecè includentem, & rem id non includentem. Itá Caietanus, qui in 1. p. quæſt. 3. art. 3. addit, hic non habere locum Argumenta, vel ſolutiones, quæ inuoluunt ſignificationem per modum partis, excluſionem, vel incluſionem explicitam, aut implicitam, &c.

Primum Notabile Caiet. in quo declaratur ſubſiſtentia. ſeù ſuppoſitum Angelicum.

Quò ad primùm. Caietanus recolit ea quæ diximus ſuprà de ſubſiſtentia, applicando ipſi Naturæ Angelicæ, & ſuppoſito, & ait. Quamuis natura Angelica intelligatur, vt hæc & ſingularis, nunquàm tamen erit ſubiectum actus eſſendi niſi adſit ſuppoſitum; nec diximus, quòd ſuppoſitum addat huic naturæ actum eſſendi, tùnc enim confugeremus ad extrinſeca, ſed dicimus, quod addit ipſi hoc, vt ſit capax huiuſcemodi actus eſſendi. Quod ſanè additum ratione cuius intrinſecè conſtituitur natura capax, nos vocamus ſubſiſtentiam, quæ optimè vocatur perſonalitas, vel vltimus terminus, ac purus ipſius naturæ Angelicæ: terminus, inquàm, quoniam naturam perſonari Angelicam nil aliud eſt, quàm terminari. Vndè Theologi dicunt Verbum Diuinum potuiſſe terminare naturam Angelicam Gabrielis dando ei ſuam perſonalitatem propriam, & iàm diximus, quòd eſt vltimus, quia ſi adhuc aliud eſſet expectandum in natura ſuppoſitata, adhuc non intelligeretur terminata; nec recurrendum eſt ad actum exiſtendi, quia hic eſt ſermo de intrinſecis naturæ, & ſuppoſito, & non de extrinſecis; & ideò dicitur purus, quia in hac terminatione nulla generis cauſalitas interuenit. Itá Caietanus loc. cit.

Notabile ſecundum Caiet. in quo idem magis declaratur.

Notat ſecundò Caietanus ex 3. p. quæſt. 16. art. 12. ad 2. quòd duobus modis poteſt ſumi indiuiduum ſubſtantiæ: primò pro quacumq; ſingulari ſubſtantia, vt manus, pes, &c. ſecundò pro ſubſtantia completa, vt diffinit illam Boetius ſub nomine perſonæ. In primo ſenſu nil diſcriminis eſt intèr indiuiduum, & hanc naturam, quoniam vtrumque eſt aliquid ſingulare, & modò exiſtit. Et Auctor ibidem dicit, quòd Humanitas in Chriſto Domino, quoniam eſt hæc, & ſingularis, eſt indiuiduum priori illo modo; ſi autèm accipiatur ſecundo modo, vt eſt acceptio propria indiuidui, ſic dicimus, quod longè differt à natura, vt infrà probabimus, quia tunc eſt quid completum in ſpecie, ſeparatim exiſtit, & non inexiſtit, vt eſt in primo ſenſu, ſed per ſe eſt ſubſiſtens. Hoc indiuiduum ſic acceptum idem valet (dicit Auctor in 1. p. quæſt. 29. art. 2.) quòd hypoſtaſis, quod res naturæ, quod ſuppoſitum, quod Perſona, iàm enim ſumus in ſubſtantijs intellectualibus. Hæc enim nomina idem re important, quamuis ratione differant. Et in eodem ſenſu loquitur Auctor in 4. cont. gent. cap. 43. Et in hoc eodem ſenſu nos accipimus, quia aſſignamus diſcrimen intèr naturam, & ſuppoſitum. Et hic ſige mentem pro Reſponſionibus ad Argumenta. Itá Caietanus ex D. Thom. loc. cit.

Opinio de diſtinctione ſuppoſiti à natura quæ ſit D. Tho. declaratur à Caietano.

Quò ad ſecundùm, Caietanus ait ſi velimus ad ea, quæ habuit Ariſt. in 7. Met. tex. 41. attendere, videbimus, quòd indiſtinctè loquitur, cum in illo textu docet materiam, & formam pertinere ad naturam, hanc autèm materiam, & formam pertinere ad indiuiduationem naturæ, nullam faciendo mentionem de ſubſiſtentia indiuidui, aut de illius exiſtentia, & ſic indiſtinctè vſus eſt hoc nomine indiuidui, & hypoſtaſis. Et D. Thom. etiàm in 1. p. quæſt. 3. art. 3. indiſtinctè tractat

Digitized by Google

tractat de diſtinctione naturæ, tàm ab indiuiduo, quàm à ſuppoſito, quaſi ſinè idem, quia diſtinctè loqui non erat proprius locus in Tractatu de Abſolutis, ſed eſt proprius in Tractatu de Trinitate, ac Incarnatione, de quibus ſubtilitatibus Metaphyſicalibus nil cognouerunt Philoſophi naturales, vel nil dixerunt, vel ambiguè locuti ſunt: ſed nobis fuerunt manifeſtatæ nedùm per Theologiam reuelatam cùm Arcanis illis, ſed etiàm per illam multas ſubtilitates, ac naturales cognouimus. Et vnum ex iſtis, diximus ſuprà quòd eſt diuerſitas perſonæ, à natura ſingulari. Sed addit Caietanus in quæſt. 4. in quæſt. 17. Quæſtio iſta eſt Humana, & Metaphyſica, & ideò noli hæc intelligere, quaſi ſint Fidei, & noli pertinacem eſſe in tua Concluſione Thomiſtica niſi priùs euidentiam habeas de communibus quæſtionibus, quæ ſunt duæ, ſcilicèt An exiſtentia, & eſſentia diſtinguantur realitèr; & An exiſtentia ſubſtantialis ſit perſonæ vt proprij ſuſceptiui, an verò ſit communitèr perſonæ, vel naturæ. Sed quæ diximus de eſſe Diuino in 3. p. loc. cit. ſcilicèt Chriſti Domini ſunt amplectenda vt ſimilia, vt rationabilia, ac conſona. Ità Caiet. vbique in ſuis Comment. &c.

Quò ad tertiùm. Ex D. Thom. Concluſio talis elicitur à Caietano. Eſto in Angelis ſint idem ly hæc, & ly natura: attamèn perſonalitas, ſeù ſuppoſitum in Angelo realitèr realitate ſuperadditionis acceptum in ſua ſpecie completa diſtinguitur realitèr ab hac natura.

Concluſio Caiet. cum ſua prima probatione ex D. Tho quod ſuppoſitum in Angelis, differat à natura realitèr.

Probatur à Caietano tota Concluſio hac prima ratione ex D. Thom. In quæſt. diſp. quæſt. vnica de Vnione Verbi Incarnati art. 2. ad 3. ſic ait. Ad rationem hypoſtaſis non ſufficit quod aliquid ſit res particularis, ſed quòd ſit perfectum, & in ſe ſubſiſtens: ſed natura Angelica eſt quidem de ſe hæc indiuidua, non tamèn ſubſiſtens vt quod, ſed ſolùm vt quo: ergò ſubſiſtentia eſt quid reale ſubſtantiale faciens illam ſubſtantialitèr ſubſiſtens vt quod, & vt immediatum ſuſceptiuum actus eſſendi. Omnes propoſitiones patènt ex dictis in præcedenti lectione tertia, & ſecunda.

Probatur ſecundò à Caietano ad hominem contrà Scotum. Scotus in 2. ſent. diſt. 2. quæſt. 2. aſſumit hanc propoſitionem. Quæ ad inuicem realiter diſtinguuntur, poſſunt ità ſeparari, vt vnum poſſit abſque alio ſeparatim exiſtere: ergò quæ ad inuicem ſeparantur diſtinguuntur realitèr: ſed iam de facto in Incarnatione Virtute Diuina perſonalitas eſt ab humanitate indiuidua ſeparata, & ab hac Natura Angelica poterat, ſi Verbum aſſumere voluiſſet illam, ſeparare propriam perſonalitatem: ergò perſonalitas in quocumque ſuppoſito creato, etiàm Angelico diſtinguitur realitèr ab hac natura etiàm Angelica. Minor ſubſumpta probatur, quia ex Auctore in 3. p. quæſt. 4. art. 1. ad 3. & art. 2. in corp. ait quòd perſonalitas corrumperetur, ſi verbum aſſumpſiſſet Angelum præexiſtentem: at in ſeparatione corrumpi non eſt niſi entium, & nil moritur, quod eſt quædam ſeparatio niſi viuens. Et Scotus quando concedit, quod differunt realitèr, non per aliquid poſitiuum, ſed per aliquid negatiuum iàm diximus, quod hoc eſt figmentum, quia non ſeparatur ab aliquo niſi ens, non ens enim nequit ſeparari: quandoquidèm hæc pugnant ad inuicem, quòd ſit ſeparatio, & quod nullius, & nihil ſit ſeparatio. Ità Caietanus loc. cit.

Secunda probatio ex D Thom pro ſua Concluſione.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus contra ſuam Concluſionem ſic. In cap. 5. de ente, & eſſentia, & in cap. 2. diximus quod in intelligentijs, ſeù ſubſtantijs ſeparatis intrinſecè non differt natura à ſuppoſito. Inſuper cùm Auctore nos non admittimus compoſitionem in ipſis de ſuppoſito cùm natura, ſicut admittimus compoſitionem Metaphyſicam, ſcilicèt ex eſſe, & eſſentia, & tamen eſſet ad-

Obiectiones facta à Caiet. contrà ſuam Concluſionē.

Digitized by Google

mittenda dùm ponitur diſtinctio realis ſuppoſiti à natura. Et tandèm ad quid multiplicare in ſimplicibus entia ſine neceſſitate? dùm vna ſufficit?

Reſponſio Caiet. ad primam ſuam obiectionem.

Reſp. Caietanus. Quandò diximus in loc. cit. quod ſuppoſitum in ſimplicibus non addit ſuprà naturam, accipiendum eſt dictum de illa additione, quæ eſt in rebus materialibus compoſitis, vbi additur ſuprà ipſam naturam res alterius generis, Phyſicè enim ibi adduntur accidentia, &c. Cæterùm non debet intelligi de omni additione abſolutè quia iàm diximus, quod addit naturæ quid intrinſecum, ſcilicèt ſubſiſtentiam, & deindè quid extrinſecum, ſcilicèt actum eſſendi; & hoc intrinſecum non addit nouam Compoſitionem. Et hæc eſt Reſponſio ad aliam obiectionem in Argumento additam, imò confutatur à nobis, quia Terminus nullam facit compoſitionem cum re terminata; & ideò Auctor nullibi illam memorauit. Et ad illud quod ſubditur de multiplicatione entium nihil obſtat, quia iàm manifeſtata fuit neceſſitas talis entitatis, & realitatis, cùm ſit ponendum conſtitutiuum ſubſtantiæ primæ, vt prima eſt. Et iàm diximus, quod hoc conſtitutiuum non eſt quid reale ex ſe, & ſeparatum, ſed dicit modum ſolummodò realem, &c. Nec per hoc deducimus, quod ſubſiſtentia ſit modus exiſtentiæ, ſed quod eſt ſubiectum proprium illius, per quod cætera exiſtunt. Ità Caietanus multis in locis idem ſentit, & declarat.

Reſponſio ad ſecundam obiectionem.

Reſponſio ad tertiam obiectionem.

Appendices ad Lectionem I. Metaphyſicalem in Tractatu de principijs intrinſecis Eſſentiæ, ſeù Naturæ,

PRo hac Controuerſia de ſuppoſito, & natura in ſubſtantijs Angelicis legatur D. Thom. citatus in præcedenti Lectione tertia cùm Appendicibus Ven. Porrectæ; & pro defenſione Doctrinæ Caietani legas Magiſtrum noſtrum Ripam in hac quæſtione ſuper caput quintum de ente, & eſſentia pag. mihi 63.. & nota quid citando Medinam pro parte Caietani quantùm ad hoc quòd ſubſiſtentia ſit de intrinſecis ipſi naturæ, & ſuppoſito, dicit Medinam fallere dum citat Capreolum contrà Caietanum, quaſi quod Capreolus tenuerit ſubſiſtentiam eſſe quid extrinſecum. Capreolus enim, ait Ripa, approbatur in hoc à Caietano, quòd tantummodò dixerit actum eſſendi eſſe extrinſecum à ſuppoſito, nec in eius, ratione claudi; vt de facto Caietanus in cap. 5. de ente, & eſſentia concordat cùm Capreolo, quia conſiderantes ambo ſolùm actum eſſendi, protulerunt extrinſecè differre ſuppoſitum à natura, nullam mentionem faciendo ibi de ſubſiſtentia quàm alibi ipſi ſuppoſito intrinſecam eſſe dixit Caietanus.

Intèr Neotericos Metaphyſicos Blaſius à Conceptione cit. in præcedenti Lectione putat ſe eſſe in ſua Metaphyſica in diſp. 8. qu. 3. de hypoſtaſi creata pag. mihi 197. vſque ad 103. contrà ſubſiſtentiam Caietani, quàm conatur deſtruere ex hoc principio Metaphyſico, quòd ſcilicèt ſi ſuppoſitum, & natura, diſtinguerentur realitèr in Angelis iàm daretur duplex compoſitio Metaphyſicalis in ipſis, ſcilicèt ex eſſe, & exiſtentia; & ſecunda ex ſuppoſito, & natura. Et tamèn quantùm ad hoc vanus eſt Labor eius contrà Caietanum, niſi velit ſe opponere ſapientiſſimo Io: à S. Thom. qui videtur admittere hanc compoſitionem naturæ, & ſuppoſiti, dùm dicit quòd in iſta compoſitione ſubſiſtentia eſt intrinſeca ipſi ſuppoſito. Secundum tamèn veritatem quando loquitur Io: à S. Thom. de natura, & ſuppoſito, vtitur ſemper nomine vnionis intèr naturam Diuinam, & humanam, quæ vniuntur, ait Io: à S. Thom. non quia fiat vnum, ſed quia fiunt in vno Suppoſito in quo conueniunt.

Legas etiàm in hac re ſapientiſſimos Doctores Hiſpanos, Sorbonenſes, Toloſanos primæ Claſſis Doctores, ſcilicèt Godoy, Gonet, Arnù, qui quidem Doctor legendus eſt in ſua nouiſſima Metaphyſica prælo mandata quæſt. 4. ar. 5 à num. 114. vſque ad 123. & præcipuè in cap. 2. eiuſdem art. 5. vbi ſatis dilucidè declarat quo genere diſtinctionis realis differat ſuppoſitum à natura de mente D. Thomæ eiuſque Interpretis, & Io: à S. Thoma à num. 126. & etiàm legendæ ſunt Reſponſiones vbi num. 141. & 142. & 43. reſpondet Caietano ad illam Auctoritatem D. Thom. ex 3. p. quæſt. 4. art. 2. quæ videtur admittere perſonalitatem eſſe entitatem realem. Legas etiàm ibi ſuum art. 7. vbi quærit An ſubſiſtentia ſit ratio recipiendi exiſtentiam.

LECTIO V.
METAPHYSICALIS
In Tractatu quarto
DE PRINCIPIIS INTRINSECIS NATVRÆ, ET SVPPOSITI.

An Natura hæc Angelica Indiuidua, cui diximus ſuper addi aliquid reale à ſuppoſito ſit de facto, vel de poſſibili poſſit communicari pluribus.

Ex Caietano in cap. 5. de ente, & eſſentia queſt. 9. & alibi in p. p.

Declaratio Tituli, eiuſque ſenſus quæſiti facta à Caietano.

LECTIO præſens, ait Caietanus, poteſt explicari in triplici ſenſu; Logicè, Metaphyſicè, & Theologicè. Logicè quidem, vt declarauimus in Logica pag. mihi 16. cap. de ſpecie in prædicabilibus, vbi diximus quod proximum fundamentum talis denominationis, putà ſpeciei, non eſt res abſolutè, nec vt eſt in ſingularibus, ſed res ſic obiecta intellectui. Et quia ad ſpeciem non exigitur quod actu, vel aptitudine Phyſica Natura illa ſit in pluribus, vel quod poſſint eſſe plura indiuidua illius ſpeciei in rerum natura ſimul, vel ſucceſſiuè, ſed ſufficit, quod pro vt in intellectu eſt plura reſpiciat, de quibus intelligitur vt ſic prædicabilis in quid aptitudine Logica, quæ negatiuè exponenda eſt, quia non magis de vno, quàm de pluribus abſtrahit, & dicit in eſſe obiectiuo reſpectu intellectus noſtri, cui ſic res obijciuntur ad modum iſtarum rerum. In præſenti Lectione in ſenſu Logico non explicatur, ſed ibi loc. cit. ſufficienter ſatisfecimus. In ſecundo ſenſu poteſt exponi Metaphyſicè, ideſt ſpe-

ctata

ſtata rei veritate, quid ſecundum veritatem Peripatheticam, ideſt quid in principijs Phyloſophiæ, naturalitèr fit & eſſe poſſit: ſed quia Scotus in 2. ſent. diſt. 3. quæſt. 7. (addit Caietanus in quæſt. 9. cit. cap. 5. de ente, & eſſentia) expreſsè dicit quod opinio ſua eſt contra Ariſtotelem, & contrà D. Thomam in 1. p. ideò omittendo pro nunc Auctoritates Ariſt. contrà Scotum, ſimulque quæro in ſenſu Theologico, quid ſcilicèt iuxtà Theologiæ principia, ſcilicèt & eſſe poſſit iuxtà ſtatutum rerum ordinem, ex eo maximè quia S. Thomas quærit de impoſſibili Phyſico, & non de impoſſibili Logico, quatenùs ſubeſt Diuinæ potentiæ, quæ abſoluta eſt, & ſic non accipitur hic impoſſibile quo modo fuit acceptum à Scoto contrà D. Thomam. Senſus igitur eſt. An quælibet intelligentia conſtituat vnam ſpeciem, ità quod non poſſint ibi inueniri plura indiuidua eiuſdem ſpeciei, nec ipſis communicari poſſit hæc Natura Indiuidua puta Gabrielis Angelica. Ità Caietanus.

Notabile Caiet. in quo explicatur ipſa communicabilitas ſecundùm rem, & ſecundum rationem.

Quò ad primùm. Ponit pro intelligentia totius Lectionis hanc Doctrinam ex 1. p. quæſt. 13. art. 9. circà ly communicari, quòd fundamentum communicabilitatis realis eſt intentio illius naturæ in multis (cùm communicabilitas alia fit ſecundum rem, & rationem ſimul, & alia ſecundum rationem tantùm) Et illa realis, trifariàm vt dicit Auicenna inuenitur, ſcilicèt aut in actu ſimultaneo, vt patet in natura humana, cuius ſunt ſimul actu plura ſingularia; aut in actu ſucceſſiuo, vt dicitur de Phænice, quod vita ſequentis mortem exigit prioris; aut in potentia tantùm, vt domus mille angulorum ſi nunquàm fiet. Fundamentùm autèm communicabilitatis ſecundum rationem tantùm ex parte noſtri intellectus aſſignatur, & eſt cognitio naturæ abſque cognitione indiuiduantium, & hæc pluribus modis contingit, vt in Sole, & Gabriele, quæ nomina communia ſunt ſecundum rationem: ſed diſſimilitèr. Sol enim ideò dicitur communicabilis, quia natura ſua abſtrahit ab hoc, & conſequentèr prætèr eius rationem eſt vnitas, aut pluritas ſingularium; Gabriel verò, quia intelligitur per modum, quo intelliguntur naturæ compoſitorum. Quæ vt planiùs intelligas, ſcito, quod ly ſecundum rationem vniuerſaliter, & propriè loquendo non ſonat ipſam diffinitionem, ſed importat modum eſſendi in ratione noſtra. Ità quod ſenſus eſt, quod omnis natura ſpecifica, vt obiecta eſt intellectui noſtro communis eſt pluribus, quia non obijcitur vt hæc, ſed vt natura ſpecifica, ſiuè ipſa ex alio ſit ſecundum rem hæc, vt natura Solis, & omnium ſenſibilium; ſiuè ex ſe ſit hæc, vt de Deo patet, & de Angelis eſt probabile. Hæc latitudo conſtat in littera D. Thom. art. 9. cit. quòd Natura Solis cùm ex ſe non ſit hæc, hinc habetur, quod & ex parte ſui, & ex parte noſtri intellectus, habet quod obijcitur intellectui noſtro, non vt hæc, & conſequentèr communitas eius ſecundum rationem habet vtrumque fundamentum. Natura autem Gabrielis, cùm ex ſe ſit hæc, ideò ex ſolo modo noſtro intelligendi ſortitur quod nobis obijciatur vt ipſa, & non vt hæc. Et proptereà communicabilitas iſta ex parte noſtra tantùm fundamentum habet. Hinc habere potes quomodo intelligendum ſit quod Gabriel eſt vniuerſale, & prædicabile de multis, denominari poſſit Logicè ſpecies, &c. Hæc enim & ſimilia ſufficiunt ad verificandum non de ipſis abſolutè, ſed vt obiectis, ſeù vt cognitis à nobis, &c. vt diffusè diximus in Commentario de ente, & eſſentia. Ità Caietanus.

Opinio D. Tho. de impoſſibilitate pluralitatis nume-

Quò ad ſecundùm. Ex Doctrina D. Thom. Caietanus, quid opinari poſſit Thomiſta circà multiplicationem numeralem Angelorum ſub vna ſpecie, de facto, & de poſſibili ſtante hoc ordine vniuerſi, quidquid ſit de potentia Dei abſoluta,

ſoluta,

ſolùta, ſentit abſolutè D. Thom. in 1. p. quæſt. 50. art. 4. in corp. poſt recitationem opinionum eſſe impoſſibile poſſe multiplicari naturam Angelicam, ſub vnica ſpecie. Idem ſentit D. Thomas in q. diſp. de ſpiritualibus creaturis art. 8. & in 2. cont. gent. cap. 93. probat multis rationibus: ſed nos hic, addit Caietanus, duabus tantùm vtemur, quæ ſunt ſimul Metaphyſicæ, & Theologicæ.

ralis ſub ſpecie Angelica, & Scoti oppoſita de poſſibilitate ſimpliciter explicata à Caiet.

Scotus contrà D. Thom. in 2. ſent. diſt. 3. quæſt. 7. docet ſimpliciter, & abſolutè eſſe poſſibile plures Angelos eſſe in eadem ſpecie, non autèm de facto, & hoc Theologicè, & non cum Doctrina Ariſtotelis. Scotum ſequuntur Durandus, & etiàm citant pro Scoto Ferr. in 2. cont. gent. cap. 93. Auctorem tamèn ſequuntur viri præclariſſimi Antiqui, & Moderni. Et Ariſtotelem ſequuntur in 12. Met. Alexander, Themiſtius; Auerroes in 1. Cœli. B. Alb. Magnus 9. Diuin. Tract. 2. cap. 28. & in ſumma de quatuor Coæuis circà quartum attributum naturæ Angelicæ, & in negatiuam ſatis inclinat quamuis vtramque dicat eſſe probabilem.

S. Doctor in 1. p. quæſt. 50. art. 4. in corp. recitat opinionem vnam quorumdam qui ponunt omnes ſubſtantias ſpirituales eſſe vnius ſpeciei, etiàm Animas. Secunda eſt aliorum qui dicunt omnes Angelos eſſe vnius Hyerarchiæ, aut etiàm vnius ordinis. Tertia eſt aliorùm, qui dixerunt omnes Angelos eſſe vnius ſpeciei, ſed non Animas. Ità Caietanus ex D. Thom. qui per ſequentem Concluſionem propriam explicat opinionem.

Opiniones recitatæ à D. Thom.

Quo ad tertiùm. Caietanus in cap. 5. de ente, & eſſentia ex D. Thom. ponit hanc vnicam Concluſionem ſic. Quælibet intelligentia conſtituit vnam ſpeciem, ità quòd non poſſunt ibi plura inueniri indiuidua.

Concluſio negatiua Caiet. vnica cũ ſua prima probatione, quod non poſſint multiplicari, &c.

Probatur à Caietano in quæſt. 9. ex D. Thom. ratione Metaphyſicali, & Theologica ſimul. Omnis ſpecies habens ſub ſe plura indiuidua numero, habet in ſe diſtinctiuum numerale: intelligentia non habet tale principium diſtinctiuum: ergò, &c. Minor probatur à D. Thom. in textu ex differentia intèr eſſentias rerum compoſitarum, & ſimplicium, quod illæ ex eo quòd recipiuntur in materia ſignata, vel multiplicantur ſecùndum eius diuiſionem, contingit quod aliqua ſint idem ſpecie, & diuerſa numero: ſed cùm eſſentia ſimplicium non ſit recepta in materia, non poteſt ibi eſſe talis multiplicatio. Et ideò non oportet quòd inueniantur plura indiuidua vnius ſpeciei in illis ſubſtantijs, ſed quotquot ſunt indiuidua tot ſunt ſpecies, vt dicit expreſsè Auicenna. Et nota, addit Caietanus, quod hæc ratio eſt ſumpta ex 12. Met. comm. 49. vbi deducitur hæc conſequentia. Cœlum, vel primum principium eſt vnum ſpecie, & plura numero: ergò eſt materiale; vndè expreſsè datur ad intelligendum, quod immaterialitas eſt ſufficiens cauſa non plurificationis numeralis: ſed quia Scotus expreſsè dicit loco præællegato, quòd opinio ſua eſt contrà Ariſtotelem, ideò ſuperfluum cenſeo vlteriùs progredi. Hinc Theologicè S. Doctor, & Metaphyſicè ſimul in 1. p. quæſt. 50. art. 4. aſſumit hoc medium ad probandam Concluſionem ſuprà ſic. Angeli non ſunt compoſiti ex materia, & forma: ergò nec plures in vna ſpecie. Conſequentia probatur: quia quæcumque conueniunt in ſpecie, & differunt numero, conueniunt in forma, & differunt materialitèr; ſicut etiàm impoſſibile eſſet dicere, quòd eſſent plures Albedines ſeparatæ, aut Humanitates plures, cùm Albedines non ſint plures, niſi ſecundum quod ſunt in pluribus ſubiectis. Ità Caietanus ex D. Thom. in loc. cit.

Secundò probatur à Caietano alia ratione Metaphyſicali, ſed Philoſophica ſic. Id quod caret ordine per accidens, non habet plura indiuidua eiuſdem ſpeciei: ſed

2. Ratio Metaphyſicalis pro Cõcluſione ſuprà.

Digitized by Google

ſed ſuprema pars vniuerſi caret ordine per accidens : ergò non habet plura indiuidua eiuſdem ſpeciei. Maior fundatur ſuper tres propoſitiones ex ipſo ordine vniuerſi ſumpta. Prima eſt hæc. Vniuerſum habens tres partes, ſcilicèt ſphæram generabilium, & corruptibilium, ſubſtantias immateriales, & ipſa corpora cæleſtia, habet pro bono intrinſeco ordinem vt dicitur in 12. Met. tex. comm. 2. Secunda propoſitio eſt, quod ordo eſt duplex, ſcilicet per ſe, & per accidens. Ordo per ſe eſt intèr eſſentialiter ordinata, vt ſpecies, quæ ſunt ſicut numeri ex 2. Met. tex. comm. 10. Ordo autèm per accidens eſt inter indiuidua eiuſdem ſpeciei, vt dicitur in 3. Met. tex. comm. 11. Tertia propoſitio eſt, quod ea pars vniuerſi, in qua eſt ordo per ſe purus eſt potior ea in qua eſt ordo per ſe admixtus ordini per accidens ex 12. Met. tex. comm. 5. vbi comparatur prima pars vniuerſi Filijs Patris Familias, quibus nihil ordinatum per accidens ineſt. Minor igitur probatur non ex Ariſt. quem iſti negant, ſed ratione. Non minus excludit ordinem per accidens ſuprema pars vniuerſi, quam media pars, cùm ſuprema ſit perfectior, & Bonitas vniuerſi in ordine conſiſtat, & ordo per accidens ſit imperfectus, vt deficiens ab ordine per ſe, imò ordinatum per accidens eſt inordinatum, eo quod per accidens eſt conditio diminuens rationem ordinis : ſed media pars excludit ordinem per accidens vt patet : Corpora enim cœleſtia non habent plura indiuidua eiuſdem ſpeciei, non eſt enim niſi vnus Sol, vna Luna, &c. ergò ſuprema pars vniuerſi à fortiori excludit ordinem per accidens. Ità Caiet. loc. cit.

Primum Argumentum Caiet. ex Scoto contrà Concluſionem.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus in 1. p. qu. 50. cit. contrà aſſumptum à D. Thom. ſic. Iy differunt materialiter, vel dicitur de materia propriè dicta, quæ ſit altera pars rei differentis, vel dicitur de materia differentia propriè dicta, non tamen quæ ſit pars rei differentis; ſi primùm nihil probat, & falſum aſſumitur, quia duæ Animæ differunt materialiter, & tamen non differunt in materia, quia carent illa; & ſimilitèr duæ lineæ Mathematicè ſumptæ, & ſimilitèr duo accidentia eiuſdem ſpeciei in Angelis. Si ſecundum falſum etiàm aſſumitur vt patet in duabus inſtantijs adductis, vltrà Argumenta multa Scoti, de quibus videas quæſt. noſtram 19. ſuper caput 5. de ente, & eſſentia. Nec deinde probatur intentum, eo quod differre materialitèr hoc modo ſuperiùs eſt ad differre materialiter per hoc, quòd compoſitum eſt ex materia, & forma, & ad differre materialiter per hoc quod aliquo modo differt ſecundum materiam. Ac per hoc ex negatione compoſitionis non poteſt inferri negatio differentiæ materialis, ſed eſt fallacia conſequentis ab inferiori, ad ſuperius negatiuè; ſi autem ly differunt materialiter ſignificat differentiam in materia communiter ſumpta, ideſt in eo quod ſe habet vt materiale reſpectu ſpeciei, hoc modo acceptatur ab omnibus: ſed tunc nil omnino probatur ad propoſitum proptèr eamdem rationem, quia ſcilicet Minor ſubintellecta, ſcilicet Angeli non differunt materialiter, non probatur ex hoc, quoniam non ſunt compoſiti ex materia, & forma, ſed eſt ſophiſma conſequentis.

Reſponſio Caiet. ad Argumentum primum.

Reſp. Caietanus, quòd propoſitio S. Thomæ ſit vniuerſalis, intelligenda eſt in tertio ſenſu, quo in Argumento. in cuius ſignum ſubdit exemplum de plurificatione albedinis, quam conſtat indiuiduari non ex materia, ſed ex quanto. Ad inſtantiam autem in oppoſitum dicitur, quòd S. Thomas breuitati ſtudens, ſat illi fuit afferre probationem efficacem in illa materia de qua loquebatur. Ad cuius euidentiam ſcito, quod cum apud ipſum omnis differentia purè materialis oriatur aut ex quantitate, vt accidit in rebus materialibus, aut ex ſubiecto, vt accidit in acci-

Accidentibus Spiritualibus; Differentia verò ex quantitate orta in ſubſtantijs locum non habeat niſi ratione materiæ; Materia autèm non alio pacto in ſubſtantia completa ſit, niſi vt pars eius, conſequens eſt, quod de ſubſtantijs completis quales ſunt Angeli, loquendo, ſufficientèr excluditur ab eis differentia materialis per hoc quod excluditur ab eiſdem compoſitio ex materia, & forma. Ità Caiet. loc. cit.

Arg. 2 Caiet. contrà eandem Concluſionem.

Arguit ſecundò Caietanus ex Scoto in q. 9. c. 5. de Ente, & Eſſentia. Omnis quidditas quantum eſt de ſe eſt communicabilis: Intelligentia eſt aliqua quidditas: ergo intelligentiæ quidditas eſt de ſe communicabilis: ergo poteſt inueniri in pluribus. Maior probatur, quia ſi quidditas omnis non eſſet communicabilis, vel communicabilitas repugnaret ei ratione perfectionis quidditatiuæ, aut imperfectionis; non ratione perfectionis, quia communicabilitas ſecundum Fidem Catholicam conuenit quidditati diuinæ, quæ ſummè perfecta eſt; Nec ratione imperfectionis, quia communicabilitas conuenit quidditatibus ſubſtantiarum compoſitarum, quæ ſunt imperfectæ: Cum ergo ratione neutrius ſibi repugnet, vera remanet Maior propoſitio.

Confirmatio Argumenti.

Confirmatur. Omnis quidditas intelligibilis ſub ratione vniuerſalis abſq; contradictione eſt plurificabilis numero. Quidditas ſeparata eſt intelligibilis ſub ratione vniuerſalis abſq; contradictione ergo eſt plurificabilis numero. Maior probatur ex eo, quod implicat intelligi ſub ratione vniuerſalis, & eſſe de ſe hæc: Vniuerſalitas enim eſt oppoſita hæcceitati. Sicut implicat intelligere eſſentiam diuinam ſub ratione vniuerſalis, quia eſt de ſe hæc. Et quæuis natura Angelica cùm dicatur ſpecies, & omnis ſpecies ex Porphyrio ſit definita vt prædicabilis de pluribus differentibus numero iam ex ſe habet, vel poteſt habere plura de ſe indiuidua. Hinc Alenſis 7. Diuin. ſumit motiuum aſſerendi, quod conceptus ſpeciei eſt partibilis per ſuppoſita, & ei non repugnat diuidi in indiuidua; vndè ſubdit quod debet dari aliqua potentia actiua, quæ potentiam hanc paſſiuam conceptus ſpecifici ſecundum quam eſt communicabilis, & partibilis ad actum reducat.

Reſp. Caiet. ad Arg. 2.

Reſp. Caietanus, quia Argumentum vtitur terminis Theologicis; & ideò Theologicè reſpondendum eſt, quod ſcilicet communicabilitas eſt triplex. Quædam cùm diuiſione eſſentiæ ſicut vniuerſale communicabile eſt particularibus. Quædam vero abſq; diuiſione aliqua eſſentiæ, & eſſe per identitatem, ſicut Eſſentia Diuina communis eſt tribus ſuppoſitis. Quædam autèm per aſſumptibilitatem ad hypoſtaticam vnionem, ſicut natura humana communicabilis ſuppoſitis diuinis. Si in præmiſſis Scotus aſſumit cõmunicabile primo modo, falſa eſt Maior, vt patet in eſſẽtia diuina. Si ſecundo modo falſa eſt etiam Maior, nulla enim eſſentia creata eſt illo modo communicabilis. Si tertio modo, eſt etiàm falſa maior, vt patet de eſſentia diuina. Si autèm accipiatur communicabile neutro illorum modorum, ſed pro communicabili in communi non deſcendendo determinatè ad hoc vel illud communicabile, conceſſo toto argumento non concluditur quod quidditas Angelica ſit communicabilis ſicut vniuerſale particularibus: Committitur enim fallacia conſequentis à ſuperiori ad inferius affirmatiuè. Vnde probatio adducta nihil contrà nos facit. Communicabilitas primo modo repugnat intelligentijs propter earum perfectionem. Secundo modo repugnat propter earum imperfectionem. Communicabilitas tertio modo conuenit eis ex earum imperfectione quia eſſe diſtinguitur realiter ab earum eſſentia. Et quando in ſecundo modo dicitur non conuenire communicabilitatem propter earum imperfectionem accipe hoc in loco ly imperfectionem, negatiuè, non priuatiuè, ſiquidem nihil creatum natum eſt habere huiuſcemodi communicationem.

Reſp. ad Confir. Argumenti.

Ad Confirmationem Reſp. Caietanus, quod aliquid eſſe intelligibile ſub rationē vniuerſalis ſtat dupliciter vno modo ex parte rei, & intellectus, vt verbis S. Thomæ vtar; Alio modo ex parte intellectus tantùm. Primo modo Maior eſt vera, Minor falſa; ſecundo modo Maior eſt falſa licet Minor ſit vera. Cum enim vniuerſalitatis fundamentum ex parte rei ſit inuentio illius quidditatis in pluribus indiuiduis ſimul, vel ſucceſſiuè; Fundamentum verò ex parte intellectus ſit præſentatio illius quidditatis non repreſentatis conditionibus indiuiduantibus vt ſic; illud eſt vniuerſale vtroque modo, ſcilicet ex parte rei, & ex parte intellectus, quod vtroq; fulcitur fundamento. Sicut humana eſſentia eſt intelligibilis ſub ratione vniuerſalis ex parte rei, quia ipſa eſt realiter diuiſa, & inuenta in multis, & ex parte intellectus quia repreſentatur abſque hic, & nunc. Illud autèm eſt vniuerſale ex parte intellectus tantùm, quod altero tantùm fulcitur fundamento, ſcilicet repreſentatione &c. Ità quod eius vniuerſalitas ex hoc ſolo habetur, quod obiectiuè in intellectu ponitur, cui obijcitur res ſecundum conditiones quidditatiuas non indiuiduales vt ſic, & hoc modo quidditas intelligentiæ eſt vniuerſalis; licet enim indiuiduale, & ſpecificum eſſe ibi, idem habeat principium, quia tamen repreſentatur vt talis res, & non vt hæc, quia non repreſentatur ſecundum quod eſt in ſe, ſed ſecundum modum rerum compoſitarum, in quibus aliud eſt natura, & aliud eſt indiuiduum illius naturæ, ratio erit vniuerſalis vt obiecta tantùm. Hoc eodem modo prædicabilis eſt de pluribus quidditas intelligentiæ, ſcilicet non aptitudine, ſed vt eſt obiecta intellectui vt dicit Auicenna in 5 Met. Quinimò ipſa quidditas diuina hoc modo communis, & vniuerſalis ſecundum rationem eſt, vndè & numerum pluralem apud Grammaticos habet. Et ſic ad probationem Maioris patet Reſp. Cum enim dicitur, quod implicat quidditatem eſſe de ſe hanc, & vniuerſalem, & prædicabilem de pluribus hoc eſt verum, accipiendo vniuerſale ex parte rei, & ſimpliciter prædicabile; vniuerſale enim ſecundum rationem tantùm eſt vnum in multis, & de multis, vt obiectum eſt tantùm. Vniuerſale tamèn ex parte rei eſt in multis ſecundum rem, licet vnitatem habeat vt obiectum eſt. Hæc ſi vis benè intelligere, addit Caietanus, memento eorum quæ dicta ſunt in quæſt. de vniuerſalibus. Ità Caiet. Et ad Inſtantiam Alenſis dicas quod definitio Porphyrij de ſpecie per actum prædicandi, vel accipiatur de ſpecie vt obiecta intellectui, vel dicatur quod non eſt vniuerſalis ſpeciei definitio: ſed aliquam ſpeciem comitari: eſt autèm eſſentiale omni ſpeciei poni ſub aſſignato genere, vt de eadem ſpecie anteà immediatè idem Porphyrius docuit, & ſic ruunt motiua Alenſis. Ità Caiet. in loc. cit.

Arguit 3. Caiet.

Arguit 3. Caietanus. Potiſſima ratio qua negatur poſſe contineri plura indiuidua ſub vnica ſpecie eſt quia Forma, puta Gabrielis ſpecifica in vnico indiuiduo vendicat ſibi omnem perfectionem debitam actu, & poſſibilem illi ſpeciei: ſed hæc ratio eſt nulla; ergo. Probatur. Perſonalitas eſt perfectio conueniens naturæ Angelicæ, & tamèn eſt intrà, & extrà naturam hanc ſpecificam, & potuiſſet aſſumi à Verbo Diuino natura Angelica abſque perſonalitate. Cùm ergo eſto natura Angeli careat materia, habeat tamèn perfectionem aliquam extrà ſe, nihil obſtabit, quin etiàm intrà eandem ſpecificam naturam valeat eſſe aliquis gradus, ſeù ratio, quæ conſtituat ipſam naturam hanc, & ſingularem.

Reſp. Caiet. ad 3. Arg.

Reſp. Caietanus ad probationem Minoris, quod Perſonalitas non eſt conſtitutiua naturæ Angelicæ in eſſe huius naturæ, imò differt Perſona ab hac natura, vt diximus, neq; perſonalitas poteſt dici de toto rigore eſſe de ratione naturæ, imò ratio huius diſtinguitur contrà rationem illius. Dicimus tamèn quod natura huius ſpe-

ciei

ciei Angelicæ complectitur omnem perfectionem intrà ſuàm naturam, perfectionem inquàm naturalem, non perſonalem, ſumendo ſemper naturam in rigore in ratione puræ quidditatis &c. vndè nequit eſſe alius gradus perfectionis intrà naturam vt ſic, qui eius ſit conſtitutiuus, & dùm confugitur ad perſonalitatem, iàm eximus terminos naturæ vt ſic, de qua eſt ſermo. In cuius rei ſignum, ſi natura Angelica aſſumeretur hypoſtaticè ab aliqua diuina perſona, profectò eſſet hæc, indiuidua, & ſingularis, cùm tamèn propria perſonalitate eſſet deſtituta. Nihil igitur facit perſonalitas ad naturæ, & huius naturæ vt ſic conſtitutionem. Ità Caiet. in loc. cit.

Arguit 4. Caiet.

Arguit 4. Caiet. in p. p. q. 76. a. 2. in Reſp. ad tertium ad hominem contrà ſe ipſum, ſic. Iàm diximus, & probauimus diuiſionem numeralem poſſe fieri, & eſſe abſq; materia, & hoc oſtendit ipſa multiplicatio luminis gloriæ in Beatis. Et in hoc non contradicimus D. Thomæ, quia ipſe impoſſibilem ponit multiplicationem abſq; materia, hoc eſt abſq; receptiuo, vt patet exercitatis in doctrina ſua: ſed in Angelis datur receptiuum. Probatur quia eorum eſſentia recipit eſſe: ergo ex hoc receptiuo aderit in ipſis diuiſio numeralis.

Reſp. Caiet. ad 4.

Reſp. Caiet. in p. p. q. 41. ſuper art. 6. quod vtique forma ſpecifica non multiplicatur niſi ſecundum materiam, hoc eſt ſecundum receptiuum, adeò quod ſi forma ſit receptibilis, multiplicatur ad multiplicationem receptiuorum, vel actu, vel potentia; ſin verò ſit irreceptibilis, eo ipſo non eſt multiplicabilis, quapropteè multiplicatur lumen gloriæ in Beatis hominibus multiplicatione numerali intrà eandem ſpeciem, & ſimiliter Charitas, quoniam recipiuntur de facto in varijs Intellectibus, in quibus tamèn non habet locum materia, vnde ſi irreceptibile eſſet lumen gloriæ, iàm non multiplicaretur; ſic itaq; cùm eſſentia Angelica ſit irreceptibilis, non poteſt multiplicari: eſſe verò Angelicum recipitur quidèm in propria eſſentia, vt dicitur in Argumento, ſed hoc non eſt ad propoſitum, vbi de forma, natura, & eſſentia eſt ſermo, & propterea illud eſſe recipitur in eſſentijs, quæ differunt ſpecie. Ità Caiet. in loc. cit.

Arguit vltimò Caiet.

Arguitur à Caiet. in vltimo loco q. 9. c. 5. de Ente, & Eſſentia ex Scoto in quolib. 2. Concl. D. Th. eſt damnata in pluribus articulis Pariſienſibus ergo &c. Probatur ibi primò habetur hæc propoſitio damnata. Si quis dixerit Deum non poſſe multiplicare formas ſinè materia, error. Secunda eſt. Si quis dixerit formam non recipere diuiſionem ſine materia, error. Tertia eſt, quod quia intelligentiæ non habent materiam, Deus non poſſit eiuſdem ſpeciei facere plures, error. Ergo cùm &c. Quod ſi dicatur, ait Antonius Trombeta, quod iſta ſententia non eſt damnata vbiq; eſto quod ſit damnata Pariſijs. Contra. Sententia damnata in aliqua Vniuerſitate famoſa, vbiq; eſt damnata, aut ſuſpecta de Hæreſi, non ſolùm Auctoritate Diœceſani, ſed etiàm Auctoritate Domini Papæ vt patet extrà de Hæret. cap. ad abolendam &c.

Reſp. Caiet. ad vltimum.

Reſp. Caietanus quod Argumentum procedit ex malo intellectu articulorum Pariſienſium qui ſunt poſiti contrà Auerroiſtas, qui Animam Intellectiuam non multiplicabilem numero dicunt, quia eſt forma immaterialis. Vndè ſenſus primi eſt, ſi quis dixerit Deum non poſſe multiplicare formas ſine materia, ideſt ſinè dependentia à materia, error. Similiter, ſi quis dixerit formas non recipere diuiſionem ſinè materia, ideſt ſinè dependentia à materia, error. Similiter in tertio art. quod quia Intelligentiæ non habent materiam Deus non poſſet eiuſdem ſpeciei facere plures, error, in ly non habent materiam, ideſt dependentiam à materia, vel non poſſet ideſt ex impotentia Dei procedere.

Reſp. 2. ad vltimum. Vel dicatur ſecundo quod Articuli Pariſienſes, in quantùm tangunt, vel tangere videntur doctrinam S. Th. reuocati ſunt per D. Stephanum Epiſcopum Pariſienſem Anno Domini 1325. apud Ærteliacum Die Iouis ante Sacras Cineres, vt patet in literis, quæ incipiunt, Magiſtra rerum experientia certis indicijs euidenter demonſtrat &c.

Reſp. 3. ad vltimum. Dicitur tertiò quod cùm Sanctiſſimus Vrbanus Papa V. doctrinam S. Thomæ approbauerit in extrà vaganti quæ incipit, Laudabilis Deus in Sanctis ſuis, & in ſui maieſtate mirabilis &c. mirum eſt, quomodò iſti audeant contrà Romanæ Eccleſiæ approbationem reducere articulos Pariſienſes. Sunt autem verba Domini Papæ in calce extrauagantis ad Vniuerſitatem Tholoſanam illa. Volumus inſuper, & tenore præſentium vobis iniungimus, vt dicti B. Thomæ doctrinam tanquam veridicam, & Catholicam ſectemini, eamq; ſtudeatis totis viribus ampliare. Datum apud Montem Flaſconem &c. Hæc verba attendant Aduerſarij, & videant ſi contrà mandatum Summi Pontificis, Catholicam S. Thomæ doctrinam impugnare nituntur &c.

Appendices ad Lectionem 5. Metaphyſicalem in Tractatu de Principijs Intrinſecis eſſentiæ, ſeu naturæ.

MAgiſter Raphael de Ripa ad q. 9 c. 5. de Ente, & Eſſentia, defendendo in ſua q. 4. ibi, quæ habet D. Th. & Caietanus, notat, pag. mihi 671. quod in ijs ad quæ ratio naturalis aliquo modo peruenire poteſt, omnes conſulunt ſtandum eſſe cùm Ariſt. communi Philoſophorum conſenſui, niſi tamen Sacris Litteris aduerſetur. Hinc quidam Interpres D. Thomæ non vltimæ notæ in p. p. non erubuit dicere, quod Auctoritas Ariſtotelis dicentis non poſſe intelligentias ſolo numero differre, quia carent materia, & ſtudium D. Thomæ conſentiendi cùm Ariſtotele, induxit S. Doctorem ad idem etiam aſſerendum de intelligentijs, ſeù de Angelis, quod ſi Ariſtoteles hoc nunquam aſſeruiſſet, nec D. Th. quaſi quod Sanctus Doctor in omnibus ſuæ doctrinæ locis non impugnet vt Theologus omnia dicta Ariſtotelis, quæ Veritati, Fideiq; aduerſantur; vt facit in art. 8. de ſpiritualibus Creaturis q. 1. vbi quæritur An omnes Angeli differant ſpecie decem, & octo proponit Argumenta, & ſemota omni auctoritate Ariſtotelis ſoluit illa, quorum ſolutiones mille alia innumera Argumenta aduerſariorum, qui affirmatiuam tenent, & contrà Ariſt. & D. Th. & Caietanum, deſtruunt. Legas ibi D. Th. & in omnibus alijs loc. cit. ſuprà in ſecundo loco huius Lectionis; & præcipuè legas Venerabilem Porrectam in Append. ſuper art. 4. quæſt. 50. in p. p. vbi ad propoſitum transferenda ſunt eius verba in hac noſtra Appendice.

Concludit ergo ſic, cum ergo ſecundum Philoſophum diſtinctio indiuidualis ex ſola materia poſſit deſumi, certè innuitur Concluſio D. Th. & Caietani prædicta. Sub ſilentio ponuntur alia Philoſophi plurima teſtimonia de hac re, pro qua nota hanc Regulam. Videlicet in rebus dubijs, ideſt in rebus, vbi non habemus, quid certi ſecundum Fidem Catholicam tenendum ſit, valdè Theologicæ dignitati, & per conſequens Fidei, conſentaneum eſt magis amplecti partem illam, quam Philoſophi magni, vt Ariſtoteles, naturalem rationem ſequentes amplexi ſunt, quàm ab illa declinare. Nam vltrà quod hoc ſatis tutum videtur, Philoſophis ipſis etiàm occaſio deridendi vel minùs in pretio habendi Theologos, amputatur,

qui

qui ex accidente contrario, Theologos pro ſuo libito naturali ratione deſerta Concluſiones ſuas determinare putarent. Quo contrà Philoſophi ipſi videntes, quod Theologi ea, quæ capacitatem rationis naturalis non excedunt, conformitèr ad rationem naturalem, quam ipſi met ſecuti ſunt, determinant: hoc, inquam, videntes, ædificantur ad Fidem, ex tali ſano, etiàm ſecundum ipſos, progreſſu opinari incipientes, quod etiam ad credendum, & defendendum, & modo nobis poſſibili probandum ea quæ naturalem rationem excedunt, Theologi vtpotè vici ab eis quoque per experientiam antedictam pro grauiſſimis habiti, non ſine cauſa moueantur. Talis generis ſunt multæ Concluſiones de Angelis, veluti, & præſentis Lectionis Concluſio. Et memento Aug. lib. c. Priſcillianiſtas c. vlt. vbi ait. Eſſe Angelos, Principatus, Poteſtates, & Virtutes libentèr me ſcire fateor, quia id teſtatur Paulus ad Coloſſ. 2. Quid autèm ſint, aut qualitèr ſint, aut quomodo diſtinguantur, ignoro, neq; ex hac ignorantia aliquod detrimentum patior. Ità Ven. Porrecta.

Legas etiàm D. Th. pro hac re in 2. ſent. d. 3. q. 1. a. 4. & 2. c. gent. c. 91. 92. & q. 3. ratione 4. & opuſc. 30. lect. 6. & lect. 9. & opuſc. 32. c. 116. & Ferr. & Banneſium, Capreolum 2. ſent. d. 3. q. 1. Concl. 5. & alios Doctores Hiſpanos noſtros, & Sorbonenſes, & Toloſanos, lo. à S. Th. ſuper art. 4. q. 50. Arnù in p. p. &c.

LECTIO VI. METAPHYSICALIS

In Tractatu

DE PRINCIPIIS INTRINSECIS ESSENTIÆ, SEV' NATVRÆ.

Vtrùm actiones ſint ſuppoſitorum ſubſiſtentium.

Ex Caiet. 3. p. q. 9. a. 1. & 19. a. 1. & 2. & q. 17. a. 2. & alibi multis in locis.

CAietanus habet, quod hoc axioma non verificetur vniuerſalitèr in via D. Thomæ de quocumq; compoſito ſubſiſtente, vel ſimplici forma ſubſiſtente, quæ ſit perſona, vel hypoſtaſis, vel ſuppoſitum. Et verè loca D. Th. quamplura ſunt, quæ in ancipiti parte illud tenent. In primis Sanctus Doctor in p. ſent. d. 8. q. 5. a. 2 ad ſextum, & d. 23. a. 1. in c. & 26. q. 1. a. 1. ad quartum aſſerit quod illud axioma non tenet in actibus Animæ, quæ intelligit, & vult, & tamen ipſa non eſt ſuppoſitum, licet ipſa ſit ſubſiſtens extrà

Loca D. Th quæ probant deficere axioma in operantibus ſuppoſitis.

Digitized by Google

trà corpus. Inſuper in 3. p. q. 77. ait, quod illud axioma etiàm deficit in ſpeciebus Sacramenti Altaris, quia ſubſiſtentia Panis, & Vini tranſeunte in Corpus, & in Sanguinem Chriſti, poſſunt agere illæ ſpecies omnia illa, quæ poterant agere ſubſtantia Panis, & Vini exiſtentibus. Et in opuſc. 37. ait quod actiones ſunt ipſius naturæ. Inſuper in 3. p. q. 20. a. 1. ad 2. ait quod actio attribuitur naturæ, ſicut ei ſecundum quem Perſona, vel Hypoſtaſis agit.

Loca D. Th. quæ inclinant Caiet. ad ſuſtinendũ illud axioma eſſe verum in omnibus operantibus ſuppoſitis, citata ab eodem Caiet.

Ex alia verò parte in ſua Summa S. Doctor nil aliud abſolutè profert niſi quòd actus, ſeù actiones, ſeù operationes ſunt ſuppoſitorum, vndè in p. p. q. 22. a. 3. ad 1. ait quod omnis ſcientia operatiua tantò perfectior eſt, quantò magis particularia conſiderat, in quibus eſt actus. Et in q. 29. a. p. in c. ait ex 1. Met. quod actiones ſunt in ſingularibus, & ibi oſtendit dignitatem indiuiduorum rationalis naturæ intèr omnia indiuidua ſubſtantiæ, nedùm quia habet dominium ſui actus, ſed etiam ex modo eſſendi, quem habet principium operationum, quia ſcilicet actiones ſunt ſingularium. Et in p. p. q. 39. a. 5. ad primum ait, quod in nominibus abſtractis in Diuinis, eſt quidam ordo attendendus, quia ea, quæ pertinent ad actum, magis propinquè ſe habent ad perſonas, quia actus ſunt ſuppoſitorum. Et in p. p. q. 40. a. 1. ad 3. ait participia, & verba notionalia ſignificant actus notionales, actus autèm ſuppoſitorum ſunt. Et in q. 58. a. 2. in c. ait. Et quoniam ad Iuſtitiam pertinet actus humanos rectificare, neceſſe eſt, quod æqualitas iſta, quam requirit iuſtitia ſit diuerſorum agere potentium: Actiones autèm ſunt ſuppoſitorum, & totorum, non autèm propriè loquendo partium, & formarum, ſeù potentiarum. Non enim propriè dicitur quod calor calefaciat, ſed quod ignis per calorem &c. nec propriè dicimus quod manus percutiat, ſed quod homo per manum. Iuſtitia ergo proprie dicta requirit diuerſitatem ſuppoſitorum, & ideò non eſt niſi vnius hominis ad alium. Et in 3. p. q. 20. a. 1. ad 2. ait, quod agere non attribuitur naturæ ſicuti agenti, ſed tribuitur perſonæ actus enim ſuppoſitorum ſunt ſingularium. Ità Caiet. qui gloſando auctoritates D. Th. in 1. loco adductas, defendit, axioma iuxtà verum dicendi modum in auctoritatibus in hoc ſecundo loco adductis. Et ideò

1. Notab. Caiet. in quo explicatur quomodo eſſe, & agere ſit naturæ, & ſuppoſiti.

Quoad primum notat Caietanus in 3. p. q. 19. a. 1. in Reſp. ad tertium ex D. Th. intelligentiam formalem huius axiomatis. D. Th. ibi habet quod operari eſt hypoſtaſis ſubſiſtentis, ſed ſecundum formam, & naturam, à qua operatio ſpeciem recipit, & ideò à diuerſitate formarum, ſeù naturarum eſt diuerſa ſpecies operationum, ſed ab vnitate hypoſtaſis eſt vnitas ſecundum numerum, quantùm ad operationem ſpeciei; ſicut ignis habet duas operationes ſpecie differentes, ſcilicet illuminare, & calefacere ſecundum differentiam lucis, & caloris, & tamèn eſt vna numero illuminatio ignis ſemel illuminantis. Et ſimiliter in Chriſto opportet quod ſint duæ operationes ſpecie differentes ſecundum eius duas naturas, quælibet tamen operationum eſt vna numero in Chriſto ſemel facta, ſicut vna illuminatio, & ſanatio. Ad hæc, addit Caietanus in q. 17. a. 2. in Reſp. ad Durandum, quod licet eſſe, & agere conueniant in hoc, quod vtrumq; eſt ſuppoſiti, quia tamèn diuerſimodè ſunt ſuppoſiti, ideò non eſt ſimilis de illis ratio, quo ad vnitatem, vel pluralitatem: eſſe enim eſt ſuppoſiti immediatè vt ſubiecti, agere autèm non ſuſcipitur in ſuppoſito niſi mediante natura, & potentia eius, & idcircò agere multiplicatur cum pluralitate naturæ; eſſe verò eſt cùm perſona vna. Ità Caiet. loc. cit.

Notab. 2. Caiet. in quo elucidatur illud axioma in actionibus ſuppoſiti diuini Chriſti Domini.

Notat 2. Caiet. ex D. Th. in 3. p. q. 1. a. 2. vt magis fundetur veritas illius axiomatis in ſenſu vniuerſali etiam loquendo de ſuppoſito Chriſti Domini in Reſp. ad tertium dubium docet Caietanus, quod actiones Chriſti humanæ, ſcilicet amare Deum, voluntariè pati, & cætera huiuſmodi habent duas conditiones; Vna quod

res

Digitized by Google

res ſunt quædam creatæ, & ſic ſunt entia finita ſimpliciter, non enim ſunt Deitas; Altera eſt, quod ſunt res Perſonæ Diuinæ, vt proprij ſuppoſiti cuius ſunt, & ſic ſunt entia infinita perſonaliter, & ſunt infinitæ efficaciæ in tali genere, puta meriti ſeù ſatisfactionis ex hoc ipſo, quod ſunt opera ipſius Dei, vt propriæ perſonæ exercentis opera illa. Et ſic Paſſio Chriſti licet fuerit bonum finitum eſſentialiter, fuit tamen bonum infinitum perſonaliter, & propterea fuit infinitæ efficaciæ in ſatisfaciendo, nullum autèm cuiuſcumq; puræ Creaturæ meritum eſt infinitum perſonaliter. Vndè Chriſtus ſufficienter egit gratias Deo pro omnibus beneficijs ſuæ humanitati collatis, & ſatisfecit pro peccatis totius Mundi, ex hoc ipſo quod Perſona Diuina agebat gratias, & ſatisfaciebat, quia Perſona Diuina excedit in infinitum hæc omnia, & nihil obſtat, quod Perſona Diuina mediante humana natura hæc operabatur, humana enim opera ſuprà hominem operabatur Diuinæ ſcilicet perſonæ. Ità Caiet. loc. cit.

Notab. 3. Caiet. in quo explicatur quod in Chriſto Domino vna, & eadem erat operatio Diuinitatis, & Humanitatis quia vnum ſuppoſitum operans.

Notat 3. Caietanus ex D. Th. in 3. p. q. 19. a. p. differentiam intèr operari reſpectu naturæ, & perſonæ, recolendo ea, quæ in præcedentibus diximus, ſcilicet quod operatio non ſe habet ſicuti eſſe, non enim natura conſtituendo perſonam dat operari, ſicut dat eſſe, ſed perſona iàm exiſtens profert mediante natura operationem. Et ideò vnitas perſonæ non exigit vnitatem operationis. Nota igitur quod eſſe immediatè in perſona à natura eſt, operari verò, iàm conſtituta perſona, habet à natura ipſa, mediante natura: Habet enim operatio naturam, & vt principium, & vt ſuſceptiuum proximum ſaltèm mediante potentia, perſonam autèm vt primum operans vt quod, eſſe verò naturam habet vt principium quo tantùm, & perſonam vt immediatum ſubiectum quod: non enim docemur hic, quod eſſe ſit de intrinſeco intellectu perſonæ, ſed quod pertinet ad conſtitutionem perſonæ, & verè ſic eſt, quoniam conſtitutio perſonæ eſt conſtitutio ipſius eſſe, tùm quia non alia conſtitutione ſit perſona, & alia ſit eſſe, ſed vna, & eadem; tùm quia ad hoc conſtituitur perſona, vt ſit quod eſt, iàm dictum eſt conſtitutionem perſonæ terminari ad eſſe, tanquàm ad ipſius perſonæ propriam immediatam, vltimamque actualitatem infrà latitudinem ſui generis, ſcilicet ſubſtantiæ. Et addit ex D. Th. in Reſp. ad tertium q. 19. cùm in Chriſto ſint duæ naturæ in vna hypoſtaſi, vel perſona, neceſſarium eſt vnum, & idem eſſe, quod pertinet ad hypoſtaſim, vel perſonam; nihil enim operatur, niſi ſuppoſitum ſubſiſtens, quia actus ſunt ſingularium ex 1. Met. & ſic D. Th. ibi concludit, quod in Chriſto eſt vna, & eadem operatio Diuinitatis, & humanitatis. Quomodò autèm hoc intelligatur, iàm diximus in primo notabili ſuprà. Ità Caiet. loc. cit.

Notab. 4. Caiet. in quo conſideratio Animæ rationalis intelligentis, & volentis cogit aſſerere, quod operatio ſit primò ſubſiſtentis abſolutè.

Notat 4. Caiet. in p. p. q. 77. a. 5. ex D. Th. pro quanto Anima cum non ſit ſuppoſitum, ſed tantùm in ſuo eſſe ſubſiſtens, quomodò verificetur axioma ibi. Anima igitur ex D. Th. dicitur ſola potēs intelligere, & ſubiectū eſſe intellectionis, vt per ſe primò potens intelligere, & ſubiectum; Compoſitum autèm dicitur intelligens ratione partis, ſcilicet Animæ. Nec hic obſtat quod Socrates dicatur eſſe id quod propriè intelligit, ex hoc quod operationes ſunt ſuppoſitorum: quoniam & ſi Socrates primò intelligat vt ſuppoſitum, non tamen primò intelligit abſolutè, quia falſum eſt quod operatio ſit primò ſuppoſiti abſolutè loquendo, ſed primò ſubſiſtentis. Et tu hoc aduerte, quia multi falluntur in hac conſequentia. Eſt primò huius vt ſuppoſiti: ergo eſt primò huius cùm tamen debent dicere. Eſt primò huius vt ſubiecti, ergo eſt primò huius. Et ideò D. Th. in art. 5. q. 77. cit. ait quod potentiæ Animæ, quæ ſunt principia operationum harum, quæ exercentur ſinè organo corporeo, vt intelligere, & velle ſunt in Anima ſicut in ſubiecto, quia

quia illud eſt ſubiectum potentiæ operatiuæ, quod operatur operationem illius potentiæ, & Anima ſola operatur illas duas operationes. At potentiæ, quæ ſunt principia operationum ſenſitiuæ, & nutritiuæ partis ſunt in coniuncto, ſicut in ſubiecto, & non in Anima ſola, quia coniunctum eſt illud, & non Anima ſola, quod operatur operationes nutritiuæ, ac ſenſitiuæ partis. Et ad ſecundum ait D. Th. quod omnes huiuſmodi potentiæ per priùs ſunt in Anima, quàm in coniuncto, non ſicut in ſubiecto, ſed ſicut in principio. Ità Caiet. ex D. Th. loc. cit.

Opinio S. Thomæ de operatione quod ſit ſuppoſiti vt agẽtis vt quod, & non aliter explicata à Caiet.

Quo ad 2. Caiet. defendit illud axioma verificari in ſenſu vniuerſali de quocumq; ſubſiſtente ſiuè completo, ſiuè incompleto vt Anima rationalis, quod actiones ſunt ſuppoſitorum ſubſiſtentium; & ſic in vario ordine, varia ſunt enuntianda, ait Caietanus, operatio enim eſt aliquando ſolùm Comes ipſius formæ, quando iſta eſt à materia independens. Et vt diximus in vltima adnotatione quod de prioritate abſolutè loquendo primò Anima intelligit. Et quando S. Doctor in p. p. q. 75. a. 2. ad 2. ait, quod Anima intelligit, ſicut oculus videt, & quod magis propriè dicitur hominem per Animam intelligere, intelligitur D. Th. de ratione ſuppoſiti, & agentis vt quod. Et eodem modo intelligitur in 2. c. g. c. 50. ratione tertia quando dicit quod actio cuiuslibet compoſiti ex materia, & forma non eſt tantùm formæ, nec tantùm materiæ, ſed compoſiti, loquitur enim de actione alicuius vt quod; Vndè quamuis Anima humana ſit forma ſubſiſtens, attamen conſiderata in ratione Agentis vt quod, dicit S. Doctor cum Ariſt. quod magis propriè dicitur homo per Animam intelligere, quàm Animam ipſam &c. Ità Caiet. loc. cit.

Concluſio vnica ponitur à Caiet. ex D. Th. cũ ſua prima probatione quod ſcilicet ſententia contraria euertit Myſteriũ Triadis Sanctiſſimæ.

Quò ad tertiùm. Caietanus hanc vnicam Concluſionem ponit ex D. Thom. ſic. Axioma iſtud, ſcilicet actiones ſunt ſuppoſitorum, ſubſiſtentium vt quod, verificatur propriè de quocumque ſuppoſito creato, vel increato, ſiuè compoſito ſubſiſtenti, ſiuè ſimplici ex eſſe, & eſſentia tantùm.

Probatur ratione Theologica potiùs quàm Metaphyſica à Caietano ſub tali forma. Quiſquis enim euertit illud axioma, & non admittit illud prout in Concluſione, euertit Myſterium Sanctiſſimæ Triadis, Redemptionis Chriſti Domini, & Viſionis Beatificæ: ergò, &c. Probatur primò de Triade Diuina, quia eſt accedere ad Sabellianos, qui de neceſſitate multiplicabant in Diuinis naturam in perſonis, ponendo, quòd eſſentia generaret &c contrà quos eſt Concil. Lateṙ cùm Magiſtro Sent. qui determinarunt Naturam, ſeù Eſſentiam Diuinam non generare, ſed quod Pater ſuppoſitum Diuinum verè influit actiuè vt quod in proceſſiones &c. & non eſſentia, ergò &c.

Nec valet dicere, quod ex Fide habeatur tantùm quòd ſuppoſita Diuina, & non ſuppoſita creata influunt actiuè in actiones. Contrà. Si ſuppoſita creata analogantur cùm eis, tanquàm participationes quædam eorum, quare non influent actiuè etiam in proprias actiones naturæ, quam terminant? Si igitur naturæ id competit, competet ei, vt diximus tanquàm principio quo, ſuppoſito verò vt quod, ſicut & exiſtere, & ſubſiſtere, ergò &c.

2 Probatio axiomatis D. Th. in qua probatur, quod ſententia oppoſita euertit Myſteriũ Redemptionis &c.

Probatur de Myſterio Redemptionis. Omnes Theologi, & Scripturæ clamant, quod ſuppoſitum Chriſti nos redemit, quod pro nobis ſatisfecit, quia ſuppoſitum influxit in opera quibus redempti ſumus, & quibus pro nobis eſt ſatisfactum Æterno Patri, vtpotè opera ſuppoſiti Diuini infiniti: ſed ſi ſententia contraria ponit quod ſuppoſitum Chriſti nihil prorſus contribuit ad opus Redemptionis noſtræ euertit omninò Myſterium Redemptionis: ergò, &c. Probatur ſequela, quia totum influxum in opus Redemptionis, ſententia contraria tribuit Naturæ, imò

quod

Digitized by Google

quòd ſuppoſitum ſe habult ibi ſolùm concomitantèr, & per accidens, & nullo modo influit actiuè, aut per modum principij in cauſam, ergò eſt euertere id quod ponunt Theologi in Myſterio Redemptionis de ſuppoſito, ſi ſententia ponit prædicta in ſola natura. Ità Caietanus loc. cit.

Reſp. aduerſariorum ad ſecundā rationem ſecundùm Caietanus fugat ipſam.

Nec valet dicere, quòd opus noſtræ Redemptionis tribuitur ſuppoſito per communicationem idiomatum, & ratione Humanitatis; non valet, inquàm, quia non ſolùm per hoc, ſed etiàm per ſe, & tanquàm principio quòd per ſe influendi tribuitur Chriſto Domino Redemptio noſtra, & noſtra ſatisfactio; imò ſenſum Scripturæ Sacræ, & ſecundum Regulam S. Auguſtini communitèr à Theologis receptam, ſunt intelligenda prædicta in proprietate ſermonis, quando nullum ſequitur inconueniens; hinc aſſerunt Theologi, quòd non Humanitas, ſed Chriſtus Dominus dicitur Mediator Dei, & hominum, traditus, Crucifixus, mortuus pro nobis, quia Chriſtus Dominus ſonat nomen Suppoſiti Diuini terminantis naturam humanam, & ſic erit principium quòd ſuppoſitum Diuinum, & cauſa Redemptionis noſtræ mediante tamen humanitate quàm terminat, vt ſe habens tanquam principium quo, & non quod. Ità Caiet. in 3. p. loc. cit.

Tertia probatiō quod ſententia oppoſita euertit Myſterium Viſionis Beatificæ.

Probatur tertiò de Myſterio Viſionis Beatificæ in Beatis. Si Suppoſitum non influit actiuè vt quod in actiones ſuas, ſed ſit ſolùm ipſa Natura, iàm ſequitur, quod Suppoſita non erunt Beata, ſed natura eorum; & ſic non Sanctus Petrus, ſed eius Natura, non Beatiſſima Virgo, ſed eius natura; non Chriſtus Dominus, ſed natura Chriſti erit Beata: quia Actio vt Actio, eſt formalitèr vt ſic non denominat niſi Agens: ſed Viſio Beatifica eſt formalitèr Actio: ergò non denominat Beatum niſi principium eius: ſed ſententia contraria dicit quod nullum ſuppoſitum nullam exercet cauſalitatem, nullam rationem principij in Actiones niſi per Accidens, & concomitantèr, ergò ſuppoſitum non erit Beatum niſi per Accidens, & concomitantèr, & non propriè vt quod: ergò per hanc ſententiam deſtruitur etiàm in proprietate Sermonis Myſterium Viſionis Beatificæ. Ità Caietanus.

Argum. Caiet. contra Concluſionē ex D. Thom.

Quò ad quartùm, quia in via D. Thom. enodatur hæc difficultas à Caietano. Ideo Caietanus per Auctoritates D. Thom. adductas in principio huius Lectionis arguit ſic. Illud Axioma ſecundum D. Thom. vt vidimus non habet locum in Anima rationali, quæ licèt non ſit ſuppoſitum, extrà corpus tamen intelligit per ſe, & vult; Inſuper ſecundum ipſum ſpecies in Sacramento Altaris operantur ſine vllo ſuppoſito, & ſoli naturæ attribuuntur illæ Actiones: ergò ſententia contraria habet fundamentum in doctrina D. Thomæ dicendi, quod non eſt verum illud Axioma in omnibus operantibus, ſcilicèt quod Actiones ſint ſuppoſitorum.

Reſp. Caiet. ad loca D. Thom in principio Lectionis adducta.

Reſp. Caietanus, quòd ipſe actus, & eſſe quod eſt actus entis attribuitur dupliciter alicui, ſcilicet propriè, & impropriè. Primùm attribuitur ſuppoſito ſiuè ſubſiſtenti tantùm; ſecundùm verò attribuitur alijs, vt habetur ex D. Thom. in 3. ſent. diſt. 6. quæſt. 2. art. 2. in corp. & quolib. 8. & 9. quæſt. 2. in corp. Ad illud de Anima dicitur quòd eſt hoc aliquid vt ſubſiſtens, non autèm vt completum in ſpecie, vt habetur in quæſt. 75. p. 1. art. 2. quæſt. 89. art. 3. in corp. Hinc eſt quòd ſolùm Anima ſeparata operatur in quantùm potentiæ immateriales manent actu in Anima, non autèm potentiæ organicæ niſi in radice, vt habetur in 1. p. quæſt. 77. art. 5. & alibi.

Ad illud autem de ſpeciebus in Sacramento Altaris. Reſp. Caietanus, quod non operantur virtute naturali propria, ſed aliqua virtute ſubſtantiæ, & aliqua

miraculosè, & virtute Diuina. Sic ex D. Thom. 3. p. quæſt. 75. art. 2. in corp. cir. à Caietano. Quomodo autèm Actiones attribuantur à D. Thom. ipſi naturæ, iàm explicauimus in noſtris Notabilibus ſuprà. Ità Caietanus, &c.

Appendices ad Lectionem 6. Metaphyſicalem in Tractatu de principijs intrinſecis eſſentiæ, ſeù naturæ.

COmmunis Sententia eſt intèr Thomiſtas Antiquos, & Modernos, quòd Axioma iſtud, Actiones ſunt ſuppoſitorum ſubſiſtentium in ſenſu declarato à Caietano iuxtà mentem D. Thomæ eſt verum vniuerſalitèr. Solus Vazquez cùm aliquo alio Moderno ex Soc. defendit, quod ſuppoſitum non eſt neceſſarium ad actionem per modum principij actiui: imò nullam prorsùs actiuitatem in ipſo admittit, ſed tota actiuitas tribuenda eſt ipſi Humanitati, & vt principio quo, & vt principio quod; ſuppoſito autèm remotè ſolummodo, & per Communicationem idiomatum. Ità ſentit Vazquez in 3. p. diſp. 8. cap. 2. In Diſputatione verò 21. cap. 3. dicit quod perſonalitas, ſeu ſubſiſtentia in genere, & ordine cauſalitatis ſe habet omninò concomitantèr, & per accidens: Quàm opinionem ſequuntur, qui tenent quod de potentia abſoluta potuerit eſſe peccatum in Chriſto, quæ tribuitur Durando, & Scoto.

Blaſius à Conceptione in ſua Metaphyſica diſp. 8. quæſt. 6. de hypoſtaſi creatā impugnat ipſum Vazquezium virilitèr ex Doctrina D. Thom. à pag. mihi 246. vſque ad pag. 257.

Legas D. Thom. in 1. ſent. quæſt. 1. art. 1. vbi ait. Dicendum quòd in Creaturis actus ſunt ſuppoſitorum, & eſſentia non agit, ſed eſt principium actus in ſuppoſito: non enim humanitas generat, ſed ſortes virtute ſuæ naturæ, & hoc ex Ariſt. 1. Met. cap. 1.

Legas D. Thomam in 3. p. quæſt. 9. art. 1. vbi quæritur Vtrùm Chriſtus habuerit aliquam ſcientiam prætèr Diuinam cùm Comment. Caietani §. Ad huius quæſtionis, &c. & formalitates cum Append. Vener. Porrectæ ſuper hunc articulum primum.

Et præcipuè art. 1, & 2. quæſt. 19. in 3. p. vbi S. Doctor quærit primò Vtrùm in Chriſto ſit vna tantùm operatio Diuinitatis, & Humanitatis, præcipuè in Reſponſione ad tertiùm, & quartùm, cùm Commentarijs ibi eiuſdem Caietani, & formalitatibus, & Append. Vener. Porrectæ, ſicuti, & in articulo ſecundo vbi quærit S. Doctor Vtrùm in Chriſto ſint plures operationes humanæ. Et in Reſponſione ad tertiùm Vener. Porrecta, ait Pro meliori captu Doctrinæ D. Thom. allatæ ſuprà in primo Notabili, & tertio, aduerte quod operatio ſortitur ſpeciem à forma, ſeù natura, ſed habet numerum ab vnitate hypoſtaſis. Puta ſi ambulatio ab vna hypoſtaſi ſemel egreditur, erit vtique vna numero, ſi bis erunt duæ ambulationes ratione multiplicationis actuum, ſi ter, erunt tres, ſi &c. Et tamèn omnes illæ ambulationes erunt vnius ſpeciei, ſcilicèt humanæ, quia ab hypoſtaſi ſecundum vnam formam humanam operante procedunt; vndè ad quartum ſubiungit D. Thom. Sed operatio eſt quidam effectus perſonæ ſecundum aliquam formam, vel naturam, vndè pluralitas operationum non præiudicat vnitati perſonali. Hinc Caietanus ſumpſit occaſionem ponendi illam Doctrinam in tertio ſuo notabili ſuprà, ſuper art. 1. quæſt. 19. §. in Reſp. ad 4.

Et ſecundum Doctrinam Canonicam Conciliorum in Append. eiuſdem art. 1. Vener. Porrectæ numerat omnes illos, qui ponebant in Chriſto Domino vnam

ſolam

ſolam operationem, & vnam ſolam voluntatem, vt damnatos in Actione 16. Conſtantinopoli celebrata. Et in art. 2. poſt probationem tertiæ Concluſionis Venerabilis Porrecta notat ad cognoſcendam vnitatem, vel pluralitatem operationis diuerſarum partium hominis, quamdam Regulam quaſi inchoatiuè poſitam à Diu. Thom. in art. 1. & in art. 2. apertiùs explicatam. Et eſt hæc. Quandò Agens inferius agit per propriam formam tunc eſt alia operatio inferioris agentis, & ſuperioris; quandò autèm agens inferius non agit, niſi ſecundum quod eſt motum à ſuperiori agente, tunc eſt eadem operatio ſuperioris agentis, & inferioris.

Per hanc Regulam ſano modo intelligitur Concluſio D. Thom. in art. 1. quæſt. 19. in 3. p. cit. ſcilicèt quòd in Chriſto Humana Natura habet propriam formam, & virtutem per quam operatur, & ſimilitèr Diuina; vndè & humana natura habet propriam operationem diſtinctam ab operatione Diuina, & è conuerſo. Et tamèn Diuina natura vtitur operatione humanæ naturæ, ſicut operatione ſui inſtrumenti, & ſimilitèr humana natura participat operationem Diuinæ Naturæ, ſicut inſtrumentum participat operationem principalis agentis. Ità D. Thom.

Legas etiàm intèr Modernos Arnù in ſua Metaphyſica art. 3. cap. 4 quæſt. 9. vbi defendit hoc axioma vt communitèr receptum à Metaphyſicis, & Theologis paucis demptis, intèr quos Vaſquez 1. tom. in 3. p. D. Thom. diſp. 21. cap 3. E quo vſus eſt Ioannes Theologus in Conc. Flor. Seſſ. 18. diſputans contrà Græcos. Videas ipſum omninò.



TRACTATVS QVINTVS METAPHYSICALIS

De Principio Intrinſeco Indiuidui Metaphyſici, ſiuè ſubſtantiæ compoſitæ, ſiuè ſubſtantiæ ſeparatæ.

LECTIO PRIMA METAPHYSICALIS.

Ex Caietano cap. 2. quæſt. 5 de ente, & eſſentia, & 1. p. quæſt. 29. art. 1. & alibi.

Vtrùm Hæcceitas ſecundum Scotum, vel ſola forma ſecundum alios ſit primum principium indiuidui materialis.

Declaratio Tituli, eiuſque ſenſus data à Caiet. omnibus Thomiſtis Diſcipulis.

CAIETANVS pro declaratione Tituli habet hæc. In præſenti Lectione prima non loquimur de principio, vel Cauſa indiuiduationis extrinſeca, ſed de intrinſeco. Nimirum hic non eſt difficultas, à quo eff: ctiuè natura fiat hæc, ſed a quo formaliter: In confeſſo enim apud omnes eſt, quod principium extrinſecum ipſius indiuidui potiſſimum in fieri eſt Agens, & efficiens extrinſecum, non enim naturali via fit compoſitum, niſi finis moueat efficiens ad coniungendam formam cum materia, & non fit hoc compoſitum, niſi hic Finis moueat hoc Agens, ad hanc formam copulandam cùm hac Materia ex Ariſt. 8. Diuin. tex. 12. & in hoc Durandus in 2. ſent. diſt. 3. propè finem ſecundæ quæſtionis rectè dicebat formam eſſe hanc per illud quod eſt in re extrà, & hoc eſt extrinſecè Agens. Difficultas, & controuerſia eſt in hoc, quod cùm Indiuiduum duo dicat, ſcilicèt indiſtinctum à ſe, & diſtinctum ab alijs, quid primò reddat naturam ſpecificam incommunicabilem, itàquod repugnet ſibi communicari pluribus vt ſuperius inferioribus communicatur, & ſic per quid primò hoc indiuiduum diſtinguatur realitèr ab alijs eiuſdem ſpeciei. Agitur ergò hic de incommunicabilitate, quæ opponitur communicationi reali, & non de incommunicabilitate, quæ opponitur communicationi formæ, hanc enim nullus dubitat conuenire materiæ primò; & ſimilitèr agitur hic de diſtinctione reali

indi-

Digitized by Google

indiuiduorum ſub eadem ſpecie , quæ non eſt niſi intèr entia realia , & non de diſtinctione , qua Socrates viuus , & Plato mortuus diſtinguuntur . Et ſic dearticulatim quæritur , & primò contrà Scotum à quo intrinſecè , & formalitèr conſtituatur indiuiduum ſubſtantiæ materialis in eſſe illo indiuidui,& incommunicabili, ſcilicèt an ab ipſa Hæcceitate Scotica , vel contrà alios an ab ipſa forma . Et vana non eſt hæc quæſtio , addit Caietanus , aut redundans , vt ſibi ſuaſit Aureolus apud Capreolum in 2. ſent. diſt. 3. quæſt. 1. circa ſecundam Concluſionem , volens , quod quælibet natura de ſe ſit hæc , & nullatenus ad plura indifferens , ac proindè vanum eſt , inquit ipſe Aureolus , quærere à quonam ſit hæc , vel indiuidua ? Si eſſet vana , ad quid tot viri per Illuſtres Metaphyſici , & Philoſophi ex omni parte celebres diſſentire ab Aureolo , & quærere cum Ariſtotele , & D. Thom. ſupradictum principium intrinſecum indiuidui ſubſtantiæ materialis compoſitæ ? Ità Caietanus in explicatione Tituli loc. cit. de ente , & eſſentia , & alibi .

Loca citata D. Thom. à Caiet. quæ probant formam eſſe principium indiuiduationis .

Quod ſit , & non ſit ipſa forma , à qua tanquàm à primo principio , & radicali deſumatur , & non deſumatur gradus indiuidualis , quæ in ancipitem partem ponunt hinc , & indè ipſam Controuerſiam , ſunt varia loca D. Thom. Affirmatiuam videtur ponere D. Thom. in quæſt. vnica de Anima art. 1. ad ſecundùm , vbi ait , quòd vnumquodque ſecundum idem habet eſſe , & indiuiduum , quia quælibet res habet eſſe per formam formalitèr , ergò & indiuiduationem . Deindè in 10. Met. lect. 10. in fine , & 11. ait , quod ſpecies ſpecialiſſimæ dicuntur indiuidua per carentiam diuiſionis formalis , & particularia dicuntur indiuidua in quantùm neque formalitèr , neque materialitèr diuiduntur . Deindè in 1. p. quæſt. 29. art. 2. ad 5. ait , quod indiuidua compoſita ratione naturæ ſubſtant , ſed ſubſiſtunt ratione formæ . Deindè in 1. p. quæſt. 29. art. 1. in corp. ait , quod ſubſtantia indiuiduatur per ſe ipſam , ſed indiuiduum eius habet ſpeciale nomen , ſcilicèt , hypoſtaſis . Ità D. Tho. pro parte affirmatiua cit. à Caiet.

Loca D. Thom. quæ probant nõ eſſe formam citata à Caiet quibus ipſe adhæret .

Pro ſecunda parte negatiua legendus eſt D. Thom. 5. Met. lect. 11. & in 2. c.g. cap. 93. & in 1. p. quæſt. 50. art. 4. & in cap. 6. de ente , & eſſentia , & in 2. ſent. diſt. 3. quæſt. 1. art. 4. & opuſc. 32. cap. 3. & opuſc. 29. de principio indiuiduationis , & in opuſc. 32. cap. 3. In his omnibus locis probat S. Doctor implicare , quòd illud quòd eſt principium vnionis , & conuenientiæ intèr ea , quæ ſunt diuerſa , vt eſt forma , poſſit etiàm eſſe princicium diuerſitatis numericæ intèr ea ; quia illud in quo plura eiuſdem ſpeciei indiuidua conueniunt eſt ſpecifica ratio , quæ à forma petitur , vt habetur ex Ariſt. 1. Met. tex. 25. Et in opuſculo 32. cap. 3. Verba Auctoris ſunt hæc . Ex his ergò conſtat , & manifeſtum eſt , quòd formæ in ſe acceptæ vnitæ ſunt , & non diſperſæ , & conſequentèr quod ratio multiplicationis intrà eamdem ſpeciem non prouenit tanquàm à principio radicali ab eis , ſed potiùs ratio vnitatis , & conuenientiæ . Hiſce locis , alijſque infinitis ,addit Caiet. debemus nos acquieſcere,& ſuſtinere,quod gradus indiuidualis , quo redditur incommunicabilis hæc natura , & quo diſtinguitur ab alijs indiuiduis eiuſdem ſpeciei realitèr numericè , non petitur à forma . Ità Caietanus loc. cit.

Notabile primum Caietani in quo explicatur differentia intèr indiuiduum ſubſtan-

Quò ad primùm . Notat Caietanus in 1. p. quæſt. 29. art. 1. differentiam intèr indiuiduum ſubſtantiæ vt ſic , & indiuiduum accidentis vt ſic , quòd quatenùs talium accidentium puta quantitatis , vel qualitatis indiuidua ſunt mediatè afficientis ſubſtantiam , alitèr de his loquendum eſt , ac de indiuiduis ſubſtantiæ , v. g. albedo dicitur hæc in quantùm eſt in hoc ſubiecto , & ſic hoc accidens non inclu-

dit

tiæ vt ſic, & vt ſic accidentis.

dit ſubiectum intrinſecè, ſed per additamentum, ità quod ſicut in diffinitione accidentis clauditur ſubiectum, non vt eſſentiæ intrinſecum, ſed per additamentum; ità in diffinitione huius accidentis ſi diffiniretur clauderetur hoc ſubiectum per additamentum, & non intrinſecè, nec hoc repugnat differentiæ per communia: quoniam ſicut accidens non poteſt intelligi abſque dependentia à ſubiecto, ità nec hoc abſque dependentia ab hoc ſubiecto; hæc autem ſubſtantia vt ſic nullam includit dependentiam ad aliquid extrinſecum, & ideò in hoc differunt ſubſtantia vt ſic, & accidens vt ſic, quòd ſubſtantia per ſe ipſam indiuiduatur, accidens autem per ſubſtantiam. Et ſic ſtat inconcuſſa veritas, quod indiuiduum ſubſtantiæ vt ſic per ſe ipſum eſt indiuiduum: quoniam conſtat vt ſic nullam habere dependentiam ab accidente, & quod indiuiduum accidentis ex alia parte vt ſic, quoniam à nullo alio opportet dependere ſubiecto, niſi à ſubſtantia, per ſubſtantiam ſubiectam indiuiduetur. At de ſubſtantia materiali, & de talibus accidentibus, quomodo indiuiduentur alterius negotij eſt, & hoc eſt quod aſſumitur ad declarandum. Ità Caietanus loc. cit.

Notabile ſecundum Caiet. in quo explicatur vnitas propria indiuidui, quæ eſt numerica, quæ infert genericam, & ſpecificam.

Notat ſecundò Caietanus quod cum indiuiduum poſſit conſiderari, & ſecundum vnitatem genericam, & ſpecificam, & numericam, de hac vltima, quæ inter alias, & ab alijs non infertur, eſt ſermo, cum Ariſt. 5. Met. & ideò quamuis in indiuiduo ſit vnitas & numerica, & formalis, non eſt difficultas de formali, quia iàm apud omnes conſtat oriri à forma, ſed difficultas ſtat in ipſa numerica, & indiuiduali, quæ non dicit rei eſſentiam, aut ſubſtantiam, ſed modum quemdam realem exprimit; nec eſt ſermo de vnitate quantitatiua, ſed de ſubſtantiali, quæ eſt modus quidam ſubſtantialis, ad ipſius ſubſtantiæ cathegoriam ex reductione ſpectans. Quamuis enim vnumquodque conſtituatur in ſpecie merito formæ ſuæ, & non eorum, quæ reddunt ipſum indiuiduum (alioquin Homo vt homo non eſſet in ſpecie humanitatis, & ſubſtantiæ) attamen ſub ſpecie locatur per principia indiuiduantia, quæ naturam in ſpecie conſtitutam ad hoc indiuiduum trahunt, & coarctant. Et cuilibet patere debet, quod ſpecies ſubſtantiæ non contrahitur ad aliquod indiuiduum per aliquid, quod ſit extrà genus ſuum, quod eſſet accidens, aliter contractum per illud eſſet de genere accidentis, & ſic non eſſet ipſum indiuiduum ſubſtantiæ, de quo eſt ſermo inſtitutus in præſenti Lectione. Ità Caiet.

Notabile Tertium Caiet. in quo explicatur quomodo materia non faciat formam, ſed indiuidualitatem illi præbeat.

Notat tertiò Caietanus, nè forma dicatur principium indiuiduationis, in 1. p. quæſt. 50. art. 5. & 3. p. quæſt. 17. art. 2. quod forma non facit materiam, neque materia formam, vtraque enim ipſarum gaudet propria eſſentia: dicimus tamen quod materia efficit formam hanc, non quod faciat & formam, & formæ ſingularitatem, ſed ſolùm formam præſuppoſitam reddi hanc, & vt vno verbo dicamus, materia non facit formam, ſed indiuidualitatem ipſi præbet, quia formam ſecundum ſe communem, facit ſingularem; & quando dicitur forma ex ſe ipſa habet eſſe, ergò de ſe eſt vna, vt elicitur ex 4. Met. vbi habetur quod Ens, & Vnum ſe conſequuntur, & idem eſt dicere Homo, & vnus Homo, quia ens, & vnum eamdem dicunt naturam, non tamèn ſequitur, ergò de ſe eſt vna numero, cum ſit ibi fallacia conſequentis, quia arguitur à ſuperiori ad inferius affirmantèr: patet enim ex 5. Met. quod vnum non vno modo dicitur, ſed quatuor modis, ſcilicèt genere, ſpecie, analogia, & numero: non itaque valet eſt vnum: ergò vnum numero, aliàs concluderetur, quod & ego eſſem vnus, vel ſpecie, vel genere, cùm verè ſim vnus. Hæc Doctrina non per ignorantiam, ſed ex inaduertentia non penetrata, induxit aliquos ad dicendum quod forma eſt

po-

potiſſima cauſa indiuiduationis, cùm ſit cauſa eſſe indiuidui, & quia materia non eſt cauſa talis eſſe, illam amouerunt à conſtitutione indiuidui, vel primò, vel penitùs. Nos autèm dicimus in rei veritate, quòd nullatenùs materia cauſat eſſe indiuidui, ſed quod ſolùm cauſet hoc eſſe, ſcilicèt indiuiduale, & numericum, & ſignatum, vt explicabitur in ſequentibus Lectionibus. Iàm in ſuperioribus diximus quod eſſe abſolutè prouenit à forma, quod planè eſſe materia limitat, & facit vnum numero, quod priùs ex ſe erat vnum ſpecie, & ex conſequenti numero multiplicabile, pro vt in ſubiecta materia loquimur de ſubſtantijs materialibus. Nec excrucieris ſi in hoc indiuiduo idem ſit eſſe, & eſſe vnum numero, hoc enim nihil obſtat, quoniam in hoc eſſe duo intuemur, & eſſe nimirum, & tali modo eſſe, & dicimus illud prouenire à forma, hoc verò à materia, vt clariùs videbimus in ſequenti lectione.Ità Caietanus loc. cit.

Notat vltimò Caietanus contrà aliquos Diſcipulos D. Th. qui ponunt principium indiuiduationis non eſſe ex ſola materia, nec ex ſola forma, ſed compleriex hac forma, & hac materia ſimul, quòd diſcrimen eſt intèr concurrere ad indiuiduationem, & adeſſe principium indiuiduationis: quamuis enim omne principium concurrat ad id cuius eſt principium, non tamèn omne concurrens ad aliquid poteſt dici eiuſdem principium, tunc enim omnes alicuius partes eſſent illius principia, & nihil haberet verè rationem principiati: Quamuis igitur forma aliquo pacto ad indiuiduationem concurrat, nunquàm tamèn congruè, & rectè poteſt appellari principium indiuiduationis; ſi quidem hæc accidentia, exiſtentia, & alia multa ad conſtituendum indiuiduum concurrunt, quæ tamèn omnia appellare principia indiuiduationis eſt vanum, nec non alienum à Phyſica. Ex hac igitur diſtinctione intèr eſſe principium indiuiduationis, & intèr quemcumque alicuius concurſum ad indiuiduationem, Argumentorum multorum leuitas non niſi euidentèr tibi apparebit.Ità Caiet. loc. cit.

Notabile quartum Caiet. in quo explicatur quod aliud eſt eſſe principium indiuiduationis, & aliud concurrere ad indiuiduationem.

Quò ad ſecundùm. Caietanus in quæſt. 5. cap. 2. de ente, & eſſentia §. Quo ad ſecundùm, recitat opinionem Scoti, & dicit quod Scotus in 2. ſent. diſt. 3. quæſt. 6. ponit hanc ſuam Concluſionem. Principium indiuiduationis non eſt materia, nec forma, nec quantitas, ſed ipſa proprietas indiuidualis, ſcilicèt, Hæcceitas, quam explicat Scotus, dicendo, quod natura ſpecifica indiuiduatur per quoddam poſitiuum per ſe contrahens illum, & faciens vnum cum illa, ità quod illud poſitiuum, nec eſt materia, nec forma, nec compoſitum, ſed eſt modus omnium, ſeù vltima realitas materiæ, formæ, & compoſiti, eadem illis realitèr. Henricus quolib. 5. quæſt. 8 tenet quod quando adeſt negatio communicabilitatis ad intrà, & negatio communicabilitatis ad extrà, tunc per negatiuum hæc natura fit indiuiduum.

Zabarella conatur trahere Scotùm in ſuam ſententiam, quod ſcilicèt Scotus nomine Hæcceitatis intelligat ſolam formam quatenus largitur exiſtentiam, quod nunquàm ſomniauit Scotus. Quid verè in hac re ſentiat D. Thom. per ſequentem declaramus Concluſionem. Ità Caietanus.

Quò ad tertiùm. Ponitur à Caietano in cap. 2. de ente, & eſſentia quæſt. 5. ex D. Thom. hæc vnica Concluſio. Nec hæcceitas, nec forma eſt principium indiuiduationis in ſubſtantia materiali. Probatur à Caietano (omiſſis hic auctoritatibus Ariſtotelis ex 1. Cœli tex. comm. 92. & 93. vbi vnitatem, & pluralitatem indiuiduorum in eadem ſpecie, in rebus materialibus, non niſi ex materia aſſignant Ariſtoteles, & Commentator) ratione ſub tali forma. Illa quæ ſunt principia indiuiduationis, ſunt ſe ipſis primò diuerſa: Hæcceitas Socratis, & Platonis non ſunt

Concluſio vnica Caietani ex D.Th. cum prima probatione primæ partis quod ſcilicet Hæcceitas nō ſit principium indiuiduationis.

Digitized by Google

ſunt huiuſmodi : ergò &c. Maior eſt Scoti. Minor probatur. Id quod conuenit magis cum vno, quàm cum alio, non eſt primo diuerſum ab eo cum quo magis conuenit:ſed Hæcceitas Platonis magis conuenit cum hæcceitate Socratis,quàm cùm hæcceitate albedinis : ergò hæcceitas Socratis, & Platonis non ſunt primò diuerſæ. Maior proſyllogiſmi patet ex terminis : primò enim diuerſum ab alio non conuenit cum illo. Minor dupliciter probatur, & primò quia hæcceitas Socratis, & Platonis conuenit in ſpecie, hæcceitates autem Socratis, & albedinis differunt in genere. Secundò probatur, quia illa magis conueniunt, quæ magis aſſimilantur : magis autem aſſimilantur, quæ ſunt magis comparabilia hæcceitas autem Socratis, & Platonis ſunt comparabiles magis, quàm hæcceitates Socratis, & albedinis; ſicut vniuerſaliter res eiuſdem prædicamenti ſunt magis comparabiles, quàm res diuerſorum prædicamentorum. Ità Caietanus in ſecunda probatione loc. cit.

Secunda probatio Caiet. pro prima parte Concluſionis pro ut ſuprà.

Secundò probatur à Caietano prima pars eadem, alia ratione ſub tali forma. Quòd conuenit, & repugnat alteri indiuiſo eiuſdem ſpeciei præexigit neceſſariò ipſorum diſtinctionem : ſed proprietas indiuidualis puta fortcitas conuenit Socrati, & repugnat Platoni eiuſdem ſpeciei indiuiduo : ergò proprietas indiuidualis præexigit diſtinctionem Socratis à Platone, & ſic proprietas indiuidualis non eſt id quo primò Socrates diſtinguitur à Platone : Concluſio eſt falſa ſecundum Scotum; proceſſus eſt bonus; ergò altera præmiſſarum eſt falſa, & vtraque præmiſſa eſt Scoti; ergò de falſitate conuincitur. Et Maior quidem habetur à Scoto in quolib. quæſt. 2. Minor autem eſt ſua Concluſio, quam nunc impugnamus. Ità Caiet. loc. cit.

Probatio Caiet. pro ſecunda parte quod forma non ſit principium indiuiduationis.

Probatur ſecunda pars Concluſionis à Caietano, quod forma non ſit principium &c. Poſitio iſta de forma non eſt ſubſiſtens : ergò &c. Probatur. Si ſecundum iſtos à materia habet indiuiduum incommunicabilitatem vt veriſſimum eſt : ergò & ab alijs habet diſtinctionem : ergò non à forma, Probatur, quoniam ab eo à quo habet aliquid vt ſit indiuiſum in ſe, habet etiàm vt ab alijs ſit diſtinctum. Et quod nequaquam ſit à forma, habes in tertio notabili ſuprà; vndè ſicuti forma eſt cauſa finalis, non formalis extenſionis materiæ (quia hæc eſt à quantitate) ità à ſimili eſt cauſa materiæ eiuſdem vnitatis, ac diuerſitatis in genere cauſæ finalis ſolum. In præſenti Lectione non explicamus propter quid, ſed quo indiuiduum ſit indiuiduum, & non perſcrutamur cauſam finalem, ſed cauſam formalem. Ità Caietanus loc. cit.

Confirmatio rationis pro ſecunda parte concluſ. pro ut ſuprà.

Confirmatur hæc ſecunda pars à Caietano ſub tali ratione. Si Forma conſideretur ſecundum quod comparatur ad illud, quod ſecum concurrit ad conſtitutionem indiuidui in ordine Phyſico, nullo modo habet rationem potentiæ Phyſicæ, ſed potiùs rationem actus Phyſici : ergò implicat, quod illud quod eſt potentialitatis in indiuiduo, pro vt eſt ratio formaliter ſumpta indiuidualis, refundatur tanquam in principium radicale, & Phyſicum in ipſam formam. Antecedens patet, quia illud cum quo concurrit eſt materia prima reſpectu cuius rationem habet actus informantis, & nullo modo rationem potentiæ : Hinc clareſcit conſequentia, quia ſicut illud quod ſapit rationem formæ, & actualitatis in compoſito, non poteſt refundi tanquàm in primam radicem in materiam, quia materia rationem habet puræ potentiæ; ità illud quod eſt potentialitatis in eo, non poteſt refundi in formam, quia manendo intrà lineam, & rationem indiuidui, forma non exercet aliud munus, quàm munus formæ & actus, ſi conſideretur formaliter in ordine Phyſico. Ità Caietanus multis in locis.

Quò

Digitized by Google

1. Arg. Caiet. contrà 1. p. Concl.

Quo ad quartùm pro hæcceitate Scoti omiſſis duabus obiectionibus, de quibùs erit iterùm ſermo in ſequenti lectione, ſcilicet quod ad materiam ſignatam primo ſequitur vnitas numeralis, & non hæcceitas, & quod materia ſignata eſt id cui primo repugnat diuidi vt vniuerſale in particularia, & non hæcceitas vt vult Antonius Trombeta, arguit Caietanus hoc vnico Argumento in præſenti ſic. Omnis differentia differentium reducitur ab aliqua primo diuerſa, alioquin non eſſet ſtatus in differentibus: Sed indiuidua propriè differunt: Ergo eorum differentia reducitur ad aliqua primo diuerſa: hæc non ſunt naturæ ipſorum, nec priuationes, nec accidentia aliqua: ergo ſunt hæcceitates. Probatio huius vltimi aſſumpti quo ad partem tertiam eſt ſic, quia ſi differentia indiuiduorum reducitur ad aliquod accidens, maximè reducitur ad quantitatem, ſed hoc non, quod ſic patet. Quæratur enim per quid hæc quantitas, & iſta quantitas differant, non ſe ipſis quia ſic ſpecificè diſtinguerentur aliquo alio puta ſitibus: hoc autèm non poteſt eſſe, quia aut diſtinguuntur ſitu, qui eſt ſpeciale prædicamentum, & hoc non, quia ille eſt poſterior quantitate; Aut ſitibus, & hoc non, quia quæritur per quid illi ſitus diſtinguuntur; Aut ſe ipſis, & hoc non poteſt dici, quia non ſunt hi ſeipſis, aut aliquo alio, & ſic in infinitum. Et propterea cum ſitis, qui eſt differentia quantitatis integretur ex continuatione, & permanentia partium, idem eſt dicere, hæc quantitas differt ab illa propter alium ſitum, & quod quantitas differt ab illa quantitate ſe ipſa.

Reſp. Caiet. ad 1. Arg.

Reſp. Caiet. ad Argumentum quod differentia indiuiduorum reducitur ad quantitates: quantitates autèm differunt proprijs ſitibus, qui ſunt differentiæ quantitatis; Situs autèm non ſolùm integratur ex illis duobus, ſcilicet permanentia, & continuatione partium, ſed ex his duobus cum tertio ordine, ſcilicet partium in toto, vt docet B. Alb. Magnus in prædicamentis cap. de quantitate: per hoc enim differt à ſitu ſpeciali prædicamento qui dicit ordinem partium in loco; Vndè ſitus in propoſito diſtinguuntur ſuis ordinibus partium in toto, qui ſunt de eorum ratione, ordines autèm ſe ipſis, in definitione enim ordinis cadit diſtinctio; & ſic patet quod non eſt æquè dubium de his ad quæ facimus reductionem, & de quantitatibus, & quod non oportet quantitates proptèr hoc diſtingui formaliter, talis enim ordo partium in toto, eſt vt quid materiale in ipſa quantitate, quod in nulla alia forma inuenitur. Ità Caiet. loc. cit.

2. Arg. Caiet. contrà 2. p. Concl.

Arguit 2. Caiet. contrà ſecundam partem Concluſionis quod forma ſit principium &c. Materia eſt hæc, quia habet hanc quantitatem: ſed habet hanc quantitatem, quia reſpicit hanc formam, non enim alia ratione diſponitur materia niſi ob formæ receptionem: ergo de primo ad vltimum ſequi videtur, & quantitatem, & materiam eſſe hanc, quia hanc formam reſpiciunt: Materia ſiquidem eſt ob formam ex Ariſt. 2. Phyſ. tex. 9.. Et ſic vnitas, & diſtinctio erit ab vnitate, & diſtinctione formæ, ergo ſola forma eſt principium &c.

Reſp. Caiet. ad 2. Arg.

Reſp. Caiet. ad ſecundùm Argumentum quod verum eſt quod in genere cauſæ finalis Materia eſt hæc per entitatem tanquam ratione formali, & quod quantitas inducitur in materia ob formam quam reſpicit &c. Non autèm eſt verum quod formaliter merito formæ, hæc ſit in materia &c. vel Reſp. quod Materia eſt hæc quia habet radicaliter quantitatem, & quantitas eſt in materia vt hanc formam reſpiciat, non quæ de ſe fiat hæc, ſed quæ fiat hæc ob hanc materiam, & ob hanc quantitatem, adeò vt reſpiciat formam non præſupponendo hanc, ſed ipſam faciendo, & conſtituendo hanc. Ità Caiet.

3 Arg Caiet. cōtrà idē vt ſuprà.

Arguitur 3. à Caietano contrà idem. Indiuiduum habet à forma, quod ſit, & quod ſit vnum, & inſuper eſt, quo vnum diſtinguitur ab alio, & quo conſtituitur.

Inſuper habet à forma quod ſit in actu, vt innuit Auuerr. in 2. de Anima Comm. 9. ergo indiuiduum omnia habet à forma: ergo forma eſt primum principium &c. Probatur primum antecedens quia forma eſt fons omnis eſſe, vt docent omnes Philoſophi cum Auctore, & ſic eſſe, & eſſe vnum non differunt. Probatur ſecundum ex Ariſt. 7. Met. tex. 49. dicente actum eſſe illum, qui ſeparat, & diſtinguit, & Auuerr. in primo de Anima dicit quod membra Leonis non differunt à membris Cerui, niſi ob diuerſitatem Animæ Cerui, ab Anima Leonis; Et idem eſt principium diſtinguendi ſaltem à priori, & eſſendi &c.

Reſp. 3. Caiet. ad 3. Arg.

Reſp. ad primum motiuum in antecedenti Argumenti Caietanus, quod fallax, & nulla eſt intellectio, quia conceditur quod indiuiduum per formam habet eſſe, ſed cauſaliter; nàm formaliter ab exiſtentia id prouenit: ergo idem numero &c. nulla eſt hæc conſequentia. Ad ſecundum motiuum Reſp. quod etiam nulla eſt hæc conſequentia forma, & actus ſeparat, & diſtinguit: ergo numericè diſtinguit, & ſeparat quaſi quod detur vnica diſtinctio; omnibus enim conſtat formam eſſe illam, quæ ſpecificè ſeparat; vndè vanè colligitur ex hoc, quod etiàm diſtinguat numericè; aliàs ſi ex diſtinctione illa inferatur hæc, licebit arguere ex conuenientia formæ, conuenientiam in numero; & ſic ea quæ ſunt vnum ſpecie, eſſent vnum numero, quod omnes abhorrent concedere. Quod ſi Auuerr. loc. cit. accipit diſtinctionē numericā, vel malè ſenſit, vel forſan id voluit, vt natura dicatur eſſe cauſa non diſtinctionis ſecundum numerum, vt ſic, ſed vel entis in actu vt ſic, vel entis vt eſt in hac, vel illa natura, nàm non dicit abſolutè, huius, & illius membra differre, ſed Leonis, & Cerui. Hinc habes quam ſit vanum motiuum aliquorum Thomiſtarum, qui munus formæ dicunt eſſe diſtinguere, & per conſequens tribuunt formæ principium indiuiduationis.

Reſp Caiet. ad aliud motiuum adductum in Arg. 3.

Ad aliud motiuum in antecedenti illo dicitur, quod habet indiuiduum à forma, vt ſit ens in actu, & à materia, quod ſit vnum numero, quia eſt alia ratio formalis vnitatis numericæ vt ſic, quæ eſt ipſius materiæ ſignatæ, & alia qua primo aliquid eſt ens, quæ tribuitur formæ, & ſic eſt ibi fallacia, vt diximus, à forma habet eſſe, & vnum eſſe, ergo vnum numero negatur hæc conſequentia quia quod ſit vnum numero abſolutè proficiſcitur à materia, quod verò ſit vnum talis, vel talis naturæ, hoc eſt ſub illa, vel illa ſpecie hoc proficiſcitur à forma. Ità Caiet.

Quartum, & vltimū Argumētum Caiet. contrà idem pro vt ſupra ex Durando.

Arguit Caietanus vltimò ex Durando. Non minus Materia quàm forma eſt in pluribus per identitatem eſſentialem, & tanquàm ſuperiùs in inferiori: ergo ex receptione in materia non benè colligitur indiuiduum; Vel ſi Materia ponitur principium indiuiduationis debet, & poni etiàm ex æquo forma. Antecedens probatur à Durando ſic. Licet enim Materia ſit primum ſubiectum informationis, quoniam repugnat ſibi eſſe in alio vt ſubiecto quod informetur, non tamen eſt primum ſubiectum prædicationis, quod ſibi repugnet eſſe in alio tanquàm ſuperius in inferiori; Nàm materia eſt vniuerſale quoddam, cum de hac, & illa materia dicatur. Ità Durandus cit. à Caiet.

Reſp. Caiet. ad Arg. Durandi, quod materia non ſit vniuerſale.

Reſp. Caietanus in p. p. q. 3. a. 2. circà Reſponſionem ad tertium D. Thomæ, quod eſſe vel non eſſe in alio per informationem, ſiuè recipi, aut non recipi in materia non eſt formale conſtitutiuum indiuidui, ſed eſt radix indiuiduationis. Et quando Auctor loc. cit. dicit quod forma ex hoc ipſo indiuiduatur, quod in alio non poſſit recipi affert cauſam fundamentalem, & non formalem indiuiduationis. Et quando dicitur, hoc album eſt indiuiduum, & tamen in alio eſt per informationem nil aliud habetur, niſi quod formale indiuidui conſtitutiuum non ſit eſſe in alio per informationem; Verum vtiq; eſt, quod ſi natura albedinis non poſſet eſ-

ſe

Digitized by Google

ſe in alio per informationem, nequaquam ipſa eſſet in hoc albo vt ſuperius in inferiori. Itaque clarè dicitur, quod ad hoc vt aliquid ſit per ſe ſingulare, requiritur quod non poſſit eſſe in alio, neq; tanquàm in ſubiecto informationis, neque tanquàm in inferiori, & cum primum inferat ſecundum, illud erit radicale principium conſtitutiuum indiuidui, hoc erit formale. Et ſic falſum omninò accipit Durandus, quando dixit non minus materiam, quàm formam eſſe in pluribus per identitatem eſſentialem &c. quia vt colligitur ex Auctore in Tractatu de principio indiuiduationis, quidquid ſit de materia ſecundum ſuam eſſentiam, ân ſit, vel non ſit vniuerſale quoddam: Materia tamèn illa, quæ ponitur principium indiuiduationis nullatenus eſt vniuerſalis; licet enim Materiæ eſſentia ſit in pluribus, hoc tamen non poteſt dici de ratione ſua, quoniam ratio materiæ ſub hac forma eſt alia à ratione ſua ſub alia forma, quoniam eius ratio per hanc quantitatem ſit certa, & ſub varijs dimenſionibus non eſt eadem; at verò ratio formæ, ſub quauis ſit materia eſt eadem; vndè aliud eſt dicere, aliquid ſecundum ſuam eſſentiam eſſe in multis, & aliud ſecundum totam ſuam eſſentiam eſſe in multis. Primum habet Auctor in illo Tractatu, & nos non negamus, ſecundum verò nos nequaquam dicimus, nec Auctor dicit. Durandus igitur aſſumit falſum in Argumento quia materia non eſt vniuerſalis, & in nullo eſt vel inhærentèr, vel tota ſecundum identitatem eſſentialem, aut prædicationem; hinc neq; in ſubiecto eſt, nec de ſubiecto dicitur. Nec turberis tu ex eo quod videas materiam in te, in me, & in alijs, quia vt dictum eſt non eſt tota ſecundum ſuam eſſentiam in te, & in me, quod quidem ad vniuerſalis naturam exigitur: ſed diuiditur in plures partes per quantitatem, quippe quæ diuiſio non eſt ſuperioris in inferiora, ſed potius totius cuiuſdam quantitatiui, quod in ſuas partes ſit extenſum. Hanc doctrinam contrà Durandum qui materiam vocauit vniuerſale, & dixit eam eſſe in alio vt ſuperius in inferiori, collegerunt Doctores præclariſſimi, ſcilicet Ferr. c. illo p. c. g. Capreolus ad Argumenta Aureoli, & B. Alb. Magnus intèr Philoſophos verè Magnus in Tract. 2. ſuper Porphyrium c. 8. ratione 4. probat materiam non eſſe vniuerſale.Ità Caiet. ſed ſubtiliori methodo in ſequentibus.

Appendices ad 1. Lectionem Metaphyſicalem in Tractatu de Indiuiduo ſubſtantiæ ſiuè materialis, ſiuè ſeparatæ Metaphyſico.

MAgiſter noſter Ripa in q. 4. ad cap. 2. de Ente, & Eſſentia diſtincta in nouem articulos defendit doctrinam D. Thomæ, & Caietani quod ſcilicet materia ſignata ſit principium indiuiduationis, & non hæcceitas, nec forma. Et in art. 4. 5. 6. & 7. ſuæ quæſtionis quartæ defendit duos dicendi modos Caietani de materia ſignata quod ſit principium indiuiduationis: primum dicendi modum Caiet. quem habet in ſua quæſt. 5. c. 2. de Ente, & Eſſentia Ripa defendit vt probabilem. At ſecundum quem habet Caiet. de mente D. Th. in p. p. q. 29. vt legitimum, & verum, retractando illum primum de Ente, & Eſſentia, Ripa viriliter defendit, vt magis diſtinctè videbimus in lect. 2. & 3. ſequenti. Et pag. mihi 261. Ripa recitat opiniones antiquorum Philoſophorum circà principium indiuiduationis ſubſtantiæ materialis, citat Achillinum, & præcepi rem Marcum Antonium Genua, Pererium, Mercenarium, ſcilicet quod forma, & materia, & magis principaliter forma, per accidens, & concomitantèr materia, vel quod ſola forma ſit principium indiuiduationis, pro qua ſola, forma citatur Durandus à Ripa pag. 307. vbi ſuis rationibus Reſpondet, ſicuti, & etiàm Reſp. Soncinas 7. Met. q.

33.

33. & Capreolus in 2. ſent. diſt. 3. Et Mordicus hanc impugnat Blaſius à Conceptione in ſua Metaphyſica diſp. 3. de principio indiuiduationis, cum ſuis Complutenſibus, & Salmanticenſibus q. 1. à pag. 74. & præcipuè de mente D. Th. impugnat Suareſium diſp. 5. ſect. 4. in ſua Metaphyſica.

Marcus Ferro poſt Ripam nouiſſimè in ſuo Tractatu de Trin. q. 29. 2. p. defendit D. Thomam, & Caietanum quod ſcilicet ſola materia eſt principium indiuiduationis in ſubſtantia materiali, & cum B. Petro Bergomenſi in ſua Tabula aurea Verbo indiuiduum num. 20. & 21. citat pluſquam triginta loca D. Th. dicentia quod non forma, ſed materia ſignata quantitate eſt principium indiuiduationis, & quoniam D. Th. cum Caiet. in p. p. q. 29. 2. p. ait quod ſubſtantia indiuiduatur per ſe ipſam intelligitur de ſubſtantia omnino ſpirituali. Legas Marcum Ferro pag. 173. ſoluentem ibi omnia argumenta aduerſariorum, quæ probant formam eſſe magis principaliter principium indiuiduationis.

LECTIO II.
METAPHYSICALIS
In Tractatu
DE INDIVIDVO METAPHYSICO.

An collectio accidentium, ſeù ſubſiſtentia vel exiſtentia, vel potiùs materia ipſa ſignata indiuiduet.

Ex Caiet. q. 5. ſuper cap. 2. de Ente, & Eſſentia.

Explicatio Tituli, eiuſque ſenſus data à Caietano.

De articulatim procedit Caietanus in hac per ardua Controuerſia; vbi quot capita tot ſententiæ, & ſic incipit. Probauimus in præcedentibus quod nec hæcceitas, nec forma ſola, nec materia, & forma ſimul ſit principium indiuiduationis. In præſenti lect. 2. explicandum eſt, quod non collectio accidentium, non ſubſiſtentia, non exiſtentia, ſed ſola materia, quæ vocatur ſignata eſt huiuſmodi principium. Et vt tollatur omnis æquiuocatio à Titulo ſuprà poſito, non quæritur de principio totali immediato, & proximo, quia clarè conſtat ex D. Th. p. p. q. 29. 2. 2. ad 5. quod integrum, & adæquatum eſſentiale principium indiuiduationis huius naturæ ſubſtantialis, eſt hæc Anima, & hæc caro, & hæc oſſa, quæ ſunt de ratione humanitatis, quia homo verè eſſentialiter eſt compoſitus ex hac materia, & ex hac forma. Et ſupponendum eſt, addit Caietanus, quod differentia indiuidualis addit aliquid reale ſuprà naturam ſpecificam; Natura ſpecifica eſt illud reale in quo conueniunt indiuidua, differentia indiuidualis eſt illud reale per quod differunt. Et differentia indiuidualis,

lis, ait D. Th. c. 1. & 2. de Ente, & Eſſentia comparatur ad ſpeciem, ſicut differentia ſpecifica comparatur ad genus; Vndè ſicut gradus genericus non diſtinguitur realiter à ſpecifico, ſed ſolum ratione; Ità & ſpecificus ſola ratione diſtinguitur ab indiuiduali, aliàs eſſent diuerſæ formæ in compoſito, & realiter intèr ſe diſtinctæ, & per conſequens compoſitum non eſſet vnum per ſe, ſed per accidens quod eſt falſum. Quæritur ergo quodnam ſit illud ad quod vltimatè reducatur indiuiduatio, vt ad principium proximum, & radicale cum excluſione formali cuiuſcumque realitatis. Ità Caiet. in loc. cit.

Quo ad primum Caiet. in q. 5. c. 2. de Ente, & Eſſentia incipit explicare quid ſit materia ſignata quantitate, & dicit quod nil aliud eſt, quàm materia capax huius quantitatis ità quod non iſtius: Hæc namq; materia eſt pars intrinſeca Socratis de definitione eius, ſi definiretur. Imaginandum eſt enim quod ſicut agens particulare puta ſemen humanum appropriat materiam ad Animam, ità hoc ſemen ad hanc Animam; vndè cùm in primo inſtanti generationis Socratis, quod eſt primum eſſe Socratis, & primum non eſſe formæ præcedentis, & accidentium, primo ordine naturæ fiat compoſitum particulare, deindè naturali ordine, in via noſtra, ſequuntur omnia accidentia in illo priori ſecundum naturam, quo compoſitum particulare terminat per ſe primo generationem, materia quæ eſt pars intrinſeca eius, ſcilicet Socratis, ità eſt appropriata ipſi Socrati ab agente particulari, quod non eſt capax alterius quantitatis, niſi eius, quam Socrates ſibi determinat: Omnium enim natura conſtantium determinata eſt ratio mangnitudinis, & augmenti vt dicitur in 2. de Anima Comm. 4. & talis materia vocatur materia ſignata. Nihil ergo addit materia ſignata ſuprà materiam niſi capacitatem huius quantitatis ità quod non illius. Qualis autem ſit hæc capacitas materiæ reſpectu huius quantitatis, quod non illius, operoſiùs inquirendum eſt in ſequenti lect. 3. & 4. Ità Caiet.

Notab. primum Caiet. in quo explicatur quod materia ſignata dicit capacitatem huius quantitatis quod non alterius.

Notat 2. Caiet. ibidem infrà concludendo ſic. Eſt igitur materia ſignata intrinſecum indiuiduationis principium, quo intrinſecè, licet particularitèr, Socrates eſt hic. Dico autèm particularitèr, quia non arbitror materiam ſignatam eſſe ipſam indiuidualem proprietatem, ſeù differentiam, ſed potiùs differentiæ indiuidualis eſſentiale principium: Opinor enim quod proportio materiæ ſignatæ ad proprietatem, ſeù differentiam indiuidualem, ſit ſicut proportio Animæ humanæ ad differentiam hominis conſtitutiuam, ſicut enim Anima intellectiua non eſt ipſa differentia puta rationale, ſed id vndè ſumitur; ità materia ſignata non eſt ipſa differentia indiuidualis, ſed id vndè ſumitur, & quod cauſat ipſam intrinſecè. Et ſicut homo eſt homo, & perſonale tanquam per principium formale totale, & per Animam intellectiuam tanquàm per principium particulare intrinſecum formale, à quo rationale mendicat, & cauſatur; Ità Socrates eſt hic per differentiam indiuidualem tanquam per totale quoddam denominans, quod nil aliud eſt, quàm gradus Indiuidualis; Sicut differentia ſpecifica eſt gradus ſpecificus, & per materiam ſignificatam per priorem cauſam intrinſecam, à qua ipſa differentia indiuidualis mendicat. Et ſic intèr nos, & Scotum in hoc ſtat diuerſitas opinandi, quod ipſe differentias indiuiduales abſque eſſentiali dependentia à materia ſignata multiplicat, cum ſua Schola: Nos autèm Thomiſtæ, ſicut Animal neſciremus contrahere ad Hominem, & Bouem ſinè formis partium, à quibus differentiæ contrahentes Animal cauſantur; Sic ſpeciem, puta hominem, contrahere ad indiuidua non nouimus ſine materia ſignata, quæ eſt cauſa differentiarum indiuidualium, & per conſequens primum principium indiuiduationis intrinſecum. Moueor ego ad hoc dicendum, quoniam

Notab. 2. Caiet. in quo idem quod ſuprà declaratur.

teneo

Digitized by Google

teneo Socratem ſubſtantialiter ſumptum in recta, ſcilicet linea prædicamentali ſub ſpecie eſſe vnum numero, non vnitate de prædicamento quantitatis, ſed ſubſtantiali anteceden 1, cum ſit entis paſſio ſecundum gradum indiuidualem, quam ipſa differentia indiuidualis importat. Et hoc an ſit de mente Sancti Doctoris non cenſeat quiſpiam, priuſquàm legerit ipſum, & in Compendio Theologiæ c. 157. vbi vult Socratem eſſe vnum numero eundem poſt Reſurrectionem eius quantitate numerata. Ità Caietanus.

Opinio D. Thomæ de principio indiuiduationis quod ſit materia ſignata quantitate exponitur à Caiet.

Quo ad ſecundum Caietanus in c. 2. de Ente, & Eſſentia q. 5. recitat duos dicendi modos de materia ſignata apud Thomiſtas. Conueniunt in hoc omnes Thomiſtæ, quod ad indiuiduationem duo concurrere debent materia, & quantitas, quæ vocari debet materia ſignata quantitate, & in hac ſententia S. Doctor eſt perpetuus, & ſunt mille loca cit. à Capreolo, & præcipuè citatur in p. p. q. 3. a. 2. q. 13. a. 9. q. 74. a. 1 & q. 77. a. 4. (& in 3. p. q. 77. a. 2. & de potentia q. 91. a. 3.) & p. c. g. c. 21. & 24. in quarta ratione (& in 4. ſent. diſt. 12. q. 1. quæſtiuncula 3. ad tertium) & 5. Met. tex. 12. & 12. Met. tex. 8. & alibi ſæpius. De Ariſtotelis mente in primo de Cælo à tex. 91. vſq. ad 95. quo mundi vnitatem ex vnitate materiæ probat quiſquis apertè conuincitur materiam ſignatam eſſe principium &c. Nec eſt audiendus hic Scotus, & Zabarella, quia iàm ipſos impugnauimus ſuprà cum alijs Thomiſtis antiquioribus, qui oſtendunt euidentèr à tex. 12. 5. Met. & tex. 49. lib. 12. ibi Ariſtotelem loqui de materia partis vt opponitur formæ, & vt condiſtinguitur à forma, quia illa totius clauditur in forma. Ità Caietanus ex D. Th. Quid autèm proſequendo diuerſitatem opinandi intèr Thomiſtas, nomine materiæ ſignatæ intelligat S. Doctor, dicit quod aliqui tenent, quod aggregatum ex materia, & quantitate ſit intrinſecum principium indiuiduationis, materia dante incommunicabilitatem ſiuè indiſtinctionem in ſe, quantitate poſtea dante diſtinctionem ab alijs, & tale aggregatum dicunt eſſe materiam ſignatam.

Duo declarandi modi Thomiſtarum de materia ſignata recitantur à Caiet. qui potius ſecundum approbat.

Aliæ opiniones de principio indiuiduationis recitantur à Caiet.

Alij verò longè melius ſentiunt, dicentes quod principium intrinſecum indiuiduationis, & quo ad incommunicabilitatem, & quo ad diſtinctionem ab alijs eſt materia ſignata, & non quanta. Quid ſit poſteà materia ſignata quantitate, & in quo ſenſu debet accipi, cum ſint varij explicandi modi intèr Thomiſtas in ſequenti lectione 3. oſtendemus. Sufficiat pro nunc ſcire, quod materia ſignata quantitate, non actuali, eſt primum, & radicale principium indiuiduationis ſubſtantiarum materialium; nec eſt collectio accidentium, vt aliqui tenent relati à Scoto in 2. ſent. diſt. 3. q. 3. nec ſubſiſtentia vt volunt alij; Nec exiſtentia ſecundum alios; Nec aſſeitas vt tenet Heruæus quolib. 3. q. 9. & Durandus in 2. ſent. diſt. 3. q. 2. cum aliquibus alijs. Ita Caiet. loc. cit.

Vnica Concluſio ponitur à Caiet. cũ probatione primæ partis, ſcilicet, quod materia ſignata ſit &c.

Quo ad tertium Caiet. in q. 5. c. 2. de Ente, & Eſſentia, & vbiq; locorum ex D. Th. in ſuis Comm. ponit hanc vnicam Concluſionem ſic. Materia ſignata, & non actu quanta, nec collectio accidentium, nec ſubſiſtentia, nec exiſtentia, nec aſſeitas a ſe, eſt principium indiuiduationis, & quo ad incommunicabilitatem, & quo ad diſtinctionem ab alijs &c.

Probatur à Caiet. in q. 5. c. 2. de Ente, & Eſſentia pluribus rationibus prima pars, legas ibi ipſas, nunc in præſenti breuitati ſtudentes, breuiſſimam afferemus, quæ ſub tali forma ponitur. Fruſtrà ſit per plura, quod poteſt fieri per pauciora, & æquè benè: ſed abſque quibuſcumque alijs, ſcilicet ſine collectione accidentium, exiſtentia, & ſubſiſtentia, ex materia ſignata ſufficientèr ſaluatur indiuiduatio ſubſtantiæ compoſitæ: ergo fruſtrà adduntur quæcumque alia. Minor præterquam quod ex dicendis infrà magis manifeſta erit, dùm ſolutis rationibus aduerſariorum,

ſic:

Quod Collectio accidentium non ſit &c. prob. à Caiet.

Quod nec exiſtentia, nec ſubſiſtentia ſit &c promatur à Caiet.

firma, & ſtabilis remanebit; Probatur primo quod fruſtrà ponitur Collectio accidentium, exiſtentia, & ſubſiſtentia, & tandem aſſeitas, ſeu entitas propria. Probatur quod non primum poni debet. Accidentia recipiuntur in ſubſtantia indiuidua: ergo ſupponunt illam indiuiduam: ergo non conſtituunt illam in ratione indiuiduæ: ergo fruſtrà ponitur collectio accidentium. Probatur quod non exiſtentia (exiſtentia contingentèr prædicatur de indiuiduis: Sed principium indiuiduale eſt de eſſentia indiuidui: Ergo non poteſt eſſe primum principium &c. ergo fruſtrà &c. Probatur quod nec ſubſiſtentia; eadem numero natura poteſt terminari diuerſis ſubſiſtentijs: Ergo ſubſiſtentia non poteſt eſſe primum, & radicale &c. ergo nec conſtitutiuum naturæ indiuiduæ: Ergo fruſtrà &c. Antecedens probatur. Si enim humanitas modò dimitteretur à Verbo, eſſet eadem numero natura: Sed prius ſubſiſtebat ſubſiſtentia Verbi, nunc autèm ſubſiſtentia creata: Ergo eadem numero natura poteſt terminari diuerſis ſubſiſtentijs: Ergo incommunicabilitas non poteſt tribui &c. ergo fruſtrà &c.

Quod non aſſeitas ſit principium &c. prob. à Caiet.

Probatur tandem minor, quod non aſſeitas. V. g. Franciſcus, & Antonius non differunt ſe totis neq; ſunt primò diuerſi ità vt in nullo conueniant: Ergo principium diſtinguens, & indiuiduans non eſt aſſeitas, ſeu propria entitas: Ergo per ipſam non eſt indiuidua. Antecedens conſtat, quia hæc humanitas Antonij, hæc humanitas Franciſci conueniunt in aliquo vniuoco, & ſpecifico: Ergo fruſtrà &c. Imò nec materia prima per ſuam propriam entitatem abſq; ordine ad aliquid aliud poteſt eſſe primum, & radicale principium indiuiduationis, quia hæc, & illa materia in aliquo conueniunt, & in aliquo diſtinguuntur: Ergo debet dari aliquid primum principium diuerſum à principio conſtituente iſtam materiam in ratione huius: At iſtud principium non eſt entitas huius materiæ abſolutè ſumpta, præciſo omni ordine ad aliud: ergo materia prima per ſuam propriam entitatem abſq; ordine ad aliquid aliud nequit eſſe primum, & radicale principium indiuiduationis: Ergò neceſſariò dicendum eſt (cum prædicta afferantur fruſtrà, & inanitèr pro principio &c.) de primo ad vltimum quod materia ſignata quantitate ſit verum radicale principium cuiuſcumque ſubſtantiæ materialis. Ità Caietanus in loc. cit.

1. Arg. Caiet. contrà Concl. ex Scoto.

Quo ad 4. Arguit primo Caietanus in q. 5. c. 2. de Ente, & Eſſentia ex Scoto contrà Concluſionem. Impoſſibile eſt aliquid dependens à poſteriori naturaliter, eſſe idem priori naturaliter, quia tunc eſſet prius, & non prius. Sed ſubſtantia eſt prior naturaliter quantitate, igitur nil cauſatum à quantitate, ſiuè qualitercumque præexigens naturam quantitatis, poteſt eſſe idem ſubſtantiæ: non igitur ſignatio iſta cauſata à quantitate eſt eadem ſubſtantiæ. Probatur Maior. Vbi vera, & realis identitas eſt, licet non ſit formalis, ibi impoſſibile eſt hoc eſſe, & illud non eſſe: quia tunc realiter idem eſſet, & non eſſet: ſed poſſibile eſt prius naturalitèr eſſe ſine poſteriori naturaliter: ergo multo magis abſque eo, quod derelictum eſt, vel cauſatum à poſteriori naturalitèr.

2. Arg Caiet. ex Scoto.

Arguitur ſecundò ibidem à Caietano ex Scoto. Quantitas iſta, quæ ad indiuiduationem concurrit, aut eſt quantitas terminata, aut interminata; non terminata, quia illa ſequitur formam in materia, & per conſequens ſingularitatem ſubſtantiæ: quia ſicut ſubſtantia eſt cauſa eius, vt eſt terminata, ità hæc ſubſtantia eſt cauſa eius vt eſt hic terminata. Et Confirmatur hoc, quia cùm quantitas terminata varietur ſola rareſactione idem indiuiduum erit multis ſingularitatibus idem, quod eſt impoſſibile; Si autèm interminata: Ergo manet illa eadem in genito, & corrupto.

Reſp. Caiet. ad 1. Arg. Scoti.

Reſp. Caiet. ad primum Argumentum quod Maior eſt falſa, tàm ſi intelligatur de priori, & poſteriori ſecundum genus cauſæ materialis (in hoc genere potentia eſt

eſt prior) quàm ſi intelligatur de priori, & poſteriori in genere cauſæ formalis (& in hoc genere potentia eſt poſterior) aliquid enim dependens à forma eſt idem realiter materiæ, & aliquid dependens à materia eſt idem realiter formæ. Ad probationem primam qua dicitur, quia tunc eſſet prius, & non prius, dico, quod non eſt inconueniens in diuerſis generibus cauſarum. Ad aliam vbi dicitur. Vbi eſt vera, & realis identitas: Negatur ſecunda propoſitio aſſumpta: Non enim omne prius poteſt eſſe ſine poſteriori, vt dictum eſt in præcedentibus.

Reſp. Caiet. ad 2. Arg. Scoti.

Reſp. Caiet. ad ſecundum quod quantitas illa, quæ ad indiuiduationem vt originalem non intrinſecum indiuiduationis principium concurrit eſt quantitas terminata, nec obſtat quod ſequitur formam, quia etiàm forma ſequitur potentiam materiæ, à qua tamen cauſatur, & concedimus hanc ſubſtantiam eſſe cauſam materialem huius quantitatis, ſed è conuerſo in genere cauſæ formalis hanc quantitatem eſſe cauſam huius ſignationis materiæ. Ad Confirmationem Reſp. quia quantitas terminata ad indiuiduationem concurrens non ſtat in indiuiſibili, ſed latitudinem habet; Sicut enim quælibet ſpecies naturalis determinat ſibi quantitatem maximam, & minimam Infrà latitudinem quamdam, ità & quodlibet indiuiduum determinat ſibi hanc quantitatem infrà tales limites, & non in indiuiſibili; Vndè poteſt fieri rarefactio ſine eius, vt indiuiduatiua eſt, variatione: Non enim accipitur hic quantitas punctualiter, ſed cum certa latitudine. Ità Caiet. in q. 5. cap. 2. vbi multa alia habet &c.

Arguit 3. Caiet. ad hominem ex D. Th.

Arguit vltimò Caiet. ex D. Th. opuſc. 69. ſuper Boetium de Trin. q. 4. a. 2. ſic; Materia ſub certa quantitate non poteſt eſſe certum, ac firmum principium indiuiduationis: Ergo materia ſignata, quantitate non ponitur &c. Antecedens probatur, quia ſemper augmentatur, & diminuitur, & nunquàm eſt certa, præcipuè in viuentibus vt legitur in illo opuſculo: ergo vel falſum dicit S. Doctor in lib. 2. de Ente, & Eſſentia dùm dicit quod principium indiuiduationis eſt materia ſignata, id eſt ſub certis dimenſionibus, vel ſi hoc eſt verum, tàm erit falſum id quod ſupra in c. 2. ſuper Boetium dum probat quod principium indiuiduationis eſt materia, non ſub certis dimenſionibus, ſed eſt materia ſub indeterminatis dimenſionibus. Probat hoc, quia iſtæ dimenſiones frequentèr mutantur, & ſic mutaretur frequentèr principium indiuiduationis, vndè Petrus puer, & Petrus factus homo non eſſet idem numero Petrus, ergo vel hic, vel ibi dicit falſum &c.

Reſp. Capreoli, & Petri Bergomenſis ad Arg. vt probabilis admiſſa à Caietano qui per propriā reſpondet.

Reſp. Caietanus, omiſſa ſolutione Capreoli qui in 2. ſent. diſt. 3. q. 1. docet D. Thomam loqui ad mentem Auuerrois, qui ponebat dimenſiones coæuas materiæ. Et omiſſa etiam ſolutione aliorum cum Petro Bergomenſi in ſua Tabula aurea dub. 733. qui dicunt S. Thomam loqui de dimenſionibus antecedentibus formam introducendam, quæ indiuiduant antecedentèr per hoc quod ſunt cauſa, quod forma introducitur in hac portione materiæ, & dicuntur interminatæ reſpectu formæ introducendæ, licet ſint realiter terminatæ per formam abijciendam, quia ſunt ſub forma embrionis, & in materia non adhuc terminata à forma generanda.

Omiſſis his ſolutionibus cum ſua probabilitate Caietanus Reſp. quod quantitas dupliciter terminata dici poteſt primo indiuiſibilitèr, ità vt non poſſit augeri neq; minui ſecundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem, & hæc vocatur à S. Thoma quantitas perfecta, ac poſita in determinata ſpecie figuræ; ità vt ſi aliquid auferatur ab ea, vel aliquid illi adiungatur, illicò prima ſpecies figuræ mutata eſt, & alia nouæ figuræ ſpecies facta eſt. Secundò modo aliqua quantitas dicitur terminata non abſolutè, ac ſimplicitèr, ſed proportionaliter, & illa quantitas, quæ abſolutè, & ſimpliciter mutatur frequentèr, vocatur terminata proportionaliter,

Digitized by Google

ter, quæ creſcit, & decreſcit in determinata quantitate proportionata rei, quæ augetur, vel diminuitur. Et ſic S. Doctor optimè ait aliquam materiam ſub certis dimenſionibus eſſe principium indiuiduationis, non ſecundum eſſe abſolutè indiuiſibile, ſed proportionatum naturæ ſpecificæ eorum, vt loquitur in c. 2. de Ente, & Eſſentia; & aliquando ait, materiam ſub indeterminatis dimenſionibus intrà tamèn proportionatam quantitatem ſuæ naturæ nedum ſpecificæ, ſed etiàm numericæ, eſſe principium indiuiduationis, vt loquitur in opuſc. cit. Vndè Petrus eſt idem numero indiuiduum ſiuè puer cum augetur, ſiuè homo cum eſt perfectus, ſiuè ſenex cùm decreſcit: quia principium indiuiduationis tamdiù immobile remanet, quamdiù indiuiduum durat, quia quantitas, qua eius materia ſignatur non eſt quantitas determinatæ longitudinis &c. Simpliciter abſolutè cùm frequentèr mutetur. Itaq; ſemper apud D. Thomam materia ſignata quantitate eſt materia reſpiciens quantitatem intrà tales limites, ac talem latitudinem augmenti, ac decrementi, ità propria huius indiuidui, quod non alterius indiuidui. Ità Caiet.

Appendices ad Lectionem 2. Metaphyſicalem in Tractatu de Principio Intrinſeco indiuidui vt ſic Metaphyſici.

HÆc ratio probatiua pluralitas materiæ, eſt cauſa pluralitatis numeralis: ergo vnitas materiæ erit cauſa vnitatis numeralis, quæ fundatur in Ariſt. primo de Cælo, vbi omnem pluralitatem, & vnitatem numericam aſcribit vnitati, ac pluralitati materiæ, explicatur à Magiſtro Ripa vt conueniens pag. 300. & 301. pro defenſione opinionis S. Th. B. Alb. Magni, & Caietani, & Capreoli de materia ſignata, quod ſit principium indiuiduationis ſubſtantiæ materialis. Sapientiſſimus Mag. Io: à S. Th. in p. p. q. 51. diſp. 19. art. 3. paucis in verbis explicat illud principium indiuiduationis tàm in ordine ad materiàm, tàm in ordine ad formam ſubſiſtentem, & immaterialem: dicit enim quod indiuiduatio abſolutè ſufficientèr ſit per principium incommunicabilitatis in aliqua ſubſtantia, etiàm ſi ſit in ipſa forma, quia hoc ipſo quod eſt incommunicabilis conſtituit gradum indiuiduum. Multiplicatio autèm plus petit, quàm incommunicabilitatem, ſcilicèt Diuiſionem tali modo factam. Itaque in rebus corporeis, non ideò materia eſt principium multiplicationis, quia eſt principium indiuiduationis quomodocumq; ſed quia eſt principium indiuiduationis, & diuiſibilitatis materialis, quæ eſt diuiſibilitas ſubſtantialis, ſine diuiſione, & diſtinctione formali. Ità Io: à S. Tho. legas ipſum loc. cit. Contrà Suarezium qui in ſua Metaphyſica diſp. 5. dicit à forma deſumi quamcumque indiuiduationem, & ſect. 6. num. 17. approbat illos, qui dicunt eſſe ſubſiſtentiam. Et ſect. 5 approbat illam de exiſtentia. Et eamdem ſect. 6. amplectitur illam de propria aſſeitate, ſeù de propria entitate, vt refert Gonzalez 1. p. quæſt. 11. art. 1. & 2. diſp. 23.

Digitized by Google

LECTIO III. METAPHYSICALIS

In Tractatu

DE PRINCIPIO INTRINSECO INDIVIDVI VT SIC METAPHYSICI.

Inter varios dicendi modos de principio indiuiduationis ſubſtantiæ materialis in via D. Thomæ, qui nam ſit verior.

Ex Caietano ex quæſt. 5. cap. 2. de ente, & eſſentia, & 1. p. quæſt. 29. art. 1.

Declaratio Tituli, eiuſque ſenſus data à Caietano.

STATVTO principio formali, ſeù radicali, ait Caietanus, indiuiduationis cuiuſcumque ſubſtantiæ materialis, ſcilicèt quòd de Mente expreſſa S. Thomæ in via Peripathetica ſit materia ſignata, in præſenti Lectione magis dearticulatim procedere debemus, quid intelligatur à D. Thom. propriè, & formalitèr loquendo nomine materiæ ſignatæ, de quo diuerſimodè ſi attendantur ſuæ Doctrinæ loca, videtur in diuerſo ſenſu eſſe interpretandam D. Thom. Mentem. In 3. p. quæſt. 77. art. 2. In 4. ſent. diſt. 12. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. 3. ad 3. ait, quòd incommunicabilitas, ſeù eſſe indiuiſum in ſe tribuenda eſt materiæ tanquàm principio radicali, eſſe autèm diuiſum ab alio (quæ duo dicit indiuiduum) tribuendum eſſe quantitati. Et in opuſc. de principio indiuiduationis, & in opuſc. 32. cap. 3. videtur hoc idem confirmare, ſcilicèt quod ratio indiuidui non poteſt ſaluari ſinè quantitate, quia intelligitur materia ſignata ſub certis dimenſionibus determinatis. Quæ loca cùm ſint contraria alteri loc. cit. in præcedenti Lectione in Argumento vltimo, dant occaſionem Thomiſtis interpretandi mentem D. Thom. quòd ibi ſolùm loquatur de quantitate vniuerſali, & præcontenta radicalitèr in materia, non autèm de quantitate formali. Quæritur ergò in præſenti quis meliùs interpretauerit mentem D. Thom. circà materiam ſignatam pro vt eſt principium radicale indiuiduationis ſubſtantiæ materialis. Ità Caietanus.

Notab. unicum Caiet. in quo dat in q. 5. c. 2 de ente, & eſſentia interpretationem propriam Mentis D. Tho. de materia ſignata vt eſt principium, &c.

Quò ad primùm. Caietanus in quæſt. 5. cap. 2. de ente, & eſſentia diſcurrit ſic, in interpretanda mente S. Doctoris. Nihil ergò exiſtimo, quod materia ſignata addat ſuprà materiam niſi capacitatem huius quantitatis, quod non illius; Capacitas autèm materiæ reſpectu huius quantitatis nihil aliud eſt, quàm potentia receptiua huius quantitatis ità quod non illius: potentia autèm receptiua nihil realitèr diſtinctum in recto dicit, ſed addit aliquid reale diſtinctum ſolummodò ſecundum rationem à materia. Sicut etiàm materia propria nihil addit ſuprà materiam

Digitized by Google

teriam realitèr diſtinctum ab ipſa, dicit tamèn aliquid reale in materia, quod non explicat materia ſecundum ſe: Materia enim ſignata non eſt diffinibilis niſi per hanc quantitatem, ſi diffiniretur, ſicut propria potentia non niſi per proprium actum diffinitur 3. Phyſ. comm. 10. Materia autèm ſecundum ſe hanc quantitatem in ſua diffinitione non exigit; vndè materia propria indiuidui, & materia ſignata, & materia ſub certis dimenſionibus idem important. Et propterea S. Thomas non dixit materiam ſignatam cùm certis dimenſionibus, ſed ſub certis dimenſionibus. Et alibi dicit, quod ſicut materia in ordine ad formas generales, puta formam totalem, & partialem diſtinguit genericè corpora cœleſtia ab inferioribus, ità materia in ordine ad hanc, vel illam quantitatem diſtinguit numeralitèr in rebus materialibus. Materia igitur ſignata (addit ibi Caietanus) non dicit aggregatum ex materia, & quantitate, ſed materiam in recto ſignificat, quantitatem verò in obliquo; ſicut potentia materiæ ſignificat materiam in recto, in obliquo verò actum quem reſpicit, eo quod per actum non eſt niſi diffinibilis. Ità Caietanus loc. cit.

Duo dicendi modi relati à Caietano ipſorum Thomiſtarum.

Quò ad ſecundùm. Antequàm Caietanus declaret proprium dicendi modum circà materiam ſignatam vt principium eſt radicale indiuiduationis ſubſtantiæ materialis refert duos alios Thomiſtarum antiquorum, quos etiàm refert Bannez lib. 1. de Gen. cap. 3. Aliqui enim aſſerunt materiam per ordinem ad quantitatem indiuiduari, quo ad res, priùs tamèn ſecundum ſe eſſe indiuiduam per ordinem ad formam ſubſtantialem. Capreolus verò in 2. ſent. diſt. 3. quæſt. 1. art. 1. & art. 3. in Reſp. ad Argumentum, & Ferr. 2. cont. gent. cap. 11. cùm alijs affirmant materiam ſignatam quantitate eſſe materiam ipſam affectam quantitate formali, ità quod actu includat illam.

Proprius dicendi modus Caiet. in q. 5. c. 2. de ente, & eſſentia, quem ipſemet corrigit in p. p. q. 29. a. p. ponendo aliam conformiorem mentem D. Thomæ.

Nos tamèn alio modo explicamus Mentem D. Thom. addit Caietanus, & dicimus in hac quæſt. 5. cap. 2. de ente, & eſſentia, quod per materiam ſignatam quantitate, intelligo materiam ipſam ſecundum quod eſt capax in potentia proxima huius quantitatis, ità quod non illius. At in 1. p. quæſt. 29. art. 1. ait de ſe ipſo hæc formalia verba. Subſtantia materialis quomodo indiuiduetur alterius negotij eſt; nunc autèm ſcito, quod apud me ſubſtantia materialis indiuiduatur per materiam ſub certis dimenſionibus, tanquàm per proprium, & intrinſecum, non ſolùm conſtitutiuum, ſed diſtinctiuum: Chimericum eſt enim hos actus ſeparare ſecundum rem. Per materiam autèm ſub certis dimenſionibus, non intelligo, vt olim expoſui in Comm. de ente, & eſſentia, materiam cum potentia ad quantitatem, quoniam potentia illa vt patet in 12. Met. in Tract. de principijs Prædicamentorum eſt in genere quantitatis, & ſic Socrates non eſſet vnum per ſe, ſed intelligo materiam diſtinctam numero, non vt ſubiectum quantitatis, ſed vt priùs natura fundamentum radix, & cauſa, ita quod materia in ſe eſt priùs diſtincta ſic, quam quanta, vt ſic effectus proportionetur cauſæ. Ità Caietanus loc. cit.

Concluſio Caiet. circa modos dicendi de mente D. Th. negatiua cũ probatione primæ partis.

Quò ad tertiùm. Caietanus ponit hanc ſuam vnicam Concluſionem in cap. 2. quæſt. 5. de ente, & eſſentia, & in 1. p. quæſt. 29. Principium indiuiduationis in ſubſtantia materiali nec eſt materia ſignata quantitate formali; nec eſt materia cum potentia receptiua huius quod non illius quantitatis, vt dixi in commènt. cap. 2. quæſt. 5. cit. quem modum dicendi ego retracto.

Probatur prima pars à Caietano ſub tali forma. Principium indiuiduans ſubſtantiam debet eſſe ſubſtantiale: ergò ad eius conſtitutionem non poteſt concurrere accidens intrinſecè, & formalitèr; ergo materia ſignata quantitate formali

non poteſt eſſe principium radicale indiuiduationis. Propoſitiones patent ex dictis.

Probatio ſecundi modi dicēdi qui à Caietano retractatur, & impugnatur.

Secunda pars probatur à Caietano contrà ſe ipſum. Et primò dicit ſic. Probo contrà meum dicendi modum in cap. 2. de ente, & eſſentia ratione conuincenti, qua conuictus ego Doctior factus retractaui illum. Si materia cum potentia receptiua huius quantitatis eſſet principium indiuiduationis, in tali caſu materia ſignata diceret aggregatum ex ſubſtantia, & accidente, ergò indiuiduum non erit vnum per ſe, cum ei principium per ſe non aſſignetur, ſed per accidens, ſcilicèt aggregatum illud ex materia, quæ eſt ſubſtantia, & ex illa potentia, quæ eſt accidens. Probatur ſequela, actus, & potentia ſunt in eodem genere ex 12. Met. à tex. 19. vſque ad 28. & præcipuè 26. Patet autèm vnicuique quod actus ille, quem reſpicit potentia illa materiæ ſignatæ eſt de genere accidentis cùm ſit quantitas, ergò & potentia illa erit de genere accidentis, & cùm ſubiectiuè ſit in illa ſignata materia, quæ eſt ſubſtantia, iàm ipſa materia ſignata dicit ſubſtantiam, & accidens: ergò aggregatum ex rebus diuerſorum generum: ergò quid per accidens: ergò indiuiduum conſtitutum per hoc principium indiuiduationis non eſt ens per ſe: quoniam ex rebus diuerſorum generum non poteſt aliquid per ſe conſtitui ex 5. Met. tex. 13. Ità Caiet. in 1. p. quæſt. 29. cit. art. 1. & alibi.

1. Argumentum contrà Caietani retractationem.

Quò ad quartùm. Arguit Zabarella contrà Caietanum, eiuſque rationem probatiuam ſuæ Concluſionis. Materia in ſuæ naturæ puritate eſt indifferens, & communis, vndè ſi debet eſſe cauſa indiuiduationis debet coarctari ab aliquo: ergò non materia, ſed illud coarctans erit cauſa indiuiduationis. Et Minor, ait Zabarella, cur Caietanus in explicando materiam ſignatam, potiùs non dixerit materiam cum potentia ad hanc formam eſſe principium ſingularitatis, & non debebat dicere materiam cum potentia ad hanc quantitatem, cùm materia primo formam reſpiciat, deindè quantitatem, & alia accidentia per formam.

Reſponſio Caiet. ad Argum Zabarellæ impropriè impugnans modū dicendi ſuum retractatum.

Reſp. Caietanus quatenùs ille modus dicendi à ſe retractatus compatitur ſecum aliquam probabilitatem, quòd materia in ſe abſolutè conſiderata non eſt cauſa indiuiduationis, vt toties dictum eſt, ſed eſt materia ſignata, & appropriata; & quando infertur debet appropriari ab aliquo, & coarctari, & iſtud tale coarctans erit, &c. iàm diximus, quod loquendo de principio extrinſeco, & effectiuo eſt verum, ſed de intrinſeco, & formali, de quo eſt ſermo, negatur, quia dicimus quod totalis cauſa eſt quantitas cum materia; & iàm diximus, quod materia primò reſpicit formam prioritate perfectionis, & dignitatis, loquendo abſolutè, vt reſpicit formam, & quantitatem abſolutè; ſed loquendo de materia reſpiciente formam, & quantitatem, quæ ad indiuiduationem concurrunt, quia ſic primò reſpicit actum ſuum, & non formam, actus ſuus non eſt forma, ſed quantitas, vt patet ex dictis. Iure meritò, ergò dicitur quòd loquendo de materia ſignata, hæc dicit capacitatem huius quantitatis, & non huius formæ. Ità Caiet.

Aliud Argum. impugnans probabilitatem modi dicendi Caietani à ſe retractati.

Arguitur contrà hunc modum dicendi Caietani retractatum à ſe, quem alij vt probabilem ſequuntur ſic. Hæc ſignatio in materia ideò inuenitur, quoniam materia reſpicit hanc quantitatem quod non aliam, &c. modò quæritur, vel hæc quantitas ſupponitur in materia eſſe, vel non: neutrum poteſt dici, ergò &c. non primùm, quia iàm in præcedentibus oſtenſum eſt, quod materia actu ſub quantitate non cauſat indiuiduationem, & poſteà ponitur capax, quomodo ergò eſt actu? Non ſecundum quia ſequitur quod effectus præcedat cauſam: iàm autèm materia eſt ſignata, & non per aliud niſi per quantitatem: ergò effectus præcedit cauſam non in actu.

Reſp.

Reſponſio Caiet. ad Argum. impropriè impugnans modum ſuum dicendi retractatum.

Reſp. Caietanus Reſponſione, quam approbant alij, qui ſequuntur hunc ſuum modum dicendi, iàm à ſe retractatum, quod tunc adeſt quantitas non in genere cauſæ materialis, quia cùm cauſalitas materiæ ſtet in recipiendo, nondùm eſt recepta in materia in illo priori: benè tamèn adeſt in genere cauſæ formalis ipſa quantitas, quomodo eſt cauſa ſignationis materiæ, & ità præcedit ſignationem., quia ſcilicèt materia nunquàm eſſet ſignata niſi hanc quantitatem reſpiceret, & in hoc ſtat cauſa formalis quantitatis in ſignatione materiæ, vt ſcilicèt ab ipſa materia reſpiciatur, & fundatur hæc Reſponſio in illo Axiomatè Cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ. Et nos non ponimus quantitatem, addit Caietanus, ideò cauſare ſignationem in materia, quaſi quod ſit actu in ipſa ſubiectiuè, imò hoc impugnamus; ſed ideò ponimus, quia actu materia ipſam quantitatem reſpicit, tanquàm illius capax, & receptiua; & ſic eo modo quo quantitas eſt cauſa ſignationis, eo modo in priori illo eſt actu, vndè negatur quod quantitas in illo priori, vt cauſa illius ſignationis non ſit in actu. Ità Caietanus, qui ab iniuſtis impugnationibus vindicat illum dicendi modum à ſe retractatum in 1. p. quæſt. 29 & quem alij Thomiſtæ vt probabilem defendunt in illo ſenſu quem iunior poſuit Caietanus in cap. 2. de ente, & eſſentia quæſt. 5. cit.

Appendices ad Lectionem 3. Metaphyſicalem in Tractatu de principio intrinſeco indiuidui vt ſic Metaphyſici.

IAuellus in ſua Metaphyſica lib. 5. quæſt. 2. & 15. vt defendat modum hunc dicendi Caietani poſitum in præſenti Lectione à ſe retractatum, reſpondet rationi Caietani impugnanti ipſum, aſſerendo quod illa propoſitio aſſumpta à Caietano, Potentia eſt in eodem genere cum actu cuius eſt receptiua, non eſt vera niſi reſpectu illius actus, quem per ſe primo, non autèm, quem ſecundario reſpicit, & ſic potentia materiæ quæ eſt receptiua huius quantitatis, quod non alterius eſt ſubſtantia, & eſt idem re cùm materia, quoniam primò & per ſe reſpicit hanc, vel illam formam ſubſtantialem, at quoniam nequit talem formam recipere, niſi fuerit receptiua talis quantitatis, idcircò reſpicit ſecundariò hanc, vel illam quantitatem, quàm cùm ſecundariò reſpiciat, non opportet talem potentiam eſſe in illo genere, in quo eſt actus ſuus. Vndè ſi Caietanus, ait Iauellus conſideraſſet in 1. p. quæſt. 29. art. 1. hanc diſtinctionem de actu primo, & ſecundo à potentia reſpectu nunquam retractaſſet illum modum dicendi ab ipſo poſitum, & explicatum in quæſt. 5. cap. 2. de ente, & eſſentia. Et ſic cum non ſit conuincens ratio Caietani, ſuſtinendus eſt ille ſuus modus dicendi. Idem Reſp. Bannez in 1. p. quæſt. 3. dicens quod probabilior ſibi videtur, vtporè magis ad aures D. Thomæ. Magiſter Raphael Ripa in quæſt 4. ſuper caput 2. de ente, & eſſentia à pag. 272. vſque ad pag. 278. tuetur retractationem Caietani, & fatetur hoc ſingulare, quod ſcilicèt ſi huic poſitioni non obſtaret ratio conuincens Caietani ſuprà, vſque non diſſentiret ab ipſa, nec ab eadem ipſemet Caietanus, vt de ſe fatetur non diſſentiret. At alij qui defendunt rationem Caietani ſuprà vt conuincentem, impugnant Iauellum, & optimè dicunt, quòd benè Caietanus retinuerit in mente illam diſtinctionem de actu primo, & ſecundo quam ipſe tradidit in 1. p. quæſt. 77. art. 1. & tradit Capreolus in 1. ſent. diſt. 3. quæſt. 3. art. 2. ad Argumentum Scoti contrà primam rationem D. Thom. in quæſt. 77. cit. Indubitatum quippè eſt, quod potentia eſt in genere illius actus quem per ſe primò reſpicit; ſed quantitas eſt actus, quem per ſe primo reſpicit materia ſic ca-

pax

Digitized by Google

pax : ergò potentia eſt in genere illius actus : hoc autèm non eſt debilitare ſed corroborare rationem Caietani, ex qua Caietanus cum alijs conuincuntur retractare illum ſuum modum dicendi, quia aliud eſt loqui de materia vt ſic, & aliud eſt loqui de ipſa, vt ſignata eſt. Primo modo reſpicit primo formam ſubſtantialem; ſecundo modo materia ſignata reſpicit per ſe primo quantitatem, quia implicat quod dicatur ſignata quantitate, & quod non hanc reſpiciat per ſe primo, quia ſi ſignata reſpiceret formam, tùnc non eſſet principium indiuiduationis, ſed deberet eſſe materia cum forma. Hoc motiuum tangit etiàm Iauellus 1. de Gen. art. 8. Itaque oculatiſſimum Caietani ingenium videns quod ſi materia ſignata debet ità hanc quantitatem quod non aliam vt actum ſuum primum reſpicere, & recipere, ideò dicit quod ponenda eſt in ipſa potentialitas de genere ipſius quantitatis, quia cuilibet actuali ſuum reſpondet actuale, & per conſequens accidens quoddam potentiale, ab ipſa realitèr diſtinctum. In ordine autèm ad formam nullum huiuſcemodi potentiale, eſt ponendum in materia : quoniam ipſa eſt eſſentialitèr potentia ad formam ipſam ſubſtantialem eſſentialitèr, & nullo egens ſuperaddito, quia ſic de ſui natura ordinatur. Sic defendit Marcus Ferro in 1. p. quæſt. 29. & formalizat, & explicat rationem Caietani contrà Ferr. Soncin. 7. Met. quæſt. 34. Nazarium, & alios Thomiſtas, qui dicunt quod materia ſignata, & affecta formali quantitate ſit principium indiuiduationis. Ità etiàm defendit Blaſius à conceptione cum ſuis Salmant. In Tract. de principio indiuid. dub. 3. §. 2. citando plures Thomiſtas, &c. Et aduerte, ò Thomiſta, quod nunquam poteris penetrare hoc principium indiuiduationis, niſi attendas ea quæ dicit Caietanus de indiuiduatione ſubſtantiarum immaterialium, quia non habent materiam ex qua poſſint multiplicari numero, &c.

II.

LECTIO IV. METAPHYSICALIS

In Tractatu

DE PRINCIPIO INTRINSECO INDIVIDVI VT SIC METAPHYSICI.

Vtrùm ſit veriùs de Mente D. Thomæ, quod per materiam ſignatam intelligatur materia ipſa, vt fundamentum, radix, & cauſa huius quantitatis, quod non alterius.

Ex Caietano p.p. quæſt. 29. art. p. & quæſt. 76. art. 2. ad 3. Et alibi pluribus in locis.

Declaratio Tituli eiuſq; ſenſus facta à Caietano.

CAIETANVS abiurato ſuo primò dicendi modo in 1. p. quæſt. 29. art. 1. de quo in præcedenti Lectione tertia, quem multi ex Thomiſtis ſuſtinuerunt; nunc in præſenti Lectione quarta explicat, & defendit vt magis legitimum de mente D. Thomæ, ſcilicèt quod nomine Materiæ ſignatæ, accipitur Materia diſtincta numero, vt priùs natura fundamentum, radix, & cauſa huius, quod non alterius quantitatis. Et recole ſemper, ait Caietanus in 1. p. quæſt. 76. art. 2. in Reſponſione ad primùm, tertium genus ſingularium poſitum ibi à D. Thom. Singularium enim quædam ſunt tota natura ſpecifica, & iſta non multiplicantur numeralitèr, ſed ſunt velut vniuerſalia in eſſendo, quæ manifeſtum eſt, non efficere intellectioni, & hæc ſunt intelligentiæ; Quædam ſunt participantia naturam ſpecificam, & multiplicantur numeralitèr, ſed hæc ſunt duplicis ordinis, quia quædam ſunt materialia, & iſta impediunt intellectionem ratione conditionum materialium, quoniam per ſeparationem à materia fit intellectio, & de his ſingularibus quæritur principium pro vt ſuprà, eorum induidnationis, an nomine materiæ ſignatæ, &c. quædam verò ſunt immaterialia, & iſta non impediunt intellectionem, quia non ratione ſingularitatis, nec ratione materialitatis; qua carent, nec ratione participationis naturæ ſpecificæ: ſed quia vtrumque, ſcilicèt participatum, & participans eſt immaterialis ordinis, & talia ſunt intellectus noſtri. Et in hoc puncto recole, & fige mentem quod diuiſio numeralis poſſit fieri, & eſſe abſque materia, & diximus ſuprà quod hoc oſtendit multiplicatio luminis gloriæ in Beatis: nec hoc contradicit præſenti doctrinæ D. Thomæ de materia ſignata, quia S. Doctor, vt patet exercitatis in Doctrina ſua, impoſſibilem ponit multiplicationem abſque materia, ideſt abſque receptiuo. Ità Caietanus pro vltima declaratione Tituli loc. cit.

Quò

Digitized by Google

Notabile primũ Caietani in quo explicatur quid ſit materia præhabens naturam quantitatis.

Quò ad primùm. Caietanus in 1. p. quæſt. 29 art. 1. explicans prædictum dicendi modum pro vt in Titulo notat, quod diſtinctio numeralis, qua Socrates diſtinguitur à Platone, inquantùm ſunt iſti homines non eſt diſtinctio quantitatiua, ſed fundamentum quantitatiuæ diſtinctionis. Et ſimilitèr principium diſtinctiuum huius hominis ab iſto vt ſic eſt radix, & fundamentum quantitatis, & per conſequens diſtinctionis ſequentis ipſam. Hoc autèm eſt materia, quæ eſt altera pars compoſiti primò terminantis generationem ſubſtantialem in rerum natura in primo inſtanti naturæ ante adhæſionem accidentium: opportet enim pro tunc eſſe ſingulare diſtinctum ab vniuerſali, & per ſe ens, & vnum quod abſque conſtitutiuo in eſſe, hoc, intelligi non poteſt: Per idem autèm vnumquodque eſt hoc, & à cæteris diſtinguuntur. Nec prop ereà nego illam maximam ex ſenſu Ariſt. & D. Thom. habitam, ſcilicet quod diſtinctio numeralis, materialitè primo conuenit quantitati, & conſequentèr per aliam cæteris ſecundum doctrinam lib. poſt. quoniam participare naturam eius, cui primo conuenit aliquid, pluribus modis contingit: nec opportet illam formalitèr ſaluari in omnibus ipſam participantibus vt in 1. poſt. oſtendimus. Materia autèm, quæ radix, fundamen umque eſt quantitatis non eſt etiàm in illo priori extrà participantia quantitatis naturam, imo vt meliùs loquamur eſt quaſi præhabens quantitatis naturam. Et quoniam eſt magis præhabere, quàm participare; ſi participantia naturam aliquam quoquo modo poſſunt in effectum illius, quantò magis præhabentia naturam illam hoc poterunt? Opportet enim omnem effectum primo alicui conuenientem, ab illo in ſe, vel in ſuis participantibus, aut à præhabentibus fieri, vt inductiuè patet etiàm in effectibus formalibus, in vegetatiuo, ſenſitiuo, & ſimilibus; quamuis diſtinctio, de qua loquimur non ſit effectus formalis quantitatis, nec materia huiuſmodi ſic contineat quantitatem, ſed hæc dicuntur vt legentes intelligant. Reliqua autèm huius materiæ tractata ſunt in quæſt. 5. cap. 2. de ente, & eſſentia. Ità Caietanus loc. cit.

Notabile ſecundum Caiet. in quo oſtenditur quod Socrates eſt vnus, id eſt eſt Socrates ſubſtãtia formalitèr, & non quantitate.

Notat ſecundò Caietanus in 1. p. quæſt. 77. art. 2. in Reſp. ad ſecundum confirmans prædicta, quod S. Thomas, quando, ait, quod corpus non eſt cauſa vnitatis, & multitudinis animarum, ſed occaſio, & materia in qua, loquitur de vnitate, & multitudine numerali, à vera enim cauſa rem dependere opportet. Et ſic dicit S. Doctor idem eſſe iudicium de eſſe rei, & de illius vnitate, & multiplicatione. Et fundamentum huius eſt in 4. Met. quod ens & vnum dicunt eamdem naturam. Nec refert vtrùm illud ens ſit res ſpecifica, aut numeralis quemadmodum enim idem eſt Homo, & Ens homo, & vnus homo, &c. Ità idem eſt Socrates, & ens Socrates, & vnus Socrates, & diuerſus Socrates. Et in propoſito, de quo ibi loquitur D. Thom. idem eſt hæc Anima, hæc vna Anima, hæc diuerſa Anima; nec ab alia cauſa dependet hæc Anima, & ab alia vnitas eius, & ab alia diuerſitas eius: Omnia enim hæc dicunt eamdem naturam, quia ab eadem ſunt cauſa, & proptereà ibi in art. cit. D. Thom. optimè infert, quod quia ens quod eſt Anima non pendet à corpore, quod nec vnitas eius, nec multiplicatio pendet à Corpore. Et tu inferas, quod quia Socrates non eſt Socrates quantitate, ſed ſubſtantia formalitèr: ergò nec vnus numero, nec diuerſus numero quantitate formalitèr: alioquin ruit Doctrina hæc, aut voluntario priuilegio ſingularis diceretur. Ità Caietanus loc. cit.

Notabile tertiũ Caietani, in quo eſtimatur quod

Notat tertiò Caietanus ad ſoluenda argumenta contrariorum contrà hunc dicendi modum, in quæſt. 5. cap. 2. de ente, & eſſentia. Nunquàm concedas, quod ex materia, & quantitate fiat vnum principium indiuiduationis, ſed tantùm concedas;

cedas;

Digitized by Google

materia in ratione principij non eſt prior nec poſterior quantitate, & à conuerſo.

cedas, quod materia præhabens quantitatem vt explicauimus, eſt indiuiduationis principium; & ſic materia non eſt vel prior, vel poſterior quantitate; ſimiliter quantitas non præcedit, vel ſubſequitur materiam; eſto enim nullum ſit inſtans temporis, in quo hæc materia ſit abſque quantitateſhac, vel hæc quantitas ſinè hac materia; nunquàm tamen erit inſtans naturæ, nec vlla prioritas aſſignabitur, in qua materia ſit prior hac quantitate in ſe, vel vt in radice, & fundamento contenta; & quamuis abſolutè loquendo in aliqua prioritate videatur eſſe materia antè quantitatem, nunquàm tamen materia erit prior quantitate in ratione principij indiuiduationis; vndè ſi rationes deſumptæ ex his prioritatibus te infeſtant (quæ certè in hoc negotio nullius ſunt momenti, quoniam nullum ſignum datur in quo materia non habeat vt radix quantitatem) dicas ſubtiliter, quod cum ex 2. Phyſ. Cauſæ ſint ſibi inuicem cauſæ, quantitas præcedit materiam quaſi vt cauſa formalis, eſt enim veluti actus ipſius materiæ: Materia verò præcedit quantitatem, quaſi in genere cauſæ efficientis, nàm erit ratio cur hæc quantitas reſultabit in compoſito; hæc autèm genera cauſarum accipias ex quadam proportione, non enim materia verè efficit quantitatem, neq; quantitas eſt verè forma materiæ, ſed veluti ſubiectum continens in radice paſſiones ſuas, & ratione huius ad illas comparatur vt cauſa efficiens, quamuis propria actio non ibi intercedat; & ſic idem eſt prius, & poſterius in vario genere cauſæ.Ità Caiet. in loc. cit. excepto quod in q. 5. cit. vocat ibi materiam cauſam materialem, hoc eſt, receptiuam quantitatis, quod quidem non dicit in p. p. q. 29. cit. quia in hac ſecundo modo non conſiderat amplius materiam quatenus huius quantitatis receptiuam, ſed conſideratur ab ipſo vt cauſa, & radix, ac ſubindè non veluti cauſa materialis, ſed quatenus cauſa efficiens, vel ſe habens ad modum cauſæ efficientis &c.

Notab 4 Caiet. in quo declaratur præhabentia diſpoſitiua, & præhabentia cauſalis vel effectiua, & præhabentia cauſalis materialis.

Notat vltimò ibidem Caiet. q. 29. & alibi, quod præhabere contingit dupliciter, vel præhabentia diſpoſitiua, eo modo, quo præuiæ diſpoſitiones in generatione præhabent formam ſubſtantialem originaliter generandam ſcilicet radicaliter, & fundamentaliter: quia ſunt origo, fons, radix, ac fundamentum formæ ſubſtantialis generandæ, & illum præhabent præhabentia diſpoſitiua. Alia autèm eſt præhabentia cauſalis, vel effectiua eo modo quo Cæli præhabent in ſe virtualiter effectus ſublunares; vel præhabentia formali eo modo quo Anima rationalis præhabet in ſe naturam Animæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ; vel præhabentia cauſali materiali eo modo quo, vt diximus, materia præhabet in ſe naturam quantitatis, & effectum illius, qui eſt indiuiſio in ſe, & diuiſio ab omni alio. Et iàm diximus, quod magis eſt præhabere, quàm participare, quia magis eſt cauſare, quàm cauſari, & id quod præhabet aliquid in ſua virtute eſt cauſa illius, id verò quod participat aliquid eſt effectus cauſæ, vel rationis formalis quam participat, & ideò magis eſt præhabere, quàm participare. Et ſic diximus, & iterum replicamus, quod ſi à nobis conſpicitur quod participantia aliquam naturam poſſunt in effectus illius, multò magis præhabentia aliquam materiam poterunt in effectus illius naturæ. Ità Cietanus.

Opinio propria Caiet. in modo dicendi de materia ſignata à ſe approbato, & explicato.

Quo ad ſecundum Caietanus in p. p. q. 29. a. 1. ſic explicat ſuum dicendi modum. Quando dico materiam ſignatam, ſeù ſub certis dimenſionibus eſſe materiam particularem diſtinctam ab omni alia particulari materia, non intelligo ipſam vt ſubiectum quantitatis, nec cum potentia ad entitatem, ſed prius vt radix, & cauſa materialis potentiæ ad talem quantitatem, & non ad aliam, ita vt materia prius in ſe ſit diſtincta numero ab omni alia particulari materia, quam ſit quanta, vel actu, vel potentialiter. Et ſic non nego illam maximam ex Ariſt. & D. Th.

deſumptam, ſcilicet quod diſtinctio numeralis materialis primo conueniat quantitati, & conſequenter per illam cæteris. Secundum doctrinam p. poſt. Et ſic, & non aliter ſentio eſſe materiam ſignatam principium formale intrinſecum, & radicale indiuiduationis in ſubſtantia materiali, & hoc de mente D. Th. in ſuæ doctrinæ locis. Ità Caietanus.

Concl. unica Caiet. explicans, & probans ſuum dicendi modũ de materia ſignata pro ut eſt principium indiuiduationis in ſubſtantia materiali.

Quoad tertium Caiet. in p. p. q. 29. a. 1. retractato illo primo modo dicendi, de quo in q. 5. cap. 2. de Ente, & Eſſentia, & in præcedenti ſectione ponit hunc alium dicendi modum pro ſua Concluſione ſic. Nomine materiæ ſignatæ pro vt eſt principium indiuiduationis in ſubſtantia materiali, accipio materiam diſtinctam numero vt prius natura fundamentum, radix & cauſa huius, quod non alterius quantitatis.

Probatur ſub tali forma à Caietano. Indiuiduum quod eſt effectus indiuiduatus opportet quod ſit proportionatum ſuæ cauſæ indiuiduanti, quia omnis effectus proportionatur ſuæ cauſæ: ſed iſta cauſa proportionata illi effectui, quæ ſit indiuiduans non eſt materia quanta, ideſt non eſt quantitas, nec diſtinctio quantitatiua, ſed eſt materia radix, & fundamentum quantitatis: ergo vera Concluſio. Minor probatur. In illo priori naturæ ante adhæſionem accidentium in quo materia ſimul cum forma ſubſtantiali componit compoſitum materiale pro vt eſt primus, & per ſe terminus vt quod illius neceſſe eſt quod intelligatur vna numero ſubſtantia completa diſtincta à ſubſtantia vniuerſali, & à ſubſtantijs particularibus: ergo neceſſe eſt quod intelligatur cum ſuo proprio proportionato, ac particulari ſubſtantiali conſtitutiuo, ac diſtinctiuo; ergo opportet quod in illo priori ſigno naturæ conſtitutiuum ſit materia ſignata, vt præhabens quantitatem, ſcilicet vt radix, & fundamentum quantitatis. Prima conſequentia patet ex dictis, quia in antecedenti eſt ſermo de illo priori ſigno antè adhæſionem accidentium. Et ſic remanet clara ſecunda conſequentia: quod non poſſit eſſe materia quanta vel actu, vel potentialiter, nec forma, cum hæc etiàm recipiatur in materia, & ſit hæc per illam ergo neceſſario à ſufficienti diuiſione, opportet quod ſit ipſa materia vt radix &c. quia, vt diximus, in illo priori non eſt extrà participantia quantitatis naturam, & vt meliùs loquamur, eſt quaſi præhabens præhabentia cauſali, & materiali quantitatis naturam.

Caiet. explicat per quid fiat hæc materia particularis in illo priori naturæ diſtincta à qualibet particulari ſubſtantia.

Sed quis dicet. Per quid quæſo materia particularis ſit hæc, ità vt in illo priori naturæ non ſit amplius ſubſtantia ſecunda, ac vniuerſalis? Reſpondet quod extrinſecè ab agente partiali per particulares diſpoſitiones impellitur ad recipiendam hanc formam, & ſimul cum illa ad componendum hoc compoſitum, à qua ſolum hæc, & non alia accidentia fluunt, & in illo recipiuntur; & ipſum particulare agens impellit hanc materiam ad eſſe rationem materialem omnis incommunicabilitatis in tali indiuiduo repertæ hoc modo, quia in inſtanti generationis per diſpoſitiones præuias agens impellit, ac neceſſitat hanc materiam ad expoliandum ſe hac forma ſubſtantiali, & omnibus accidentibus, non ità vt per aliquod inſtans temporis nuda remaneat; ſed ità vt in eodem inſtanti quo expoliatur præcedenti forma, & accidentibus aliam formam, & alia accidentia induat; Non poſſumus clariori modo explicare materiam quaſi præhabentem præhabentia cauſali, & materiali quantitatis naturam, & ſic eſſe formale principium intrinſecum, indiuidui huius puta Socratis, per quod diſtinguatur numeraliter à Platone. Ità Caiet.

Arg. 1. Caiet. ex Capreolo contrà ſuam Concluſionem.

Quo ad quartum Caietanus arguit contrà ſuum hunc dicendi modum ex Capreolo ſic. Quod competit alicui per ſe primò non poteſt competere niſi illi, vel habenti eius naturam ex p. poſt. tex. 14. ſed per ſe primus effectus quantitatis eſt indi-

diuiſio in ſe, & diuiſio à quolibet alio ex p. Phyſ. tex. 15. ergo indiuiſio in ſe. & diuiſio à quolibet alio non poteſt competere niſi quantitati, vel participanti naturam eius; ſed materia neque eſt quantitas, neque quanta: ergo materia non eſt principium indiuiduationis in ſe, & diuiſionis ab omni alio.

Reſp. Caiet. ad Arg. Capreoli.

Reſp. Caietanus, quod maxima illa non præciſè competit habenti eius naturam formaliter vniuocè, ſed etiàm competit habenti naturam eius vel formaliter vniuocè, vel analogicè, vel virtualiter cauſalitèr cauſatione, aut effectiua, aut formali, aut materiali. In noſtro propoſito materia habet, ac participat naturam quantitatis participatione cauſali materiali, præhabendo illam cauſaliter materialiter, & ſic hoc modo poteſt in per ſe primum effectũ illius antè ipſam quantitatem actualem conſtituendo compoſitum materiale ſingulare indiuiſum in ſe, & diuiſum ab omni alio per illam præhabentiam cauſalem materialem nedum quantitatis, ſed etiam per ſe primi eius effectus.

Inſtantia contra Reſp. cum ſua Caietani Reſp.

Inſtatur contra Reſp. Sicuti materia abſolutè accepta eſt communicabilis omni formæ, ità materia hæc communicatur huic formæ; quomodo ergo poteſt eſſe prima ratio incommunicabilitatis ſubſtantialis?

Reſp. Caietanus, quod inſtantia abutitur vocabulis, quia materia recipit formam, & hæc materia recipit hanc formam: recipere autèm in ſe, eſt accipere alterius communicationem; non ergo materia hæc ſe actiuè communicat, ſicut agens ſe communicat paſſo non immediatè, ſed mediante forma, quam producit in illo: Subijcitur ergo materia, quæ eſt potentia, communicationi alterius, ſcilicet actus, ſeù formæ, quæ ſe communicat, & materia recipit. Ità Caiet.

Arguit 2. Caiet. ex Ferrarienſi contra vt ſuprà.

Arguitur ſecundò à Caiet. auctoritate D. Th. Sanctus Doctor lect. 2. 4. Met. probat ibi quod eſt idem iudicium de vnitate, & entitate rei, cum Sortes ſit ens entitate ſua, & ſic vnus quoque numero entitate ſua: ergo vnitas numeralis eſt eadem cum ſua entitate; & ſic vnitas numeralis, & tranſcendens erunt idem: quoniam vnitas tranſcendens nil aliud eſt quàm eſſentia rei cum indiuiſione.

Reſp. Caiet. ad Arg. Ferrarienſis.

Reſp. Caiet. dixi quod ſi Sortes eſt ens entitate ſua, erit quoque vnus numero vnitate ſubſtantiali entitate eadem formaliter, non autèm entitate quantitatiua niſi fundamentaliter. Hoc eſt, vnitas illa ſubſtantialis qua eſt vnum ſubſtantialiter, & formaliter eſt fundamentum quantitatiuæ diſtinctionis. Et propterea addidi in ratione ly formaliter, quoniam ſic ſentio, & non alitèr. Scio vtique vt benè dicebat Auuerroes Comm. 37. in 12. Met. quod famoſior ſignificatio vnius eſt de continuo, ſed non eſt vniuerſalis, aliàs nihil eſſet vnum niſi quod continuum, niſi quod quantum eſt. Et ſic ſubſtantiæ abſtractæ, & ipſe Deus non eſſet vnus, & illæ non gauderent vnitate. Ità Caiet. in loc. cit.

Appendices ad Lectionem 4. Metaphyſicalem in Tractatu de Principio Intrinſeco indiuidui vt ſic Metaphyſici.

Modum dicendi Caiet. ſupra de materia ſignata defendunt duo ſuæ doctrinæ Fideliſſimi Sectatores, & Amiciſſimi, ſcilicet Magiſter Ripa pag. 290. q. 4. ſua, ſuper caput ſecundum de Ente, & Eſſentia ad aures D. Thomæ; ſicuti, & etiam pari facundia Marcus Ferro ambo Doctores Veneti in q. 29. p. p. 2. p. pag. mihi 164. vbi etiam contrà aliquos Thomiſtas probat non benè

Digitized by Google

aſſerere iuxtà D. Th. quantitate non eſſe principium conſtitutiuum, ſed ſolummodò diſtinctiuum. Caietanum etiàm defendunt Gonzalez, Salmaticenſes, & plures alij moderni Thomiſtæ. Et Blaſius à Conceptione in ſua Metaphyſica diſp. 3. de principio indiuiduationis q. 4. citat Suarezium dicentem in Tomo p. ſuæ Met. diſput. 5 ſect. 3. num. 22. quod materia prima eſt radix indiuiduationis per aliquem modum ſubſtantialem ipſi ſuperadditum.

Ferrrarienſis autem in 2. c. g. c. 21. & Soncinas 7. Met. q. 33. & 34. mouentùr ex eo quod docet D. Th. in p. p. q. 29. a. 4. in corpore quod indiuiduum eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio, & ex Ariſt. 5. Met. tex. 11. quod vniuerſaliter quæcumq; non habent indiuiſionem in quantùm non habent diuiſionem ſunt vnum: Mouentur, inquiam, ad aſſerendum materiam eſſe quidem principium indiuiduationis in quantùm recipit formam, & ſimul cum illa conſtituit compoſitum. Cæterùm compoſitum materiale eſſe indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio propter quantitatem, quam habet in ſe continuam, ac indiuiſam, & diuiſam à qualibet alia. Magiſter Ripa art. 7. quæſt. 4. in fine pag. 304. concordat Ferrarienſem cum Caietano, & ait. Ferrarienſis putauit voluiſſe Caietanum vt Sortes haberet vnitatem quantitatiuam formaliter per ſuam ſubſtantiam, quod non eſt verum, quia Caietanus vult quod habeat ſolum fundamentaliter; nàm per ſuam ſubſtantiam, vnitatem obtinet ſuam ſubſtantialem formaliter, quæ vnitas in ſubſtantijs materialibus, vt dicit Caietanus, eſt fundamentum vnitatis de genere quantitatis. Ferrarienſis autèm cum ſubdat loc. cit. ſe loqui de vnitate quantitatiua, in hoc non eſt diſputatio cum Caietano, quia & nos etiàm concedimus, ait Caietanus, per quantitatem Sortem eſſe vnum de Genere quantitatis formaliter, hæc tamèn vnitas pendet à ſubſtantiali tanquàm à radice. Vide, & legas loca D. Th. p. p. cit. in principio Tituli cum formalitatibus, & Append. Ven. Porrectæ, & Comm. Caietani.

LE-

LECTIO V. METAPHYSICALIS

In Tractatu

DE PRINCIPIO INDIVIDVATIONIS ACCIDENTIS VT SIC METAPHYSICI.

Vtrùm omne Accidens habeat aliquod ſubiectum proprium.

Ex Caiet. cap. 7. de Ente, & Eſſentia q. 17.

ANntequàm explicemus, ait Caiet. principium intrinſecum indiuiduationis accidentium, an ſit ſubiectum; vel ordo ad ſubiectum, primò debemus explicare modum quo hæc accidentia reſpiciunt ſubiectum: àn ſcilicet omne accidens habeat aliquod ſubiectum proprium, vel potiùs aliqua inueniantur, quæ omne ſubiectum indifferentèr reſpiciant. Et ex S. Doctore in q. de virtutibus q. 1. a. 3. Titulus intelligi poteſt in quadruplici ſenſu, quia ſubiectum habet triplicem habitudinem ad proprium accidens, ſcilicet ſuſtentantis ad ſuſtentatum, potentiæ ad actum, & principij ad principiatum; ſicut calor ignis non habet eſſe niſi ſuſtenteiur in igne, & eſt forma accidentalis eius, & oritur ex ipſo; ſecundum quod participat iſtas conditiones poteſt dici accidentis ſubiectum, & ſecundum quod ab iſtis habitudinibus recedit poteſt negari accidentis ſubiectum; vndè propter defectum primæ habitudinis, quæ principalior eſt dicitur in p. poſt. quod nullum accidens ſubiectiuè eſt in alio accidente, quia videlicet nullum accidens poteſt ſuſtentare aliud, ſed ſola ſubſtantia, quæ eſt ens per ſe, alijs præbet fulcimentum eſſendi; quia autem vnum accidens aliquod poteſt comparari ad aliud vt potentia ad actum, & quandoque vt proximum principium ad principiatum, ideò conceditur etiàm vnum accidens eſſe ſubiectum alterius, quemadmodum ſuperficies dicitur ſubiectum coloris, quia eſt in potentia reſpectu coloris; & dulcedo eſſe in calido, & humido, quia cauſatur ex calido, & humido. Ex D. Th. igitur poteſt quæri in quadruplici ſenſu. Primò an omne accidens habeat proprium ſubiectum vt ſuſtentatiuum; Secundò an habeat proprium ſubiectum vt potentiam; Tertiò an habeat proprium ſubiectum vt principium; Quartò an habeat proprium ſubiectum vt ſuſtentatiuum potentiæ, & principium ſimul. Ità Caiet. c. 7. q. 17. cit.

Declaratio Tituli einſq; ſenſus data à Caie. ex D. Thoma,

Quo ad primum notat Caiet. in c. 7. cit. quod loquendo de accidentibus, vt loquitur D. Th. ibi, non iudicando actualitates accidentium ſeorſim ab aptitudinibus, diceremquod omne accidens ſecundum ſuam radicalem aptitudinem habet aliquod ſubiectum proprium in ratione ſuſtentantis, potentiæ, & principij, licet non ſecundum ſuam actualitatem; eo quod aptitudo ad tale Accidens non eſt, niſi

Vnicum Notab. Caiet. in quo explicatur quod reſpicientia ſubiecti in accidente aliter.

à tali

Digitized by Google

conſideratur ſecundum ſuam actualitatem, & aliter ſecundum ſuam aptitudinem.

à tali gradu ſubſtantiali fluat mediatè, vel immediatè, v. g. Lumen ſecundum ſuam actualitatem, & ſubſtantiam licet ſit ab extrinſeco, & ſit accidens ſeparabile; ſecundum tamen ſuam inchoationem, ſeu radicalem aptitudinem, puta Diaphaneitatem, eſt inſeparabile, & fluit à certo gradu communi ſuperioribus, & inferioribus. Et ſimiliter ſedere licet ſit accidens, per accidens tamen ſecundum ſuam aptitudinem eſt proprium, & non natum conuenire niſi certo enti puta Animali tali &c. fluit enim aptitudo ad ſedendum ex ſuis principijs. Similiter, & videre, licet ſit accidens ſeparabile, radicalis tamen aptitudo ad videndum, ſeparari à tali Animali non poteſt. Ità Caiet.

Opinio S. Th. explicata à Caiet. circa accidentia inexpicere, ſeu habere, & non habere proprium ſubiectū

Quo ad ſecundum Caietanus in c. 7. de ente, & eſſentia q. 17. ſuſtinet cum D. Thoma ibi, quod ſi loquamur de accidente quo ad ſuam completam actualitatem, non omne accidens habet proprium ſubiectum in ratione ſuſtentantis. Hanc docet Philoſophus in prædicamento ſubſtantiæ circà vltimam eiuſdem proprietatem, quod vna atq; eadem manens ſubſtantia abſque ſui mutatione eſt contrariorum ſuſceptiua, vndè hoc & illo accidente abeunte, manet ſubiectum, quod ſuſtinebat illa, ſimulque vno, & eodem tempore in varijs ſubiectis varia inſunt accidentia. Suſtinet ſecundò cum Philoſopho, quod omne accidens quouis modo acceptum habet ſubiectum proprium in ratione propriæ potentiæ ex 3. Phyſ. tex. 10. habetur, quod quia idem non eſt valere, & ægrotare, ideò alia eſt potentia ad ſanitatem, & alia ad infirmitatem. Et 12. Met. à tex. 19. vſque ad 29. probatur principia prædicamentorum eſſe eadem proportionaliter. Et in 1. de Anima tex. 53. didicimus contrà Pythagoricos non quamlibet formam, cuiuis materiæ accommodari, quia ad vnumquemq; actum recipiendum diximus, quod requiritur propria potentia, & eiuſdem generis. Suſtinet tertiò quod non omne accidens habet ſubiectum proprium in ratione proprij principij, ſeu cauſæ. Suſtinet quartò quod omne accidens quo ad inchoationem, vel aptitudinem habet proprium ſubiectum, non ſolùm in ratione potentiæ, ſed & in ratione ſuſtentantis, ac principij, vt Ferr. elicit ex D. Th. in 3. c. g. c. 7. Et tandèm quintò ſuſtinet quod omne accidens habet aliquod ſubiectum modis ſibi omnibus proprium, ſed illud ſubiectum non erit niſi vnum proportione analoga, vt habet Alenſis in 7. Met. tex. 17. Ità Caiet. loc. cit.

1. Concl. à Caiet. ponitur cum ſua probatione quod nō omne accidens habet proprium ſubiectum vt ſuſtentatiuum.

Quo ad 3. Caiet. in c. 7. de Ente, & Eſſentia q. 17. ponit ex D. Th. hanc ſuam primam Concluſionem ſic. Non omne accidens habet proprium ſubiectum, vt ſuſtentatiuum.

Probatur à Caiet. ibi ſub tali forma. Si omne accidens eſt proprium alicui, cum proprium conueniat omni, ſoli, & ſemper, nullum accidens erit ſeparabile ab eo in quo eſt, & etiàm ſequeretur quod corruptio cuiuſcumque accidentis ſemper comes fieret corruptioni ſubſtantiæ: Sed hæc experimur falſa; ergo vera Concluſio. Probatur prima ſequela, quia experimur eſſe multa accidentia, quæ communiter multis inſunt, vt eorum ſeparatio oſtendit: ſeparantur namque à ſubſtantia ſuſtentante, & naturaliter remanent, quod ſi ſoli proprio ſubiecto ineſſent, ineſſent ſemper, vt verificatur de proprijs accidentibus; Eadem quippè ſubſtantia abſq; ſui mutatione contraria ſuſtentat vt dicitur in prædicamentis. Probatur ſecunda ſequela, experimur quod corrupto riſibili corrumpitur homo, quia corrupto proprio neceſſe eſt corrumpi illud cuius eſt proprium, alitèr non conueniret ei ſemper; hoc autèm patet falſum in accidentibus communibus, & actibus ſecundis: ergo vera eſt Minor. Ità Caiet.

2. Concl. ponitur à Caiet. cum ſua

Secunda Concluſio ponitur ibidem à Caietano ſic. Omne accidens quouis modo acceptum habet ſubiectum proprium in ratione propriæ potentiæ. Proba-

tur

tur ſic. Quilibet actus reſpicit propriam potentiam: ſed omne accidens eſt actus: ergo omne accidens habet propriam potentiam cuius eſt actus. Maior patet ex 3. Phyſ. tex. Comm. 10. vbi dicitur quod potentia ad infirmitatem eſt alia à potentia ad ſanitatem, eo quod ſanitas eſt aliud ab infirmitate. Et 12. Met. longo proceſſu probatur, quod principia prædicamentorum ſunt eadem proportionaliter, quia cuilibet actui propria reſpondet potentia. Minor de ſe eſt manifeſta. Ità Caietanus.

probatione quod in ratione potentiæ omne accidens habet proprium ſubiectum.

Tertia Concluſio ponitur ſic ibidem à Caietano. Non omne accidens habet aliquod ſubiectum proprium in ratione principij proprij. Probatur ſic. Habere ſubiectum proprium in ratione principij includit fluxum illius accidentis à tali ſub iecto in genere cauſæ efficientis: ſed non omne accidens fluit à ſuo receptiuo effectiuè ergo &c. Maior patet ex eo quod duo effectus ordinem inter ſe habentes, priùs eſt cauſa effectiua eius, quod neceſſario productionem primi ſequitur, ſiuè illud ſubiectum ſit receptiuum accidentis vt quo, ſiuè vt quod. Minor patet ex hoc quod multa ſunt accidentia reſpectu quorum receptiuum purè paſſiuè ſe habet, vt patet cùm ſpecies rei ſenſibilis recipitur in medio, ſiuè in ſenſu. Ità Caiet.

3. Concl. ponitur à Ciet. cum ſua probatione quod in ratione principij proprii non omne accidens habet proprium ſubiectum.

Quarta Concluſio ponitur ſic à Caietano. Omne accidens quo ad inchoationem, vel aptitudinem habet proprium ſubiectum non modò in ratione potentiæ, ſed & in ratione ſuſtentantis, & principij.

4. Concl. ponitur à Caiet. cum ſua prob. quod ſecundum aptitudinem habet propriũ ſubiectum omne accidens.

Probatur à Caietano ex ſuo Notabili ſuprà. Aptitudo ad tale accidens non adeſt niſi mediatè fluat, vel immediatè à tali gradu ſubſtantiali, & ex conſequenti niſi in tali gradu vel mediatè, vel immediatè ſubiectiuè inſit; ergo neceſſario habebit proprium ſubiectum ſic conſideratum pro vt in Concluſione &c. Antecedens idem declaratum eſt in notabili de Lumine quod ſecundum ſuam actualitatem eſt àb extrinſeco, & ideò ſeparabile; ſecundum tamen ſuam radicalem habitudinem, hoc eſt diaphaneitatem eſt inſeparabile vt fluit à certo gradu ſubſtantiali, qui eſt communis ſuperioribus, & inferioribus, quoniam non aeri, vt aer, non Cælo vt Cælum, non aquæ vt aqua conuenit, ſed pro vt hæc omnia in aliquo communi participant, vt habetur in ſecundo de Anima tex. 68. Et probatur etiàm exemplo ipſius videre &c. Iuxtà quam diſtinctionem de accidente quo ad actum completum, & quo ad radicalem aptitudinem multa poſſunt conciliari de ſeparabilitate, ac inſeparabilitate accidentium, & de ſubiecti proprij determinatione, ac indeterminatione. Ità Caiet.

Quinta Concl. ponitur à Caiet. ſic. Omne accidens habet aliquod ſubiectum ſibi modis omnibus proprium, ſed iſtud ſubiectum erit vnum proportione analoga, & conuenientia.

5. Concl. ponitur à Caiet. cum ſua probatione quod omne accidens habet aliquod ſubiectum ſibi propriũ.

Probatur à Caiet. cum alijs Thomiſtis ſic. Nullum datur accidens, quod cuius ſubiecto ſimpliciter, & abſolutè inſit: ergo aliquod ſibi proprium ſubiectum vendicat, cui ſolum poſſit conuenire puta tali vel tali naturæ ad quam talis, vel talis complexio ſit nata ſequi, quæ puta vel albedinis, vel nigredinis ſit capax. Antecedens patet, quia albedo non ineſt Coruo, nigredo non ineſt niui: ergo &c. Nec valet dicere, quod pluribus diuerſis competit albedo, quia ſemper erit aſſignare vnum ſubiectum, aliqua vnitate ſaltèm analoga, cui accidens conueniat; aliàs non poſſet dari ratio cur huic poſſit ineſſe albedini, illi non &c. Ità Caiet. loc. cit. & alibi.

Quo ad quartum Arguit Caietanus contrà tertiam Concluſionem, & quartam probando impoſſibile eſſe quod omne accidens adſcribat ſibi proprium ſubiectum. Proprium conuenit omni, ſoli, & ſemper; ergo ſi omne accidens adſcribit ſubiectum ſibi proprium, nullum accidens erit ſeparabile ab eo in quo eſt: tùm etiàm, quia corrupto proprio neceſſe eſt corrumpi illud cuius eſt proprium; hoc autèm patet eſſe falſum in accidentibus communibus, vt probat ratio Primæ Concluſionis.

1. Arg. Caiet. contrà 3. Concl.

Reſp.

Reſp. Caiet. ad Arg. 1. Caiet. Reſp. Caietanus in q. 17. cit. quod Argumenti ratio verum concludit, ſed diuerſimodè, quia loquendo de accidentibus ſecundum ſuas eſſentias, & actualitates ratio concludit accipiendo ſubiectum in ratione ſuſtentantis, vt dicit prima Concluſio, & principij; In ratione autèm potentiæ falsò concludit nec probatio contrà hunc applicata ſenſum valet; & quando dicitur quod proprium conuenit ſoli, omni, & ſemper, intelligitur de ipſo proprio non ſecundum ſuam actualitatem, ſed ſecundum aptitudinem. Et ſimiliter quando dicitur, quod ad corruptionem proprij deſinit ſubiectum, intelligitur, quando corrumpitur ſecundum aptitudinem, non autèm ſecundum actum vniuerſaliter loquendo. Vel dicatur, quod inſeparabilitas, & aliud huiuſmodi non conuenit accidenti, vt reſpicit ſubiectum in ratione propriæ potentiæ, ſed vt ſuſtentatiuum, & principium; loquendo autèm de accidentibus ſecundum ſuas aptitudines patet quomodo rationes in Argumento adductæ peccant. Dico enim quod nullum accidens eſt ſeparabile ſecundum aptitudinem radicalem ſaltèm, ſed cœuum ſubiecto neceſſario, & quod corrupto accidente ſecundum talem aptitudinem poteſt ſubiectum corrumpi. Ità Caiet. in fine Dubij q. 17. c. 7. cit.

Arg. 2. Caiet. Arguit 2. Caiet. Omne accidens cùm ſit definibile, & in definitione cadat ſubiectum, de quo accidens per ſe prædicatur vt patet in 1. poſt. & 2. Met. opportet quod habeat propriũ, & per ſe ſubiectũ. Per ſe nãq; ſupponit de omni, ſẽper, & neceſſario.

Reſp. ad Arg. 2. Caiet. Reſp. Caiet. quod ratio adducta concludit, quod omne accidens habet ſubiectum de quo per ſe prædicatur ſecundum ſe, vel ſecundum aptitudinem ſuam. Cum enim eius ſit actus, cuius eſt potentia, vt dicitur in de ſomno, & vigilia, idem ſubiectum erit, quod cadit in definitione accidentis ſecundum aptitudinem, & ſecundum actum; ſicut homo debet poni non ſolùm in definitione riſibilis, ſed riſus. Stant ergo iſta duo ſimul, quod accidens ſecundũ ſuam actualitatem non habeat proprium ſubiectum, cui vniuerſaliter, ſoli & ſemper inſit, & tamèn habeat proprium ſubiectum, per quod definiri debeat, quia ad hoc ſecundum ſufficit quod ſecundum ſe, vel ſecundum ſuam aptitudinem per ſe de illo ſubiecto prædicetur; Ad primum verò ſufficit accidens ſecundum ſe tantùm non prædicari per ſe de ſubiecto. Ità Caietanus in fine dubij q. 17. cit. ſuper caput 7. de Ente, & Eſſentia.

Appendices ad Lectionem 5. Metaphyſicalem in Tract. de Principio Intrinſeco Indiuidui vt ſic Metaphyſici.

MAg. Raphael Ripa in q. ſita vlt. ad c. 7. de Ente, & Eſſẽtia expl. Caiet. de ſubiecto proprij accidentis. Et ad illud Ariſt. de definitione Accidentiũ in 7. Met. tex. 17. aſſignando duplex genus eorum, & quædã vocat ſimplicia per ly ſimplicia intelligendo accidentia communia; & quædam vocat copulata, ſeù coniuncta intelligendo per ly copulata accidentia propria. Reſp. Ripa ex Ferrar. Ariſt. ibi ſtatuere accidentia propria, & communia in ordine ad ſpeciem ſpecialiſſimam, & ad hoc vel illud ſubiectum ſpeciale; non autèm dantur accidentia ità communia, vt nullum ſibi proprium ſubiectum ſub aliqua ratione communi non reſpiciant: quia aliquod accidens conuenit vni ſpeciei ſpecialiſſimæ vt riſibilitas; aliquod conuenit pluribus vt albedo &c. Et inſuper poteſt dici quod datur accidens proprium, & cõmune quo ad actum vltimatum, non quo ad radicalem aptitudinem, & potentiam; & ſic ſunt quædam accidentia, quæ nullum ſibi determinant ſubiectum ſpeciale hoc, vel illud: benè tamèn concernunt ſubiectum aliquod proprium ſub ratione latioris vt explicatum eſt in 5. Concl. ſuprà.

LE-

Digitized by Google

LECTIO VI. METAPHYSICALIS

In Tractatu

DE INTRINSECO PRINCIPIO INDIVIDVATIONIS INDIVIDVI VT SIC METAPHYSICI.

Ex Caietano in ſuis Commentarijs.

Declaratio Tituli eiuſq; ſenſus data à Caiet.

CAietanus ait pro declaratione Tituli pluribus in locis, quod licet totà Schola Thomiſtica teneat cum Sanctiſſimo Præceptore, verificari abſoluté, quod ſubiectum ſit prima radix indiuiduationis accidentium, eſt tamèn præſens Lectio contrà Durandum, qui tenet oppoſitum. Expreſſa eſt hæc radix indiuiduationis à S. Doctore pluribus in locis, ſed præcipuè in p. p. q. 29. a. p. ait quod accidentia indiuiduantur per ſubiectum: dicitur enim hæc albedo in quantùm eſt in hoc ſubiecto. Et in q. 39. a. 3. ait accidentia autèm ſicut habent eſſe in ſubiecto, ità ex ſubiecto ſuſcipiunt vnitatem, & multitudinem. Et in opuſculo 29. ait, ſed aduertendum eſt, quod accidentia non indiuiduantur per materiam primam, ſed per ſubiectum proprium, quod eſt ens in actu, ſicut formæ ſubſtantiales per materiam primam; quæ eſt earum ſubiectum. Et in q. 9. de Potentia a. 1. ad 8. ait, Accidentia non indiuiduantur niſi ex ſuis ſubiectis. Et quando ſuper Boetium de Trin. q. 4. a. 2. in corp. ait quod accidentium varietas poteſt eſſe cauſa pluralitatis ſecundum numerum ſubiectorum intelligitur ſic, quod ſola quantitas, cum habeat in ſe propriam d uiſionem, ſic poteſt habere duplicem rationem indiuiduationis vnam ex ſubiecto, ſicut, & quodlibet aliud accidens; aliam ex ſe ipſa in quantùm habet ſitum (de quo in ſequenti lectione) ratione cuius in abſtrahendo à materia ſenſibili, imaginamur hanc lineam, & hunc circulum. Et ideò rectè materiæ conuenit indiuiduare omnes alias formas, ex hoc quod ſubditur illi formæ, quæ ex ſe ipſa habet indiuiduationis rationem, ità quod etiàm ipſæ dimenſiones terminatæ, quæ fundantur in ſubiecto iàm completo indiuiduantur quodammodò ex materia indiuiduata per dimenſiones interminatas præintellectas in materia. Ita Caiet. ex D. Th. loc. cit. a. 2. ad 2.

Primum Notabile Caietani, in quo exponitur quod compoſitum eſt primum principium radicale quod indiuiduationis accidentium.

Quò ad primùm. Notat primò Caietanus pro radice indiuiduationis accidentium, quod prima radix eſt duplex vna adæquata, altera inadæquata; ſicuti & etiàm principium radicale in quod refunditur. Indiuiduatio accidentis poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo vt quo, alio modo vt quod. Dicimus ergò quod materia prima vt ſignata tali quantitate eſt ſolùm prima radix inadæquata recipiendi accidentia, ſicuti & etiàm accidens refunditur in ipſam tanquam in principium radicale quo. Radix verò adæquata de qua loquimur in præſenti eſt totum compoſitum quod eſt ſubiectum receptiuum accidentis, ſicuti & etiam in ipſum compoſitum refunditur, tanquam in principium quod: Cùm enim materia nudè accepta prima, ideſt antecedentèr ad formam ſubſtantialem non poſſit eſſe adæ-

quata ratio receptiua formæ accidentalis, alìàs priùs reciperet eſſe ſecundum quid, quàm eſſe ſimpliciter, conſequentèr debet eſſe materia ſecunda, ſeù materia informata forma ſubſtantiali, ac proindè compoſitum, quod conſtituitur ex materia, & forma ſubſtantiali erit adæquata potentia receptiua accidentis, ac proindè prima ac radicalis ratio adæquata, & primum principium radicale quod indiuiduationis accidentis. Ità Caietanus in cap. 7. de ente, & eſſentia, & alibi.

Secundum Notabile Caietani, in quo explicatur differentia vera intèr indiuiduum accidentis, & ſubſtantiæ quo ad indiuiduari.

Notat ſecundò Caiet. ex D. Th. 1. p. q. 29. art. 1. quod ex hoc quod dicitur accidens indiuiduari intrinſecè per intrinſecum ordinem quem dicit ad ſubiectum, non ruit differentia ibi aſſignata à D Th. intèr indiuiduum ſubſtantiæ, & indiuiduũ accidentis, ſcilicèt quòd primum per ſe ipſum intrinſecè indiuiduatur; ſecundum verò per ſubiectum vt additamentum, quia ratio ſubſtantiæ vt ſic, non eſt eſſe in alio, vt in ſubiecto, & ratio accidentis, vt accidens, eſt eſſe in alio vel actu, vel aptitudine, vel mediatè, vel immediatè. Hoc, inquàm, non officit, quia ſicut accidens non poteſt intelligi abſque dependentia à ſubiecto, ità neque hoc accidens intelligi poteſt ſine dependentia ab hoc ſubiecto. Hæc autèm ſubſtantia vt ſic, & in quantùm indiuiduum ſubſtantiæ, nullam includit dependentiam ad aliquid extrinſecum, & ideò per ſe ipſam ſubſtantia indiuiduatur, in quantùm indiuiduum ſubſtantiæ, ideſt vel per ſe ipſam, ſi eſt ſubſtantia omninò ſpiritualis, vel per ſe ipſam, ideſt per propria principia ſubſtantialia, quæ ſunt hæc materia, & hæc forma. Accidens autèm per ſubſtantiam, vel actu, vel aptitudine, vel immediatè, vel mediatè illam reſpiciendo eſſentiali dependentia; eò quia accidens dependet à ſubſtantia in triplici genere cauſæ, efficientis, ſcilicèt materialis, ac finalis, vt habetur ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 77. art. 3. in corp. & ex 5. Met. tex. 16. & 17. habetur quod ſubſtantia eſt prior natura, & tempore, & cognitione ipſo accidente. Ità Caiet. loc. cit.

Opinio D. Tho. explicata à Caiet.

Quò ad ſecundùm Caietanus, vt dicit in principio Lectionis, cum tota Scolà Thomiſtica nullo excepto vbicumque interpretatur Sanctiſſimum Præceptorem vniformi ſenſu ſemper dicit, & ſuſtinet quod principium radicale, ſeù prima radix indiuiduationis accidentium eſt ipſum ſubiectum contrà Durandum, & Scotum.

Concluſio vnica Caietani cum ſua probatione quod ſubiectum ſit prima radix indiuiduationis accidentiũ.

Quò ad tertiùm. Concluſio vnicà ponitur ſic à Caietano. Subiectum eſt prima radix indiuiduationis. Probatur à Caietano ſub tali forma. Diſtinctio indiuidualis, & numerica non poteſt eſſe formalis, ſed ex dictis neceſſariò debet eſſe materialis: ergò in accidenti debet peti ſua radix non à forma, ſed ab eo quòd ipſum materializat: ſed materia eſt ſolum ſubiectum accidentium, ergò prima radix adæquata, & principium radicale quod, debet omninò ſumi à ſubiecto. Probatur quod non à forma debet peti, quia forma ex vi formæ non eſt, vt diximus principium indiuiduationis numeralis, ſed formalis: ergò indiuiduatio accidentis, quod habet rationem formæ tantùm non poteſt ſumi ab eius entitate, ſed ab aliquo alio, quod ſe habeat vt principium materiale reſpiciens, & recipiens illud, quod non poteſt eſſe niſi ipſum ſubiectum, non vt intrinſecum eſſentiæ accidentis quando diffinitur, ſed vt clauſum ibi per additamentum proptèr rationem allatam in 1. p. quæſt. 29. art. 1. à D. Thoma. Et alio modo, & ſenſu loqui non poſſumus, quia alitèr accidens eſſet ens per intrinſecam aggregationem ſubſtantiæ; vndè ſi indiuiduatur intrinſecè, hoc non poteſt eſſe niſi per intrinſecum ordinem quem dicit ad ſubiectum; & iàm in præcedenti Lectione vidimus quibus modis accidentia ſeparabilia, & inſeparabilia, propria, & communia habeant proprium ſubiectum quod cadit in diffinitione accidentis vt propria eius materia

ria receptiua. Ità Caietanus in loc. cit. cum D. Thom. ſic & non alitèr diſcurrit:

Arguit Caiet. quod accidens non indiuiduatur per ordinem ad ſubiectum.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus in 1. p. quæſt. 29. art. 1. probans quod accidens non indiuiduetur per ordinem ad ſubiectum. Si accidens indiuiduatur per ſubiectum tanquàm per primum principium radicale quod, vel Indiuiduatur intrinſecè, vel extrinſecè v. g. cum dicitur hæc albedo in ly hæc, vel clauditur intrinſecè ſubiectum, vel extrinſecè, eo modo quo naſus cadit in ſignificatione ſimitatis, vel ſimi: ſed neutrum poteſt dici, ergò &c. Non extrinſecè tantùm, quia ſic ſequeretur quod accidens indiuiduaretur per ſe ipſum intrinſecè. Non intrinſecè, quia ſequeretur quod hæc albedo non eſſet ens, nec vnum per ſe, & per conſequens in nullo genere.

Reſponſio Caiet. ad Argumentum.

Reſp. Caietanus ex dictis in ſecundo notabili, quod ex obiectione facta non ſequitur, quod hoc accidens non includat ſubiectum per additamentum, dicimus enim, quod ſicut in diffinitione accidentis clauditur ſubiectum non vt eſſe intrinſecum, ſed per additamentum, ità in diffinitione huius accidentis, ſi diffiniretur, clauderetur hoc ſubiectum per additamentum, & non intrinſecè. Et hoc eſt quod dicitur à D. Thom. quod quia hæc ſubſtantia vt ſic nullam includit dependentiam ad aliquid extrinſecum, & ideò per ſe ipſam ſubſtantia indiuiduatur; & ex alia parte, quia accidens vt ſic non poteſt intelligi abſque dependentia à ſubiecto, & hoc accidens abſque dependentia ab hoc ſubiecto, ideò accidens indiuiduatur per ſubſtantiam, ſcilicèt per ſubiectum. Ità Caietanus.

Inſtantia contrà Reſponſionem Caietani.

Inſtat Caietanus contrà Reſponſionem ſic. Relationes, Habitus, Potentiæ, & ſimilia accidentia non dicunt habitudinem ad ſubiectum, ſed ad terminum, vel obiectum. Et accidentia ſupernaturalia non reſpiciunt hoc potiùs ſubiectum, quàm illud: ergò ſaltem accidentia iſta primi generis, & ſecundi non indiuiduantur à ſubiectis.

Reſponſio Caiet. ad inſtantiam.

Reſp. Caietanus ad inſtantiam, quod accidentia primi generis dicunt etiàm ordinem ad ſubiectum quod actuant, quamuis ſimul reſpiciant intrinſecè ſuos terminos, vel obiecta à quibus reſpectibus non poteſt prouenire indiuiduatio, quia eſt in genere cauſæ formalis, & prouenit à priori ſpecificatio. Indiuiduatio enim cauſari debet in genere cauſæ materialis, vt probauimus, in quo genere ſubiectum reſpiciunt illa accidentia. Ad illa de ſupernaturalibus Reſp. quòd etiàm dicunt intrinſecum ordinem, & reſpectum ad proprium ſubiectum ſecundum potentiam obedientialem. Vndè Charitas recepta in Michaele nequit ſecundum curſum communem ſui ordinis ſupernaturalis recipi in Gabriele. Ità Caietanus vbique in ſuis Commentarijs.

Appendices ad Lectionem 6. Metaphyſicalem in Tractatu de Principio intrinſeco indiuiduationis indiuidui, vt ſic Metaphyſici.

QVod non indiuiduentur a ſubiecto accidentia citatur Scotus, Durandus, & Suarez diſp. 5. Met. ſect. 7. à Iunioribus Thomiſtis præcipuè à Minaldo noſtro in ſua nouiſſima Metaphyſica lib. 3. dub. 10. & a Blaſio à Conceptione in ſua Met. diſp. 4. de Principio indiuiduationis.

Et Magiſter Arauius in 8. Met. quæſt. 5. art. 3. citat aliquos qui dicunt accidentia corporalia intrinſecè componi ex materia aliqua, & indiuiduari ex ſe ipſis. Sapientiſſimus Io: à S. Thoma, & Io: Martinez à Prado in ſua Met. p. 2. contr. 3. art. 2. num. 19. defendunt cùm alijs Thomiſtis, quod compoſitum eſt verè ſubiectum inhæſionis accidentium. Idem Soncinas habet lib. 7. Met. quæſt. 3.

Patres ſerè omnes Soc. illi qui tenent quantitatem , & omnia alia accidentia corporalia immediatè recipi in materia prima cum hac conditione tamèn quod ſit componeñs , cùm forma totum ſubſtantiale , conſequentèr tenent quòd ſubiectum ſeù compoſitum non ſit prima radix indiuiduationis accidentium .

Sed Lector Thomiſta , vt poſſit cum ſolido ſundamento aperire veritatem Thomiſticam ſuis Diſcipulis , videre , & legere debet fundamenta omnium Auctorum oppoſitum ſentientium , quia videbit fundare ipſos opinionem propriam in alijs principijs aberrantibus à Doctrina D. Thomæ , & Caietani . Legas etiàm litteram D. Thom. in lociscit. in principio Lectionis .

LECTIO VII.

METAPHYSICALIS

In Tractatu

DE PRINCIPIO INTRINSECO INDIVIDVATIONIS INDIVIDVI, VT SIC METAPHYSICI.

Vtrùm Quantitas ex hoc quod extenditur in ordine ad ſe hoc ſibi peculiare vendicet, vt ex ſe ipſa, vt à prima radice indiuiduetur.

Ex Caietano in 1. p. quaſt. 29. art. 1. & in cap. 7. de ente, & eſſentia quaſt. 16. & quaſt. 17. & in 3. p. & alibi in Comment.

Declaratio Tituli eiusq; ſenſus data à Caiet. cum mentis D. Tho.

IPSE Indiuiſibilis Conceptus Quantitatis (explicat loc. cit. titulum Lectionis Caietanus) poteſt ſub duplici formalitate exprimi , ac conſiderari . Primò poteſt conſiderari ſecundum quod dicit quamdam formam , quæ eſt ſubſtantiæ formalitèr extenſiua ; & in hac conſideratione non quæritur in titulo , quia ſic indiuiduatur cùm alijs à ſubiecto tanquàm à prima radice . Secundò poteſt conſiderari non vt exprimit prædictum conceptum , ſed vt eſt in ordine ad ſe ipſam extenſa per diuerſas ſui partes diuerſimodè ſituatas , non ex prædicamento ſitus ex loco reſultans , ſed ſitu quodam quantitatiuo , quo partes quantitatiuæ v. g. vnius lineæ diuerſam ſituationem , & poſitionem habent tùm intèr ſe , tùm in ordine ad totum quod componunt . Et in hoc ſenſu quæritur , nimirùm , Vtrùm hæc linea habeat ratione diuerſæ ſituationis , & poſitionis partium

tium ſuarum, quod ſit ex ſe principium radicale propriæ indiuiduationis, ità vt eadem ratio formalis, quæ indiuiduat hanc lineam hoc modo conſideratam, ſit radix talis indiuiduationis. Et loca D. Thom. pro hac parte dant motiuum explicandi hanc præſentem Lectionem ſeptimam, præcipuè in 3. p. quæſt. 77. art. 2. vbi ait. Vndè & ipſa quantitas dimenſiua ſecundùm ſe habet quamdam indiuiduationem. Et in quolib. 7. art. 10. ait. Quantitas non ſolùm indiuiduatur ex ſubiecto ſicut alia accidentia, ſed etiàm ex ſitu, qui eſt de ratione ipſius quantitatis dimenſiuæ. Idem habet in opuſc. 70. quæſt. 4. art. 2. ad 3. vt in Lectione præcedenti retulimus eius verba. Hoc idem dicit in 4. c. g. cap. 66. & in 4. ſent. diſt. 12. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. 3. Ità Caietanus.

Primum Notabile Caiet. in quo explicatur indiuiduatio duplex in quantitate ſubiectalis, & ſitualis.

Quò ad primùm. Notat primò Caietanus, quod ſicut ſpeciale prædicamentum dicit ordinem partium in loco, & per hunc ſitum duæ quantitates non diſtinguuntur; ſitus autèm qui eſt differentia quantitatis eſt ratio diſtinguendi vnam quantitatem ab altera non formalitèr, ſed materialitèr, ex quo patet quod ſit duplex indiuiduatio vna ſubiectalis, & altera ſitualis. Et quia Albedo non habet niſi indiuiduationem ſubiectalem, ideò ſeparata à ſubiecto non eſt ampliùs hæc Albedo ſenſibilis, ſed forma intelligibilis, & per ſe hæc & indiuidua ſicut cateræ formæ ſeparatæ. At quantitas nedum eſt indiuidua indiuiduatione ſubiectali, ſed etiàm ſituali, & hanc indiuiduationem ſitualem affert ſecum in ſubiecto, & per hanc indiuiduationem ſitualem duæ quantitates ſe ipſis diſtinguuntur non tamèn primò, ſed ſecundariò, & ratione partium, quæ ſunt cauſæ materiales totius ex 2. Phyſ. tex. 31. Partes autèm diſtinguuntur ſitibus, ſitus autèm eſt ordo partium in toto; iſti autèm ordines formalitèr ſe ipſis diſtinguuntur, fundamentum verò diſtinguitur ratione partium diſtinctarum, quia licèt partes ſint vnum continuatione, & permanentia, non tamèn ſunt vnum per identitatem, ſed ſunt realitèr diſtinctæ, ità vt vna non ſit alia, ſed realitèr extrà aliam, & ab alia realitèr diſtincta, & ſolùm vna per continuationem, non autèm per realem identitatem cum alia. Ità Caietanus in 1. p. quæſt. 29. art. 1.

Secundum Notabile Caietani, in quo explicatur idē quod ſupra.

Notat ſecundò Caietanus pro maiori claritate prædictæ Doctrinæ ex D. Thom. quolib. art. 3. quod ſi Deus ſepararet hanc Albedinem ab hoc ſubiecto, non eſſet ampliùs hæc numero ſenſibilis Albedo, ſed eſſet ipſa natura albedinis per ſe ſubſiſtens inſenſibilis, & forma intelligibilis, ſicut aliæ formæ ſeparatæ. Et ratio eſt, quia in tali caſu abſtraheretur nedùm à ſubiecto quod, vt ſit in Sacramento Altaris, in quo albedo Panis ſeparatur à Pane, ſed etiàm à ſubiecto quo, ideſt à quantitate, cui eſt vnita in Sacramento Altaris, & ſic cum omnem perdat indiuiduationem, omninò per ſe ſubſiſtet, & ſiet ſubſtantia, & per ſe hæc, non ampliùs per ſubiectum, & per conſequens non ampliùs ſenſibilis, ſed prorsùs intelligibilis. At quantitas ſi ſeparetur ab hoc ſubiecto, adhuc poteſt manere eadem quantitas numero, quia id quod indiuiduatur non ſolùm ex ſubiecto, ſed ex ſitu, ſi à ſubiecto ſeparetur, adhuc ex ſitu remanet indiuiduum; & cùm hoc videamus in quantitate, cùm ſitus ſit de ratione quantitatis dimenſiuæ, ſi quantitas ſeparetur à ſubiecto, vt ſit in Sacramento Altaris, adhuc remanebit hæc numero quantitas ſenſibilis, & ad ſenſum demonſtrabilis per hanc numero quantitatem ratione ſitus, per quem ſentitur, ac oſtenditur pro eadem numero quantitate: non enim poſſibile eſt imaginari duas albedines ſeparatas intèr ſe diuiſas ſine ſubiecto quod, vel ſaltem quo, ideſt ſinè quantitate de ratione cuius eſt diuiſibilitas: poſſibile tamèn eſt imaginari duas lineas ſeparatas à ſubiecto ſenſibili eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero diuerſas non propter diuerſitatem ſubiecti, ſine quo illas imaginamur, ſed

pro

propter diuerſitatem ſitus, qui eſt inſeparabilis ab illis. Ità Caiet. loc. cit. & in 2. p. quæſt. 29. art. 1. & in cap. 7. de ente, & eſſentia.

Opinio D. Tho. contrà Scotum, & Durandum expli- cata à Caietano.

Quò ad ſecundùm. Caietanus contrà Scotum, Durandum, & Aureolum apud Capreolum in 2. ſent. diſt. 3. quæſt. 1. art. 2. ait, à nobis ſuſtinendum eſt ſecundum Doctrinam D. Thom. in loc. cit. ſuprà cum antiquioribus Thomiſtis, ſcilicèt Capreolo, Ferr. 4. cont. gent. cap. 65. quod quantitas ſub illa peculiari ratione conſiderata, de qua diximus in declaratione Tituli, & in Notabilibus, hoc peculiare, ad differentiam aliorum accidentium, quæ indiuiduantur ſolum à ſubiecto, ſibi vendicat ex ſe eſſe radicem ſuæ indiuiduationis, quod peculiare relegant à quantitate Aduerſarij citati. Ità Caietanus.

Vnica Concluſio ponitur à Caietano cum ſua probatione, quod quantitas habeat hoc ſingulare quod ſecundū aliquam conſiderationem ex ſe ipſa indiuiduetur.

Quò ad tertiùm. Vnica Concluſio ponitur à Caietano ſic, Quantitas hoc ſibi peculiare vendicat, præter illud commune, quod habet cum alijs accidentibus, vt ex ſe ipſa ſecundum aliquam conſiderationem indiuiduetur.

Probatur à Caietano ex ſua Doctrina allata in ſuo primo, & ſecundo Notabili ſuprà ſub tali forma ſic. Poſſibile eſt imaginari duas lineas ſeparatas à ſubiecto ſenſibili eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero diuerſas, à quo erant priùs indiuiduatæ, propter ſolam diuerſitatem ſitus, qui eſt inſeparabilis ab illis: ſed in tali imaginatione, & conſideratione illæ duæ lineæ adhuc eſſent ſolo numero diſtinctæ, ideſt ratione ſitus: ergò vera eſt Concluſio, quod quantitas, &c. Maior probatur, quia præſcindendo ordinem ad ſubiectum, in quo quantitas conuenit cum cæteris Accidentibus, cùm linea recta ex ratione ſui generis ſit diuiſibilis, & omne diuiſibile poſſit concipi, & imaginari diuiſum, illæ duæ lineæ haberent diſtinctum ſitum, & vna diſtingueretur ab alia ſola ſituatione quantitatiua, ſeù poſitione partium diuerſæ, & conſiderantur ſecundum peculiarem rationem, ſcilicèt ſecundum quod ſunt extenſæ in ordine ad ſe, & patet quod ſic exprimunt diuerſum conceptum. Minor probatur, quia impoſſibile eſt quod occupent diuerſum ſitum, & intèr ſe non diſtinguantur, quia linea recta ex ratione ſui generis eſt diuiſibilis, & ſic in tali imaginatione eſt diuiſa in duas lineas rectas ſolo numero diuerſas ratione ſitus; eſto verùm ſit quod ſi conſiderentur ſecundum quod ſunt quædam formæ ſubiecti extenſiuæ indiuiduentur à ſubiecto: at in Concluſione non conſideramus, vt diximus illas duas lineas ſub hoc conceptu, ſed ſecundum illam peculiarem rationem explicatam. Ità Caietanus pluribus in loc. cit.

Vnicum Arg. Caietani cum duobus motiuis contrà Concluſionem.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus vnico Argumento contrà Concluſionem ſic. Quantitas per ſe indiuiduatur à ſe ipſa: ergò per ſe erit æqualis perfectionis cum ſubſtantijs quæ ex ſe ipſis omninò indiuiduantur: ſed in veſtra Scola hoc non admittitur, ergò, &c.

Vel dicatur ſic. Si ex conceptu formæ habet indididuari à ſubiecto, hoc habebit ſecundùm omnem ſui conſiderationem, & ſic ceſſabit motiuum ad æquiparandam ipſam cum ſubſtantijs ſeparatis, & ad inferendum, quod quantitas ſit magis vna, quàm cæteræ formæ.

Reſponſio Caiet. ad duo motiua Argumenti.

Reſp. Caietanus ad primum motiuum, quod ſubſtantiæ ſeparatæ indiuiduantur à ſe ipſis ſecundum conceptum indiuiduationis ſuæ adæquatum, ex quo arguitur perfectio, quæ quidem non arguitur quando res ità indiuiduatur à ſe ipſa ſecundum aliquem ſui conceptum inadæquatum, cum quo ſtat, vt dictum eſt, quod ſecundum alterum inadæquatum quantitas ab alio, ſcilicèt à ſubiecto indiuiduetur. Et in hoc ſenſu conceditur quod quantitas ſit magis vna, quàm cæteræ formæ Vnitate Indiuiduali, non autèm magis vna vnitate ſpecifica, quæ eſt ea, à qua ſumitur perfectio ſimpliciter, non autèm ab vnitate indiuiduali; & maximè

quando

Digitized by Google

quando vnitas indiuidualis eſt diſtincta à ſpecifica, & admittit ſecum alias vnitates indiuiduales eamdem rationem ſpecificam participantes, vt facit Quantitas, quæ quia non exprimit quemcumque, conceptum ſub conceptu formæ informantis ſubiectum in quo eſt, ſed ſub conceptu implicito formæ contento in conceptu quantitatis exprimit alium ſecundum quod eſt in ordine ad ſe, non ideò deducendum eſt, quod ſecundum omnem ſui rationem indiuiduetur à ſubiecto, & nullo modo à ſe ipſa: ſed iuxtà primum ſequitur quod inndiuiduetùr à ſubiecto; iuxtà verò ſecundum ſcilicèt quòd ſit diuiſa in ſe in partes eiuſdem rationis, ſequitur quod à ſe ipſa indiuiduetur. Ità Metaphyſicè diſcurrit Caiet. in loc. cit.

Appendices ad Lectionem 7. Metaphyſicalem in Tractatu de principio intrinſeco indiuiduationis indiuidui Metaphyſici vt ſic.

DEfenſor fideliſſimus Doctrinæ D. Thomæ, eiuſque Interpretis Marcus Ferero in ſuo Tractatu de Trinitate quæſt. 29. art. 1. pag. mihi 172. & 73. formalizat Doctrinam Caietani de indiuiduatione quantitatis in hoc quod ſecundum aliquem conceptum peculiarem peculiaritèr præ alijs accidentibus habet quod poſſit ex ſe ipſa, imò ſine ſubiecto ſuo, ab ipſo ſeparata, indiuiduetur, ac indiuiduata remaneat, quod non poteſt dici de alijs accidentibus. Blaſius etiàm à Conceptione in Tract. de principio Indiuiduationis cum ſuis Salmaticenſibus Excalceatis, & cum Magiſtro noſtro Gonzalez in 1. p. diſp. 23. & Banneſio idem defendunt contrà Suarezium diſp. 5. in ſua Metaphyſica. Hæc quæſtio verè appellat illam de vno accidente, an poſſit eſſe ſubiectum quod alterius accidentis; Si attendatur benè modus loquendi D. Thomæ certè inueniemus, quod in rigore, & propriè naturalitèr loquendo non concedit, benè tamèn latiùs loquendo de ſubiecto quod videtur concedere, de quo eſt legendus Io: à S. Thom. in Log. quæſt. 19. art. 5. ad ſecundam inſtantiam, & in quæſt. 2. de Gener. art. 1. Magiſter Arauius videtur concedere de ſubiecto quod in rigore, & propriè, & verè, vt vult Durandus, & probat Suarez ex D. Thoma, & ex Thomiſtis, &c.

aſſerere iuxtà D. Th. quantitate non eſſe principium conſtitutiuum, ſed ſolummodò diſtinctiuum. Caietanum etiàm defendunt Gonzalez, Salmaticenſes, & plures alij moderni Thomiſtæ. Et Blaſius à Conceptione in ſua Metaphyſica diſp. 3. de principio indiuiduationis q. 4. citat Suarezium dicentem in Tomo p. ſuæ Met. diſput. 5 ſect. 3. num. 22. quod materia prima eſt radix indiuiduationis per aliquem modum ſubſtantialem ipſi ſuperadditum.

Ferrarienſis autem in 2. c. g. c. 21. & Soncinas 7. [Met. q. 33. & 34. mouentùr ex eoquod docet D. Th. in p. p. q. 29. a. 4. in corpore quod indiuiduum eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio, & ex Ariſt. 5. Met. tex. 11. quod vniuerſaliter quæcumq; non habent indiuiſionem in quantùm non habent diuiſionem ſunt vnum: Mouentur, inquam, ad aſſerendum materiam eſſe quidem principium indiuiduationis in quantùm recipit formam, & ſimul cum illa conſtituit compoſitum. Cæterùm compoſitum materiale eſſe indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio propter quantitatem, quam habet in ſe continuam, ac indiuiſam, & diuiſam à qualibet alia. Magiſter Ripa art. 7. quæſt. 4. in fine pag. 304. concordat Ferrarienſem cum Caietano, & ait. Ferrarienſis putauit voluiſſe Caietanum vt Sortes haberet vnitatem quantitatiuam formaliter per ſuam ſubſtantiam, quod non eſt verum, quia Caietanus vult quod habeat ſolum fundamentaliter; nàm per ſuam ſubſtantiam, vnitatem obtinet ſuam ſubſtantialem formaliter, quæ vnitas in ſubſtantijs materialibus, vt dicit Caietanus, eſt fundamentum vnitatis de genere quantitatis. Ferrarienſis autèm cum ſubdat loc. cit. ſe loqui de vnitate quantitatiua, in hoc non eſt diſputatio cum Caietano, quia & nos etiàm concedimus, ait Caietanus, per quantitatem Sortem eſſe vnum de Genere quantitatis formaliter, hæc tamèn vnitas pendet à ſubſtantiali tanquàm à radice. Vide, & legas loca D. Th. p. p. cit. in principio Tituli cum formalitatibus, & Append. Ven. Porrectæ, & Comm. Caietani.

Digitized by Google

LECTIO V. METAPHYSICALIS

In Tractatu

DE PRINCIPIO INDIVIDVATIONIS ACCIDENTIS VT SIC METAPHYSICI.

Vtrùm omne Accidens habeat aliquod ſubiectum proprium.

Ex Caiet. cap. 7. de Ente, & Eſſentia q. 17.

Declaratio Tituli eiuſq; ſenſus data à Caie. ex D. Thoma,

ANntequàm explicemus, ait Caiet. principium intrinſecum indiuiduationis accidentium, an ſit ſubiectum; vel ordo ad ſubiectum, primò debemus explicare modum quo hæc accidentia reſpiciunt ſubiectum: an ſcilicet omne accidens habeat aliquod ſubiectum proprium, vel potiùs aliqua inueniantur, quæ omne ſubiectum indifferentèr reſpiciant. Et ex S. Doctore in q. de virtutibus q. 1. a. 3. Titulus intelligi poteſt in quadruplici ſenſu, quia ſubiectum habet triplicem habitudinem ad proprium accidens, ſcilicet ſuſtentantis ad ſuſtentatum, potentiæ ad actum, & principij ad principiatum; ſicut calor ignis non habet eſſe niſi ſuſtentetur in igne, & eſt forma accidentalis eius, & oritur ex ipſo; ſecundum quod participat iſtas conditiones poteſt dici accidentis ſubiectum, & ſecundum quod ab iſtis habitudinibus recedit poteſt negari accidentis ſubiectum; vndè propter defectum primæ habitudinis, quæ principalior eſt dicitur in p. poſt. quod nullum accidens ſubiectiuè eſt in alio accidente, quia videlicet nullum accidens poteſt ſuſtentare aliud, ſed ſola ſubſtantia, quæ eſt ens per ſe, alijs præbet ſulcimentum eſſendi; quia autem vnum accidens aliquod poteſt comparari ad aliud vt potentia ad actum, & quandoque vt proximum principium ad principiatum, ideò conceditur etiàm vnum accidens eſſe ſubiectum alterius, quemadmodum ſuperficies dicitur ſubiectum coloris, quia eſt in potentia reſpectu coloris; & dulcedo eſſe in calido, & humido, quia cauſatur ex calido, & humido. Ex D. Th. igitur poteſt quæri in quadruplici ſenſu. Primò an omne accidens habeat proprium ſubiectum vt ſuſtentatiuum; Secundò an habeat proprium ſubiectum vt potentiam; Tertiò an habeat proprium ſubiectum vt principium; Quartò an habeat proprium ſubiectum vt ſuſtentatiuum potentiæ, & principium ſimul. Ità Caiet. c. 7. q. 17. cit.

Vnicum Notab. Caiet. in quo explicatur quod reſpicientia ſubiecti in accidente aliter.

Quo ad primum notat Caiet. in c. 7. cit. quod loquendo de accidentibus, vt loquitur D. Th. ibi, non iudicando actualitates accidentium ſeorſim ab aptitudinibus, dicerem quod omne accidens ſecundum ſuam radicalem aptitudinem habet aliquod ſubiectum proprium in ratione ſuſtentantis, potentiæ, & principij, licet non ſecundum ſuam actualitatem; eo quod aptitudo ad tale Accidens non eſt, niſi

à tali

Digitized by Google

conſideratur ſecundum ſuam actualitatem, & aliter ſecundum ſuam aptitudinem.

à tali gradu ſubſtantiali fluat mediatè, vel immediatè, v. g. Lumen ſecundum ſuam actualitatem, & ſubſtantiam licet ſit ab extrinſeco, & ſit accidens ſeparabile; ſecundum tamen ſuam inchoationem, ſeù radicalem aptitudinem, puta Diaphaneitatem, eſt inſeparabile, & fluit à certo gradu communi ſuperioribus, & inferioribus. Et ſimiliter ſedere licet ſit accidens, per accidens tamen ſecundum ſuam aptitudinem eſt proprium, & non natum conuenire niſi certo enti puta Animali tali &c. fluit enim aptitudo ad ſedendum ex ſuis principijs. Similiter, & videre, licet ſit accidens ſeparabile, radicalis tamen aptitudo ad videndum, ſeparari à tali Animali non poteſt. Ità Caiet.

Opinio S. Th. explicata à Caiet. circa accidentia in reſpicere, ſeù habere, & non habere proprium ſubiectũ

Quo ad ſecundum Caietanus in c. 7. de ente, & eſſentia q. 17. ſuſtinet cum D. Thoma ibi, quod ſi loquamur de accidenre quo ad ſuam completam actualitatem, non omne accidens habet proprium ſubiectum in ratione ſuſtentantis. Hanc docet Philoſophus in prædicamento ſubſtantiæ circà vltimam eiuſdem proprietatem, quod vna atq; eadem manens ſubſtantia abſque ſui mutatione eſt contrariorum ſuſceptiua, vndè hoc & illo accidente abeunte, manet ſubiectum, quod ſuſtinebat illa, ſimulque vno, & eodem tempore in varijs ſubiectis varia inſunt accidentia. Suſtinet ſecundò cum Philoſopho, quod omne accidens quouis modo acceptum habet ſubiectum proprium in ratione propriæ potentiæ ex 3. Phyſ. tex. 10. habetur, quod quia idem non eſt valere, & ægrotare, ideò alia eſt potentia ad ſanitatem, & alia ad infirmitatem. Et 12. Met. à tex. 19. vſque ad 29. probatur principia prædicamentorum eſſe eadem proportionaliter. Et in 1. de Anima tex. 53. didicimus contrà Pythagoricos non quamlibet formam, cuiuis materiæ accommodari, quia ad vnumquemq; actum recipiendum diximus, quod requiritur propria potentia, & eiuſdem generis. Suſtinet tertiò quod non omne accidens habet ſubiectum proprium in ratione proprij principij, ſeu cauſæ. Suſtinet quartò quod omne accidens quo ad inchoationem, vel aptitudinem habet proprium ſubiectum, non ſolùm in ratione potentiæ, ſed & in ratione ſuſtentantis, ac principij, vt Ferr. elicit ex D. Th. in 3. c. g. c. 7. Et tandèm quintò ſuſtinet quod omne accidens habet aliquod ſubiectum modis ſibi omnibus proprium, ſed illud ſubiectum non erit niſi vnum proportione analoga, vt habet Alenſis in 7. Met. tex. 17. Ità Caiet. loc. cit.

1. Concl. à Caiet. ponitur cum ſua probatione quòd nõ omne accidens habet proprium ſubiectum vt ſuſtentatiuum.

Quo ad 3. Caiet. in c. 7. de Ente, & Eſſentia q. 17. ponit ex D. Th. hanc ſuam primam Concluſionem ſic. Non omne accidens habet proprium ſubiectum, vt ſuſtentatiuum.

Probatur à Caiet. ibi ſub tali forma. Si omne accidens eſt proprium alicui, cum proprium conueniat omni, ſoli, & ſemper, nullum accidens erit ſeparabile ab eo in quo eſt, & etiàm ſequeretur quod corruptio cuiuſcumque accidentis ſemper comes fieret corruptioni ſubſtantiæ: Sed hæc experimur falſa; ergo vera Concluſio. Probatur prima ſequela, quia experimur eſſe multa accidentia, quæ communiter multis inſunt, vt eorum ſeparatio oſtendit: ſeparantur namque à ſubſtantia ſuſtentante, & naturaliter remanent, quod ſi ſoli proprio ſubiecto ineſſent, ineſſent ſemper, vt verificatur de proprijs accidentibus; Eadem quippè ſubſtantia abſq; ſui mutatione contraria ſuſtentat vt dicitur in prædicamentis. Probatur ſecunda ſequela, experimur quod corrupto riſibili corrumpitur homo, quia corrupto proprio neceſſe eſt corrumpi illud cuius eſt proprium, alitèr non conueniret ei ſemper; hoc autèm patet falſum in accidentibus communibus, & actibus ſecundis: ergo vera eſt Minor. Ità Caiet.

2. Concl. ponitur à Caiet. cum ſua

Secunda Concluſio ponitur ibidem à Caietano ſic. Omne accidens quouis modo acceptum habet ſubiectum proprium in ratione propriæ potentiæ. Proba-

tur

Digitized by Google

tùr ſic. Quilibet actus reſpicit propriam potentiam: ſed omne accidens eſt actus: ergo omne accidens habet propriam potentiam cuius eſt actus. Maior patet ex 3. Phyſ. tex. Comm. 10. vbi dicitur quod potentia ad infirmitatem eſt alia à potentia ad ſanitatem, eo quod ſanitas eſt aliud ab infirmitate. Et 12. Met. longo proceſſu probatur, quod principia prædicamentorum ſunt eadem proportionaliter, quia cuilibet actui propria reſpondet potentia. Minor de ſe eſt manifeſta. Itâ Caietanus.

probatione quod in ratione potentiæ omne accidens habet proprium ſubiectum.

Tertia Concluſio ponitur ſic ibidem à Caietano. Non omne accidens habet aliquod ſubiectum proprium in ratione principij proprij. Probatur ſic. Habere ſubiectum proprium in ratione principij includit fluxum illius accidentis à tali ſubiecto in genere cauſæ efficientis: ſed non omne accidens fluit à ſuo receptiuo effectiuè ergo &c. Maior patet ex eo quod duo effectus ordinem inter ſe habentes, priùs eſt cauſa effectiua eius, quod neceſſario productionem primi ſequitur, ſiuè illud ſubiectum ſit receptiuum accidentis vt quo, ſiuè vt quod. Minor patet ex hoc quod multa ſunt accidentia reſpectu quorum receptiuum purè paſſiuè ſe habet, vt patet cùm ſpecies rei ſenſibilis recipitur in medio, ſiuè in ſenſu. Itâ Caiet.

3 Concl ponitur à Ciet cum ſua probatione quod in ratione principij proprii non omne accidens habet proprium ſubiectum.

Quarta Concluſio ponitur ſic à Caietano. Omne accidens quo ad inchoationem, vel aptitudinem habet proprium ſubiectum non modò in ratione potentiæ, ſed & in ratione ſuſtentantis, & principij.

4 Concl. ponitur à Caiet. cum ſua prob. quod ſecundum aptitudinem habet propriũ ſubiectum omne accidens.

Probatur à Caietano ex ſuo Notabili ſuprà. Aptitudo ad tale accidens non adeſt niſi mediatè fluat, vel immediatè à tali gradu ſubſtantiali, & ex conſequenti niſi in tali gradu vel mediatè, vel immediatè ſubiectiuè inſit; ergo neceſſario habebit proprium ſubiectum ſic conſideratum pro vt in Concluſione &c. Antecedens iám declaratum eſt in notabili de Lumine quod ſecundum ſuam actualitatem eſt àb extrinſeco, & ideò ſeparabile; ſecundum tamen ſuam radicalem habitudinem, hoc eſt diaphaneitatem eſt inſeparabile vt fluit à certo gradu ſubſtantiali, qui eſt communis ſuperioribus, & inferioribus, quoniam non aeri, vt aer, non Cælo vt Cælum, non aquæ vt aqua conuenit, ſed pro vt hæc omnia in aliquo communi participant, vt habetur in ſecundo de Anima tex. 68. Et probatur etiàm exemplo ipſius videre &c. Iuxtà quam diſtinctionem de accidente quo ad actum completum, & quo ad radicalem aptitudinem multa poſſunt conciliari de ſeparabilitate, ac inſeparabilitate accidentium, & de ſubiecti proprij determinatione, ac indeterminatione. Itá Caiet.

Quinta Concl. ponitur à Caiet. ſic. Omne accidens habet aliquod ſubiectum ſibi modis omnibus proprium, ſed iſtud ſubiectum erit vnum proportione analoga, & conuenientia.

5. Concl. ponitur à Caiet. cum ſua probatione quod omne accidens habet aliquod ſubiectum ſibi propriũ.

Probatur à Caiet. cum alijs Thomiſtis ſic. Nullum datur accidens, quod cuiuis ſubiecto ſimpliciter, & abſolutè inſit: ergo aliquod ſibi proprium ſubiectum vendicat, cui ſolum poſſit conuenire puta tali vel tali naturæ ad quam talis, vel talis complexio ſit nata ſequi, quæ puta vel albedinis, vel nigredinis ſit capax. Antecedens patet, quia albedo non ineſt Coruo, nigredo non ineſt niui: ergo &c. Nec valet dicere, quod pluribus diuerſis competit albedo, quia ſemper erit aſſignare vnum ſubiectum, aliqua vnitate ſaltèm analoga, cui accidens conueniat; aliàs non poſſet dari ratio cur huic poſſit ineſſe albedini, illi non &c. Itá Caiet. loc. cit. & alibi.

Quo ad quartum Arguit Caietanus contrà tertiam Concluſionem, & quartam probando impoſſibile eſſe quod omne accidens adſcribat ſibi proprium ſubiectum. Proprium conuenit omni, ſoli, & ſemper; ergo ſi omne accidens adſcribit ſubiectum ſibi proprium, nullum accidens erit ſeparabile ab eo in quo eſt: tùm etiàm, quia corrupto proprio neceſſe eſt corrumpi illud cuius eſt proprium; hoc autèm patet eſſe falſum in accidentibus communibus, vt probat ratio primæ Concluſionis.

1. Arg. Caiet. contrà 3. Concl.

Reſp.

LECTIO VI.
METAPHYSICALIS
In Tractatu
DE INTRINSECO PRINCIPIO INDIVIDVATIONIS INDIVIDVI VT SIC METAPHYSICI.

Ex Caietano in ſuis Commentarijs.

Declaratio Tituli einſq; ſenſus data à Caiet.

CAietanus ait pro declaratione Tituli pluribûs in locis, quod licet totâ Schola Thomiſtica teneat cum Sanctiſſimo Præceptore, verificari abſolutè, quod ſubiectum ſit prima radix indiuiduationis accidentium, eſt tamèn præſens Lectio contrà Durandum, qui tenet oppoſitum. Expreſſa eſt hæc radix indiuiduationis à S. Doctore pluribus in locis, ſed præcipuè in p. p. q. 29. a. p. ait quod accidentia indiuiduantur per ſubiectum: dicitur enim hæc albedo in quantùm eſt in hoc ſubiecto. Et in q. 39. a. 3. ait accidentia autèm ſicut habent eſſe in ſubiecto, ità ex ſubiecto ſuſcipiunt vnitatem, & multitudinem. Et in opuſculo 29. ait, ſed aduertendum eſt, quod accidentia non indiuiduantur per materiam primam, ſed per ſubiectum proprium, quod eſt ens in actu, ſicut formæ ſubſtantiales per materiam primam; quæ eſt earum ſubiectum. Et in q. 9. de Potentia a. 1. ad 8. ait, Accidentia non indiuiduantur niſi ex ſuis ſubiectis. Et quando ſuper Boetium de Trin. q. 4. a. 2. in corp. ait quod accidentium varietas poteſt eſſe cauſa pluralitatis ſecundum numerum ſubiectorum intelligitur ſic, quod ſola quantitas, cum habeat in ſe propriam diuiſionem, ſic poteſt habere duplicem rationem indiuiduationis vnam ex ſubiecto, ſicut, & quodlibet aliud accidens; aliam ex ſe ipſa in quantùm habet ſitum (de quo in ſequenti lectione) ratione cuius in abſtrahendo à materia ſenſibili, imaginamur hanc lineam, & hunc circulum. Et ideò rectè materiæ conuenit indiuiduare omnes alias formas, ex hoc quod ſubditur illi formæ, quæ ex ſe ipſa habet indiuiduationis rationem, ità quod etiàm ipſæ dimenſiones terminatæ, quæ fundantur in ſubiecto iàm completo indiuiduantur quodammodò ex materia indiuiduata per dimenſiones interminatas præintellectas in materia. Ita Caiet. ex D. Th. loc. cit. a. 2. ad 2.

Primum Notabile Caietani, in quo exponitur quod compoſitum eſt primum principium radicale quod indiuiduationis accidentium.

Quò ad primùm. Notat primò Caietanus pro radice indiuiduationis accidentium, quod prima radix eſt duplex vna adæquata, altera inadæquata; ſicuti & etiàm principium radicale in quod refunditur. Indiuiduatio accidentis poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo vt quo, alio modo vt quod. Dicimus ergò quod materia prima vt ſignata tali quantitate eſt ſolùm prima radix inadæquata recipiendi accidentia, ſicuti & etiàm accidens refunditur in ipſam tanquam in principium radicale quo. Radix verò adæquata de qua loquimur in præſenti eſt totum compoſitum quod eſt ſubiectum receptiuum accidentis, ſicuti & etiam in ipſum compoſitum refunditur, tanquam in principium quod: Cùm enim materia nudè accepta prima, ideſt antecedentèr ad formam ſubſtantialem non poſſit eſſe ade-

quata ratio receptiua formæ accidentalis, aliàs priùs reciperet eſſe ſecundum quid, quàm eſſe ſimpliciter, conſequentèr debet eſſe materia ſecunda, ſeù materia informata forma ſubſtantiali, ac proindè compoſitum, quod conſtituitur ex materia, & forma ſubſtantiali erit adæquata potentia receptiua accidentis, ac proindè prima ac radicalis ratio adæquata, & primum principium radicale quod indiuiduationis accidentis. Itá Caietanus in cap. 7. de ente, & eſſentia, & alibi.

Secundum Notabile Caietani, in quo explicatur differentia vera intèr indiuiduum accidentis, & ſubſtantiæ quo ad indiuiduari.

Notat ſecundò Caiet. ex D. Th. 1. p. q. 29. art. 1. quod ex hoc quod dicitur accidens indiuiduari intrinſecè per intrinſecum ordinem quem dicit ad ſubiectum, non ruit differentia ibi aſſignata à D Th. intèr indiuiduum ſubſtantiæ, & indiuiduũ accidentis, ſcilicèt quòd primum per ſe ipſum intrinſecè indiuiduatur; ſecundum verò per ſubiectum vt additamentum, quia ratio ſubſtantiæ vt ſic, non eſt eſſe in alio, vt in ſubiecto, & ratio accidentis, vt accidens, eſt eſſe in alio vel actu, vel aptitudine, vel mediatè, vel immediatè. Hoc, inquàm, non officit, quia ſicut accidens non poteſt intelligi abſque dependentia à ſubiecto, itá neque hoc accidens intelligi poteſt ſine dependentia ab hoc ſubiecto. Hæc autèm ſubſtantia vt ſic, & in quantùm indiuiduum ſubſtantiæ, nullam includit dependentiam ad aliquid extrinſecum, & ideò per ſe ipſam ſubſtantia indiuiduatur, in quantùm indiuiduum ſubſtantiæ, ideſt vel per ſe ipſam, ſi eſt ſubſtantia omninò ſpiritualis, vel per ſe ipſam, ideſt per propria principia ſubſtantialia, quæ ſunt hæc materia, & hæc forma. Accidens autèm per ſubſtantiam, vel actu, vel aptitudine, vel immediatè, vel mediatè illam reſpiciendo eſſentiali dependentia; eò quia accidens dependet à ſubſtantia in triplici genere cauſæ, efficientis, ſcilicèt materialis, ac finalis, vt habetur ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 77. art. 3. in corp. & ex 5. Met. tex. 16. & 17. habetur quod ſubſtantia eſt prior natura, & tempore, & cognitione ipſo accidente. Itá Caiet. loc. cit.

Opinio D. Tho. explicata à Caiet.

Quò ad ſecundùm Caietanus, vt dicit in principio Lectionis, cum tota Scolâ Thomiſtica nullo excepto vbicumque interpretatur Sanctiſſimum Præceptorem vniformi ſenſu ſemper dicit, & ſuſtinet quod principium radicale, ſeù prima radix indiuiduationis accidentium eſt ipſum ſubiectum contrà Durandum, & Scotum.

Concluſio vnica Caietani cum ſua probatione quod ſubiectum ſit prima radix indiuiduationis accidentiũ.

Quò ad tertiùm. Concluſio vnicá ponitur ſic à Caietano. Subiectum eſt prima radix indiuiduationis. Probatur à Caietano ſub tali forma. Diſtinctio indiuidualis, & numerica non poteſt eſſe formalis, ſed ex dictis neceſſariò debet eſſe materialis: ergò in accidenti debet peti ſua radix non à forma, ſed ab eo quòd ipſum materializat; ſed materia eſt ſolum ſubiectum accidentium, ergò prima radix adæquata, & principium radicale quod, debet omninò ſumi à ſubiecto. Probatur quod non à forma debet peti, quia forma ex vi formæ non eſt, vt diximus principium indiuiduationis numeralis, ſed formalis: ergò indiuiduatio accidentis, quod habet rationem formæ tantùm non poteſt ſumi ab eius entitate, ſed ab aliquo alio, quod ſe habeat vt principium materiale reſpiciens, & recipiens illud, quod non poteſt eſſe niſi ipſum ſubiectum, non vt intrinſecum eſſentiæ accidentis quando diffinitur, ſed vt clauſum ibi per additamentum propter rationem allatam in 1. p. quæſt. 29. art. 1. à D. Thoma. Et alio modo, & ſenſu loqui non poſſumus, quia alitèr accidens eſſet ens per intrinſecam aggregationem ſubſtantiæ; vndè ſi indiuiduatur intrinſecè, hoc non poteſt eſſe niſi per intrinſecum ordinem quem dicit ad ſubiectum; & iàm in præcedenti Lectione vidimus quibus modis accidentia ſeparabilia, & inſeparabilia, propria, & communia habeant proprium ſubiectum quod cadit in diffinitione accidentis vt propria eius materia

ria

Digitized by Google

ria receptiua. Ità Caietanus in loc. cit. cum D. Thom. ſic & non alitèr diſcurrit:

Arguit Caiet. quod accidens non indiuiduatur per ordinem ad ſubiectum.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus in 1. p. quæſt. 29. art. 1. probans quod accidens non indiuiduetur per ordinem ad ſubiectum. Si accidens indiuiduatur per ſubiectum tanquàm per primum principium radicale quod, vel Indiuiduatur intrinſecè, vel extrinſecè v. g. cum dicitur hæc albedo in ly hæc, vel clauditur intrinſecè ſubiectum, vel extrinſecè, eo modo quo naſus cadit in ſignificatione ſimitatis, vel ſimi: ſed neutrum poteſt dici, ergò &c. Non extrinſecè tantùm, quia ſic ſequeretur quod accidens indiuiduaretur per ſe ipſum intrinſecè. Non intrinſecè, quia ſequeretur quod hæc albedo non eſſet ens, nec vnum per ſe, & per conſequens in nullo genere.

Reſponſ. Caiet. ad Argumentum.

Reſp. Caietanus ex dictis in ſecundo notabili, quod ex obiectione facta non ſequitur, quod hoc accidens non includat ſubiectum per additamentum, dicimus enim, quod ſicut in diffinitione accidentis clauditur ſubiectum non vt eſſe intrinſecum, ſed per additamentum, ità in diffinitione huius accidentis, ſi diffiniretur, clauderetur hoc ſubiectum per additamentum, & non intrinſecè. Et hoc eſt quod dicitur à D. Thom. quod quia hæc ſubſtancia vt ſic nullam includit dependentiam ad aliquid extrinſecum, & ideò per ſe ipſam ſubſtantia indiuiduatur; & ex alia parte, quia accidens vt ſic non poteſt intelligi abſque dependentia à ſubiecto, & hoc accidens abſque dependentia ab hoc ſubiecto, ideò accidens indiuiduatur per ſubſtantiam, ſcilicèt per ſubiectum. Ità Caietanus.

Inſtantia contrà Reſponſionem Caietani.

Inſtat Caietanus contrà Reſponſionem ſic. Relationes, Habitus, Potentiæ, & ſimilia accidentia non dicunt habitudinem ad ſubiectum, ſed ad terminum, vel obiectum. Et accidentia ſupernaturalia non reſpiciunt hoc potiùs ſubiectum, quàm illud: ergò ſaltem accidentia iſta primi generis, & ſecundi non indiuiduantur à ſubiectis.

Reſponſio Caiet. ad inſtantiam.

Reſp. Caietanus ad inſtantiam, quod accidentia primi generis dicunt etiàm ordinem ad ſubiectum quod actuant, quamuis ſimul reſpiciant intrinſecè ſuos terminos, vel obiecta à quibus reſpectibus non poteſt prouenire indiuiduatio, quia eſt in genere cauſæ formalis, & prouenit à priori ſpecificatio. Indiuiduatio enim cauſari debet in genere cauſæ materialis, vt probauimus, in quo genere ſubiectum reſpiciunt illa accidentia. Ad illa de ſupernaturalibus Reſp. quòd etiàm dicunt intrinſecum ordinem, & reſpectum ad proprium ſubiectum ſecundum potentiam obedientialem. Vndè Charitas recepta in Michaele nequit ſecundum curſum communem ſui ordinis ſupernaturalis recipi in Gabriele. Ità Caietanus vbique in ſuis Commentarijs.

Appendices ad Lectionem 6. Metaphyſicalem in Tractatu de Principio intrinſeco induiduationis indiuidui, vt ſic Metaphyſici.

QVod non indiuiduentur a ſubiecto accidentia citatur Scotus, Durandus, & Suarez diſp. 5. Met. ſect. 7. à Iunioribus Thomiſtis præcipuè à Minaldo noſtro in ſua nouiſſima Metaphyſica lib. 3. dub. 10. & a Blaſio à Conceptione in ſua Met. diſp. 4. de Principio indiuiduationis.

Et Magiſter Arauius in 8. Met. quæſt. 5. art. 3. citat aliquos qui dicunt accidentia corporalia intrinſecè componi ex materia aliqua, & indiuiduari ex ſe ipſis; Sapientiſſimus Io: à S. Thoma, & Io: Martinez à Prado in ſua Met. p. 2. contr. 3. art. 2. num. 19. defendunt cùm alijs Thomiſtis, quod compoſitum eſt verè ſubiectum inhæſionis accidentium. Idem Soncinas habet lib. 7. Met. quæſt. 3.

Patres ferè omnes Soc. illi qui tenent quantitatem, & omnia alia accidentia corporalia immediatè recipi in materia prima cum hac conditione tamèn quod ſit componens, cùm forma totum ſubſtantiale, conſequenter tenent quòd ſubiectum ſeù compoſitum non ſit prima radix indiuiduationis accidentium.

Sed Lector Thomiſta, vt poſſit cum ſolido fundamento aperire veritatem Thomiſticam ſuis Diſcipulis, videre, & legere debet fundamenta omnium Auctorum oppoſitum ſentientium, quia videbit fundare ipſos opinionem propriam in alijs principijs aberrantibus à Doctrina D. Thomæ, & Caietani. Legas etiàm litteram D. Thom. in locis cit. in principio Lectionis.

LECTIO VII.

METAPHYSICALIS

In Tractatu

DE PRINCIPIO INTRINSECO INDIVIDVATIONIS INDIVIDVI, VT SIC METAPHYSICI.

Vtrùm Quantitas ex hoc quod extenditur in ordine ad ſe hoc ſibi peculiare vendicet, vt ex ſe ipſa, vt à prima radice indiuiduetur.

Ex Caietano in 1. p. quaſt. 29. art. 1. & in cap. 7. de ente, & eſſentia quaſt. 16. & quaſt. 17. & in 3. p. & alibi in Comment.

Declaratio Tituli eiuſq; ſenſus data à Caiet. cum mentis D. Tho.

IPSE Indiuiſibilis Conceptus Quantitatis (explicat loc. cit. titulum Lectionis Caietanus) poteſt ſub duplici formalitate exprimi, ac conſiderari. Primò poteſt conſiderari ſecundum quod dicit quamdam formam, quæ eſt ſubſtantiæ formalitèr extenſiua; & in hac conſideratione non quæritur in titulo, quia ſic indiuiduatur cùm alijs à ſubiecto tanquàm à prima radice. Secundò poteſt conſiderari non vt exprimit prædictum conceptum, ſed vt eſt in ordine ad ſe ipſam extenſa per diuerſas ſui partes diuerſimodè ſituatas, non ex prædicamento ſitus ex loco reſultans, ſed ſitu quodam quantitatiuo, quo partes quantitatiuæ v. g. vnius lineæ diuerſam ſituationem, & poſitionem habent tùm inter ſe, tùm in ordine ad totum quod componunt. Et in hoc ſenſu quæritur, nimirùm, Vtrùm hæc linea habeat ratione diuerſæ ſituationis, & poſitionis partium

tium ſuarum, quod ſit ex ſe principium radicale propriæ indiuiduationis, itá vt eadem ratio formalis, quæ indiuiduat hanc lineam hoc modo conſideratam, ſit radix talis indiuiduationis. Et loca D. Thom. pro hac parte dant motiuum explicandi hanc præſentem Lectionem ſeptimam, præcipuè in 3. p. quæſt. 77. art. 2. vbi ait. Vndè & ipſa quantitas dimenſiua ſecundum ſe habet quamdam indiuiduationem. Et in quolib. 7. art. 10. ait. Quantitas non ſolùm indiuiduatur ex ſubiecto ſicut alia accidentia, ſed etiàm ex ſitu, qui eſt de ratione ipſius quantitatis dimenſiuæ. Idem habet in opuſc. 70. quæſt. 4. art. 2. ad 3. vt in Lectione præcedenti retulimus eius verba. Hoc idem dicit in 4. c. g. cap. 66. & in 4. ſent. diſt. 12. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. 3. Itá Caietanus.

Primum Notabile Caiet. in quo explicatur indiuiduatio duplex in quantitate ſubiectalis, & ſitualis.

Quò ad primùm. Notat primò Caietanus, quod ſicut ſpeciale prædicamentum dicit ordinem partium in loco, & per hunc ſitum duæ quantitates non diſtinguuntur; ſitus autèm qui eſt differentia quantitatis eſt ratio diſtinguendi vnam quantitatem ab altera non formalitèr, ſed materialitèr, ex quo patet quod ſit duplex indiuiduatio vna ſubiectalis, & altera ſitualis. Et quia Albedo non habet niſi indiuiduationem ſubiectalem, ideò ſeparata à ſubiecto non eſt ampliùs hæc Albedo ſenſibilis, ſed forma intelligibilis, & per ſe hæc & indiuidua ſicut cæteræ formæ ſeparatæ. At quantitas nedum eſt indiuidua indiuiduatione ſubiectali, ſed etiàm ſituali, & hanc indiuiduationem ſitualem affert ſecum in ſubiecto, & per hanc indiuiduationem ſitualem duæ quantitates ſe ipſis diſtinguuntur non tamèn primò, ſed ſecundariò, & ratione partium, quæ ſunt cauſæ materiales totius ex 2. Phyſ. tex. 31. Partes autèm diſtinguuntur ſitibus, ſitus autèm eſt ordo partium in toto; iſti autèm ordines formalitèr ſe ipſis diſtinguuntur, fundamentum verò diſtinguitur ratione partium diſtinctarum, quia licèt partes ſint vnum continuatione, & permanentia, non tamèn ſunt vnum per identitatem, ſed ſunt realitèr diſtinctæ, itá vt vna non ſit alia, ſed realitèr extrà aliam, & ab alia realitèr diſtincta, & ſolùm vna per continuationem, non autèm per realem identitatem cum alia. Itá Caietanus in 1. p. quæſt. 29. art. 1.

Secundum Notabile Caietani, in quo explicatur idē quod ſupra.

Notat ſecundò Caietanus pro maiori claritate prædictæ Doctrinæ ex D. Thom. quolib. art. 3. quod ſi Deus ſepararet hanc Albedinem ab hoc ſubiecto, non eſſet ampliùs hæc numero ſenſibilis Albedo, ſed eſſet ipſa natura albedinis per ſe ſubſiſtens inſenſibilis, & forma intelligibilis, ſicut aliæ formæ ſeparatæ. Et ratio eſt, quia in tali caſu abſtraheretur nedùm à ſubiecto quod, vt ſit in Sacramento Altaris, in quo albedo Panis ſeparatur à Pane, ſed etiàm à ſubiecto quo, ideſt à quantitate, cui eſt vnita in Sacramento Altaris, & ſic cum omnem perdat indiuiduationem, omnino per ſe ſubſiſtet, & fiet ſubſtantia, & per ſe hæc, non ampliùs per ſubiectum, & per conſequens non ampliùs ſenſibilis, ſed prorsùs intelligibilis. At quantitas ſi ſeparetur ab hoc ſubiecto, adhuc poteſt manere eadem quantitas numero, quia id quod indiuiduatur non ſolùm ex ſubiecto, ſed ex ſitu, ſi à ſubiecto ſeparetur, adhuc ex ſitu remanet indiuiduum; & cùm hoc videamus in quantitate, cùm ſitus ſit de ratione quantitatis dimenſiuæ, ſi quantitas ſeparetur à ſubiecto, vt ſit in Sacramento Altaris, adhuc remanebit hæc numero quantitas ſenſibilis, & ad ſenſum demonſtrabilis per hanc numero quantitatem ratione ſitus, per quem ſentitur, ac oſtenditur pro eadem numero quantitate: non enim poſſibile eſt imaginari duas albedines ſeparatas intèr ſe diuiſas ſine ſubiecto quod, vel ſaltem quo, ideſt ſinè quantitate de ratione cuius eſt diuiſibilitas; poſſibile tamèn eſt imaginari duas lineas ſeparatas à ſubiecto ſenſibili eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero diuerſas non propter diuerſitatem ſubiecti, ſine quo illas imaginamur, ſed

pro

propter diuerſitatem ſitus, qui eſt inſeparabilis ab illis. Ità Caiet. loc. cit. & in 2. p. quæſt. 29. art. 1. & in cap. 7. de ente, & eſſentia.

Opinio D. Tho. contrà Scotum, & Durandum explicata à Caietano.

Quò ad ſecundùm. Caietanus contrà Scotum, Durandum, & Aureolum apud Capreolum in 2. ſent. diſt. 3. quæſt. 1. art. 2. ait, à nobis ſuſtinendum eſt ſecundum Doctrinam D. Thom. in loc. cit. ſuprà cum antiquioribus Thomiſtis, ſcilicèt Capreolo, Ferr. 4. cont. gent. cap. 65. quod quantitas ſub illa peculiari ratione conſiderata, de qua diximus in declaratione Tituli, & in Notabilibus, hoc peculiare, ad differentiam aliorum accidentium, quæ indiuiduantur ſolum à ſubiecto, ſibi vendicat ex ſe eſſe radicem ſuæ indiuiduationis, quod peculiare relegant à quantitate Aduerſarij citati. Ità Caietanus.

Vnica Concluſio ponitur à Caietano cum ſua probatione, quod quantitas habeat hoc ſingulare quod ſecundùm aliquam conſiderationem ex ſe ipſa indiuiduetur.

Quò ad tertiùm. Vnica Concluſio ponitur à Caietano ſic. Quantitas hoc ſibi peculiare vendicat, prætèr illud commune, quod habet cum alijs accidentibus, vt ex ſe ipſa ſecundum aliquam conſiderationem indiuiduetur.

Probatur à Caietano ex ſua Doctrina allata in ſuo primo, & ſecundo Notabili ſuprà ſub tali forma ſic. Poſſibile eſt imaginari duas lineas ſeparatas à ſubiecto ſenſibili eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero diuerſas, à quo erant priùs indiuiduatæ, propter ſolam diuerſitatem ſitus, qui eſt inſeparabilis ab illis: ſed in tali imaginatione, & conſideratione illæ duæ lineæ adhuc eſſent ſolo numero diſtinctæ, ideſt ratione ſitus: ergò vera eſt Concluſio, quod quantitas, &c. Maior probatur, quia præſcindendo ordinem ad ſubiectum, in quo quantitas conuenit cum cæteris Accidentibus, cùm linea recta ex ratione ſui generis ſit diuiſibilis, & omne diuiſibile poſſit concipi, & imaginari diuiſum, illæ duæ lineæ haberent diſtinctum ſitum, & vna diſtingueretur ab alia ſola ſituatione quantitatiua, ſeù poſitione partium diuerſæ, & conſiderantur ſecundum peculiarem rationem, ſcilicèt ſecundum quod ſunt extenſæ in ordine ad ſe, & patet quod ſic exprimunt diuerſum conceptum. Minor probatur, quia impoſſibile eſt quod occupent diuerſum ſitum, & intèr ſe non diſtinguantur, quia linea recta ex ratione ſui generis eſt diuiſibilis, & ſic in tali imaginatione eſt diuiſa in duas lineas rectas ſolo numero diuerſas ratione ſitus; eſto verùm ſit quod ſi conſiderentur ſecundum quod ſunt quædam formæ ſubiecti extenſiuæ indiuiduentur à ſubiecto: at in Concluſione non conſideramus, vt diximus illas duas lineas ſub hoc conceptu, ſed ſecundum illam peculiarem rationem explicatam. Ità Caietanus pluribus in loc. cit.

Vnicum Arg. Caietani cum duobus motiuis contrà Concluſionem.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus vnico Argumento contrà Concluſionem ſic. Quantitas per ſe indiuiduatur à ſe ipſa: ergò per ſe erit æqualis perfectionis cum ſubſtantijs quæ ex ſe ipſis omninò indiuiduantur: ſed in veſtra Scola hoc non admittitur, ergò, &c.

Vel dicatur ſic. Si ex conceptu formæ habet indididuari à ſubiecto, hoc habebit ſecundum omnem ſui conſiderationem, & ſic ceſſabit motiuum ad æquiparandum ipſam cum ſubſtantijs ſeparatis, & ad inferendum, quod quantitas ſit magis vna, quàm cæteræ formæ.

Reſponſio Caiet. ad duo motiua Argumenti.

Reſp. Caietanus ad primum motiuum, quod ſubſtantiæ ſeparatæ indiuiduantur à ſe ipſis ſecundum conceptum indiuiduationis ſuæ adæquatum, ex quo arguitur perfectio, quæ quidem non arguitur quando res ità indiuiduatur à ſe ipſa ſecundum aliquem ſui conceptum inadæquatum, cum quo ſtat, vt dictum eſt, quod ſecundum alterum inadæquatum quantitas ab alio, ſcilicèt à ſubiecto indiuiduetur. Et in hoc ſenſu conceditur quod quantitas ſit magis vna, quàm cæteræ formæ Vnitate Indiuiduali, non autèm magis vna vnitate ſpecifica, quæ eſt ea, à qua ſumitur perfectio ſimplicitèr, non autèm ab vnitate indiuiduali; & maximè

quando

quando vnitas indiuidualis eſt diſtincta à ſpecifica, & admittit ſecum alias vnitates indiuiduales eamdem rationem ſpecificam participantes, vt facit Quantitas, quæ quia non exprimit quemcumque, conceptum ſub conceptu formæ informantis ſubiectum in quo eſt, ſed ſub conceptu implicito formæ contento in conceptu quantitatis exprimit alium ſecundum quod eſt in ordine ad ſe, non ideò deducendum eſt, quod ſecundum omnem ſui rationem indiuiduetur à ſubiecto, & nullo modo à ſe ipſa: ſed iuxtà primum ſequitur quod inndiuiduetur à ſubiecto; iuxtà verò ſecundum ſcilicèt quòd ſit diuiſa in ſe in partes eiuſdem rationis, ſequitur quod à ſe ipſa indiuiduetur. Ità Metaphyſicè diſcurrit Caiet. in loc. cit.

Appendices ad Lectionem 7. Metaphyſicalem in Tractatu de principio intrinſeco indiuiduationis indiuidui Metaphyſici vt ſic.

DEfenſor fideliſſimus Doctrinæ D. Thomæ, eiuſque Interpretis Marcus Ferro in ſuo Tractatu de Trinitate quæſt. 29. art. 2. pag. mihi 172. & 73. formalizat Doctrinam Caietani de indiuiduatione quantitatis in hoc quod ſecundum aliquem conceptum peculiarem peculiaritèr præ alijs accidentibus habet quod poſſit ex ſe ipſa, imò ſine ſubiecto ſuo, ab ipſo ſeparata, indiuiduetur, ac indiuiduata remaneat, quod non poteſt dici de alijs accidentibus. Blaſius etiàm à Conceptione in Tract. de principio Indiuiduationis cum ſuis Salmaticenſibus Excalceatis, & cum Magiſtro noſtro Gonzalez in 1. p. diſp. 23. & Banneſio idem defendunt contrà Suarezium diſp. 5. in ſua Metaphyſica. Hæc quæſtio verè appellat illam de vno accidente, an poſſit eſſe ſubiectum quod alterius accidentis? Si attendatur benè modus loquendi D. Thomæ certè inueniemus, quod in rigore, & propriè naturalitèr loquendo non concedit, benè tamèn latiùs loquendo de ſubiecto quod videtur concedere, de quo eſt legendus Io: à S. Thom. in Log. quæſt. 19. art. 5. ad ſecundam inſtantiam, & in quæſt. 1. de Gener. art. 1. Magiſter Arauius videtur concedere de ſubiecto quod in rigore, & propriè, & verè, vt vult Durandus, & probat Suarez ex D. Thoma, & ex Thomiſtis, &c.

LECTIO VIII.

METAPHYSICALIS

In Tractatu

DE PRINCIPIO INTRINSECO INDIVIDVATIONIS INDIVIDVI VT SIC.

Vtrùm duo Accidentia ſolo numero diſtincta ex hoc quod indiuiduantur à ſubiecto poſſint eſſe in eadem parte ſubiecti.

Ex Caietano 3. p. quæſt. 35. art. 5. & ex p. p. quæſt. 41. art. 6. & p. p. quæſt. 85. art. 4.

Declaratio Tituli eiuſq; ſenſus data à Caietano.

IAM diffiniüimus hanc quæſtionem in 3. p. quæſt. 35. art. 5. ex quo loco inſtituta eſt quæſtio in noſtra Phyſica lib. 2. Phyſ. quæſt. 12. in ſenſu proprio Phyſicali. Hic neceſſariò in ſenſu Metaphyſico ſecundum terminos Metaphyſicales exponenda eſt, ex eo maximè, quia in 4. ſent. diſt. 12. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. 3. D. Thomas apertiſſimè aſſerit eſſe contradictorium duo accidentia ſolo numero diſtincta in eodem ſubiecto reperiri ſequens in hoc Philoſophum in 5. Met. tex. 15. lect. 12. quod ſic ponere, eſt ponere duo contradictoria eſſe ſimul. Et ſic vt conſequentèr loquamur, addit Caietanus, debemus exponere hanc maximam difficultatem propter varietatem opinimum ex ipſa incommunicabilitate, & diuiſione ſecundum modum incommunicabilitatis, quem ſortiuntur ex ſubiecto, à quo radicalitèr, & primò indiuiduantur; & affinitatem habet hæc Lectio cùm illa Tractatus tertij Metaphyſicalis, vbi quæritur An eſſentia Accidentis ità requirat indiſpenſabilitèr ſubiectum, vt nec per Diuinam potentiam poſſit illo carere; ſicuti etiàm cùm illa alia Lectione Tractatus 4. Metaphyſicalis, vbi quæritur Vtrùm Suppoſitum Angelicum ſit primum ſubiectum eſſendi, an verò propria natura, & cùm alia ſequenti Lectione eiuſdem Tractatus 4. vbi quæritur Vtrùm natura hæc Indiuidua Angelica ſit de facto, vel poſſit communicari pluribus numero ſub eadem ſpecie. Et talem habet affinitatem præſens Lectio cum iſtis citatis, vt non poſſint ſimul eximi ab intelligentia earum propoſitionum, quæ accipiuntur à Thomiſtis vt principia, & vt maximæ indubitatæ in Doctrina D. Thom. Et prima eſt Ariſt. & D. Thom. ſcilicèt quod forma vnius ſpeciei non multiplicatur niſi ſecundum materiam, vel ſecundum receptiuum, & vt vniuerſalitèr veram accipit D. Thom. in 2. 2. quæſt. 24. art. 1. exemplo Charitatis quæ multiplicatur ſecundum numerum voluntatum in quibus recipitur

Digitized by Google

pitur, ſiuè Viatorum, ſiuè Beatorum, & Angelorum; (& illa alia, ſcilicèt quod quæcumque conueniunt in ſpecie, & differunt in numero, conueniunt in forma, & differunt materialitèr) & illa alia, quod ſcilicèt forma ſeparata à materia non multiplicatur quod declaratur à D. Th. exemplo albedinis ſeparatæ, &c. Et illa alia, quod ſcilicèt diuerſitas formæ naſcitur ex forma, & iſta dicitur ſpecifica, & inæqualis; vel à materia, quæ eſt quantitatiua, quæ in incorporeis non eſt intelligibilis, & ſic duæ ſubſtantiæ corporeæ non poſſunt differre ſolo numero. Ità Caietanus qui in 1. p. q. 75. art. 7. ait hoc in loco eſſent diſcutiendæ iſtæ propoſitiones in via D. Th. & Peripathetica, niſi iàm eſſent diſcuſſæ in præcedentibus Lectionibus citatis, & in p. p. q. 41 a. 6. & in q. 50. a. 4. & in 3. p. q. 35. a. 5.

Motiua D. Th. hinc & indè dubitandi.

Motiua tamèn dubirandi, addit Caietanus, circa præſentem Lectionem, ſunt duo loca D. Th. Nàm in p. p. q. 85. a. 4. videtur tenere abſolutè quod repugnet duo Accidentia numero diſtincta eſſe in eadem parte ſubiecti. In libro autèm de ſenſu, & ſenſato videtur concedere, quod plures formæ eiuſdem generis ſecundum eſſe intentionale poſſunt eſſe ſimul tàm in ſenſu, quàm in intellectu, vt ſpecies albi, & ſpecies nigri. Sed quia in q. 8. de Ver. a. 14. declarat mentem ſuam pro vt ſuprà, Ideò Caietanus ait.

1. Notab. Caiet. in quo exponitur illa maxima Ariſt. vnum numero ſunt, quorum materia eſt vna,

Quò ad primùm noto illam maximam ex 5. Met. vbi fundamenta traduntur cuiuslibet ſcientiæ, atque ſeminum rationes habemus, quod vnum numero ſunt, quorum materia eſt vna. Identitas igitur numeralis penès vnitatem attenditur materiæ, nec cum vnitate materiæ ſtat pluralitas formæ eiuſdem ſpeciei. Et propterea ſequentes doctrinam Ariſtotelis, & D. Th. negamus omnes inſtantias, ſcilicèt de lumine, de ſpecie, in medio, ſeù in oculo, & de relatione albi, quod habet multas ſimilitudines ad reliqua alba, & de vna Paternitate quæ pluribus Paternitatibus in vno Patre refertur ad plures Filios. Negantur hæc omnia, quia ſtat formam eſſe vnam in eſſendo, & multiplicem in dependendo, vel in repreſentando, vel in reſpiciendo. Lumen eſt enim vnum lumen ſecundum eſſe, & multiplex in dependentijs; & propterea conceduntur multæ illuminationes, & conceditur, quod eſt multiplex ſecundum vias, ſeù tendentias, ſeù obſtacula; hinc eſt quod apparent multæ vmbræ. Species quoque in medio etiam reſpectu obiectorum in ratione intenſi, & remiſſi, vnica eſt ſecundum eſſe, multiplex autèm in repreſentando, & dependendo, & propterea vt eſt intentionalis huius, ducit ad hoc, & vt illius ad illud. Similitudo etiam albi ad omnia alba, vna eſt relatio in eſſendo, & multiplex in reſpiciendo. Et quando dicitur quod deficit terminus, diſtinguas quod deficit ad defectum termini adæquati, non autem inadæquati, cuiuſmodi ſunt ſingula reſpecta ab vno Patre, ipſorum enim ſingulum inadæquatur extenſiuè; & ideò altero remanente non ſufficit ad hoc vt deſit relatio, quæ erat ad ipſum, ſed ad hoc quod deſinat ipſum reſpicere. Ita Caiet. §. Ad horum euidentiam &c.

Opinio D. Th. vt oppoſita Scoto explicata à Caiet.

Quo ad 2. Caiet. ait in p. p. q. 75. a. 7. in fine Comment. quod Scotus in 2. ſent. diſt. 1. q. 6. non impugnat quod differentia ſecundum eſſe vnibile, vel non vnibile materiæ infert diuerſitatem ſpecificam, ſed impugnat quod iſta ſit prima radix indiuiduationis, quod S. Th. non dixit, ideò non opportet Reſpondere; ſed potiùs in loc. cit. eſſet difficultas quomodo vnibilitas ſit de eſſentia Animæ vt S. Th. in Reſp. ad tertium dicit, ſed iàm plura diximus de hac re in Comment. de Ente, & Eſſentia in materia de indiuiduatione Animæ ſeparatæ, & in quæſt. de Inhærentia accidentis, & potes etiàm legere Commentaria noſtra in p. p. ſuper illum articulum quomodo Angelus, & Anima differant ſpecie. Aduerſarios, quos habemus multos in defendendo illam maximam, ſcilicet quod forma vnius ſpeciei non multi-

Digitized by Google

plicatur ſecundum materiam iuxtà ſenſum explicatum in Titulo, poteris videre, ſcilicet Scotum, Aureolum, Adam, & alios, quorum inſtantiæ ſoluentur à nobis infrà pro quanto impugnant hoc, & probant oppoſitum, ſcilicet quod inuenitur multiplicatio formæ accidentalis in eadem materia, vt etiam tetigimus illas in notabili ſuprà vnico. Quidquid ſit de alijs, qui probant ſent. D. Th. ſcilicet quod non poſſint eſſe in eodem ſubiecto duo accidentia numero non ex fundamento noſtro Thomiſtico, ſed vel pro vitanda ſuperfluitate, vel ratione identitatis, quia ſcilicet poſito accidenti eiuſdem ſpeciei cum alio in eadem parte ſubiecti, redigitur in vnum cum illo, ſicut ſi miſceantur duo liquores. Ità Caiet. loc. cit. qui accuratiſſimè in omnibus ſuis Commentarijs, quæ de hac re tractant, ità aduerſariorum Argumenta ſoluit, vt nihil amplius deſiderari poſſit, quorum multa ſunt aſportata ex 3. p. q. 35. a. 5. in ſua Phyſica lib. 2. q. 12. Eſto Capreolus in 2. ſent. diſt. 3. q. 2. in Reſp. ad Argumenta facta contrà nonam Concluſionem teneat quod in aliquo ſenſu concedi poſſit, quod duo Accidentia eiuſdem ſpeciei poſſint eſſe ſimul in eodem, & in aliquo non. Ità Caiet.

Vnica Concl. Caiet. cum ſua probatione, quod repugnat eſſe duo accidentia numero in eadem parte ſubiecti ex D. Th.

Quo ad tertium vnica Concluſio ponitur à Caietano ſic ex D. Th. Implicat contradictionem, quod indiuiduato accidenti à ſubiecto ſint duo numero accidentia diſtincta in eodem ſubiecto, ac in ipſo recipiantur.

Probatur à Caietano ratione fundamentali D. Th. ſub tali forma. Diuiſio numerica debet cauſari, & oriri ex aliquo principio materiali diuiſo; ergo non multiplicato hoc principio, nec multiplicabitur forma: ſed ſubiectum eſt principium indiuiduans accidentia reſpiciendo illa; ergo ſi principium hoc materiale non diuiditur ità quod ab ipſo non incipiat diſtinctio materialis non poterit dari multiplicatio indiuidualis formæ accidentalis numerica; ergo in eadem parte ſubiecti impoſſibile eſt, quod ſint duo numero accidentia diſtincta. Antecedens fundatur in illa maxima toties decantata in doctrina Ariſt. & D. Thomæ præcipuè in 3. p. q. 35. a. 5. quod omnis diuiſio fit aut per principia formalia, aut per quantitatem, ſeù diuiſionem materialem, ità vt remota diuiſione materiali, & quantitatiua ex parte ſubiecti, & ſtante voitate formali ipſius formæ non datur principium multiplicationis numericæ. Minor patet ex dictis ſuprà, ab hoc enim ſubiecto, diximus, prouenit in communicabilitas; imò ſi forma accidentalis ſemel indiuiduatur per ordinem ad hoc ſubiectum in quo producitur ſiuè proprium, ſiuè extraneum, etiàm ſi poſteà ſeparetur, vel in alio ſubiecto ponatur non amittit indiuiduationem ſuam, quia retinet ordinem, & reſpectum ad illud primum ſubiectum, vndè indiuiduatum fuit. Ità Caietanus loc. cit. ex D. Thoma.

1. Arg. Caiet. ex Scoto contrà Concl.

Quo ad quartum Caiet. arguit ex Scoto contrà Concluſionem in p. p. q. 41. a. 6. in fine illarum obiectionum, quas breuitèr ſolutas dedimus in illo notabili vnico ſuprà ſic. Non eſt ſana doctrina, infert Scotus, dare concluſionem adeo certam, & neceſſariam per propoſitiones nimis generales, & cum tot inſtantijs: ergo illa maxima ſuper quam fundat D. Th. ſuam Concluſionem nullius eſt roboris.

Reſp. Caiet. ad Arg. Scoti.

Reſp. Caietanus quod Scotus fallitur, quia doctrina illa tradita in illo art. 6. q. 41. cit. non eſt noua, ſed fortè aſcendens ad altitudinem intenti D. Th. Nominauit autèm irreceptibilitatem eſſe immaterialitatem. Tùm quia in ſubſtantijs ſeparatis irreceptibilitas non niſi immaterialitatem ſubſiſtentem in ſpecie ſignificat. Tùm quia potentia receptiua ex parte materiæ ſe tenet, & facilè propterea erat ex hac illam intelligere, & ſic patet ratio D. Th. ſumpta in a. 6. cit. ex communibus omninò immaterialibus formis ſubſiſtentibus. Nec inconuenit eam adduxiſſe, vt innuit Scotus, ad proprietates perſonales, imò neceſſe fuit, quia ipſæ de talium numero ſunt,

ſunt, & non cognoſcimus eas ſecundum ſe ipſas, ſed ex Creaturis vt poſſimus, ad eas, aſcendere, vt teneamus Concluſionem certam, & neceſſariam ex propoſitione, & maxima certiſſima communi omnibus Philoſophis, imò communi animi conceptione ſapientum. Ità Caietanus in a. 6. cit. in Reſp. ad Scotum, Aureolum, & Adam.

2. Arg. Caiet. ex Scoto contra vt ſuprà cũ ſua Reſp.

Arguit 2. Caiet. ibidem. Poſſunt duo ignes applicari circà idem lignum: ergo poſſunt duo calores ſolo numero diſtincti recipi in eodem ſubiecto: ergo ſubiectum non eſt primum, & radicale principium indiuiduationis.

Reſp. Caietanus in 3. p. q. 35. a. 5. quod illi duo ignes agent circà diuerſas partes ligni, cui applicantur; vnde ſi illi duo ignes eſſent æqualiter diſtantes ab eadem parte ligni, neuter ageret in eam; ſi autèm eſſent ambo æqualis intenſionis, ſe ſe inuicem impedirent; ſi autèm vnum excederet alterum in intenſione, ille ſolus ageret, qui eſſet intenſior, & non ille qui excederetur. Ità Caietanus.

Arg. 3. Caiet. contrà pro vt ſuprà.

Arguit 3. Caietanus. Si ſubiectum non poteſt recipere plura accidentia eiuſdem ſpeciei niſi diuidatur: ergo neq; plura indiuidua ſpeciei diuerſæ: ergo etiàm ad dandas illas diuerſas indiuiduationes requiretur diuerſitas ſubiecti: ſed hoc eſt falſum: ergo & falſum eſt &c. Conſequentia patet quia illa verè plura indiuidua ſunt.

Reſp. Caiet. ad 3. Arg.

Reſp. Caiet. negando ſequelam, cùm alia ſit ratio de indiuiduis numericis, & de indiuiduis ſpecificis. In receptione plurium accidentium ſpecie non fit multiplicatio numeralis, ſed ſpecifica poſita tamèn in ſuis indiuiduis, & ideò non indiget diuidi principium materiale, cum diuiſio fiat ex parte formæ, & diſtinctionis formalis, ſed ſufficit ponere capacitatem plurium formarum ſpecie diuerſarum in ſubiecto, quæ vt docet D. Th. q. 8. de Verit. a. 14. recipiuntur ſecundum diuerſas potentias ſubiecti, ideſt ſecundum diuerſos reſpectus participandi formas; ſicut dulcedo recipitur ex participatione humidi, albedo ex participatione lucis. Hæc autem capacitas non inuenitur in materia prima ad plures formas ſubſtantiales ſimul habendas, quia quælibet forma ſubſtantialis habet priuationem alterius, quia quælibet dat primum eſſe, & eſſe ſimpliciter. Cæterùm quando non dantur formæ diuerſæ ſpeciei, ſi multiplicatio debet fieri, cùm non oriatur ex parte formæ, vt forma, oriri debet ex diuiſione principij materialis, quod eſt proximum ſubiectum, ſeù receptiuum, quia per illud accidens habet repugnantiam eſſendi in alio, ſeù ſe communicandi alteri ſubiecto; Et ſubiectum licet non ſit intrinſecum accidenti, accidens tamèn dicit intrinſecam habitudinem ad illud tanquàm ad receptiuum ipſius. Et ratio huius eſt, quia accidens eſt entis ens, ſeù ens in alio, ac proindè non à ſe, nec ab aliquo ſibi intrinſeco, ad differentiam indiuidui ſubſtantiæ materialis, debet radicaliter indiuiduari. Ità Caiet.

Reſp. Thomiſtarum antiquorum ad illa duo loca ſeù motiua opinandi hinc & inde allata ſuprà in fine tituli.

Alij Thomiſtæ antiquiores diuerſimodè loquuntur gloſando D. Th. in p. p q. 85. a. 4. quod loquitur ibi de accidentibus eiuſdem ſpeciei ſecundum eſſe perfectum, ſiuè illud eſſe ſit intentionale, ſiuè reale, quando ibi dicit impoſſibile eſſe &c. Sed in lib. de ſenſu, & ſenſato cit. in motiuis allatis in fine declarationis tituli ſuprà dicunt quod loquitur de formis intentionalibus ſecundum eſſe imperfectum non enim ſpecies intentionales ſunt in actu perfecto in ſenſu, & in intellectu, niſi, dum actu mouent ſenſum ad ſentiendum, vel intellectum ad intelligendum, ità quod quamdiù ſunt in actu perfecto ſenſus vel intellectus ſunt coniuncti actui ſecundo, & quando ceſſant ab actu ſecundo iſtæ formæ intentionales non remanent niſi in habitu, quod eſt eſſe in actu imperfecto impoſſibile eſt igitur quod duæ formæ eiuſdem generis ſiuè ſint contrariæ, ſiue non, ſiuè ſecundum eſſe reale, ſiuè in-

intentionale ſub actu perfecto ſe compatiantur in eodem ſubiecto, & multo minùs de duabus numero formis, & quæ ex ſui natura minorem ſecum ferunt diſtinctionem.

Appendices ad Lectionem 8. Metaphyſicalem in Tract. de Principio Intrinſeco indiuiduationis indiuidui vt ſic Metaphyſici.

MArcus Ferro in Tract. de Myſterio Sanctiſſimæ Trinit. p. p. q. 41. a. 6. pag. mihi 694. vſq; ad pag. 707. dilucidat, & formalizat illam maximam D. Th. Ariſt. & Caiet. ſcilicet quod forma vnius ſpeciei non multiplicatur numero niſi ſecundum materiam, nomine materiæ intelligendo D. Th. omne receptiuum quodcumque ſit illud ſiuè ſit materia prima quæ recipit formam ſubſtantialem, ſiuè ſit compoſitum materiale quod recipit accidentia materialia vt albedo; ſiuè ſit ſubſtantia ſpecialis vt Anima intellectiua, quæ recipit ſuas potentias; ſiuè ſit Angelus, qui in ſe recipit ſuum intelligere, & velle vt probat D. Th. in c. 5. de Ente, & Eſſentia circà medium.

Hoc idem defendit Blaſius à Conceptione citans Capreolum in p. ſent. diſt. 9. q. 2. a. 3. Flandriam 5. Met. q. 9. Soncinatem 7. Met. q. 4. Salmant. in Tract. de indiuiduatione diſp. 2. d. 3. & alios quam plures. Pro oppoſita ſententia citat Suarezium in primo Tom. ſuæ Metaphyſicæ diſp. 5. ſect. 8. citantem alias pro ſua ſentententia oppoſita.

Legatur Iauellus in 5. Met. q. 18. qui citat D. Th. in q. 85. a. 4. vbi quærit S. Th. vtrum poſſimus multa ſimul intelligere, & probat non poſſe cum Caiet. quia impoſſibile eſt idem ſubiectum ſimul perfici pluribus formis eiuſdem generis, & in in fine q. 18. ait Iauellus, non eſt audiendus Antonius Andreas, & Iandunus in 5. Met. q. 36. qui ſentiunt oppoſitum. Et illa gloſa data in Reſp. ad vlt. Argumentum ſuprà ad auctoritatem in lib. de Senſu, & Senſato eſt eiuſdem Iauelli conciliantis illa duo dicta D. Thomæ.

Legas etiam litteram D. Thomæ art. 6. p. p. quæſt. 41. vbi quærit S. Th. vtrum actus notionalis, ad plures perſonas terminari poſſit cum formalitatibus Ven. Porrectæ maximè in Reſp. ad ſecundum, & Comment. Caiet. ex quibus extraximus omnia quæ ſunt in præſenti lectione Ibi examinatur propoſitio D. Th. Formæ vnius ſpeciei, non multiplicantur niſi ſecundum materiam.

LE-

Digitized by Google

LECTIO IX.
METAPHYSICALIS
In Tractatu
DE PRINCIPIO INDIVIDVATIONIS INTRINSECO INDIVIDVI VT SIC METAPHYSICI.

Vtrùm Anima humana Indiuiduetur ex ſe ipſa.

Ex Caiet. cap. 6. de Ente, & Eſſentia q. 13. & p. p. q. 41. a. 6.

Declaratio Tituli, eiuſq; ſenſus cum auctoritatibus, & locis D. Thomæ omnibus, data à Caiet.

CAietanus in ſua Phyſica 1. Phyſ. q. 4. explicat hoc prædicatum materiæ primæ, ſcilicet quod indiuiduet, & quomodo multiplicet formas ipſa materia explicat ex alio principio ibi deſumpto ex q. 119. a. 1. In præſenti lectione, ait, nos expreſsè quærimus de ſola Anima humana occaſione quorumdam Auuerroiſtarum, qui videntes quod Anima intellectiua non eſt educta de potentia materiæ, & quod per conſequens non poteſt recipere diuiſionem, errauerunt dicentes, Deum non poſſe multiplicare numeraliter Animas intellectiuas. At ſententia S. Thomæ expreſſa, cum ſit etiam de Anima intellectiua ſeparata, quod multiplicentur numero eſto non habeant materiam ex qua, quia ex ipſa non componuntur; neque de qua, quia non educuntur de ipſa, neque in qua ſint actualiter, quia ſunt ſeparatæ à materia, ideò quærimus formaliter quomodò, & ex quo indiuiduatæ remaneant in ſtatu ſeparationis ipſæ animæ, & ſint plurificatæ numero; ex eo maximè quia S. Doctor in c. 6. de Ente, & Eſſentia dicat ſic: Et licet indiuiduatio Animæ ex corpore occaſionaliter dependeat, quantùm ad ſui inchoationem, quia non acquirit ſibi eſſe indiuiduatum niſi in corpore cuius eſt actus, non tamen opportet vt deſtructo corpore indiuiduatio pereat, quia cùm habeat eſſe abſolutum: ex quo acquiſitum eſt ſibi eſſe indiuiduatum ex hoc quod facta eſt huius corporis forma, illud eſſe ſemper remanet indiuiduatum; & ideò dicit Auicenna, quod indiuiduatio animarum, & multiplicatio dependet ex Corpore quantùm ad ſui principium, ſed non quantùm ad ſui finem. Idem dicit D. Th. in 2. c. g. c. 81. quod duæ Animæ humanæ ſunt duæ formæ ſolo numero diſtinctæ, non autem formaliter: Alia eſt enim diſtinctio formarum, & alia eſt diſtinctio formalis, & iſta differentia numeralis petitur à diuerſis numero Commenſurationibus ad corpora diuerſa numero. Locus vniuerſalis D. Th. reſpectu cuiuſcumq; formæ eſt in p. p. q. 3. a. 2. ad 3. vbi ait quod formæ quæ ſunt receptibiles in materia indiuiduantur per materiam. Et alius eſt in p. ſent. diſt. 8. q. 5. a. 2. ad 6. vbi ait indiuiduatio Animæ dependet à Corpore, & in q. de ſpiritualibus creaturis a. 9. ad 4. ait Animam rationalem indiuiduari per ordinem ad Corpus. Et in p. p. q. 52. a. 3. & 4. ait quod duæ Animæ non ſunt in eodem Corpore. Et in p. p. q. 76. a. 2. ad primum dicit quod Anima rationalis habet materiam in qua, non

gu-

autèm materiam ex qua. Et ad ſecundum indiuiduatio Animæ rationalis dependet à corpore in fieri non autèm in eſſe. Et in c. 2. 2. ait quod Animarum diuerſitas, & multitudo cauſatur ex multitudine Corporum. Et in q. 6. a. 2. in corp. & q. 79. a. 5. in corp. ait quod Animæ rationales multiplicantur ſecundum numerum in eadem ſpecie, & hoc non obſtat dicto in q. 50. a. 3. & 4. & q. 76. 2. p. ad 1. ſcilicet quod Anima rationalis ſit forma immaterialis, & quod ſubſtantiæ immateriales non multiplicantur ſecundum numerum in eadem ſpecie, non obſtat, inquam, quia Animæ rationales dicuntur immateriales, quia non ſunt dependentes à materia, vt habetur in p. p. q. 75. a. 6. ad primum, & in 2. ſent. diſt. 17. q. p. a. 2. ad 5. ex quibus auctoritatibus D. Th. nos mouemur, addit Caiet. ad videndum cum magna attentione, qua ratione Anima intellectiua quæ eſt vl ima intèr formas intellectuales, multiplicetur numero, & remaneat numero multiplicata in ſtatu ſeparationis. Ità Caiet. loc. cit.

Primum notab. Caiet. in quo ex D. Th. datur triplex differentia formarum.

Quod ad primum. Notat primo Caiet. in c. 6. de Ente, & Eſſentia, quod formæ ex D. Thoma ſunt in triplici differentia. Quædam fiunt in materia, & educuntur de potentia materiæ, vt formæ materiales. Quædam fiunt in materia, ſed non educuntur de potentia materiæ, vt Anima intellectiua, quæ deforis venit. Quædam nec fiunt in materia, nec educuntur de potentia materiæ, vt formæ omnino ſeparatæ à materia; ſcilicet intelligentiæ; non poteſt autèm dari quartum genus earum, quæ educantur de potentia materiæ, & non fiant in materia, cum hoc implicet, vt de ſe patet. Et illæ quidem, quæ nec educuntur de potentia materiæ, nec fiunt in ea, ſunt omninò independentes, & ſeparatæ à materia, & inmultiplicabiles numeraliter, vt probatum fuit in præcedentibus. Primi generis, & ſecundi formæ quia conueniunt in hoc quod fiunt in materia, habent hoc commune, quod oportet vtraſque eſſe coaptatas, & proportionatas ſuis materijs receptiuis, in quibus fiunt: proprios enim actus oportet in proprijs fieri materijs vt dicitur in ſecundo de Anima tex. Comm. 24. & 26. Forma namq; Leonis debet eſſe commenſurata Corpori Leonino ità quod non illi &c. & ex hoc conueniunt, quod vtriuſq; generis formæ oportet ſimul multiplicari in proprijs corporibus; Quæcumque enim quando ſunt inuicem coaptata, & proportionata, oportet quod ſimul recipiant multitudinem, & vnitatem, vt patet de ſingulis diſcurrendo: ſemper enim multiplicationem formarum in vna ſpecie comitatur multiplicatio corporum in illa ſpecie, & è conuersò; alitèr vel vna forma eſſet in diuerſis materijs, vel diuerſæ materiæ ſub vna forma, quorum vtrumq; eſt impoſſibile. Ità Caiet. loc. cit.

2. Notab. Caiet. in quo explicatur idem quod ſuprà.

Notat 2. ibidem Caiet. quod ex eo quod formæ primi generis educuntur de potentia materiæ, & non ſecundi generis, differunt in hoc intèr ſe, quod primi generis habent eſſe dependens a materia ſicut à cauſa materiali cauſante earum eſſe, & ſuſtentante; ſecundi generis autèm habent eſſe excedens totam materiæ capacitatem, & independens ab ea, vtpotè non cauſatæ ex illa. Et ex hoc differunt ſecundò quod primi generis tàm vnitas, quàm multitudo à materia dependens eſt, ſicut & eſſe; & ideò ſicut deſtructis corporibus ipſæ deſtruuntur, ità vnitas, & pluralitas earum; ſecundi generis verò tàm vnitas, quàm multitudo independens eſt à materia, ſicut & eſſe; & ideò ſicut deſtructis corporibus earum eſſe remanet, ità vnitas, & pluralitas. Et hoc eſt quod intendit D. Th. dicens, indiuiduationem Animæ, ideſt vnitatem eius, & ſimiliter intelligendum eſt de pluralitate occaſionaliter ex corpore dependere. Dependet enim hoc modo quia fit in Corpore non autèm ità quod educatur de potentia corporalis materiæ, & hoc eſt quod ſubdit, quia non acquirit illud in corpore. Quia cum habeat eſſe abſolutum ideſt independens à

cor-

Digitized by Google

cŏrpore cŏrrŭptŏ corpore, abſq; iſto remanere poteſt. Et ideò Auicc. dicit indiuiduationem Animæ ex corpore in ſui initio dependere, non autèm in fine, quia non fit niſi in corpore. Poteſt autèm eſſe de facto, & poſt mortem ſinè corpore. Ità Caietanus antè q. 13. in fine declarationis tex. cap. 6.

Tertium Notab. Caiet in quo exponitur quomodo cōmēſuratione ſubſtantiali ad hoc corpus indiuiduatur Anima rationalis, & fiat hæc.

Notat 3. Caiet. in q. 13. c. 6. §. nos autèm &c. quod Commenſuratio ſumitur dupliciter vno modo pro relatione Commenſurationis; alio modo pro ipſa ſubſtantiali coaptatione rei. Primo modo Commenſuratio eſt res reſpectiua eſſentialiter, & in genere relationis; ſecundo modo eſt res abſoluta, & de prædicamento rei Commenſuratæ eſt enim idem eſſentialiter quod ipſa, ſed ſola ratione differens ab ipſa; & ſimiliter dico de inclinatione, aptitudine, coaptatione, ſigillatione, & ſimilibus, quæ ad propoſitum exprimendum aſſumuntur. Abſolutum quoque pro nunc ſumitur dupliciter vno modo à termino, & ſic dicimus ſubſtantiam, quantitatem, & qualitatem eſſe entia abſoluta; alio modo à receptiuo, ſeù ſubiecto, & ſic nullum prædicamentale accidens eſt abſolutum, ſunt enim eſſentialiter receptibilia in ſubſtantia. Cum ergo dicitur quod Animæ ſuis commenſurationibus indiuiduantur, intelligendum eſt ſubſtantialibus, quæ ſunt res abſolutæ, à terminis, & ſi non receptiuis, & non commenſurationibus quæ ſunt relationes &c. Sicut namq; de eſſentia Animæ incommuni eſt, quod eſſentialiter ſit proportionata corpori Phyſico organico, quod in eius definitione ponitur ità de eſſentia Animæ humanæ eſt, commenſurari corpori humano; eſt namq; ità perfectiua corporis humani, quod non Bouini; ſic quoq; de eſſentia huius Animæ eſt commenſuratio ad hoc corpus; & ſic commenſuratio ad corpus humanum non ſequitur Animam iàm humanam, ſed conſtituit ipſam humanam. Per hoc enim differt primò Anima hominis ab Anima Bouis, quia illa eſt actus proprius cŏrporis humani, iſta verò corporis Bouini. Conſtat autèm quod idem eſt eſſe actum proprium corporis humani, & eſſe ſubſtantialem ſubſtantialitèr commenſuratam perfectionem eius. Ità ſubſtantialis Commenſuratio huius Animæ ad hoc corpus non ſequitur Animam hanc, ſed conſtituit ipſam hanc; eſt enim hæc Anima ſubſtantialiter proprius actus huius corporis; vndè hæc Anima ab illo primo differt, quia illa eſt proprius actus huius corporis, illa verò proprius actus alterius. Ità Caiet. loc. cit.

Opinio Scoti, & opinio D. Th. contrariæ recitantur, & explicantur à Caiet. & illa D. Th. eſt conformis principijs Ariſt.

Quo ad 2. Caiet. in q. 13. c. 6. de ente, & eſſentia recitat opinionem Scoti hoc modo. Scotus in 2. ſent. diſt. 4. q. vlt. & in quolibetis q. 2. ſequens poſitionem ſuam de hæcceitatibus tenet Animam ſuam propria hæcceitate indiuiduari: nos autèm peripathetica fundamenta ſequentes Animam indiuiduari commenſuratione ſubſtantiali ad hoc corpus dicimus, & hanc Animam, & illam diſtingui commenſurationibus ſuis ad hoc, & illud corpus. Et poſitio iſta eſt conueniens principijs Ariſtotelis, qui in lib. 1. de partibus Animalis docet quod propriæ differentiæ alicuius diuiſi debent eſſe per ſe diſtinguentes illud in eo quod tale, v. g. propriæ differentiæ Animalis non debent eſſe album, & nigrum, quæ non diuidunt Animal in eo quod Animal: Stat enim identitas Animalis cùm illarum diuerſitate, nec debet nauigatiuum, & volatiuum, quia non diuerſificant hæc per ſe naturam ſenſitiuam, ſed debent eſſe tale, & tale ſenſitiuum: Animal in eo quod Animal, ſenſitiuo conſtans, non diuerſificatur per ſe niſi per differentias ſentiendi. Sic cùm Anima in eo quod talis ſit eſſentialiter actus corporis phyſici, & actus talis corporis, vel talis, & talis corporis puta humani proprijs differentijs diuiditur, materialibus tamèn, per hoc quod eſt huius corporis, vel illius. Indiuiduantur ergo Animæ ipſæ commenſurationibus ſubſtantialibus. Et non conſiderare hoc, addit Caietanus eſt cauſa erroris eorum, qui de omnibus volunt eodem modo iudicare, quibus dùm non conſide-

derant proprias rerum naturas, & res, ſuis conceptibus adæquare volunt, accidit, vt de omnium indiuiduatione eandem profeꝛant ſententiam, & in eorum numero ſint, de quibus dicitur 2. Cæli tex. Comm. 80. quod quærunt vſquequò non habeant contradicere ſibi ipſis, vt Durandus in 2. ſent. diſt. 3. q. 2. qui ad ſua principia conſequenter loquendo, vult quod Anima indiuiduetur per ſuam hæcceitatem. SS. tamèn Præc. in 2. c. g. c. 88. & in q. de Anima, & vbicumq; de hac re agit, & loquitur docet vt ſuprà, quem defendunt omnes Thomiſtæ antiqui. Ità Caiet. loc. cit.

Concl. 1. Caiet. ex D. Th. cum ſua probatione probante pluralitatem Animarum numeralem eſſe ex coniunctione ad corpus multiplicatum.

Quo ad 3. Caietanus in q. 13. ſuper cap. 6. de Ente, & Eſſentia ex D. Th. ponit hanc vnicam Concl. Efficax ratio ad conuincendam pluralitatem Animarum numeralem, eſt coniunctio ipſius Animæ ad corpus numeraliter multiplicatum.

Probatur à Caiet. ſub tali forma. In tex. loc. cit. à D. Th. nulla alia aſſignatur cauſa huius, niſi vnio ad corpus: ergo ſignum eſt quod nulla alia efficacior ſit ratio, quàm hæc. Patet conſequentia quia ſi eſſet alia, certè quod Auctor vel hic, vel alibi aſſignaſſet. Prob. ant. S. Th. ſic diſcurrit in Textu. Omnis forma ſit vnita corpori, quæ dat ei eſſe formaliter, neceſſariò multiplicatur ſecundum multiplicationem illius, alioquin plura corpora haberent idem eſſe numero: ab vna enim forma non prouenit niſi vnum numero eſſe ſubſtantiale, ergo meritò ex vnione ad corpus Anima multiplicari numeraliter dicitur, quia diſtinctio numeraliter, cum non ſit formalis opportet quod ſit ſecundum quantitatem, vt declaratum fuit ſuprà; ſecundum quãtitatem autem eſſe non poſſet talis diſtinctio in Anima ſi forma non eſſet rei quantæ, vt intelligentiæ ipſæ oſtendunt. Verum igitur eſt quod efficax ratio ad concludendam pluralitatem numeralem animarum eſt coniunctio ipſius Animæ ad corpus numeraliter multiplicatum. Ità Caietanus.

2. Concl. Caiet. ex D. Th. cum ſua probatione concludente multiplicationem numeralem Animarum rationalium remanere in ſtatu ſeparationis.

Secunda Concluſio ponitur à Caiet. ex D. Th. in p. p. q. 41. a. 6. ſic. *Multiplicatio iſta numeralis Animarum, remanet in ſtatu ſeparationis per diuerſas commenſurationes ad diuerſa numero corpora.*

Prob. à Caiet. ſub tali forma. Per illam diuerſam Commenſurationem ad diuerſa numero corpora, Impoſſibile eſt quod hæc Anima, alterius corporis Anima eſſe poſſit: ſed illæ commenſurationes diuerſæ remanent in Animabus ſeparatis: ergo in Animabus ſeparatis remanet pluralitas numeralis, non per actualem, ſed per aptitudinalem commenſurationem ad corpus. Maior prob. in vlt. notab. ſuprà. Et Argumenta Scoti probant quod Anima prius eſt hæc, & indiuidua quam actualiter ſit vnita corpori, non autem priuſquàm aptitudinem habeat ad corpus, ex qua aptitudine ponitur indiuidua. Et quando Anima creatur eſto in aliquo ſigno naturæ non ſit corpori actualiter vnita, & non obtineat aptitudinem illam pro relatione, & pro formali, ſemper tamen habet fundamentũ illius habitudinis, & ſubſtantialem illam commenſurationem per quam dicimus indiuiduari, quam quidem, & etiàm à corpore ſeparata retinet, licet tunc non indiuiduetur per illam, quoniam quam ſemel initio indiuiduationem eſt ſortita, perpetuò ſeruat. Ità Caietanus loc. cit. explicat radicitùs ex D. Th. indiuiduationem Animæ.

1. Arg. Caiet. ex Scoto contrà 1. & 2. Concl.

Quo ad 4. Arguit 1. Caiet. ex Scoto. Forma multiplicata ad multiplicationem corporis deſtructis corporibus non remanet in ſua multitudine: ſed Anima humana multiplicata eſt ad multiplicationem corporis: ergo non poſſunt remanere multæ Animæ deſtructis corporibus. Proceſſus bonus, ſed Concluſio falſa: ergo altera præmiſſarum; non Maior vt probatur: ergo Minor.

Reſp. Caiet. ad Arg. Scoti.

Reſp. Caiet. ex notabilibus ſuis ſuprà quod Maior eſt falſa de ſecundo ordine formarum, qualis eſt Anima humana; Ad prob. eius iàm patet quid dicendum ſit, quia corporum multiplicatio non eſt propriè cauſa, ſed occaſio, & non niſi in fieri multi-

tudi-

Digitized by Google

tudinis Animarũ ceſſante autem cauſa inſieri non ceſſat effectus quò ad eſſe. Ità Caiet.

Argum. 2. Caietani ex Scoto,

Arguit Caiet. contrà id quod dicitur in Concl. 2. ſcilicèt quod Anima eſt hæc per aptitudinem eſſendi in materia, quàm ſemper retinet. Quod conuenit vni, & repugnat alteri eiuſdem ſpeciei non conuenit per ſe huic, ſecundum id quod commune eſt iſtis, vel ſaltèm præexigit eorum neceſſariò diſtinctionem, ſcilicèt huius ab illo: ſed hæc aptitudo conuenit huic Animæ, & repugnat illi: ergò neceſſariò præexigit diſtinctionẽ huius ab illa: ergò Animæ non indiuiduantur aptitudinibus.

Confirmatio Argumenti Scoti.

Confirmatur. Ratio aptitudinis formalitèr loquendo non eſt de ſe, ſed hæc eſt ratio entis in actu: ergò non poteſt eſſe principium indiuiduatiuum Animæ. Antecedens prob. pro prima parte, quia ſi eſſet de ſe poſſet intelligi non ad aliud, vt ad terminum, quod eſt falſum. Pro ſecunda parte prob. quia quòd neceſſariò exigit aliquid non exiſtens, ipſum eſt non exiſtens in actu; aptitudo autèm eſt ad Terminum non exiſtentem; ergò eius ratio non eſt entis ratio in actu. Conſequentia patet, quia diſtinctio relatiua præſupponit diſtinctionem abſolutam: quia enim Anima eſt hæc, ideò habet hanc aptitudinem, & non è contrà; & quia hæc Anima eſt ſingularis ſingularitate actuali ſinè in actu, non eſt hæc aptitudine ad hoc Corpus. Et hæc ſunt quæ ſentiunt Aduerſarij. Ità Caietanus.

Reſponſio Caiet. ad Argum. 2.

Reſp. ad Argum. Caiet. quod Animæ indiuiduantur per aptitudinem ſubſtantialem, ſeù Commenſurationem formalitèr; per vnionem verò actualem ad corpus occaſionalitèr, ideſt tanquàm per conditionem ſine qua non; & quia prius natura ineſt rei ratio formalis, quàm conditio ſine qua non, ideò dicimus quod, &c. Sic ſemper cum grano ſalis diſcurrendum eſt de indiuiduatione Animæ; vndè ad Argumentum in forma Reſp. Caietanus, quod aſſumit hoc falſum, ſcilicèt quòd natura huius Animæ ſit prior ſua aptitudine ſubſtantiali; vndè Maior Argumenti eſt falſa, ſcilicèt quod quodlibet conueniens vni, & repugnans alteri eiuſdem ſpeciei præexigat diſtinctionem ipſorum: ſtat enim quod non præexigat, ſed faciat diſtinctionem ipſorum: ſicut quod conuenit vni ſpeciei, & repugnat alteri eiuſdem generis non opus eſt quod præexigat illarum ſpecierum diſtinctionem, ſed ſtat quod faciat earum diſtinctionem, v. g. rationale conuenit homini, & repugnat Leoni, & irrationale conuenit Leoni, & repugnat homini; & tamèn rationale, & irrationale non præexigunt diſtinctionem hominis, & leonis, ſed faciunt; vndè ſubſumas ſub illa maiori, ſed hæcceitas Animæ Socratis conuenit ſibi, & repugnat Animæ Platonis, ergò hæcceitates ſupponunt ipſas diſtinctas.

Reſponſio Caiet. ad Confirmationem,

Ad Confirm. Reſp. Caietanus, quando dicitur quod ratio aptitudinis non eſt ad ſe, dico quod ratio aptitudinis ſubſtantialis de qua loquimur eſt ad illud, ſed non vt ad Terminum, ſed vt receptiuum. Probatio autèm contrà hoc nihil facit: concedendo enim quod poteſt intelligi non ad aliud vt terminum, ſed ad aliud vt receptiuum, ſicut quantitas, & qualitas abſolutæ ſunt à termino, non tamèn à ſubiecto. Et ad id quod ſecundo loco adducitur, ſcilicet quòd ratio aptitudinis nõ eſt ratio entis in actu, dico primò quòd falſum eſt: Aptitudo enim ad ridendum, ſcilicèt riſibilitas habet rationem entis in actu primo, potentiam tamèn ad actum ſecundum habet. Probatio verò vtriuſque probationis eſt falſa. Et Maior quidem, ſcilicèt quod neceſſariò exigit aliquid non exiſtens ipſum eſt non exiſtens in actu; quælibet enim potentia Actiua in actu primo tantùm, exigit operationem ſuam non exiſtere, eſt tamèn ipſa exiſtens in actu. Minor verò, quia aptitudo ſubſtantialis Animæ ad Corpus non excludit Corpus, ſed compoſitio ex contrarijs eſt, quæ facit aptitudinem Animæ eſſe abſque actuali vnione.

Reſp. 2. Caiet. ad Confirmationem

Reſp. ſecundò Caietanus, quod æquiuocamus de aptitudine; Aptitudo enim iſta,

Digitized by Google

quàm in Anima intelligimus non eſt niſi Commenſuratio, ſeù ſubſtantialis ſigillatio ipſius Animæ ad hoc Corpus, quàm conſtat eſſe in actu, & dùm eſt corpori vnita, & dùm ſeparata eſt ab eo, ſicut in exemplo de cera liquet. Argumentum autèm procedit, ac ſi aptitudo iſta eſſet quid potentiale expectans aliquid quod reducat ipſam in actu, &c. Ad conſequentiàm patet quid dicendum ſit, quia non eſt talis diſtinctio, relatiua, ſed abſoluta relatiuè tamèn ad receptum &c. Ità Caiet. loc. cit.

Appendices ad Lectionem 9. Metaphyſicalem in Tractatu de Principio Intrinſeco indiuiduationis indiuidui vt ſic Metaphyſici.

MAgiſter Raphael Ripa in ſùa q. 3. ſuper cap. 6. de ente, & eſſentia à pag. 796. vſque ad pag. 803. dilucidat doctrinam Caietani de Indiuiduatione Animæ rationalis etiàm in ſtatu ſeparationis, eſto in ſe, vtpotè eadem D. Thomæ, ſit euidentèr clara. Et notat Ripa quod Caietanus, & Ferr. 2. c. g. c 75. & 81. concordant ad inuicem eſto ſub diuerſis terminis loquantur, quia id quod vocat Caietanus in Commenſuratione ad Corpus, relationem, & Commenſurationem formalitèr, Ferr. vocat habitudinem formalem; & quod Caietanus vocat ſubſtantialem rei coaptationem, commenſurationem fundamentalitèr; Ferr. appellat fundamentum habitudinis, & ſic dicentes ambo quòd Animæ indiuiduantur per diuerſas habitudines, ſeù per diuerſas commenſurationes ad corpora idem prorſùs dicunt, & ſentiunt, reſolutè dicentes, quod Deus creat hanc Animam, & ſe ipſa Anima eſt hæc, nullo ſcilicèt ei realitèr ſuperaddito, in ly ſe ipſa tamèn ambo intelligunt includi intrinſecè habitudinem ad corpus contrà Scotum, & Durandum, vndè ſi non eſſet hoc corpus, cui Anima eſſet vnibilis, non eſſet hæc, quoniàm non acquireret eſſe, cum fiat, & creetur vt pars, & ſecundum curſum ordinarium non poteſt creari niſi in corpore, & ſic corpus eſt extrinſecum ab Anima, non tamèn ab habitudine, quàm ad ipſum Anima dicit. Vndè nihil prorſùs officit illa duplex conſideratio de Anima, quàm alij faciunt, ſcilicèt de ipſa in eo quod ens, & in eo quod forma, quia quidquid ſit An Anima poſſit intelligi ſine corpore, in præſenti Lectione declaratur, quomodò Anima verè, ac realitèr ſit hæc, & quomodo ab alia Anima diſtinguatur numericè.

Contrà Toletum, qui cum aliquibus alijs Modernis ex toto corde tuetur in q. 18. 3. de Anima Concluſione ſecunda opinionem Scoti ſtat Aquarius dilucidatione ſua vnica ſuper 11. Met. ſtat Bannez 1. de Gen. c. 5. qu. 3. art. 9. ad 3. Antiqui verò Thomiſtæ, vt Ægidius in ſuo Correctorio art. 30. Capreolus in 2. ſent. diſt. 3. q. 1. circà 5. Concluſionem. Iauellus 3. de Anima q. 5. de eſſentia Animæ intellectiuæ. Soncinas 7. Met. q. 34. in ſolutione ad 2. & Auicenna etiàm p. 5. de Anima c. 3. & 4. ſtant ex parte D. Th. & Caiet. contrà quoſcumque alios, & Antiquos & Modernos ſequentes hæcceitatem Scoticam, & Suarezium in Met. q. 4. & 5.

Legas litteram D. Th. in 1. p. q. 50. art. 3. & 4. cum Commentarijs ibi Caietani, & formalitatibus Ven. Porrectæ, & Append. Et præcipuè lege litteram D. Tho. art. 2. q. 76. p. 1. cùm Commentarijs eiuſdem Caietani, & formalitatibus Ven. Porrectæ cùm Appendicibus. Et præcipuè Reſponſiones D. Tho. ad Argumenta: plurimum enim faciunt ad intelligentiam profundiorem præſentis difficultatis.

Digitized by Google

LECTIO X.
METAPHYSICALIS
In Tractatu
DE PRINCIPIO INTRINSECO INDIVIDVATIONIS INDIVIDVI VT SIC METAPHYSICI.

Quomodò Forma ſubſiſtens infinita carens omnimodè potentialitate, & omni ordine ad Materiam indiuiduetur ex ſe.

Ex Caietano 1. p. quæſt. 3. art. 3. & 41. art. 6. & 39. art. 4. & 3. p. quæſt. 2. art. 2.

Declaratio Tituli, eiuſque ſenſus data à Caietano.

DE Forma ſubſiſtente completa, ſcilicèt intelligentia ſpirituali; putà de Angelis non quærimus, ait Caietanus, in præſenti Lectione, quia ſuprà in Tract. 4. iàm declarauimus, quod ex ſe ipſis indiuiduantur, cùm ſint immultiplicabiles numero ſub vna ſpecie. Tota difficultas hic à nobis reducitur, ad hoc indiuiduum, puta hic Deus, quæ principia indiuiduantia habeat quando ſtat ſine addito pro eſſentia in concreto, & quando ſtat cum addito pro perſonis, quia in 1. p. quæſt. 3. art. 3. datur à D. Th. hic Deus in abſolutis, & eſſentialibus, & idem replicatur in quæſt. 39. art. 4. & in 3. p. quæſt. 2. art. 2. Et datur etiàm in relatiuis, & perſonalibus Pater, qui eſt hic Deus, Filius, qui eſt hic Deus, Spiritus Sanctus, qui eſt hic Deus; & ſic cum pura Metaphyſica quærimus vtrobique, quæ nam ſint illa principia indiuiduantia, quæ in abſolutis, & eſſentialibus indiuiduent naturam Diuinam, & in concreto conſtituant hunc Deum; & quænam ſint illa, quæ in perſonalibus conſtituant vnum numero Patrem, vnum numero Filium, &c. vndè implicet dari plures numero Patres, plures, &c. Et quod eſt certum in hac re ſeparandum eſt à dubietate: recolendum eſt ergo quod in nobis ſolo nomine diſtinguuntur hic Homo, Hypoſtaſis, & Suppoſitum, ſeù perſona humana puta Socrates, vndè in Creaturis duo tantùm inueniuntur natura ſcilicèt, & Suppoſitum. At in Deo magna inuenitur differentia intèr indiuiduum naturæ Diuinæ, hoc eſt intèr hunc Deum, & Hypoſtaſim: hic enim Deus eſt communis ſecundum rem Patri, Filio, & Spiritui Sancto, & non ſignificat Hypoſtaſim, de cuius ratione conſtat eſſe incommunicabilitatem; Pater autem, Filius, & Spiritus Sanctus perſonam, ſeù Hypoſtaſim Diuinam ſignificat. Et propterea cùm tria inueniantur in Deo, ſcilicèt hæc Deitas, hic Deus, & Perſona puta Verbum, &c. Difficultas potiſſi-

ima redditur, & extenditur ad hæc tria, quomodò, & vndè indiuiduentur. Ità Caietanus loc. cit.

Primum Notabile Caiet. in quo explicatur ratio perſonæ completa, & incompleta,

Quò ad primum. Notat Caietanus in 3. p. quæſt. 2. art. 2. §. occurrit hoc in loco &c. quod ly perſona ſumitur dupliciter, primò ſecundum completam rationem perſonæ, ſeù hypoſtaſis, & ſic ſignificat ſingulare habens naturam ſubſtantialem incommunicabiliter, ità quòd incommunicabilitatem denotauerit Boetius in diffinitione perſonæ per ly indiuidua ſubſtantia, quoniam æquiualet ad ly ſubſtantia prima, quæ alio nomine dicitur hypoſtaſis. Alio modo ſumitur ſecundum rationem quidem perſonæ, ſed imperfectam, & ſic ſignificat ſingulare habens naturam ſubſtantialem, ità quod ſola incommunicabilitas illi deeſt ad perfectam rationem perſonæ. Et ſtante hac diſtinctione aſcendendo ad Diuina dicitur quod nomen Perſonæ, ſeù Hypoſtaſis, aut Suppoſiti poteſt ſumi dupliciter primo ſimpliciter, & ſic appellatione Perſonæ in Diuinis non venit hic Deus, quia non habet completam rationem perſonæ; ſed ſolum Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Alio modo vt perſona diſtinguitur contrà naturam, ità quod ex vno extremo ponatur natura vt ſic, & ex alio extremo ponatur perſona, ſicut diſtinguimus naturam contrà habentem naturam, & ſic appellatione perſonæ, venit non ſolùm perſona completè, ſed perſona incompletè: venit non ſolùm Pater, aut Filius, aut Spiritus Sanctus, ſed etiàm hic Deus. Et quod pro eodem habeatur indiuiduum ſubſiſtens in natura, & ſuppoſitum, hoc patet in art. 2. quæſt. 2. in 3. p. Et conſtat etiàm hunc Deum, inſuper eſſe indiuiduum ſubſiſtens in natura Diuina, & non habere completam rationem ſuppoſiti. Et in corp. art. dicitur à D. Thom. loquendo de Deo, quod natura Diuina dicitur ſuppoſitum ſecundum quod eſt ſubſiſtens. Nil clariùs certè in D. Thom. Conſtat enim hunc Deum ſignificare naturam Diuinam, eſt enim hic Deus ſubſiſtens in natura Diuina, vt patet ex modo ſignificandi. Communiter igitur ſuppoſitum, ſeù ratio perſonæ ſumitur in 3. p. à D. Tho. in ſubiecta materia de qua agitur, vt ſignificat hoc ſubſiſtens in natura. Ità Caietanus in loc. cit. 3. p.

Notabile ſecundum Caiet. in quo declaratur, quanā ex illis quinque cōditionibus requiſitis ad rationem perſonæ deſit ad hunc Deum in eſſentialibus.

Notat ſecundò Caietanus ibidem, quod ad rationem perſonæ quinque conditiones requiruntur, quod ſcilicet ſit ſubſtantia proptèr Accidentia, cùm hoc nomen perſonæ non conueniat Accidentibus; ſecunda quod ſit completa proptèr partes ſubſtantiæ vt manus, materia, & forma hominis non poſſunt dici perſonæ; tertia quod ſit indiuidua, ad denotandum quod hic homo ſignificat habentem humanitatem hanc indiuiduam; quartà, quod ſit ſubſiſtens proptèr humanitatem Chriſti aſſumptam à perſona Verbi, quæ erat compoſitum humanum, non tamen erat perſona. Quinta tamdèm quod ſit incommunicabiliter propter eamdem humanitatem aſſumptam à Verbo, quia carebat propria perſonalitate, quæ perſonalitas eſt, vt diximus, terminus intrinſecus ſubſtantialis reddens naturam inaſſumpſibilem, ideſt noncommunicabilem alteri perſonæ, ſiuè creatæ, & finitæ, ſiuè increatæ, & infinitæ. In propoſito, addit Caietanus ex art. 3. 1. p. quæſt. 3. Hic Deus licet ſit ſubſtantia completa indiuidua, & ſubſiſtens, deeſt tamèn vltima conditio, quæ eſt ſubſiſtere incommunicabiliter. Quamuis enim Phyloſophi ſola ratione naturali ducti dicant hunc Deum eſſe perſonam, eò quià putant ipſum ſubſiſtere incommunicabiliter; Fides tamèn docuit nos, quod ipſe ſubſiſtit communicabiliter, & de facto tribus perſonis Diuinis eſt communis, & per conſequens non poteſt dici perſona, vt dicitur hic Deus ipſe Filius in Diuinis, &c. Et ex hoc quod ponimus ly hic Deus ſubſiſtens in natura Diuina non vt perſona completa, ſed incompleta non poteſt inferri contrà nos, ergò datur quaternitas re-

rum

rùm ſubſiſtentium in Diuinis. Quia D. Thom. in quæſt. 39. 1. p. art. 3. in corp. & ad 3. Eſſentialia non ponunt in numerum cum Diuinis; & cum ſubſiſtentia abſoluta ſit vnum de eſſentialibus non ponit in numerum cum illis, nec facit quaternitatem ſuper illos. Et ſicut Pater ſit Deus, Filius ſit Deus, &c. Sunt tamèn vnus numero Deus; ſic etiàm licèt Pater ſit ſubſiſtens relatiuè, & Filius ſit ſubſiſtens relatiuè &c. ſunt tamèn vnum numero ſubſiſtens abſolutum non ponens in numerum cùm illis. Alias Doctrinas, & Notabilia damus in 1. p. quæſt. 39. de hoc Deo ſubſiſtente in natura Diuina art. 3. §. tertium dubium eſt, &c. vndè indiuiduetur legas ibi. Ità Caietanus, &c.

Tertium Notabile Caiet. in quo exponitur quod ly Deus poteſt ſumi tripliciter.

Notat tertiò Caietanus in 1. p. quæſt. 3. art. 3. quod ly Deus poteſt tripliciter ſumi. Primò vt ſignificat concretum quaſi ſpecificum naturæ Diuinæ, ideſt habens Deitatem, ſicut ly homo ſignificat habens humanitatem. Secundò vt ſignificat concretum indiuiduale naturæ, ideſt hunc habentem Deitatem, ſeù hunc Deum, ſicut homo poteſt ſupponere pro hoc homine. Tertiò vt ſignificat ſuppoſitum naturæ Diuinæ, ideſt hunc incommunicabilitèr habentem Deitatem; ideſt hanc perſonam Diuinam, ſicut homo poteſt ſupponere pro Sorte. Sed hoc intereſt intèr Deum ex vna parte, & hominem, cæterarumque naturarum concreta ex alia parte, quod in alijs non diſtinguitur indiuiduum naturæ in concreto à ſuppoſito; non enim diſtinguitur hic homo ab humano ſuppoſito, aut è conuersò. In Deo autèm diſtinguitur indiuiduum naturæ in concreto, ſcilicèt hic Deus à Suppoſito Diuino, ſcilicèt Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Et ratio eſt quia hic Deus eſt ſimul terminus ſingularis, & communis tribus Suppoſitis, quod eſt impoſſibile conuenire indiuiduo aliarum ſubſtantiarum. Sed aduerte quod hic Deus ſecundo modo habet duas conditiones in re alteram negatiuam, ſcilicèt quòd non ſignificat ſuppoſitum Diuinæ naturæ, & hoc ſecundum veritatem loquendo; alteram Affirmatiuam habet, ſcilicèt quòd æquiualet ſuppoſito quo ad habitudinem identitatis, vel diſtinctionis à natura, quia comparatur ad illam vt habens ad habitum, vt quòd eſt ad quo eſt, vt ſubſiſtens ad naturam in qua, & qua ſubſiſtit, &c. vndè poteſt & congruè à D. Thom. ſicuti & de facto appellat ſuppoſitum, quia in opinione Philoſophorum, & ſecundum rationem humanam ab omnibus accipitur vt ſuppoſitum Diuinæ naturæ, quia nulla ſibi deeſt conditio ſuppoſiti niſi incommunicabilitas, quam non conuenire ſibi, quia communis tribus perſonis, non ex ratione, ſed reuelatione Fidei nouimus. Eſto igitur quo ad nos (quæ eſt quarta conditio) hic Deus non ſignificet Suppoſitum Diuinum ſimplicitèr, ſignificet tamèn ſuppoſitum Diuinum ſtando intrà limites Tractatus de Abſolutis de facto Auctor in 1. p. quæſt. 3. vtitur hoc nomine ſuppoſiti ſecundum alias tres conditiones quæ legendæ ſunt, &c. attamèn ſatiùs eſt nobis conſiderare ſuppoſitum completum intèr reſpectiua reuelata, vndè habeat principia indiuiduantia, cùm in hoc Tractatu ſit ſermo de ſuppoſito completo, vndè habeat & ſubſiſtentiam, & incommunicabilitatem quàm ſert ſecum principium verum indiuiduationis in formis ſubſiſtentibus completis. Ità Caietanus.

Quomodo à D. Thom. hic Deus vocetur Suppoſitū Diuinæ naturæ rationabilitèr.

Opinio Caietani propria explicata à ſe vt fundata ſuprà doctr. D. Tho. de hoc Deo in eſſentialibus, & abſolutis, & Antiquorū PP. & Thomiſt.

Quò ad ſecundùm D. Thom. quæſt. 29. art. 2. in 1. p. ait, quod ſubſiſtentia dicitur à per ſe ſubſiſtere, ac per ſe eſſe, & à per ſe operari, & quia omne quod eſt per ſe, eſt vt quod, & operatur vt quod, ſubſiſtit, ideò etiàm abſtractis perſonis, vt Iudæi abſtrahunt Deum à perſonis, tunc concipitur quod Deus ſit hoc indiuiduum, & hic Deus per ſe ſubſiſtens vt eodem modo docet D. Thom. in 3. p. quæſt. 2. art. 3. ad primum, & ſecundum de hoc Deo ſubſiſtente in natura Diuina ſtando in abſolutis; pariformitèr idem opinantur Sacri Doctores, D. Hy-

Digitized by Google

D. Hylarius lib. 7. de Trin. Agathonus Papa in ſua Epiſtola Decretali in 6. Synodo Act. 4. D. Cyrillus Alexandrinus, Anaſtaſius in compendiaria Fidei explicatione. D. Gregorius Nyſſenus lib. de Narratione Vitæ Moyſis; D. Hyeronimus tom. 2. epiſt. 57. ad Damaſum Papam. B. Alb. Magnus p. p. ſummæ quæſt. 43. memb. 1. concludit quod ſubſiſtentia ſecundum proprietatem nominis non dicit niſi ens in ſe ſubſiſtens nullo alio indigens ad hoc vt ſit, vndè nomen eſſentiale eſt, quòd tamen ex adiunćto trahitur ad ſtandum pro perſona. Antiqui omnes Thomiſtæ, & extranei etiàm hunc modum loquendi D. Thom. ſequuntur. Capr. 1. ſent. diſt. 26. quæſt. 1. art. 1. in calce corporis, & in 3. ſent. diſt. 1. quæſt. 1. ad Argumentum Durandi concedit ipſum ſubſiſtere Diuinum naturæ, & vt eſt perſonæ, ait, per ſe terminat vnionem, & non illud naturæ quod eſt commune tribus perſonis. Durandus probat etiàm dari in Diuinis hanc ſubſiſtentiam abſolutam ex D. Aug. lib. 7. de Trin. cap. 4. & hoc ſubſiſtens multiplicatur in perſonis. Ferrarienſis idem docet lib. 4. cont. gent. cap. 26. Sententia igitur noſtra, addit Caietanus, quæ eſt D. Thom. & Scoti in 3. ſent. diſt. 1. quæſt. 2. docentis quod in Diuinis eſt vnum ſubſiſtere communicabilitèr tribus perſonis, non erit abſona, nec temeraria, nec pluſquàm falſa.

Sed quia ſatiùs nobis eſt, vt diximus, quærere principia indiuiduantia ſuppoſiti Filij puta Dei completi, vt ſcilicèt hic Deus ex adiunćto trahitur ad ſtandum pro perſona Verbi in reſpectiuis; ideò D. Thom. in 1. p. quæſt. 41. art. 6. quatuor rationibus probat indiuiduationem ità eſſe perfectam in ſuppoſito, ſeu perſona Patris, &c. & talem incommunicabilitatem ex illa ità fortiuntur vt implicet quod ſub vna Paternitate, &c. ſint plures numero Patres in Diuinis, plures numero Filij, &c. Et in ratione quarta quam nos notamus, ait Caietanus, ſumi ex perfectione Diuina manifeſtè ſequitur, quod non compatitur infrà latitudinem ſuæ rationis formalis, nec partitionem, nec pluralitatem. Et hoc ex fundamento primæ rationis, ſcilicèt quod forma vnius ſpeciei non multiplicatur niſi ſecundum materiam. Ità Caietanus, &c.

Concluſio vnica Caietani cum probatione primæ partis quod hic Deus, & natura ſunt idem.

Quò ad tertium. Caietanus ponit hanc ſuam Concluſionem. Stando in abſolutis, natura Diuina de ſe eſt hæc, & hic Deus, & natura ſunt idem; & hæc natura cum ex ſe ipſa indiuiduetur, ità indiuiduatur in tribus ſuppoſitis completis, vt non ſit niſi vnus Pater, vnus Filius, & vnus Spiritus Sanctus.

Prima pars probatur à Caietano in 1. p. quæſt. 3. art. 3. ex D. Thom. ſub tali forma. Ratio differentiæ intèr naturam, & ſuppoſitum eſt diſtinctio naturæ à materia indiuiduali: ergò in formis ſimplicibus, quæ per ſe ipſas indiuiduantur, non differt à ſuppoſitum natura: ergò Deus eſt ſua Deitas, ſua Vita, &c. ergò hic Deus in eſſentialibus, & natura ſunt idem. Antecedens probatur ex ratione diſtinctionis, & ſuppoſiti in rebus materialibus notioribus nobis: natura enim comprehendit in ſe ea tantùm, quæ cadunt in diffinitione ſpeciei: ergò non comprehendit materiam indiuidualem: ergò ex hoc diſtinguitur à ſuppoſito. Aſſumptum patet de ſe. Et conſequentia nunc facta probatur duplicitèr. Primò, quia materia indiuidualis non clauditur in diffinitione ſpeciei, vt patet de his Carnibus reſpectu naturæ humanæ. Secundò probatur, quia principia diffinientia habent ſe formalitèr reſpectu materiæ indiuiduantis, in cuius ſignum humanitas ſignificatur vt pars formalis hominis. Secunda autèm conſequentia probatur, quia in ſuppoſiti ratione, ſi diffiniretur, clauderetur materia indiuidualis, vt in ſorte. Conſequentia prima per ſe nota relinquitur; ſecunda probatur, quia Deus non eſt compoſitus ex materia, & forma. Et dicitur quod conſequentia prima eſt per

ſe nota

Digitized by Google

ſe nota; quia fundatur ſuper illam regulam poſterioriſticam ſatis tritam ſi affirmatio eſt cauſa, &c. & è contrà. Et quoniam hæc maxima non tenet niſi in cauſis proprijs, ideò in antecedenti ly ratio, quando dicitur ratio differentiæ, &c. ſupponit pro ratione propria; vndè ſenſus eſt, Propria, & præciſa ratio differentiæ intrinſecè intèr naturam, & ſuppoſitum. Et tunc manifeſtè patet vis conſequentiæ ex negatione talis rationis, negationem ſui effectus inferens. Ità Caiet. in 1. p. quæſt. 3. art. 3.

Secunda pars probatur à Caietano in 1. p. q. 41. art. 6. per vnam ex quatuor ſic: Forma vnius ſpeciei non multiplicatur niſi ſecundum materiam: ſed in Diuinis non eſt materia, nec ordo ad materiam: ergò non poſſunt eſſe plures Paternitates, vel plures, &c. ſolo numero diſtinctæ; alias etiàm eſſent plures perſonæ, quia perſona eſt ipſa relatio per ſe ſubſiſtens. Vndè ſicut Albedo ſi eſſet per ſubſiſtens non eſſet niſi vna, ità Filiatio non poteſt eſſe niſi vna, cùm per ſe ſubſiſtat in Diuinis. Antecedens eſt diſcuſſum in ſuperioribus; vndè quia hæc Ratio prima procedit ex parte relationum, quæ cum ſint formæ per ſe ſubſiſtentes, ſunt etiàm immultiplicabiles, ideò pro nunc ſufficit. Ità Caiet. &c.

Probatio ſecundæ partis facta à Caietano, quod hæc natura perfectè indiuiduatur, ſcilicet hic Deus ad ſtandum incommunicabilitèr pro Patre Filio, & Spiritu Sancto duplici ratione.

Probatur alia ratione deſumpta ex perfectione Diuinarum perſonarum ſic. Ideò Deus eſt vnus numero, quia eſt ipſum eſſe per ſe ſubſiſtens vnum numero abſorbens omnem perfectionem eſſendi, & illa ratio formalis vna numero eſt perfectiſſima, quæ in ſe continet omnem imaginabilem perfectionem quomodocumque ad illam pertinentem: ſed Filius Dei eſt perfectiſſimus Filius, & Spiritus Sanctus eſt perfectiſſimus Spiritus Sanctus: ergò Filius ex eo quod perfectiſſimus totam Filiationem Diuinam in ſe continet, & per conſequens vnus erit numero Filius ſubſiſtens incommunicabilitèr, & implurificabilis omninò: ergò ſimilitèr Spiritus Sanctus ex eo quod perfectiſſimus totam ſpirationem Diuinam paſſiuam, &c. erit vnus &c. Ità Caietanus in 1. p. quæſt. 41. art. 6. in fine Comment.

Primum Arg. Caietani ex Scoto contrà ſecundam rationem pro ſecunda parte Concluſionis cum ſua Reſponſione data à Caietano.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus ex Scoto contrà hanc ſecundam rationem allatam pro ſecunda parte Concluſionis ſic. Iſta ſecunda ratio nihil valet ad intentum. Probatur, quia ſic ſequeretur, quod eſſet vnum tantùm productum in Diuinis: probatur, quia Productum eſt res Diuina, ac per hoc habens quidquid infrà latitudinem producti inueniri poteſt, & ſic excludit multiplicationem ſui, vndè ſi hic non valet, ergò nec valebit in ratione tua.

Reſp. Caietanus, quod fundamentum illud intelligitur de re Diuina, quæ eſt vna per modum ſpeciei ſpecialiſſimæ, & non de re Diuina, quæ eſt vna per modum generis, dico per modum generis, quia in Deo licèt non ſit res, quæ ſit verè genus, quod prædicetur de pluribus differentibus ſpecie, eſt tamèn ibi res per modum generis, quæ concipitur vt vna formalitèr, communis tamèn ad duo formalitèr diuerſa, vt proceſſio concipitur vt vna communis ad duas proceſſiones formalitèr diuerſas, & productio ad duas productiones, & productum, ad duo producta, & perſona ad tres perſonas, & Relatio ad tres Relationes Diuinas tanquàm vnum in illis formalitèr, ac ſpecie diuerſis. Intelligitur ergò de re Diuina, quæ eſt vna per modum ſpeciei, quoniam ſub ſpecie non niſi materialis reſtat differentia (ſub genere autèm latent multa) & ſic directè deſeruit propoſito, quando de pluralitate numerali, vt iàm dictum eſt quæritur, & ceſſant obiectiones. Productum enim non ſpecificam, ſed genericam rationem ſignificat, Filius autèm ſpecificam, & ideò de Filiatione tenet ratio, de productione autèm non. Et nota hanc rationem, quoniam concludit vniuerſalitèr nullum prædicatum ſpecificum, ſiuè abſolutum, ſiuè reſpectiuum, in Deo plurificari. Hinc

patet

patet quod nulla eſt inſtantia Scoti contrà hanc rationem, (*ſcilicèt quia Filius eſt perfectus Deus, & tamèn non habet Deitatem in omni modo habendi ipſam: ergò Filiatio poteſt eſſe perfecta, & tamèn haberi alia ab alio*) nulla inquam eſt hæc inſtantia Scoti, & ſimilitudo hæc ſua nulla eſt vt patet, quia eſt à modo habendi ad diuerſitatem numeralem; imò quia Filius eſt perfectus Deus ſequitur; ergò habet quidquid eſt infrà latitudinem Deitatis, & conſequentèr eſt immultiplicabilis ſecundum Deitatem. Ità Caietanus in 1. p. quæſt. 41. art. 6. §. Quarta ratio, &c. in fine Comment.

Secundum Argum. Caiet. contrà primam partem Concluſionis quod non detur hic Deus in abſolutis cum ſua Reſponſione data à Caietano.

Arguit ſecundò Caietanus in 1. p. quæſt. 39. art. 4. contrà primam partem Concluſionis ſic. Ille terminus qui ſupponit indiſtinctè pro perſonis non ſupponit pro ſe ipſo diſtinctè; ſed D. Thom. in 1. ſent. diſt. 4. quæſt. 2. art. 2. in corp. docet, quod iſte terminus in concreto, ſcilicèt Deus ſupponit indiſtinctè pro perſonis: ergò hoc nomen Deus non ſupponit pro hoc Deo, ſed pro perſonis indiſtinctè.

Reſp. Caietanus ibidem negando maiorem. Iſte enim Terminus in concreto; ſcilicet Deus ſignificat Deitatem per modum perfecti, & per ſe ſubſiſtentis, vt in illis verbis docet D. Thom. vndè pro ſe, & per ſe ſupponit pro hoc Deo, & conſequentèr, ſeù per aliud ſupponit indiſtinctè pro perſonis. Nec approbo, addit Caietanus, quod alij ſentire videntur de mente D. Thom. ſcilicèt quod ſemper Deus ſtat pro perſona diſtinctè, vel indiſtinctè; tùm quia in littera illius art. 4. quæſt. 39. expreſsè diſtinguitur, quando Deus ſtat pro perſonis etiàm omnibus, & quando ſtat pro eſſentia; tùm quia alitèr non ſaluatur differentia poſita in littera in Reſponſione ad tertiùm art. 4. vbi dicitur, quod alitèr ſe habet hoc nomen Deus ad ſupponendum pro perſona, & hoc nomen homo. Tùm quia in iſta Deus non generat, ſi ly Deus ſtaret pro perſonis indiſtinctè eſſet vera vtpotè indefinita. Tùm quia in iſta Deus eſt Pater, & Filius, &c. ſeù Trinitas (Sancta Trinitas vnus Deus) ly Deus non ſtat pro ſuppoſito, vt in art. 6. contrà Porrectanum dicitur, ſed ſtat pro vna re communi. Nec obſtat ſi quandoque ſupponendo pro natura dicatur etiàm ſupponere pro perſonis indiſtinctè; hoc enim concomitantèr intelligendum eſt. Primò enim pro natura in concreto ſupponit, & quia etiam verificatur pro perſonis aliquando prædicatum; ideò ſupponere pro perſonis indiſtinctè, tunc ſecundariò tantùm acceptari poteſt.

Ex hac ergò origine, & radice, quia ſcilicèt datur hic numero Deus, & datur hic numero homo communis, ſecundum rem, ſequitur, quod iſte terminus Homo ex ſe ſignificet quidem habentem naturam, non tamèn ſupponit pro natura ex ſe, ſiuè ſit natura communis, ſiuè particularis in concreto, ſed ex ſe ſupponit indefinitè, ſeù perſonalitèr indiſtinctè, ex adiuncto tamèn conſtituit propoſitionem ſingularem quando habet ſuppoſitionem ſimplicem, vt homo eſt ſpecies ad differentiam iſtius termini ly Deus, quia vt ſupponat pro eſſentia in concreto, ideſt pro hoc Deo non eget aliquo adiuncto, vt patet dicendo Deus eſt æternus, &c. & idem eſt ac ſi diceretur Hic Deus eſt Æternus, quia non datur niſi hæc numero eſſentia atque Deitas, & hic numero Deus. Cæterùm ad hoc vt ſupponat perſonalitèr pro Perſonis Diuinis, ſcilicèt pro Patre, & Filio &c. indiget aliquo adiuncto contrahente illum ad ſtandum, vel pro vna perſona, vt Deus generat, vel pro duabus vt Deus ſpirat, vel pro omnibus tribus, vt Deus eſt Trinus in perſonis. Ità Caietanus ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 39. art. 4. ad 3. & ex B. Alb. Magno, vt diximus in ſecundo loco huius Lectionis.

Tertium Arg. Caiet. contrà idem

Arguitur tertiò a Caietano contrà eamdem primam partem Concluſionis. Actiones ſunt ſuppoſitorum, vt vidimus ex Ariſt. in principio Met. Sed indiuiduum

Deitatis

Deitatis ſiuè hic Deus multas habet actiones, quæ ſibi immediatè conueniunt, vt creare, gubernare, prædeſtinare &c. ergo hic Deus ſignificat ſuppoſitum: ſed in Diuinis non datur aliud ſuppoſitum præter illa tria diuinarum perſonarum: ergo neque datur hic Deus. *idem quod ſuprà cum ſua propria Reſp.*

Reſp Caiet. in p.p.q.39.a.4.§.ad 2.dub.&c. hic iam patet quod Arguens deceptus eſt: inelligens pro eſſentia eſſentiam in abſtracto, cum tamen Auctor intelligat de eſſentia in concreto, cùm dicit, quod in iſta Deus creat, ly Deus ſupponit pro natura: ſtat enim ſecundum veritatem pro hoc Deo vnico ſingulari communi tribus ſuppoſitis, & propterea creationis actio ratione illius omnibus ſuppoſitis conuenit; nec eſt verum quod actiones ſunt ſuppoſitorum vniuerſaliter, ſed ſingularium ſubſiſtentium, quale eſt hic Deus, & nihil refert non abſtrahere à ſuppoſitis huiuſmodi actiones, vt patet de ſe. Ariſt. igitur, & in 1. Met. & in 12. Met. & 6. Eth. non dicit determinatè, vt diximus in ſuperioribus in propria lectione, quod actiones ſunt ſuppoſitorum, ſed dixit indeterminatè, ſcilicet ſiuè ſuppoſitorum, ſiuè ſingularium ſubſiſtentium. Et ſic hic Deus creat, non tamen abſtractus à perſonis, ſed vt idem cum illis; vndè actiones eſſentiales vt creare &c. competunt primò, & per ſe huic Deo, conſequentèr ſeù per aliud, ſcilicet quatenus Deus ſunt, competunt perſonis Diuinis. Ità Caietanus loc. cit.

4. Arg. Caiet. contra idem quod ſuprà.

Arguitur à Caiet. contrà vt ſuprà. Si datur hic Deus per ſe ſubſiſtens ſequitur quod ſit Perſona, ſed falſum eſt eſſe perſonam: ergo non datur hic Deus per ſe ſubſiſtens. Sequela prob. Perſona eſt ſubſtantia indiuidua naturæ intellectualis per ſe ſubſiſtens; vndè S. Th. in 3.p.q.3. a. 3. ad 1. ait. Quidquid eorum, quæ attribuuntur Deo in abſtracto ſi conſiderentur ſecundum ſe alijs circumſcriptis erit aliquid ſubſiſtens, & per conſequens Perſona, cum ſit in natura intellectuali; vbi apertè inſinuat, quod ſi in natura intellectuali datur aliquid ſubſiſtens, illud eſt Perſona.

Reſp Caiet. ad 4 Argum & ad ſuam Inſtantiam.

Reſp. Caiet. hunc Deum non eſſe perſonam, quamuis per ſe ſubſiſtat quia Perſona per ſe ſubſiſtit incommunicabiliter. Sed contrà. Quia dictum eſt quod ſubſiſtentia eſt vltimum complementum rei faciens rem vltimatè terminatam, ac completam: ſed hic Deus per ſe ſubſiſtit: ergo hic Deus habet vltimum complementum faciens ipſum vltimatè completum, & terminatum.

Reſp. Caiet. quod prima Reſp. eſt optima, quia hic Deus ſubſiſtit quidem, ſed non incommunicabiliter. Et ad replicam dicitur quod Maior eſt falſa, ſcilicet quod omnis ſubſiſtentia ſit vltimum complementum faciens rem vltimatè terminatam: quia datur duplex ſubſiſtentia vna communicabilis, & alia incommunicabilis, & ſic verum eſt quod non omnis ſubſiſtentia ſit incommunicabilis.

Reſp vera Caiet. ad 4. Argum.

Reſp. igitur ad Arg. principale Caiet. hanc eſſe conſequentiam D. Th. ſcilicet hic Deus eſt ſubſiſtens in natura intellectuali: ergo eſt perſona. Imò hoc tantùm infert D. Th. ex poſitione huius conditionalis impoſſibilis, quod ſcilicet ſi non darentur perſonæ diuinæ, vt opinantur Philoſophi, & Hebræi tùnc in illo caſu impoſſibili, hic Deus eſſet perſona, quia eſſet ſubſtantia indiuidua naturæ intellectualis, ſubſiſtens in tali caſu ſubſiſteotia incommunicabili. Ita Cietanus loc. cit.

5. Arg Caiet. contrà idem quod ſuprà quod non detur hic Deus in abſolutis, & eſſentialibus cum ſua Reſp. propria Caiet.

Arguitur vltimò à Ciet. ſic. Voces nouæ obſcurantes, ac confundentes Myſterium Trinitatis ſunt omnino vitandæ: ſed in nullo Concilio, neç apud Sanctos Patres, nec apud Scholaſticos legitur hunc Deum eſſe perſonam incompletam, & ex alia parte Fides Catholica prædicat eſſe tantùm tres perſonas: ergo iſta quarta perſona incompleta eſt omnino reijcienda ab Academia Scholaſtica.

Reſp. Caiet. quod non propter obſcuranda, ſed propter declaranda duo ineffabilia Arcana Fidei, ſcilicet Myſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis cogimur ad

vtendum hoc nomine perſonæ incompletæ. Iuxta Fidem eſt Hæretica hæc, Deitas creat, & hæc eſt Catholica, Deus creat, & creare competit Deo etiàm ſi per impoſſibile non eſſent perſonæ. Et ideò cogimur pro explicatione huius, ponere quod datur hic Deus communis tribus perſonis, & quod creatio per ſe primò illi competit, & ratione illius, ideſt in quantùm Perſonæ ſunt, hic Deus, competit perſonis. Itèm Pater eſt Deus, Filius &c. & illi ſunt hic numero Deus, qui in comparatione ad naturam non dicitur Deitas, ſed habens Deitatem, & in ordine ad illam dicitur Deus vt quod, & non vt quo ſicut Deitas, & in ordine ad illam ſapit rationem Perſonæ, eſtn ſimpliciter, & abſolutè non ſit perſona, ſed eiùs ratio formalis ſit diuerſa formaliter à ratione perſonæ. De Myſterio autèm Incarnationis vide in 3. p. loc. cit. ſufficit pro nunc ſcire, quod ponere hunc Deum indiſtinctum à natura, non obſcurat, ſed declarat Myſterium Trinitatis. Et iàm vidimus in ſecundo loco huius Lectionis ſuprà, quod Antiqui Doctores cognouerunt hunc Deum ſubſiſtentem in eſſentialibus ſubſiſtentia abſoluta communicabili. Ità Caiet. in loc. cit.

Appendices ad Lectionem 10. Metaphyſicalem in Tract. de Principio Intrinſeco Indiuiduationis Indiuidui vt ſic Metaphyſici.

MArci Ferri Veneti mirari debemus zelum, quem habet de Doctrina Caiet. vbi à pag. 525. vſq; ad pag. 543. vindicat iniurioſam cenſuram Valentiæ, & Vaſquezij quam habent contrà doctrinam Caietani de hoc Deo in eſſentialibus. Primus dicit in ſuo Tractatu q. ſua 13. diſp. 2. puncto 3. quod ſententia Caietani eſt pluſquam falſa, & à multis exiſtimata vt temeraria. Et alter in p. p. q. 39. diſp. 125. c. 4. ait quod Caiet. concedens ſemiſuppoſitum, vel ſemiperſonam abſolutam, dignus eſt reprehenſione, quia nouum, & ſatis abſurdum modum loquendi ipſe primus in Scholis induxit; ſicuti & etiàm inuehunt contrà Caiet. alij Moderni ex ſoc. vt Pater Aſrubal, Albertinus, Becanus, Zuniga, Ruiz, Mendozza; ſunt tamèn & alij moderni ex ſoc. qui defendunt Caiet. inter quos P. Hyeronymus Faſolus, & alij. Et Marcus Ferro poſt antiquos citatos de ſent. Caiet. probat quod non ſit noua de hoc Deo in abſolutis pro perſona in completa ſubſiſtente ſubſiſtentia communicabili tribus perſonis abſque in communicabilitate; & de hoc Deo vt ſtat pro perſonis in q. 41. a. 6. & in q. 39. a. 4. citat alios multos modernos Thomiſtas ſcilicet Banneſium p. p. q. 29. a. 3. & q. 40. a. 4. dub. 2. Concl. 4. citat Zumel in p. p. q. 28. a. 2. diſp. 4. Concl. 2. Nazarium, & Medinam in 3. p. q. 3. a. 2. & Ripam in q. 39. a. 4. & alios.

De hac re legenda eſt omninò littera D. Th. in p. p. q. 39. a. 4. vbi quærit vtrum nomina eſſentialia concreta poſſint ſupponere pro perſona, cùm formalitatibus Reſp. D. Th. ad ſua Arg. & Append. Commentarijſq; Caietani ſuper hunc Art. Vener. Porr. Inſuper litteram art. 6. q. 41. p. p. vbi quæritur vtrùm actus notionalis ad plures perſonas terminari poſſit, legere debet Thomiſta, ſicut, & formalitates Ven. Porrectæ, & Comment. Caiet. ſicuti, & etiam videre debet ea quæ habet D. Th. Ven. Porrecta, & Caiet. in 3. p. q. 2. a. 2. vbi quæritur vtrum vnio Verbi Incarnati ſit facta in perſona. Et ea tandèm quæ habet D. Th. in p. p. q. 3. a. 3. vbi quærit vtrum ſit idem Deus quod ſua eſſentia, vel natura cum Caietano, & formalitatibus Ven. Porrectæ.

TRACTATVS VI.

METAPHYSICALIS

DE PASSIONIBVS, SEV' PROPRIETATIBVS ENTIS.

Vtrùm ens habeat aliquas paſſiones veras, & quot ſint.

Ex Caiet. p. p. q. 5. 11. & 16. & q. 54. a. 3. & alibi.

Explicatio Tituli einſq; ſenſus data à Caiet. de mente D. Th.

IN multis locis, citrà quæſtionem Proœmialem ſupra explicauimus, ait Caietanus, quomodo ens in quantùm ens ſit obiectum ſcientiæ Metaphyſicæ, quæ eſt ſimul Scientia, & Sapientia. Vndè ſi quæratur à te an ſit neceſſe omne ſubiectum ſcibile habere proprias paſſiones, reſpondeas quod ſufficit quod habeat paſſiones demonſtrabiles, alitèr de eo non poſſet haberi ſcientia, non autèm eſt neceſſe, quod habeat paſſiones reales, ſed accidit ei inquantum eſt ſcibile. Nihilominus hic in præſenti lectione quæritur An ens habeat veras paſſiones ità vt ſint reales; & quia Sanctiſſimus præceptor in ſua p. p. q. 5. 11. & 16. tantummodò tractatum habet de tribus tranſcendentibus, ſeù de tribus proprietatibus entis, ſcilicet de Bono, & Vero, & Vno, relinquit locum dubitandi inter Thomiſtas, an ſint illæ ſolùm tres, vel etiàm duæ aliæ, ſcilicet aliquid, & res, ſint veræ proprietates entis, quia an conuertantur cum ente, quæretur in ſequenti Lectione. Cum Metaphyſica igitur habeat hæc tria in ſe ſcilicet ſubiectum, principia, & proprietates, quod ſubiectum ſit ens in quantùm ens iàm conſtat. De proprietatibus ex ſimplicibus, & in præſenti, & infrà conſtabit, quod ſunt Vnum, Verum, & Bonum; ſicuti, & etiam ex coniunctis conſtabit quid ſit principium, & quod ortum habet à principio, ſcilicet cauſa, & effectus, idem & diuerſum, de quibus etiàm diffusè tractat Ariſt. in 5. Met. De principijs autem quæ in ſe habet ſcientia Metaphyſicæ, alia ſunt ſimplicia, & alia coniuncta; ſimplicia rurſus quædam ſunt intrinſeca, & alia extrinſeca: ſimplicia, & extrinſeca ſunt Deus, & intelligentiæ, à quibus dependet ens vt ens, vt explicat D. Th. in præſ. Met. & 4. Met. lect. 1. & nos ſupra in præcedenti Tractatu de ipſis egimus, ſicut & de ſimplicibus intrinſecis, quæ ſunt ipſæ met quidditates, & eſſentiæ entium vt D. Th. habet 6. Met. c. 6. lect. 1. At verò coniuncta ſunt enunciationes, ex quibus conſtantur demonſtrationes in prima Philoſophia vt eſſentiam eſſe vnam, dicendo ſic, omne quod habet eſſentiam, eſt vnum: ſed omne ens habet eſſentiam: ergo omne ens eſt vnum. Et etiam iſtud quidquid obtinet ipſum intellectum, obtinet, & quoq; ipſam voluntatem: ſed Deus Optimus Maximus obtinet intellectum; ergo obtinebit quo-

Digitized by Google

que voluntatem. Senſus igitur quæſiti eſt An ens, quod eſt ſubiectum ſcientiæ Metaphyſicæ habeat veras, & reales proprietates, & an ſint tantùm tres, vel quinque. Ità Caiet. loc. cit.

1. Notab Caiet. in quo oſtenditur proprietates eſſe in duplici differentia, ſcilicet reales, & demonſtrabiles.

Quoad primum Caietañus notat quod proprietates ſunt in duplici differentia; quædam ſcilicet reales, quædam verò, quæ per demonſtrationem de ſuis ſubiectis concluduntur. Primæ vocantur ab omnibus reales, ſecundæ vocantur demoſtrabiles. Primæ dicuntur illæ, quæ à ſuis ſubiectis per veram aliquam actionem producuntur, & inſuper debent diſtingui ſecundum rem à ſubiecto, & demùm ſubiectum non debet prædicari de illis ſecundum eſſentiam neque in recto, ſed in obliquo, ac debet in ipſarum definitione poni vt additum. Proprietates autèm demonſtrabiles dicuntur illæ, quæ habent ea, quæ ſufficiunt, vt de ſubiecto poſſint per veram, & legitimam demonſtrationem concludi ex propoſitionibus, veris, primis, immediatis, notioribus, cauſiſque Concluſionis ex Ariſt p. poſt. c. 2. vbi nos dedimus illam diſtinctionem de cauſis in eſſendo in actu, & de cauſis in virtute, vel facultate, ſcilicet quæ actu non producunt effectum à ſe diſtinctùm, vt faciunt primæ; habent tamèn vim, & facultatem producendi illam, ſi natus ipſe eſſet produci, vel abſolutè, vel in tali ſubiecto; vt ſi in Deo æternitas ab aliquo principio prouenire poſſet, non ab alio quàm ab immutabilitate promanaret; ſicut potentia infinita non aliundè deriuaretur, ſi in Deo ab alio poſſet deriuari, quàm ab actu per ſe ſubſiſtente, & infinito. Itaque ſcientia, addit Caietanus, non ſemper debet progredi per cauſas in eſſendo actu, ſed vel per has, ſi ſubiectum illas habuerit, vel per cauſas in virtute, & poteſtate, ſeù cauſas virtuales in eſſendo. Ità Caiet.

2. Notab Caiet. in quo oſtenditur proprietates entis eſſe de numero tranſcendentium.

Notat 2. Caiet. in q. 39. a. 3. ad 3. ex D.Th. quod aliquid, & res ſunt de numero tranſcendentium, quæ ſpectant ad ens, & de quibus prædicatur ens, & potius vocantur notiones entis iſtæ duæ, quàm proprietates. Vndè ad tertium S. Doctor ſic ait. Hoc nomen res eſt de tranſcendentibus, & ſecundum quod pertinet ad relationem pluraliter prædicatur in diuinis; ſecundum verò quod pertinet ad ſubſtantiam ſingulariter prædicatur. Vnde Aug. dicit in lib. de Doctrina Chriſtiana, quod eadem Trinitas quædam ſumma res eſt. Hoc igitur nomen res dicitur relatiuè non quia ſit in prædicamento ad aliquid, ſed quia eſt de tranſcendentibus, quæ & ad ſubſtantiam, & ad relationem extenduntur, & ideò dicuntur tranſcendentia. Et addit Caiet. quod aliqua nomina ſunt tranſcendentalia, & ſunt illa quæ dicuntur de omnibus entibus, ſiuè ſint ſubſtantiæ, ſiuè accidentia abſoluta, ſiuè relatiua, quæ ſunt iſta, ſcilicet ens, Vnum, Verum, Bonum, Res, Aliquid, quæ dicuntur de omni ente reali ſiuè illud ſit ſubſtantia, ſiuè ſit accidens abſolutum, ſiuè relatiuum. Omne enim ens reale, eſt vnum, eſt verum, eſt bonum, eſt res, & eſt aliquid. Aliud verò eſt nomen ſpeciale, & eſt, quod non dicitur de omnibus entibus, ſed ſolum de aliquibus. Et propterea de Eſſentia Diuina dicimus, quod eſt vel in concreto ens, Vnum, Verum, Bonum, res, & aliquid; vel in abſtracto quod eſt quædam entitas, vnitas &c. Loquendo autèm de relationibus Diuinis dicimus, vel in concreto quod ſunt tria entia, & non niſi vnum, tria Vera, tria Bona, tres Res, tria Aliquid. Vel in abſtracto Relationes Diuinæ ſunt tres entitates, tres vnitates &c. Ità Caiet.

Opinio Caiet. de proprietatibus entis explicata à ſe manifeſtando in quo concordes cum Scoto.

Quo ad ſecundum Caiet. citat D. Th. in principio lib. 4. Met. & ibi lect. 4. cum Ariſt. ſentire, quod eſt quædam ſcientia, quæ ſcrutatur ens inquantùm ens, & quæ huic inſunt ſecundum ſe. Et in tex. 5. ait. Quemadmodum enim numerus ſecundum quod numerus habet accidentia propria ſcilicet par, & impar, æquale, & inæquale, ſic etiàm ens habet accidentia propria, de quibus Philoſophum opportet perſcrutari. Et Scotus cùm alijs Thomiſtis, in hoc conuenit, quod fatetur Vnum,

Ve-

Verum, & Bonum eſſe veras, legitimas proprietates, & verè demonſtrabiles; ſed poſtea diſcordat à Via D. Th. quod non ſolum vult quod ens habeat veras, & proprias paſſiones demonſtrabiles, ſed etiam tenet quod ſint veræ, & reales idem cum ſuo ſubiecto, & diſtinctæ tantùm ex natura rei ab ente, & quod ſint Phyſicæ, nos autèm dicimus, quod ſunt Metaphyſicæ, & verè demonſtrabiles. Idem nobiſcum dicit Antonius Andreas p. Met. q. 1. Concl. 4. & Antonius Trombeta in lib. 4. Met. q. 3. Ità Caietanus.

Vnica Concl. Caiet. cum probatione 1. p. quod ſcilicet ens habeat tres veras demonſtrabiles proprietates Metaphyſicas, ſcilicet Vnum, Verum, & Bonum.

Quo ad 3. vnica Concluſio ſic ponitur à Caiet. ex D. Th. Ens habet veras, & proprias paſſiones non reales profluentes per actionem ab ipſo ente, ſed verè demonſtrabiles per cauſas à priori in eſſendo ad minus virtualiter. Et ſunt tres ſcilicet Vnum, Verum, & Bonum: Aliæ duo ſcilicet Res, & Aliquid ſunt potiùs notiones, quàm paſſiones.

Probatur prima pars à Caietano contrà Scotum ſub tali formà. Omnis paſſio vera realis diſtinguitur realiter à ſuo ſubiecto: ſed paſſiones entis, ſcilicet Vnum, Verum, & Bonum non diſtinguuntur realiter ab ente vt probabitur in lectione ſequenti; ergo ens non habet paſſionos veras, & reales profluentes realiter ab ente. Maior probatur à Caiet. ſic. Cauſa productiua realis, & effectus eius realis diſtinguuntur realiter, quia nihil ſe ipſum producit. Et inſuper intèr cauſam, & effectum eſt relatio realis ex 5. Met. c. de ad Aliquid, & eſt in ſecundo modo relatiuorum: ergo ſi paſſio eſt vera, & realis profluens à ſubiecto quod eſt ens, erit diſtinctio realis: nam eiuſdem ad ſe ipſum eſt relatio ad plus rationis, quia idem non diſtinguitur realiter à ſe ipſo: ſed in tali caſu ſubiectum, ſcilicet ens eſt cauſa productiua ſuæ realis paſſionis: ergo &c. Iſta Minor tenet, & probatur ab Antonio Andrea in lib. 9. Met. q. 1. & hæc ratio procedit ex conceſſis ab Aduerſario Nec Antonius Trombeta in ſuis quæſtionibus Metaphyſicalibus potuit euadere hanc rationem noſtram niſi per illam ſuam diſtinctionem irrationalem, ſcilicet Agentis Metaphyſici, & remoti, Phyſici, & propinqui; & ideo non meretur, vt impugnetur: Dicendo enim, quod non eſt neceſſe Agens Metaphyſicum, ſeù remotum diſtingui realiter à ſuo effectù eſt contrà doctrinam Philoſophi in 5. Met. c. ad Aliquid: ibi enim tenet quod intèr omne actiuum, & paſſiuum eſt relatio realis: ergo diſtinguuntur realiter. Et hoc patet in Doctrina Scoti qui tenet quod Relatio realis requirit extrema diſtincta realiter, & quæ ſint actu. Et dicendo etiàm, quod non eſt neceſſe, Agens Metaphyſicum ſeu remotum exiſtere, dùm agit, eſt penitùs abſurdum, quia apud Philoſophum in proœmio p. lib. Met. Actiones ſunt ſingularium; & rationem aſſignat Antonius Andreas, quoniam vniuerſalia non exiſtunt niſi in ſingularibus, quibus competit primò, & per ſe exiſtere: ergo actio requirit exiſtentiam in quocumq; Agente ſiuè propinquo, ſiuè remoto.

Reſp. Scoti ad rationem Concl.

Reſp. Scotiſtæ, quod ſubiectum non eſt realiter Actiuum ſuæ Paſſionis, ſed tantùm ſecundum modum intelligendi; Et ideò ſi cauſalitas non realis, non eſt requiritur diſtinctio realis.

Impugnatio Reſp. data à Caiet.

Sed contra, ait Caietanus, eſt enim contrà Doctrinam Scoti, vt patet in Antonio Andrea in lib. 9. Met. q. p. quia ex eo quod dicit, quod ſi ſubiectum eſſet ſolùm in potentia paſſiua reſpectu ſuæ paſſionis, paſſio contingentèr ineſſet ſubiecto, & per conſequens non eſſet ſcibilis per demonſtrationem, certè quod intendit ipſe loqui de potentia actiua reali, & non ſolùm ex modo intelligendi. Ità Caiet.

Probatio Caiet. pro 2. p. Concl ſcilicet quod l y res, &

Probatur ſecunda pars à Caiet. ex doctrina D. Th. ſub tali forma. Vbicumq; Auctor agit de paſſionibus legitimis entis agit tantummodò de Vno, Vero, & Bono, & vbicumque agit de re, & de aliquid agit de ipſis ſub hoc nomine tranſcen-

den-

Digitized by Google

aliquid non ſunt legitimæ proprietates, ſed notiones entis.

dentiæ; ergo ſignum euidens eſt de mente D. Th. tres eſſe veras proprietates legitimas demonſtrabiles, ſcilicet Vnum, Verum, & Bonum, & alias duas, ſcilicet res, & ad aliquid eſſe tranſcendentia. Et verè iuxta vſum communem res, & ens tanquam ſynonima vſurpantur; & dicere Res eſt ens cenſetur prædicatio identica, & negatio; ſicuti etiam ly aliquid idem eſt quod habens aliquam entitatem, vel quidditatem; & quando dicitur quod ly aliquid ſignificat, quaſi aliud quid ſcilicet diſtinctionem ab alio, vel negationem identitatis cum alio, quis non videt non eſſe diuerſum ab vno? vel includi in eo tanquàm conſequens illud? ergo dicendum omninò eſt, quod res, & aliquid non ponunt in numero cum paſſionibus entis, ſed ſolummodo faciunt numerum tranſcendentium vt de facto vbiq; S. Doctor ſic ponit. Ità Caiet.

1. Arg. Caiet. contrà 1. p. Concl.

Quo ad 4. arguit Caietanus contra ſecundam partem Concl. ſic. Iſta Prædicatio ens eſt res, eſto non ſit adeò frequens, eſt tamen admodum vtilis, & importat vt quid ratum ſiuè proprium eius cuius eſt; & ly aliquid exprimit peculiarem modum contractiuum entis, & hoc modo prædicamenta dicuntur eſſe primò diuerſa, & non quatenus dicunt conuenientiam in ente: ergo res, & aliquid non ſunt ſynonima entis, & vnius, & non ſunt prædicationes identicæ, & nugatoriæ, ſed erunt veræ paſſiones, ſicut illæ tres vnum &c. Antecedens conſtat ex D. Th. in q. p. de Verit. a. 1. quod ly res eſt modus expreſſus conſequens ens vt in ſe, & exprimit poſitiuè; & ly aliquid eſt expreſſio modi in ordine ad aliud ſecundum differentiam quod ſignificat aliud quid.

Reſp. Caiet. ad 1. Arg.

Reſp. Caietanus, quod ex illo antecedenti, & probatione antecedentis aliud non habetur, niſi quod res, & aliquid exprimunt aliquem modum ex proprijs conceptibus, qui non exprimitur formaliter per conceptum entis ſufficientem ad ponenda illa duo in numero tranſcendentium, quia conceptus entis eſt conceptus tranſcendentalis, non tamèn eſt talis modus, qui debeat concipi virtualiter veluti ab ente dimanare, vt vera paſſio, & quod ſequatur ad eſſentiam, vel tanquam ad cauſam virtualem, vel tanquàm ad cauſam formalem, ſeù formaliter dimanatiuam, vt diximus de illis tribus vno &c. quæ ſecundum modum quem exprimunt ſuprà ipſum ens, virtualiter tantùm, & non formaliter dimanant, quia alias ab ipſo realiter diſtinguerentur. Ità Caiet.

Arg. 2. Caiet. contrà p. p. Concl.

Arguit ſecundo Caiet. contra primam partem Concluſionis probando ex Scoto, quod ſi proprietates entis ponantur reales, & vt dimanantes formaliter ab ente non ſit neceſſe quod diſtinguantur realiter. Arguitur ſic. Quæ realiter diſtinguuntur, ſunt ab inuicem ſeparabilia: ſed ſubiectum, & paſſio non ſunt ab inuicem ſeparabilia, aliter ineſſet contingenter ſubiecto, & non eſſet demonſtrabilis de ſubiecto: ergo &c. Maiorem probat Antonius Andreas in 4. lib. q. 3. ſic. Sicut ex ſeparatione aliquorum concluditur diſtinctio realis inter ea, alioquin contingeret eidem ſimul eſſe, & non eſſe; Ità ex inſeparabilitate aliquorum concluditur indiſtinctio realis.

Confir. Argum. Scoti.

Confirmatur. Si paſſio diſtinguitur realiter à ſubiecto; ergo eſt proceſſus in infinitum. Probatur. Sumo hominem præſcindendo ab omni accidente, & qualitate, & quæro in alio priori, aut homo eſt aptus recipere riſibilitatem, aut non; ſi non: ergo ei repugnat, quod eſt abſurdum; ſi ſic, aut eſt aptus aptitudine media, aut ſe ipſo; ſi ſe ipſo: ergo eſt aliqua aptitudo in homine, quæ eſt ipſe homo, & per conſequens eadem ratione poteſt dici, quod homo eſt ipſa riſibilitas, quæ eſt aptitudo ridendi; ſi aptitudine media, quæro vt prius, aut homo eſt aptus recipere aptitudinem mediam per aliam aptitudinem, aut ſe ipſo vt prius; ergo non eſt ne-

neceſſe paſſionem diſtingui realiter à ſubiecto, vt dicatur, quod Paſſiones entis ſunt proprietates, & paſſiones reales.

Reſp. ad Argumentum negando maiorem, quia non ex ſola ſeparabilitate concluditur diſtinctio realis intèr aliqua: ſed quia remoto omni opere intellectus vnum non eſt alterum eo quod ſunt diuerſarum entitatum, puta vnum eſt potentia, alterum eſt actus; vnum eſt ſubſtantia, alterum eſt accidens; vt in propoſito habemus quod ſubiectum eſt ſubſtantia, paſſio eſt accidens. Vndè ſi quæras cur non omnia diſtincta ſint regularitèr ſeparabilia? Reſp. quod non poteſt aſſignari vnica cauſa; Aliquando enim eſt, quia vnum eſt pura potentia, cui repugnat per ſe exiſtere, & ideò materia eſt inſeparabilis à forma: aliquando eſt propter naturalem connexionem, vt Relatio non poteſt ſeparari ſtante fundamento, & extremis relatiuis; vndè non poſſet Deus facere duo alba, intèr quæ non eſſet ſimilitudo: Aliquando eſt propter naturalem ſequelam vnius ad alterum, vt ad ignem naturaliter ſequitur calor, & ideò non poteſt ſeparari ab igne. Idem accidit de ſubiecto, & paſſione, quæ naturaliter fluit à principijs ſubiecti. Ità Caiet. *Reſp. Caiet. ad Arg. Scoti.*

Ad Confirm. Reſp. Caietanus, quod dupliciter ſumitur aptitudo, primo pro principio formali poſitiuo, & proximo alicuius actus, & ſic ſemper eſt accidens, & qualitas in agentibus creatis; eo quod in via noſtra nulla ſubſtantia creata eſt proximum principium agendi, licet poſſit eſſe principium primum, ſicut Anima eſt principium primum non tamen proximum, quo ſentimus, & intelligimus; ſecundò ſumitur pro non repugnantia ad recipiendam illam aptitudinem poſitiuam, & ſic non eſt accidens, nec propriè ſubſtantia cum ſit negatio nec diſtinguitur realiter à ſubſtantia rei, ſed conſideratur quod ipſa eſt talis naturæ, cui non repugnat tale principium proximum, nec actus egrediens à tali principio. *Reſp. Caiet. ad Argumenti Confirmationem.*

Et ſic Reſp. quod homo in illo priori eſt aptus recipere riſibilitatem non aptitudine poſitiua, ſed aptitudine non repugnantiæ eo quod eſt talis naturæ, cui non repugnat riſibilitas. Et quando tu quæris aut aptitudine media, aut ſe ipſo. Reſp. ſe ipſo. Et quando dicis, ergo eſt aliqua aptitudo in homine, quæ eſt ipſe homo, concedo de aptitudine non repugnantiæ, & quando tu dicis ergo eadem ratione riſibilitas eſt idem cum ipſo homine, nego, quià tu tranſis ab aptitudine non repugnantiæ ad aptitudinem poſitiuam, quæ eſt principium proximum agendi. Et ex hoc ſoluitur illa obiectio Scoti, qua probat quod intellectus non diſtinguitur ab eſſentia Animæ, eo quod Anima ex ſe eſt apta intelligere, ergo illa aptitudo, quæ eſt ipſe intellectus non diſtinguitur ab Anima: quia patet ex dictis quod Anima ex ſe non eſt apta intelligere aptitudine poſitiua, ſed aptitudine non repugantiæ, eo quod eſt talis naturæ ſcilicet intellectualis.

Et ſimiliter ſoluitur alia obiectio de corpore naturali, quo probatur, quod eſt ex ſe mobile, & non per mobilitatem ſibi intrinſecam. Et ſic probatur. Corpus naturale includit materiam, quæ cum ſit natura eſt principium motus; ergo mobilitas non eſt paſſio diſtincta realiter à corpore mobili. Dicitur ergo quod non eſt ex ſe mobile niſi non repugnantèr, eo quod materia non poteſt eſſe principium motus proximum: tale enim principium ſunt qualitates alteratiuæ, aut motiuæ. Ità Caietanus pluribus in locis, ſcilicet in ſua Phyſica in quæſt. proæmiali de ſubiecto Phyſicæ. Et in p. p. q. 77. a. p. & q. 54. a. 3. In fine Comment. §. ad tertiam rationem &c. vbi probat contrà Scotum quod iſta propoſitio eſt falſa, realiter diſtincta ſunt ab inuicem ſeparabilia. Legas ipſa Commentaria.

Appen-

Digitized by Google

Appendices ad Lectionem 1. Metaphyſicalem in Tractatu 6. de Paſſionibus, & Proprietatibus entis.

INtèr Thomiſtas adhuc eſt aliqua Controuerſia de proprietatibus entis. Capreolus in p. ſent. diſt. 2. q. 1. ad 12. contrà 5. Concl. tenet cum D. Th. quod ſint tantùm tres proprietates entis, ſcilicet Vnum Verum, & Bonum. Inter Modernos Minaldus in ſua abreuiata Metaphyſica Dubio 1. in lib. 3. & Dubio 2. videtur recedere à Caietano quem in ſuis ſententijs pro duce habet. Et ex propria ſententia loquens, nunquàm citando Caietanum determinat quod ens non habet paſſiones veras, & proprias, ſcilicet reales, ſed minùs proprias, ſeu tantùm demonſtrabiles, quas minus proprias dicit eſſe quinque ſcilicet Vnum, Verum, Bonum, Aliquid, & Res, & nullum Doctorem citat.

Blaſius à Conceptione in ſua Met. diſp. 20. de proprietatibus entis q. 2. §. 2. tenet probabilius eſſe, quod aliquid, & res non ſunt propriè proprietates entis. Et citat D. Th. in q. 1. de Verit. a. 1. in corp. & 4. Met. lect. 2. littera B; & quod aliquid non faciat proprietatem diſtinctam ab Vno citat Maſium lib. 3. ſuæ Metaphyſicæ c. 10. in explicatione ſecundæ dubitationis, & pro ſe citat B. Alber. Magnum in p. p. ſuæ Theologiæ tract. 6. q. 24. Memb. 2. & Heruæum quolib. 4. q. 2. Complutenſes in ſua Logica diſp. 3. q. 2. num. 12. ex Ariſt. 1. Met. q. 6. & 10. Met. c. 1. Et deindè probat ex D. Th. q. 1. de Verit. a. 1. ipſe Blaſius, proprietates entis non poſſe eſſe plures quam tres loquendo de proprijs, ſcilicet Vnum, Verum, & Bonum. Citat Arauium, in eo quod dicit quod iſtæ paſſiones entis ſint abſolutè reales, 4. Met. q. 4. a. 1. (Flandriam q. 1. a. 1. ad 2.) Soncinatem q. 17. & concludit quod eſt communiter recepta in Schola D. Th. & fatetur ſe eſſe contrarium Iauello in 4. Met. q. 2. qui cum Maſio in lib. 2. de ente, & eius proprietatibus fatetur ingenuè proprietates entis non eſſe proprietates rei, ſed demonſtrabiles.

Intèr Neotericos nouiſſimè in ſua Metaphyſica Mag. noſter Arnù in ſua Metaphyſica q. 5. de proprietatibus entis a. p. magis diſtinctè procedit, & clariori methodo quam alij Moderni. Recitat in primo loco opinionem Scoti qui in p. ſent. diſt. 3. q. 3. & diſt. 8. q. 2. aſſerit ens habere reales, ac poſitiuas proprietates ex natura rei ab ipſo diſtinctas, quæ tamèn intrinſecè, & realiter in ſe entia non ſunt: Sic Scotum declarat Maſtrius, quem omnes eius diſcipuli ſequuntur. Et ab hoc dicendi modo non recedunt aliqui Thomiſtæ, qui volunt diſtingui formaliter ab ipſo ente, ipſaſq; non prædicare, aut dicere formaliter eſſentiam rei, ſed modum extrà eſſentiam. Vndè hæc propoſitio homo eſt ens, eſt in primo modo dicendi per ſe, nõ tamèn hæc; Homo eſt vnus. Differunt tamèn à Scoto in hoc, quod aſſerunt huiuſmodi paſſiones etiam formaliter ſumptas includere eſſentialiter, & intrinſecè ipſum ens.

Alij affirmant ens nullatenùs habere proprias paſſiones, quæ de formali importent aliquid reale poſitiuum ab ente formaliter, aut ex natura rei diſtinctum, ſed ſolum negatiuum, vel habitudinem rationis ad aliud, eſto de materiali dicant ipſum ens reale. Hæc opinio, ait Arnù eſt communis intèr Doctores, & præcipuè inter Thomiſtas. Hanc docet D. Th. in innumeris locis præcipuè q. 1. de Verit. a. p. & q. 21. a. 1. hanc inſinuat in p. p. q. 5. & 16 Citat etiàm Caietanum in p. p. q. 54. a. 2. (Sotum in prædicab. cap. de proprio) Iauellum, Soncinatem, Fonſecam quos adducit, & ſequitur Suarez diſp. 3. Met. ſect. 1. num. 4. (Nazarium p. p. q. 11. Sapientiſſimum Mag. Io: à D. Th. q. 6. diſp. 6. a. 1. num. 6: cuius rationem for-

ma-

malizat Magiſter Arnù in num. 6. loc. cit. Et Reſpondet ad impugnationes Magiſtrij num. 8. 9. &c. concludendo in fine Reſponſionum, quod vtique non ſunt proprietates rei, ac ſimplicitèr, ſed vniuerſales, ac demonſtrabiles cum ipſo Caietano.

Circà numerum Magiſter Arnù in art. 2. loc. cit. n. 21. Reſp. ex D. Thom. loc. cit. Rem & aliquid non eſſe propriè entis paſſiones, ſed reduci ad ipſum ens, vel ad aliquam illius propriam paſſionem. Res reducitur ad ens, differunt in hoc ſolùm ab ente, quod ens propriè ſignificat eſſe rei, quantùm ad id, à quo nomen entis imponitur; res verò ſignificat quidditatem, cui tale eſſe debetur. Aliquid autèm ad vnum reducitur, exprimit enim negationem diuiſionis ab alio, quæ in conceptu vnius includitur cùm ſit ens indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio, Ità Magiſter Arnù.

LECTIO II.
METAPHYSICALIS
In Tractatu
DE PASSIONIBVS, SEV' PROPRIETATIBVS ENTIS.

Vtrùm, Vnum, Verum, & Bonum conuertantur cùm ente.

Ex Caietano p. p. q. 5. art. 1. q. 11. art. 1. q. 16. art. 3.

Declaratio Tituli eiuſque ſenſus data à Caietano.

CAIETANVS in locis citatis explicat illum terminum poſitum in Titulo, ſcilicèt ly Conuertantur, & dicit ſic. Triplex eſt conuertibilitas, ſcilicèt ſecundum rem, ſecundum conceptum, & ſecundum prædicationem. Prima eſt intèr duo, quæ dicunt eamdem naturam adæquatè, vt homo, & rationale, ad differentiam Generis, & ſpeciei, quæ eſto dicant eamdem naturam non tamèn conuertibilitèr, quia in plus eſt Genus, quàm Species. Secunda eſt intèr duo quæ habent eumdem omninò conceptum, & re, & ratione vt duo ſynonima, quæ non ſunt ſynonima non ſunt conuertibilia ſecundum conceptum. Tertia eſt intèr duo, quæ adæquantur in ſuppoſitis, ità quod de quibuſcumque prædicatur vnum, prædicatur & reliquum, vt homo, & riſibile, par, vel impar. In præſenti Lectione quidquid ſit de extenſo nomine entis ad ens, & non ens, ad ens reale, & ens rationis, vel impropriè, vel ſecundum vſum loquendi, ſicuti ſolemus dicere vnam negationem, vnam priuationem non eſt bona, bona febris, &c. quidquid ſit, inquàm de his applicationibus improprijs de quibus Metaphyſicus principalitèr non curat, ſed ſiſtendo in

Digitized by Google

noſtro obiecto formali dato Metaphyſicæ, ſcilicèt de ente in quantum, &c. propriè, & formalitèr quærimus An Vnum, Verum, & Bonum dicant eamdem rem adæquatè, vel potiùs addant aliquid reale, & ſic non conuertantur cum ente; vel potiùs ſint idem re, & ratione, & non diſtinguantur per diuerſas rationes, vel de quocumque prædicetur ens, prædicetur & Vnum, Verum, & Bonum, & è conuersò. Et dicimus quod omnia tranſcendentia propriè conſequuntur Ens reale, & ſic propriè quærimus, & non impropriè, nec per applicationem, nec ſecundum vſum communem loquendi, de hac conſecutione, & conuertentia in ſenſu declarato. Ità Caietanus in locis citatis.

Primum Notabile Caietani quid addat Bonum ſuprà ens.

Quò ad primùm. Caietanus ſequendo ordinem proprietatùm Sanctiſſimi Præceptoris declarat in primo loco cum ipſo in 1. p. quæſt. 5. art. 1. in Reſp. ad primùm quid addat bonum ſupra ens. Et notat quod non eodem modo dicitur aliquid ens ſimplicitèr, & bonum ſimplicitèr; nàm cùm ens dicat aliquid propriè eſſe in actu, actus autèm propriè ordinem habeat ad potentiam; ſecundum hoc dicitur ſimplicitèr aliquid ens, ſecundum quod primò diſcernitur ab eo quod eſt in potentia tantùm, hoc autèm eſt eſſe ſubſtantiale rei vnius cuiuſque; vndè per ſuum eſſe ſubſtantiale dicitur vnumquodque ens ſimplicitèr: per actus autèm ſuperadditos dicitur aliquid eſſe ſecundum quid, ſicut eſſe album ſignificat eſſe ſecundum quid, non enim eſſe album affert eſſe in actu ſimplicitèr, cum adueniat rei iàm præexiſtenti in actu; Bonum autèm dicit rationem perfecti, quod eſt appetibile, & per conſequens dicit rationem vltimi: vnde id quod eſt vltimò perfectum, dicitur bonum ſimplicitèr; quod autèm non habet vltimam perfectionem quam debet habere, quamuis habeat aliquam perfectionem in quantùm eſt actu, non tamèn dicitur perfectum ſimplicitèr, nec bonum ſimplicitèr, ſed ſecundum quid. Secundum igitur quod eſſe primum habet, quod eſt eſſe ſubſtantiale, dicitur aliquid ens ſimplicitèr, & bonum ſecundum quid, ideſt in quantùm eſt ens, vt autèm habet vltimum actum dicitur ens ſecundum quid, & Bonum ſimplicitèr. Et hoc eſt quod dicit Boetius in lib. de hebd. Intueor in rebus aliud eſſe quod ſunt Bona, & aliud eſſe, quod ſunt, verificatur hoc referendo ad eſſe bonum, & ad eſſe ſimplicitèr; ſecundum primum actum eſt aliquid ens ſimplicitèr, & ſecundum vltimum actum eſt bonum ſimplicitèr. Et tamèn ſecundum primum actum, eſt quodammodo bonum, & ſecundum vltimum eſt quodammodo ens. Stante igitur hac diuerſitate difficultas eſt an ens, & bonum conuertantur. Ità Caiet.

Notabile Caiet. in quo declaratur in quo ſenſu diuidatur à D. Thom. ens per vnum, & multa.

Notat Caietanus de vno in quæſt. 11. 1. p. art. 1. in Reſp. ad 2. ex D. Thom. quod ens diuiditur per vnum, & multa, & quod diuidit aliquid commune, ſe habet ex additione ad illud, & hoc eſt quod facit fluctuare eruditos; & ad penetrandam Reſponſionem D. Thomæ ſcire debemus quod ſecundum mentem D. Tho. ens diuiditur per vnum, & multa, quaſi per vnum ſimplicitèr, & multa ſecundum quid. Et ly ſimplicitèr, & ſecundum quid non determinant ly vnum, aut ly multa, ſed determinant ly diuiditur. Et eſt ſenſus, quod ens diuiditur ſimplicitèr per vnum, & ſecundum quid per multa, ideſt vnum continetur ſimplicitèr ſub ente, multa autèm ſecundum quid; & ſtatim hoc probatur in ſua Reſponſione ipſa enim multa, ait D. Thom. non continentur ſub ente niſi vt participant de Vno. Et quoniam conſtat quod natura talis diuiſionis eſt, vt membrum ſimplicitèr æquetur diuiſo abſolutè ſumpto; & meritò, quoniam membrum ſecundum quid non ſapit diuiſum niſi ſecundum quid; ideò ſtat optimè Reſponſio litteræ, quod vnum conuertatur cùm ente, & tamèn ſit diuiſionis membrum. Exemplum huius eſt, ſi diſtinguatur Homo in hominem in actu, & in hominem in potentia;

tentia; & ſimilitèr Domus in domum in actu, & in potentia, &c. Et in hoc multi æquiuocant de vno quod eſt principium numeri, & de vno quod eſt tranſcendens. Vnum, quod eſt principium numeri quale accidens ſit non eſt præſentis Lectionis, ſed erit ſpecialis quæſtio. Stante ergò hac diuiſione, & participatione, quæritur, Vtrum vnum addat aliquid reale ſuprà ens, vel tantùm aliquid rationis. Ità Caietanus loc. cit. in fine Comment.

Notabile Caiet. in quo exponitur quomodo Verum, & pro veritate rei, & propriè vt terminus intrinſecus intellectionis conuertatur cum ente.

Notat de Vero Caietanus Reſponſionem D. Thom. ad 3. 1. p. quæſt. 16. pro vt intendit Argumentum infringere quod verum, & ens non conuertantur. Notat, inquàm, quod verum dicitur duplicitèr, & pro veritate rei, & propriè. Propriè eſt terminus intrinſecus intellectionis, & obiectum intrinſecum eius, imò propria intelligentia eſt perfectio obiectiua, & de hac non eſt ſermo in Reſp. ad 3. cit. quia iàm in primo articulo infert verum eſſe in intellectu. Supponendum eſt igitur quod verum rei eſt poſteriùs quidem ente, priùs autèm cognitione, & eſt obiectum intellectus non formale, quoniam iſtud eſt ens, ſed eſt conditio propria obiecti formalis, proptèr quod rationes Scoti in 1. ſent. diſt. 3. quæſt. 4. & 5. quibus impugnat verum eſſe proprium obiectum intellectus non opportet ſoluere, quoniam de obiecto formali loquuntur, quod in hac littera Reſponſionis ad 3. cit. docetur non eſſe. Ens enim licet ſecundum omnes conditiones, modos, & rationes terminet intellectum, dùm omnia intelliguntur actu, vel potentia, certam tamèn exigit conditionem generalem, qua exercet hoc, quod eſt perficere intellectum obiectiuè, & hanc addit verum ſuprà ens: non enim quomodolibet perficit intellectum, ſicut nec quomodolibet perficit appetitum, nec quomodolibet agit. Vndè intèr Verum, & Bonum, quamuis conueniant in hoc quod vtrumque eſt obiectum, & terminans potentiam, &c. hoc tamèn intereſt quod Bonum, obiectum Voluntatis formale ſignificare videtur; Verùm autèm conditionem obiecti formalis. Et propterea omnis appetitio eſt boni formalitèr: omnis autèm intellectio non eſt intellectio veri formalitèr, vt in littera cit. dicitur, ſed rei veræ, ità quod ly rei notat rem intellectam, & ly veræ, conditionem qua res intelligitur. Ità Caietanus in fine Commentarij art. 3. quæſt. 16. cit.

Opinio D. Thom. de Vero, & vno, quod conuertantur cum ente explicata à Caietano.

Quò ad ſecundùm. Caietanus cum D. Thom. in 1. p. quæſt. 16. art. 3. de vero, & ente ſic ait: D. Thom. per ſuam rationem includentem vim medij manifeſtatam ex proportionali ſimilitudine Veri, & Boni probat quod Verum, & ens conuertuntur, ſicuti etiàm Bonum in quæſt. 5. art. 1. De Vno D. Thom. in quæſt. 11. art. 1. probat etiàm quod vnum & ens conuertuntur, & quod addit ſuprà ens non rem aliquam, ſed ſolam negationem diuiſionis, eſto circà hoc occurrat dubium ex duplici capite.

Opinio Auicennæ, & Scoti de vno quod addat realitatem ſuprà ens.

Ex Auicenna primò, qui tenet addere rem aliquam ſuprà ens. Et ſecundò ex Scoto, qui tenet vnum addere realitatem quamdam poſitiuam realiter eamdem ipſi enti, pro vt cùm ſuis ſequacibus vniuerſalitèr tenet paſſionem identificari proprio ſubiecto. De poſitione Auicennæ diſputatur ab Ariſtotele in 4. Met. & à D. Thom. art. 1. quæſt. 11. cit. contrà quem, addit Caietanus, Scotiſtæ inuehunt contra rationem Auuerrois, qua vſus eſt D. Thom. contrà Auicennam.

Opinio Pythagoræ, & Platonis de vno ex vna parte, & Auicennæ ex alia parte de vno recitata à D. Tho.

D. Thomas igitur, (proſequitur Caietanus) in Reſponſione ad primùm dicit, quod quidam putantes idem eſſe vnum, quod conuertitur cùm ente, & quod eſt principium numeri, diuiſi ſunt in contrarias poſitiones. Pythagoras enim, & Plato videntes quod Vnum quod conuertitur cùm ente non addit aliquam rem ſuprà ens, ſed ſignificat ſubſtantiam entis pro vt eſt indiuiſa, exiſtimauerunt ſic ſe habere de vno quod eſt principium numeri; & quia numerus componitur ex vni-

Digitized by Google

& Caiet. per oppoſitas poſitiones.

tatibus, crediderunt, quod numeri eſſent ſubſtantiæ omnium rerum. Auicenna autèm conſiderans, quod vnum, quod eſt principium numeri addit aliquam rem ſuprà ſubſtantiam entis (alias numerus ex vnitatibus compoſitus, non eſſet ſpecies quantitatis) credidit quod vnum, quod conuertitur cùm ente addat rem aliquam ſuper ſubſtantiam entis, ſicut album ſuprà hominem: ſed hoc eſt manifeſtè falſum, vndè debemus dicere, quod vnum quod conuertitur cùm ente non addit aliquam rem ſuprà ens, addit enim aliquid rationis, ait ad 3. D. Thom., quia non eſt nugatio, cùm dico ens vnum. Vnum autèm quod eſt principium numeri addit aliquid ſuprà ens pertinens ad Genus quantitatis; ens enim tranſcendens, & ens principium numeri multum differunt. Ità Caiet. in quæſt. 11. cit.

Opinio de Bono quod conuertatur cum ente explicata à Caietano.

Et de proprietate Boni, iàm diximus, quod D. Thom. in 1. p. quæſt. 5. art. 1. ait quod Bonum & ens ſunt idem ſecundum rem, ſed differunt ſecundum rationem tantùm, ſed differre ratione, addit Caietanus, ſtat dupliciter, ſcilicèt ratione ſignificata: Seù concepta, vt lignum, & dolabile, quia differunt rationibus diffinitiuis, ſola ratione ſignificata differunt; alio modo dicitur differre ratione concipiente, ſeù ſignificante, ſcilicèt in modo tantùm ſignificandi, vt Homo, & humanitas dicuntur ſola ratione differre in hoc ſenſu. In propoſito ſumitur differre ratione ſignificata, ità quod ſenſus eſt quod Bonum, & ens differunt ſecundum ſuàs rationes formales ſignificatas eorum nominibus. Ità Caietanus.

Concluſio vnica Caietani de Vno, Vero, & Bono ex D. Th. cum probatione primæ partis de vno, ſcilicet quod conuertatur cum ente, & ſit idem ſecundum rem, & differat tantùm ratione.

Quò ad tertiùm. Caietanus ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 5. & quæſt. 11. & quæſt. 16. ponit hanc Concluſionem. Vnum, Verum, & Bonum conuertuntur cum ente, ideſt ſunt idem ſecundum rem, & differunt ſecundum rationem tantùm.

Probatur à Caietano prima pars, ſcilicèt de vno ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 11. art. 1. ſcilicèt quod addat Vnum ſuprà ens ſolam negationem diuiſionis, & per conſequens quod conuertatur cùm ente, ſub tali forma. Vnum nihil aliud ſignificat, quàm ens indiuiſum, & eſſe cuiuslibet rei conſiſtit in indiuiſione: ergò nihil reale addit, ſed ſolam negationem diuiſionis. Antecedens probatur primò inductiuè in eſſe ſimplicium, & compoſitorum, quia omne ens, aut eſt ſimplex, aut compoſitum: quòd autèm eſt ſimplex, eſt indiuiſum & actu, & potentia; quòd autèm eſt compoſitum non habet eſſe, quamdiù eius partes ſunt diuiſæ, ſed poſtquàm conſtituunt, & componunt ipſum compoſitum: ergò, &c. Probatur idem antecedens à ſigno. Vnumquodque ſicut cuſtodit ſuum eſſe, ità cuſtodit ſuam vnitatem, ergò &c. Ex hac ratione habetur quomodò ſit rectè dictum à Philoſopho 10. Met. tex. 8. quod ens, & vnum ſignificant eamdem eſſentiam, ſed differunt ſecundum modum. Et inſuper, quod ens, & vnum non ſignificant idem omnibus modis, ſed ſignificant idem ſecundum ſubiectum, & diuerſa ſecundum modum. Ità Caietanus loc. cit.

Probatio ſecundæ partis Concluſ. cum ſua probatione de vero ex D Tho. quod ſit idem ſecundum rem, & conuertatur cum ente, & differat ratione.

Probatur ſecunda pars à Caietano ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 16. art. 3. de vero, & vt eſt in rebus, & vt eſt in intellectu, ſcilicèt vt eſt in rebus, probatur quod conuertitur cum ente ſecundum ſubſtantiam eo modo quo Bonum; pro vt eſt in intellectu conuertitur cùm ente, vt manifeſtatiuum cum manifeſtato, & hoc accidit propter hoc quod Verum, & ens differunt tantùm ratione.

Probatur à Caietano vnica ratione includente ſimul vim medij, & manifeſtationem ex proportionali ſimilitudine Veri, & Boni ſub tali forma. Vnumquodq; in quantùm habet de eſſe (& hæc eſt vis medij) in tantùm eſt cognoſcibile: ergò ens, & verum conuertuntur. Antecedens manifeſtatur ex 3. de Anima tex. 37. vbi dicitur quod Anima eſt quodammodò omnia, quia eſt omnia cognoſcibilia;

hoc

Google

hoc enim ñon eſſet verum, niſi cognoſcibilitas adæquaret eſſe, vt patet. Conſequentia probatur, quia verum importat ordinem ad cognitionem, ideſt cognoſcibile. Proportionalis autèm ſimilitudo conſiſtit in tribus. Primò in hoc, quod ſicut Bonum ſignificat appetibile, ità verum cognoſcibile; ſecundò quod ſicut Bonum conuertitur cùm ente, ità Verum. Tertiò ſicut Bonum addit ſuprà ens ordinem ad appetitum, ità Verum ordinem ad intellectum. Ità Caietanus ex D. Thom. loc. cit.

Probatio tertiæ partis de Bono ex D. Th. ſcilicèt quod ſit idem ſecundum rem, & conuertatur cum ente, & differat ratione.

Probatur de Bono à Caietano ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 5. art. 1. ſub tali forma. Bonum habet rationem appetibilis, quàm non explicat ens: ergò differt ratione tantùm: ergò eſt idem ſecundum rem: ergò conuertitur cum ente. Et addit Caietanus, in conſequentijs, & in Concluſione ne fallaris æquiuocando, quod Concluſio non dicit quod ens ſimpliciter, aut ens ſecundum quid ſit idem realitèr cum Bono ſimpliciter, vel cum Bono ſecundum quid, quia hoc reputatur falſum, & eſt contrà quemlibet ſapientem, ſed conſequentia, ſeù concluſio intenditur illata, quod ens, & bonum conuertuntur realitèr, ideſt quod quodlibet ens eſt bonum, & quod quodlibet bonum eſt ens; & hæc eſt communis Sapientum Conceptio. Stante igitur hac animaduerſione, de facili probatur illud antecedens à D. Th. & 1. Eth. in principio vbi dicitur, quod Bonum eſt quod omnes appetunt; hinc ſequitur quod omnia appetunt ſuam perfectionem, & ſequitur etiàm, quod ſi habet rationem appetibilis bonum neceſſariò habet rationem entis, cum eſſe ſit actualitas omnis rei, quia ſi habet rationem appetibilis, debet habere rationem perfecti, ſi perfecti, ergò entis in actu, ergò entis: ergò ſequitur neceſſariò quod Bonum, & ens ſunt idem ſecundum rem. Ità Caiet. loc. cit.

Argum. Caiet. contrà proprietatẽ Boni, quod non ſit idem ſecundũ rem cum ſua propria

Reſp. ex D. Thom.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus de hoc vltimo, ſcilicèt Bono ſic. Ex D. Thom. quæſt. 5. cit. Nihil informatur ſe ipſo, & Bonum ſuſcipit magis, & minus; ſed Bonum dicitur per informationem entis, & ens non ſuſcipit magis, & minus, vt habetur in lib. de Cauſis: ergò Bonum differt ſecundum rem ab ente.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. ſic. Quod Bonum dicitur per informationem, prout accipitur bonum ſimplicitèr ſecundum vltimum actum. Argumentum loquitur de bono ſimplicitèr, & de ente ſimplicitèr, ſeù etiàm de ente ſecundum quid: bonum autem ſic acceptum differt realitèr ab ente ſic accepto. Ad illud de magis, & minus ſimilitèr dicitur, quod bonum dicitur ſecundum magis, & minus, ſecundum actum ſuperuenientem puta ſecundum ſcientiam, vel virtutem. Et etiàm ens, vt eſt idem illi bono ſuſcipit magis, & minus, cùm actus ipſi ſuperuenientes ſint entia, licet ens, ſeù eſſe ſimplicitèr ſumptum non ſuſcipiat magis, & minus. Hoc totum dependet ex intelligentia Reſponſionis D. Thom. ad primùm quæſt. 5. art. 1. in 1. p. vt diximus in explicatione probationis tertiæ partis de Bono vt ſuprà. Ità Caietanus loc. cit.

Argum. Caiet. contrà eamdem proprietatem Boni.

Arguit Caietanus contrà eamdem tertiam partem Concluſionis de Bono in Comment. art. 1. ſic. Illud quod dicitur de aliquo in ſecundo modo dicendi per ſe, non clauditur in ratione illius ſubiecti, ſed è conuersò, vt patet in 1. poſt. Sed appetibile dicitur de bono in ſecundo modo dicendi per ſe: ergò bonum non habet rationem appetibilis, ſed è conuerſo. Minor probatur, tùm quia ideò eſt aliquid appetibile, quia bonum, & non è contrà. Tùm quia Bonum eſt obiectum formale appetitus: Appetibile autèm eſt denominatio extrinſeca ab appetitu, & habent ſe ſicut color, & viſibile, conſtat autèm, quod viſibile dicitur de colore in ſecundo modo, & ſecundo de Anima, &c.

Reſp. Caiet. ad Argum. ſuum.

Reſp. Caietanus, Ad hoc dubium poteſt dici duplicitèr iuxtà duos modos, quibus

Digitized by Google

quibus accipitur aliquid habere rationem appetibilis, ſcilicèt formalitèr, & fundamentalitèr. Si ſumatur ly appetibile formalitèr, tunc Bonum dicitur habere rationem eius, non vt intrinſecam, ſed vt paſſionem; ſi verò ſumatur fundamentalitèr, tunc Bonum dicitur habere rationem intrinſecam appetibilis, quoniam propria ratio boni, eſt fundamentum, & cauſa propria appetibilitatis, ſicut color viſibilitatis. Et licèt vtraque gloſa ſit vera abſolutè, & prima habeatur ex principio Commenti S. Tho. ſuper libros Eth.; ſecunda tamen in propoſito eſt directè intenta, quoniam de intrinſeca Boni ratione eſt quæſtio, cùm quæritur an Bonum differat ſecundum rem ab ente, & per conſequens non conuertatur cum ipſo. Et quamuis quodlibet horum, quæ in deductione rationis aſſumpta ſunt, ſcilicèt bonum perfectum, ens in actu, & ens, importent fundamentum, & cauſam appetibilis, & propterea concludatur identitas realis intèr ea ſolùm, attamen bonum importat proximum fundamentum appetibilis, quia ſolùm bonum ſignificat rem illam quæ fundat appetibilitatem, vt fundat, & cauſat eam, ità quod quantò aliquid propiùs accedit ad boni rationem, tantò magis exprimit fundamentum appetibilis, vt patet diſcurrenti per prædicta. Intèr ens ſiquidem, & bonum mediant ens in actu, & perfectum, & conſtat quod magis exprimitur ratio appetibilis per ens in actu, quàm per ens, quoniam vnumquodque appetitur ſecundum aliquod eſſe in actu præſens, vel futurum, & adhuc magis perfectum quod importat complementum, quia & eſſe in actu appetitur ad complementum, & vltimò per bonum, quia nec complementum ipſum appetitur, niſi quia bonum eſt, aut apparet appetenti. Importat ergò bonum rationem appetibilis, ideſt fundamentum, & rationem proximam, quare aliquid ſit appetibile, quæ quidem quia eadem eſt, & perfectioni, & eſſe, idem eſt quod ens, ſed quia vt ſic non exprimitur ab ente, ſed abſolutè ſecundum ſe, ideò diſtinguitur ab ente ratione formali. Ità Caietanus in fine Comment. art. 1. quæſt. 5. in 1. p.

Argum. Caiet. contrà proprietatem Veri.

Arguit Caietanus in 1. p. quæſt. 16. art. 3. de vero contrà rationem D. Thom. qua probatur verum conuerti cum ente ſic. Vis medij conſiſtit in hoc, quod verum importet cognoſcibile in communi, vt patet in littera art. 3. cit. Ex ex Auctoritate inducta ex 3. de Anima: hoc autem eſſe falſum, littera in calce dicit. Quoniam dicit, quod importat ordinem ad intellectum, ac per hoc importat cognoſcibile ſic, ſcilicèt per intellectum, & non cognoſcibile in communi, & verè ſic eſt, quoniam vt in primo art. quæſt. 16. dicitur verum importat id, in quod tendit intellectus.

Confirmatio pro eodem Argum.

Confirmatur ex Reſponſione ad tertiùm. Reſponſio D. Thom. repugnare videtùr ſuprà, & alibi dictis: ergò &c. Probatur, quia in 1. art. quæſt. 16. dicitur quod verum eſt id in quod tendit intellectus, ſicut bonum eſt id, in quod tendit appetitus. Et alibi dicitur, quod verum eſt obiectum intellectus: in præſenti dicitur quod veri ratio aſſequitur apprehenſionem entis: obiectum enim intellectus non ſequitur, ſed præuenit potiùs intellectionem: Videtur etiàm hoc contrà veritatem, quoniam non ideò ens eſt verum, quia apprehenditur; ſed è conuerſo, quia eſt verum ideò apprehendi ur ſiuè actu, ſiue potentia.

Reſp. Caiet. ad ſuum Argum.

Reſp. Caietanus ad Argumentum breuitèr negando, quod vis medij exigat, quod verum ſignificet cognoſcibile in communi, vel ſignificet tali modo ſic, quod ille modus ſit ità amplus, quod ſe extendat ad omnia, ad quæ ſe extendit cognoſcibile in communi, nihil enim refert ad vim rationis, an verum importet cognoſcibile in communi an aliquid illi æquiualens, vtrobique enim ſequitur conuertibilitas veri cùm ente. Sic autèm eſt in propoſito, quoniam intelligibilitas

Digitized by Google

ad omnia ſe extendit, ad quæ ſe extendit cognoſcibilitas: omne enim cognoſcibile eſt intelligibile, & vnumquodque quantum habet de eſſe, tantùm habet de intelligibilitate. Inchoauit autèm à cognoſcibili D. Thom. & peruenit ad intelligibile, vt à facilioribus traderet diſciplinam, hoc quod diximus ſubintelligendum relinquens; ſicut etiàm dicens: vnumquodque inquantùm habet de eſſe in tantùm eſt cognoſcibile, relinquit, ly è conuersò, quòd tamen ſubintelligi oportet vt conuertibilitèr ſe conſequantur ens & verum. Ità Caietanus art. 3. quæſt. 16. cit.

Reſp. Caiet. ad Confirm. ſui Arg.

Reſp. Caietanus ad Confirmationem Argumenti pratèr ea, quæ dixit ſuprà in ſuo Notabili de Vero, quod ſcilicèt dicta S. Thomæ, nec intèr ſe, nec veritati aduerſantur, quoniam non intendit hoc D. Thom. in Reſp. ad 3. quod ratio veri conſequatur apprehenſionem, loquendo de veritate rei, ſed quod ratio veri aſtet, ſeù aſſiſtat apprehenſioni, hoc enim intendit per ly aſſequatur: aſſequi enim propriè loquendo non eſt ſequi, ſed potiùs pertingere. Manifeſtè enim D.Thom. ibi oſtendit, quod nihil aliud intendit, niſi quod verum eſt ens, quando intelligitur, & tamèn verum non intelligitur vt etiàm exemplum de intelligibilitate oſtendit. Conſtat enim priùs obiectum eſſe intelligibile quàm apprehendatur. Nec propterea ponimus verum in re, abſque ordine ad intellectum, ſed ponimus primò ens, deindè ens vt perfectiuum intellectus, & tertiò intelligibile, quando intelligibile eſt quia verum eſt, & non è contrà. In hoc autèm quod eſt eſſe perfectiuum intellectus, manifeſtè patet ordo ad intellectum. Ità Caietanus in fine Comment. art. 3. quæſt. 16. cit.

Arguit Caiet. ex D. Tho. pro vt ſuprà.

Arguit inſuper Caietanus ex D. Thom. ibidem art. 3. quæſt. 16. cit. ſic. Id quod ſe extendit ad ens, & non ens, non conuertuntur cum ente: ſed verum ſe extendit ad ens, & non ens, nàm verum eſt, quod eſt eſſe; & quod non eſt, verum eſt, non eſſe: ergò verum, & ens conuertuntur.

Reſp. ex D. Tho. ad Argumentum.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. diſtinguendo maiorem. Id quod ſe extendit ad ens, & non ens reale, & rationis ſimul non conuertuntur. Conceditur Maior, non reale tantùm negatur. Nàm illud non ens, ad quod ſe extendit verum, dicendo verum eſt quod non eſt, non eſſe, eſt ens rationis, licèt non ſit ens reale, & hoc ſufficit ad verificandam Concluſionis ſecundam partem ſuprà. Non enim dicit ſecunda pars Concluſionis, quod verum & ens reale conuertantur, ſed quod verum, ſit ens, complectendo ens reale, & rationis ſimul in hoc nomine, ideſt ſiuè ſit ens reale, ſiuè rationis, conuertuntur; ſicuti & etiàm ex ſecundo reſponſo litteræ Reſp. ad primùm art. 3. habetur quod ſecunda pars Concluſionis intendit quod conuertantur ens, & verum non ſecundum rem, & rationem ſimul, ſed ſicuti bonum conuertitur cum ente, ideſt quod conuertatur ſecundum rem tantùm. Ità Caietanus ex D. Thom. loc. cit.

Argum. Caiet. ex Scotiſtis contrà proprietatem vnius

Arguit Caietanus contrà proprietatem vnius in 1. p. quæſt. 11. art. 1. vbi quærit, Vtrùm vnum addat aliquid ſuprà ens. Et primò ex ſequacibus Scoti arguit ſic. Vnum formalitèr, ideſt vt diſtinctum contrà ens, eſt idem realitèr quod ens: ergò eſt aliquid poſitiuum: tenet ſequela, quia negatio non poteſt identificari enti reali. Secundò ſic. Vnum formalitèr eſt extrà nihil, vtpotè entis paſſio, ergò eſt poſitiuum. Tertiò ſic. Vnum formalitèr habet rationem primæ menſuræ, & principij numeri, ergò vt priùs. Quartò ſic. Vnum dicit perfectionem ſimplicitèr, ergò &c. probatur antecedens, quia in vnoquoque eſt melius quàm non ipſum; & inſuper ſit reductio ad ſummè vnum, ſicut ad ſummè bonum, & iuſtum, &c. hoc eſt enim perfectionum ſimplicitèr proprium.

Reſp.

Digitized by Google

Reſponſio Caiet. ad omnes quatuor obiectiones allatas, in Argumento ſupra.

Reſp. Caietanus ad primam obiectionem, quod eſſe idem contingit dupliciter; ſcilicet poſitiuè, & negatiuè. Vnum autem formaliter eſt idem enti negatiuè, quia non aliam naturam ſignificat, ſed eamdem alio modo, vt dicitur 4. Met. & ſic conſequentia nihil valet. Ad ſecundam Reſp. quod vnum formaliter non eſt magis extra nihil, quàm alia priuatiua, ſeu negatiua in genere, eſt ergò extra nihil ſic, & tunc negatur Conſequentia. Ad tertium Reſp. negando conſequentiam quia menſurare commune eſt poſitiuis, & negatiuis, non ſolùm enim in generibus entium ſimpliciſſimum menſurat reliqua, ſed etiàm in generibus ægritudinum, & peccatorum, vt patet in moralibus. Minimum enim in vitijs Gulæ menſura eſt reliquorum, & minimum abſolutè, id eſt vnum, menſurat multitudinem abſolutè, vtrumque tamèn eſt negatiuum, ſcilicèt vnum & multitudo, vt in littera quæſt. 11. cit. dicitur. Idem autèm intelligo numerum tranſcendentem, & multitudinem abſolutè, & propterea conſequens eſt, negatiui numeri negatiuum principium eſſe.

Reſp. ad quartam Obiectionem negando antecedens. Vnum enim non dicit perfectionem niſi diuiſio priuata dicat imperfectionem. Vndè ſicut relatio formaliter non dicit perfectionem ſimpliciter ità nec vnitas eius, alioquin Paternitas, & Filiatio in Diuinis eſſent ſimul imperfectæ, quia non vna. Et ſicut eſſe ſubſtantiale dicit perfectionem ità & vnitas eius. Abſtrahit ergò vnum à perfectione, & imperfectione. Ad primam probationem antecedentis dicitur ex diffinitione Anſelmi, quod deficit hic illa particula, Melior, quoniam quod non eſt bonum non poteſt eſſe meliùs. Ad ſecundam probationem eiuſdem antecedentis dicitur, quod reductio illa non eſt propria perfectionibus ſimpliciter, ſed communis negatiuis generalibus. Vndè fit reductio ad ſummè immutabile ad ſummè immateriale, &c. Quamuis etiàm poſſet congruè dici, quod quia vt dicitur 4. & 7. Met. Analogum abſolutè inueſtigatum quæritur pro primo, ac per hoc primò vnum, quod eſt vnum ſubſtantiale, eſt perfectio ſimpliciter, & reducitur ad ſummè vnum: ſed ex hoc nihil habetur contrà intentum noſtrum, quia ratione ſubſtantiæ, quam implicat, perfectio iſta, ineſt. Ità Caietanus art. 1. quæſt. 11. §. circà primam Concluſionem, &c. in 1. p. vbi ſunt alia Argumenta ſoluta.

Appendices ad Lectionem 2. Metaphyſicalem in Tractatu de Proprietatibus, ſeu Paſſionibus Entis.

CApreolus videtur interpretari D. Thomam voluiſſe, quod Vnum includat formaliter Ens, & connotatiuè illam negationem. Moderni Thomiſtæ cum Bannezio, ſcilicèt Magiſter Io: à S. Tho. Arauius, Serra, Gonzalez, Martinez à Prado diſtinguentes de additione vnius ſup à ens propria, & impropria, concordant Antiquos Thomiſtas cùm Modernis, & ſic facilitèr concordant B: Alb. Magnum 4. Met. tract. 1. cap. 4. & 5. Ægidium, Iandunum, Aleníem, Capreolum, Iauellum, Soncina em, Flandriam, Aquarium, & alios, ſcilicèt quod vnum formaliter conſtituitur in aliquo poſitiuo impropriè, ſolam verò negationem diuiſionis addere additione propria. Et ad illam difficultatem de Multitudine quod componatur intrinſecè ex vnitatibus, & per conſequens quod dicat aliquid poſitiuum. Ripa cap. 4. de ente, & eſſentia defendit Reſponſionem Caietani eiuſque doctrinam, quæ re ipſa negat multitudinem eſſe quid poſitiuum, & defendit Caietanum, qui interpretando ſemper D. Thomam in ſenſu formali, dixit ſemper D. Thomam locutum fuiſſe in ſenſu formali quando dixit vnum addere in-

re indiuiſionem ſuprà ens, & verum addere ordinem, ſeù relationem ad intellectum; & Bonum ad appetitum, quod ſi addunt, iàm illud includunt; & loquitur de ipſis formalitèr vt paſſiones ſunt, & vt ab ipſo ente diſtinguuntur ratione.

Suarez diſp. 4. ſuæ Met. ſect. 1. citans antiquiores Thomiſtas, defendit quod vnum tranſcendentale nihil poſitiuum nec reale, nec rationis etiàm ſola ratione diſtinctum addit ad ens. Et Blaſius à Conceptione tenet in diſp. 21. quæſt. 1. de vnitate, quod vnum dicit de formali ens, & negationem diuiſionis, ſed ens in recto, & extrinſecè vt fundans talem negationem; negationem verò dicit in obliquo, & pro hoc ſuo dicendi modo citat Caietanum 1. p. quæſt. 11. art. 1. Capreolum, Soncinatem, Iauellum lib. 4. Met. quæſt. 5. Flandriam, Iandunum, Maſium, Gonzalez. Alij verò Moderni citant pro oppoſita ſententia Caietanum in eadem quæſt. 11. p. 1. art. 1. ſcilicèt quod vnitas importet de materiali entitatem, & de formali negationem diuiſionis, & pro Caietano citant Capreolum, Nazarium, Maſium, Iauellum, Soncinatem, Aquarium, Heruæum, Ariagam, Fonſecam. Et quod magis mirandum eſt pro hoc dicendi modo, à quo excluſus fuit, citant Blaſium à Conceptione. Sed quid ſenſerit Caietanus in præſenti Lectione ſatis ſuperque dictum eſt ſuprà.

Magiſter Arnù in quæſt. 5. art. 1. de paſſionibus entis num. 6. ſic explicat ſuum modum dicendi circà additionem vnius, & ait, quando dicitur quod vnum eſt ens indiuiſum à ſe, & diuiſum à quolibet alio, re ipſa quidem in conceptu vnius adæquato, quid poſitiuum includitur nimirùm ens, nec tamen realitèr ab ente diſtinctum ſecundum id quod eſt, ſed ſolùm ſecundum rationem, pro vt in ratione vnius explicatur indiuiſio, quæ eſto in ente habeat cauſam, & fundamentum, ſicut priuatio, in eius tamen ratione non explicatur; vndè rationi entis dicitur ſuperaddi, non quidem per modum extraneæ naturæ, aut modi eſſendi contrahentis, & limitantis ipſum ens, ſicut Accidens additur ſubiecto, aut ſicut differentiæ generi, modique differentiarum ſubſtantiæ, & accidentium enti adduntur: ſed ſolummodò ſecundum rationem, ſiuè ſit negatio vt de vno dicitur, ſiuè habitudo, & relatio rationis, vt dicitur de vero, & bono. De verbo ad verbum volui referre in hac Appendice Magiſtrum Arnù, qui faciliori methodo comprehendit in ſe quidquid per plures paginas confundunt alij. Et vere nil veriùs loquitur iuxtà interpretationem Caietani in ſenſu formali de Mente D. Thomæ.

Quæ quidem Mens Sanctiſſimi Præceptoris profundiùs penetrabitur cum Caſetano ſi legas de vno, litteram D. Thom. in art. 1. quæſt. 11. p. 1. & de vero litteram D. Thom. art. 3. in quæſt. 16. eiuſdem 1. p. Et de bono litteram D. Thom. art. 1. quæſt. 5. eiuſdem 1. p. cum formalitatibus Reſponſionum ad Argumenta D. Thomæ, eiuſque Appendicibus, vbi multa clariora reperies, apud Venerabilem Porrectam.

Et nota regulam Ven. Porrectæ pro intelligendis reſponſis D. Thom. formalibus datis ad ſua Argumenta quæ facit in Reſp. ad 3. quæſt. 16. in 1. p. ait, Quando D. Thom. iàm in eodem art. reſpondit ad Argumentum eadem ſolutione diluendum, ipſe tanquàm ad eam ſolutionem priùs dictam argumentum poſteriùs remittens, formalem illam reſponſionem non adducit: ſed ex abundantiori doctrina, aliud inibi tactum declarat, v. g. hic in tertio Argumento difficultas erat in ly conuerti: hoc enim intendit Argumentum infringere, quod ſcilicèt bonum, & ens non conuertantur, & tamèn nihil de hoc nunc reſpondetur, ſed ad declarandum, quomodo alterum illorum ſit prius, vel poſteriùs (quod ipſum Argumentum tertium tetigit) inſiſtitur. Si quæris quare hoc? hoc eſt quia per iam da-

tas, ad priora argumenta ſolutiones poterat à Studentibus, etiàm ad tertium iſtud, applicari ſolutio, vt nos oſtendimus. Ità Ven. Porrecta loc. cit.

LECTIO III.
METAPHYSICALIS
In Tractatu ſexto
DE PROPRIETATIBVS ENTIS.

Vtrùm de quocumque ente reali verificetur quod ſit Vnum, quod ſit Bonum, & quod ſit Verum.

Ex Caietano in Comment. p. p. quaſt. 5. art. 3. quaſt. 11. art. 1. & quaſt. 16. art. 6.

Declaratio Tituli facta à Caiet.

QVOD ſit Conuertibilitas in ente ſecundùm ſubiectum cum Vero, Bono, & Vno, iàm in præcedenti Lectione, ait Caietanus, cum D. Thoma declarauimus; ſicuti & etiàm negauimus conuertibilitatem ſecundū conceptū, ideſt quod non ſunt ſynonima, quod eſt idem dicere quod ſunt idem realitèr cum ente, cum retentione ſola diſtinctionis rationis ab ente, quia vnaquæque proprietas addit aliquid ſuprà ens; vnum addit negationem, ſeù indiuiſionem; Verum addit relationem, ſeù ordinem ad conformitatem intellectus; Bonum ad appetitum. Modò inueſtigandum eſt cum D. Thoma, ait Caietanus, de conuertibilitate ſecundum prædicationem, an ſcilicèt de quibuſcumque dicitur ens, dicantur & etiàm illæ tres proprietates: An ſcilicèt omne Ens ſit Bonum, ſit Vnum, & ſit Verum; vndè nulla interueniat ibi nugatio dicere, Ens Bonum, Ens Vnum, & Ens Verum. Ità Caietanus.

Primum Notabile Caietani ex D. Tho. de Mathematicalibus entibus.

Quòad primùm. Notat Caietanus Argumentum tertium D. Thom. in 1. p. quæſt. 5. art. 3. Vtrùm omne ens ſit Bonum, quod eſt ſub tali forma in ſecundo modo tertiæ figuræ. Mathematicalia non ſunt bona: Mathematicalia ſunt entia: ergò quædam entia non ſunt bona. Reſponſio, ait Caietanus, conſiſtit in negatione Argumenti, quoniam eſt ibi ſophiſma figuræ dictionis à ſecundùm quid ad ſimplicitèr, quia ly Mathæmatica videntur ſignificare entia, & tamèn ſignificant entia ſic abſtracta, & propterea in littera negatur Concluſio illata, quod quædam entia non ſunt bona. Et conceditur hæc Concluſio, quæ debebat inferri, ſcilicèt quod quædam entia vt ſubſunt tali abſtractioni non ſunt bona, nec hoc inconuenit, ſubdit D. Thomas, quia etiàm ratio entis abſtrahit à ratione boni; ſicut enim, ex hoc quod ratio hominis, eſt prior riſibilitate, non poteſt inferri, ergò aliquis homo non eſt riſibilis; benè tamèn, ergò aliquis homo in aliquo

priori

Digitized by Google

priori abſtrahit à riſibili, in quo non abſtrahit ab hominis ratione (& ratio eſt quia in primo modo dicendi per ſe, in quo conuenit ſibi eſſe Animal rationale, non conuenit ſibi eſſe riſibilem) ità pariformitèr debet inferri illa Concluſio de ente, vt ſubeſt tali abſtractioni, cùm ratio entis ſit prior, quàm ratio boni; vndè non eſt inconueniens, quod in aliquo ente non ſit ratio boni, & per conſequens, quod ens ſub tali abſtractione non ſit bonum. Ità Caietanus ex D. Tho. loc. cit.

Secundum Notabile Caietani in quo declaratur fundamentum prædictæ Doctrinæ.

Notat ſecundò Caietanus ibidem fundamentum prædictæ Doctrinæ D. Thomæ, quod omnia vniuerſalia, non ſubſiſtere in ſua vniuerſalitate Philoſophi conueniunt. Quò ad ſubſiſtere verò in ſuis proprijs abſtractionibus magna eſt differentia inter vniuerſalia Phyſica, Mathematica, & Metaphyſica. Metaphyſicalia namque ſecundum propriam abſtractionem ſumptam ſubſiſtunt, quoniam habent in rerum natura indiuidua abſtrahentia ab omni materia ſenſibili, & intelligibili, vt patet de intelligentijs; Mathematicalia verò ſecundum propriam abſtractionem ſumpta non exiſtunt, quoniam nullum habent in rerum natura indiuiduum abſtrahens à materia ſenſibili: non enim inuenitur hæc linea niſi in terminatione corporis ſenſibilis. Naturalia autèm cum nullam propriam habeant abſtractionem, ſed eam tantùm, quæ eſt omnibus communis ſcibilibus, qua vniuerſale abſtrahit à particulari, manifeſtè patet, quod ſubſiſtunt in rerum natura, quando habent indiuidua ſubſiſtentia cùm materia ſenſibili, cæteriſque conditionibus in vniuerſali ſcitis. Quando ergò dicitur à D. Thom. quod Mathematica non ſubſiſtunt, non eſt interpretandum quod vniuerſalia mathematica ſumpta vniuerſalitèr non ſubſiſtunt (hoc enim eſſet ridiculum pro ratione afferre) ſed quod Mathematica vt ſic particularitèr ſumpta non ſubſiſtunt, ſeù quod idem eſt, quod Mathematica vt ſic, neque ſunt in vniuerſali, neque in particulari, ac per hoc Bona eſſe non poſſunt, quod de alijs rebus vniuerſalitèr ſumptis dici non poteſt; & ſic patet quare ſingularitèr dicatur de Mathematicis, quod non habent eſſe. Ità Caietanus eodem loc. cit.

Notabile Caietani pro vero quomodo veritas ſit vna, & non ſit vna.

De proprietate Veri, notat Caietanus circà ens Verum ex D. Th. 1. p. quæſt. 16. art. 6. quod ſi loquamur de veritate, cum veritas ſit per prius in intellectu, & per poſterius in rebus ſecundum quod ordinantur ad intellectum Diuinum, ſi conſideretur pro vt exiſtit in intellectu ſecundum propriam rationem, dicendum duximus quod in multis intellectibus creatis ſunt multæ veritates; & quod etiàm in vno, & eodem intellectu ſunt plures veritates ſecundum plura cognita. Vndè dicit Gloſa ſuper illud Pſalm. 11. *Diminutæ ſunt veritates a filijs hominum*, quod ſicut ab vna facie hominis reſultant plures ſimilitudines in ſpeculo, ſic ab vna veritate Diuina reſultant plures veritates. Si verò veritas conſideretur pro vt eſt in rebus, ſic omnes ſunt veræ vna prima veritate, cui vnumquodque aſſimilatur ſecundum ſuam entitatem; & ſic licet ſint plures eſſentiæ, vel formæ rerum, vna tamèn eſt veritas diuini intellectus ſecundum quam omnia entia denominantur vera, ſeù omnes res veræ. Veritas igitur illa vna ſecundum quam omnia denominantur vera, veritate rei, eſt veritas Diuina. Et veritates iſtæ plures ſunt diuerſi conceptus intellectuum creatorum, & per conſequens veritas rerum eſt tantùm vna analogicè, pro vt ſcilicet quæcumque res dicuntur veræ ſecundum quod conformantur conceptui Diuino de ſe ipſis habito, quia quando aliquid dicitur analogicè de multis, illud inuenitur ſecundum propriam rationem in vno eorum tantùm, à quo alia denominantur; ſicut ſanum dicitur de animali, & vrina, & Medicina, non quod ſanitas ſit in animali tantùm, ſed quia à ſanitate animali de-

nominatur Medicina ſana in quantùm eſt illius ſanitatis effectiua; & vrina in quantùm eſt illius ſanitatis ſignificatiua; vndè in vtroque, & in Medicina, & in vrina ſanitas eſt aliquid modo prædicto. Veritas igitur intellectuum, ideſt ſecundum propriam rationem ſumpta, eſt multiplex, pro vt ſinguli intellectus ſunt veri ſingulis ſuis veritatibus propriè ſumptis. Hinc, ait S. Doctor, quod quodammodò vna eſt veritas, qua omnia ſunt vera, & quodammodò non. Et tecolle, quod quando aliquid prædicatur vniuocè de multis illud in quolibet eorum ſecundum propriam rationem inuenitur, vt animal in qualibet ſpecie animalis. Ità Caietanus ex D. Thom. loc. cit.

Notabile Caiet. pro Vno quod unitas abſtrahit à perfectione, & imperfectione.

De proprietate vnius, notat Caietanus in calce Comment. art. 3. quæſt. 16. in 1. p. in Reſponſione ad primùm, pro Thomiſtis dicendo ſic. Aduerte tu Thomiſta, quod hic expreſsè habes: Vnum non dicit rationem perfectionis, ac conſequentèr nec vnitas, nec eius ſpecies dicunt perfectionem ſimplicitèr formalitèr loquendo, ſed abſtrahunt à perfectione, & imperfectione. Vnum, ait D. Thom. non importat rationem perfectionis, ſed indiuiſionis tantùm, quæ vnicuique rei competit ſecundum ſuam eſſentiam. Simplicium autèm eſſentiæ ſunt indiuiſæ & actu, & potentia: Compoſitorum verò eſſentiæ ſunt indiuiſæ ſecundum actum tantùm, & ideò opportet, quod quælibet res ſit vna per ſuam eſſentiam, non autèm bona, vt oſtendit D. Thom. in corpore illius articuli vbi quærit, an eſſe bonum per eſſentiam ſit proprium Dei. Nota tamen ex D. Thom. quod ſubſtantia cuiuslibet non ſe habet æqualitèr ad cauſandam vnitatem, quia Deus eſt maximè vnus, quia eſt maximè ens, & maximè indiuiſus, & omnibus modis ſimplex; vndè vnitas quæ eſt principium numeri, & punctus, defectu horum duorum non ſunt maximè entia, cùm non habeant eſſe niſi in aliquo ſubiecto, & ex conſequenti non ſunt maximè vnum, & ſicut ſubiectum non eſt maximè vnum propter diuerſitatem accidentis, & ſubiecti, ità nec accidens. Secundum quod igitur aliquid eſt magis diuiſum, vel diuiſibile, vel minùs (vt intelligentiæ comparatiuè ad compoſita materialia) vel nullo modo (vt Deus) ſecundum hoc dicitur magis, vel minus, vel maximè vnum. Et notanda ſunt hæc, quia videbis, quod obiectio Scoti contrà Thomiſtas nil valet probando, ſcilicèt quod ratio formalis in Deo non ſit maximè vna, vt infrà dicetur. Ità Caietanus in 1. p. quæſt. 11. art. 4. ex D. Thoma in Comment. eiuſdem articuli.

Opinio S. Th recitata à Caietano.

Quò ad ſecundùm, Caietanus concludit quod ex locis citatis ſuprà immediatè in Adnotationibus, Sanctus Doctor optimè defendit, quod Paſſiones entis Vnum, Verum, & Bonum conuertuntur cùm Ente hac duplici conuertentia, & quo ad rem, vt dictum eſt in præcedenti Lectione, & quo ad prædicationem, vt probatur in hac Lectione. Non autèm conuertuntùr quo ad conceptum, quia ens verum, ens vnum, & ens bonum non ſunt ſynonima. Et circà proprietatem Boni, ait Caietanus, Concluſio D. Thomæ, ſi intelligatur de ente ſecundum rem ad extrà, vt intelligi debet, videbis, quod non eſt inconueniens, quod in aliquo ente ſecundùm rationem, non ſit bonum, vel ratio boni, & ſic conſtabit tibi, in quo ſenſu entia Mathematicalia non poſſunt dici bona; Linea enim eſto inueniatur in re, linea tamèn ſecundum modum Mathematicum, ideſt ſine latitudine, & profunditate eſt ſolùm in intellectu. Ità Caietanus in locis citatis, & in Reſp. ad 4. quæſt. 5. art. 3. cit. in calce Comment.

Concl. Caiet. de Bono, quod Ens, & Bonum conuertun-

Quò ad tertiùm. Incipiendo à proprietate Boni, Caietanus ponit hanc Concluſionem ex D. Thom. p. p. quæſt. 5. art. 3. Omne ens in quantùm ens eſt bonum, exceptis Mathematicalibus, &c. Probat Caietanus primam partem ex D. Thom. ſub

ſub tali forma. Omne ens vt ſic eſt actu : ergò perfectum, ergò appetibile, ergò bonum. Omnia ſunt clara, quia omnis actus quædam perfectio eſt, & perfectum habet rationem appetibilis, & boni, vt declaratur à D. Thom. in art. 1. quæſt. 5. Ità Caietanus.

tur cum probatione primæ partis, & ſecundæ partis de Mathematicalibus.

Probatur ſecunda pars. Res ſunt bonæ, aut quia ſunt, aut quia talia ſunt, aut quia ordinantur in bonum : ſed mathematicalia vt ſic abſtrahunt ab his omnibus : ergò &c. Probatur Minor : ab eſſe quidem abſtrahunt, quia ſi conſiderentur vt ſic, non ſunt; ab eſſe tali etiàm abſtrahit per eamdem rationem, quia eſſe tale, ſupponit eſſe; ab ordine autèm ad bonum etiàm abſtrahunt, quia abſtrahunt à fine : Probatur hoc. Finis habet rationem mouentis, ſed mathematicalia abſtrahunt à materia, & motu : ergò &c. Ità Caietanus in loc. cit.

Concluſio de ente cum ſua proprietate vnius ponitur ſic à Caietano ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 11. art. 4. ex Reſp. ad 3. elicita hoc modo. Omne ens eſt vnum per ſuam eſſentiam : eſſentia tamèn, ſeù ſubſtantia cuiuslibet entis non ſe habet æqualitèr ad cauſandam vnitatem.

Concl. Caiet. de Vno cum probatione primæ partis quod omne ens eſt vnum per ſuam eſſentiam.

Probatur prima pars à Caietano ex D. Thom. ſic. Vnum eſt ens indiuiſum : ergò omne ens eſt vnum. Conſequentia valet à diffinitione ad diffinitum, cùm vnum de ſuo formali dicat indiuiſionem, & nulla alia fiat additio ad ens ab vno niſi negationem, ſeù indiuiſionem. Ità Caietanus, &c.

Probatur ſecunda pars à Caietano ex D. Thom. ſub tali forma. Ad maiorem vnitatem, vel minorem duo requiruntur, ſcilicèt quod ſit maximè ens, & maximè indiuiſum, ideſt omnibus modis, vel ſi non omnibus ſaltèm paucis ſit ſimplex : ergò ſi ſubſtantia erit omnibus modis ſimplex, hæc vtique erit maximè ens, & maximè vna; ſi verò erit ex multis compoſita, minima vnitate gaudebit; ſi verò paucis modis compoſita, maiori vnitate gaudebit, quam illa, quæ eſt multis modis compoſita. Hoc apertiſſimè manifeſtatur in Deo, qui, quia omnem compoſitionem excludit, cum ſit ipſum eſſe per eſſentiam, & omninò ſimplex, & omni diuiſibilitate carens, concludit Sanctus Doctor quod ſit maximè ens, maximè indiuiſus, per conſequens maximè vnus : è contrà verò, quia intelligentiæ habent ſaltèm ad minus compoſitionem ex eſſe, & eſſentia, & ex alia parte, quia ſubſtantiæ materiales habent vltrà hanc compoſitionem, aliam ex materia, & forma, ſequitur quod intelligentiæ eſto non habeant illam maximam vnitatem, quàm habet Deus, maiorem tamèn habent vnitatem, quàm non habent ipſæ ſubſtantiæ materiales, quæ ideò dicuntur compoſitæ, & non ſimplices. Et ſic verificatur ſecunda pars Concluſionis. Ità Caietanus in art. 4. quæſt. 11. cit.

Probatio ſecundæ partis quod ſubſtantia cuiuslibet entis non ſe habet æqualitèr ad vnitatem.

Concluſio de ente cum ſua proprietate Veri ponitur ſic à Caietano ex D. Thom. p. p. quæſt. 16. art. 6. Veritas, qua omne ens eſt verum, quodammodò eſt vna, & quodammodò non.

Concl. Caiet. de Vero cum probatione vtriuſque partis, quod veritas ſit vna, & non vna.

Probatur à Caietano quo ad vtramque partem ſimul ex D. Thom. ſub tali forma. Veritas per priùs eſt in intellectu, & per poſteriùs in rebus in ordine tamèn ad intellectum Diuinum; ergò veritas in intellectu exiſtens ſecundum propriam rationem multiplicabitur in diuerſis intellectibus creatis, & in vno, & eodem ſecundum diuerſa cognita : Veritas autèm, qua omnes res veræ dicuntur eſt prima, ac vna, ergò &c. Antecedens patet ex dictis. Conſequentia quo ad vtriuſque partis illationem probatur ex differentia intèr vniuocum, & analogum vt ſic, in hoc, quod illud in quolibet vniuocato ſaluatur ſecundum propriam rationem; Analogum autèm in primo tantùm ponit propriam rationem, in alijs autem ponit fundatam in ordine ad primum : hæc exempla habentur clara in littera D. Thom.

& iàm

Digitized by Google

& iàm in Tractatu de Analogia declarauimus. Quo ad id verò quod dicitur in ſecunda parte antecedentis, ſcilicèt quod omnia reſpiciant veritatem Diuini intellectus patet, quia ipſi aſſimilatur vnumquodque ſecundum ſuam entitatem. Sicuti patet etiàm prima pars ex Auctoritate Gloſæ ſuper Pſalmum 11. Diminutæ ſunt veritates à filijs hominum, vt ſuprà adnotauimus. Et ſic patet de primo ad vltimum, quod dicit Concluſio, ſcilicèt quòd veritas, qua omne ens dicitur verum, quodammodò eſt vna, & quodammodò non. Ità Caietanus ex D. Thom. loc. cit.

Argum. Caiet. contrà ſecundam partem vltimæ Concluſionis.

Quò ad quartùm. Arguitur à Caietano contrà ſecundam partem Concluſionis huius vltimæ in p. p. quæſt. 16. art. 6. loquendo de veritate rei. Quando dicitur eſſe vera veritate Diuina, aut intelligitur ſecundum denominationem extrinſecam, aut intrinſecam; non hoc ſecundum, vt patet de ſe; ergò primùm ſi ſic: ergò res aut non ſunt veræ formalitèr, quod eſt inconueniens, quia vnaquæque res habet in ſe propriam veritatem rei, qua dicitur vera, vt patet de ſenſu reſpectu proprij ſenſibilis, aut ſunt veræ vtroque modo ſicut in quæſtione de Bono dictum eſt, quod cum ſint bonæ proprijs bonitatibus formalitèr ipſæ res, ſunt etiàm bonæ bonitate Diuina exemplaritèr, finalitèr, & effectiuè; ſi autèm ſic eſt dicendum, ſequitur manifeſtè, quod non ſint veræ ſola veritate Diuina.

Reſponſio ad Argum. Caietani.

Reſp. Caietanus, quod Reſponſio ex D. Thom. habetur, vti in art. cit. docet; quod licèt ſint plures eſſentiæ, vel formæ rerum, vna tamèn eſt veritas, &c. & hæc ſunt adiuncta ad declarandam differentiam intèr Bonitatem, & veritatem quo ad hoc: quoniam res omnes dicuntur bonæ duplicitèr intrinſecè, & extrinſecè; Veræ autem dicuntur extrinſeca tantùm denominatione, ità quod nulla in rebus formalitèr eſt veritas, ſed imitatiuè, ſeù adimpletiuè reſpectu intellectus Diuini, & cauſalitèr reſpectu noſtri intellectus ſpeculatiui. Si enim nullus eſſet intellectus, nulla res vera, nullus ſenſus verus dici poſſet niſi æquiuocè vt in quæſt. de ver. p. art. 4. dicitur. Quemadmodum ſi non eſſet ſanitas animalis, nulla medicina, nullaque diæta ſana dici poſſet. Et omnium vna eſt eademque ratio, quia ſcilicèt in ratione veri in rebus, cadit veritas intellectus; & ſani in medicina, & diæta, cadit ſanitas animalis, & ſic de alijs: ſublata enim diffinitione non remanet idem niſi æquiuocè. Ità Caietanus in fine Comment. art. 6. quæſt. 16. cit.

Argum. Caiet. ex D. Thom. contrà vnum cum Reſp. ſua ex D. Thoma.

Contrà proprietatem Vnius Arguit D. Thom. cum Caietano in p. p. quæſt. 11. art. 4. ſic. Vnum dicitur ſecundum priuationem diuiſionis: ſed priuatio non recipit magis, & minus; ergò æqualitèr entia dicenda ſunt vnum, & æqualitèr ſubſtantia ſe habet ad cauſandam vnitatem, nec Deus dicendus eſt magis vnus, quàm alia, quæ ſunt vnum.

Reſp. ex D. Thom. quod licèt priuatio ſuſcipiat magis, & minus, ſecundùm tamèn quod eius oppoſitum recipit magis, & minus, etiàm ipſa priuatiua dicuntur ſecundum magis, & minus. Stat igitur, quod aliquid ſecundum quod eſt magis diuiſum, vel diuiſibile, vel minus, vel nullo modo, vt probatum eſt, ſecundum hoc dicatur magis, & minus, vel maximè vnum.

Inſtantia Caiet. contrà Reſponſ.

Inſtat Caietanus. Falſum eſt, quod priuatio ſuſcipiat magis, & minus propter diuiſionem, vt ait D. Thom. ergò &c. Probatur hoc, ipſa enim diuiſio negatio eſt, de qua eſt eadem quæſtio, quomodo ſuſcipiat magis, & minus.

Reſponſio ad inſtantiam.

Reſp. Caietanus, quod diuiſio ſuſcipit magis, & minus ratione fundamenti: Magis enim rationale diſtat à lapide, quàm à boue. Et propterea maior eſt diuiſio inter hominem, & lapidem, & propterea minor eſt vnitas generis in quo conueniunt homo, & lapis vt patet. Ità Caietanus loc. cit.

Arguit

Argum. Caiet. contra idem quod ſuprà.

Arguit ſecundò Caietanus ex Scoto probando, quod in ratione formali Deus non habeat vnam rationem formaliſſimam maximè vnam in p. p. quæſt. 39. art. 1. Illud quod eſt tantùm vnius rationis formalis in ſe, vel eſt vnius rationis tantùm formalis communicabilis, vel vnius rationis incommunicabilis (impoſſibile eſt quod illa ratio formalis quæ eſt ſecundum ſe, & à parte rei communicabilis, ſit etiàm ſecundum ſe à parte rei incommunicabilis) ergò ſi Pater in Diuinis ſecluſo actu intellectus habet in re entitatem communicabilem, quæ eſt ſua Diuina eſſentia, & habet entitatem incommunicabilem, quæ eſt Paternitas, ſequitur quod Pater in Diuinis ſecluſo actu intellectus habeat in ſe res diuerſarum rationũ formalium, & per conſequens, quod in ordine rationum formalium ſecundum ſe, non ſit in Deo maxima vnitas &c.

Reſp. Caiet. ad Argumentum.

Reſp. Caietanus negando antecedens. Non enim eſt neceſſe, quod illud quod eſt in ſe vnius rationis, ſit tantùm vnius communicabilis, vel tantùm incommunicabilis: poteſt enim dari, ſicuti de facto datur, ratio vna formalis infinita, quæ eſt communicabilis, & incommunicabilis: hoc enim tantùm repugnat rationi limitatæ, & non illimitatæ, quæ eleuat, & adunat vtrumque eſſe in vna ratione formali altioris ordinis, & infiniti. Vndè contra Scotum poteſt retorqueri ſic Argumentum. Secundum Scotum, & omnes Catholicos Fides docet, quod eadem res in Deo eſt ſimul communicabilis, & incommunicabilis: ſed hoc quod docet Fides de eadem re, idem docet recta Phyloſophia de illa vnica ratione formali, quæ eſt ipſum eſſe per ſe ſubſiſtens, quod eleuat in ſe, & formalitèr adunat, vtrumque eſſe: ergò non eſt magis mirabile id quod docet Fides de eadem re, quàm id quod nos docemus ſecundum rectam Phyloſophiam de eadem ratione formali. Ità Caiet. loc. cit.

Argum. Caiet. contra Bonum quod mathematicalia nõ abſtrahant à materia, & motu.

Contrà proprietatem Boni circà mathematicalia entia inſtat Caietanus contrà id quod dicitur in probatione ſecundæ partis Concluſionis, ſcilicèt quod abſtrahunt à fine, & ratione mouentis &c. Inſtat Caietanus ſic. Si hoc eſſet verum, ſequeretur quod Metaphyſicalia abſtraherent à fine, quia magis abſtrahunt à materia, & motu, quàm Mathematicalia. Et ſecundò probatur de motu, quia finis non habet rationem mouentis motu propriè dicto, à quo abſtrahit Mathematicus, ſed habet rationem mouentis motu metaphoricè dicto: ergò licèt Concluſionis ſecunda pars ſit vera, ratio tamèn eſt nulla.

Reſp. Caiet. ad Argumentum.

Reſp. Caietanus. Cùm enim dicitur Finis habet rationem mouentis, poteſt ſignificare puram cauſalitatem finis, & ſic æquiuocè dicitur mouens à motu propriè dicto; ſic autèm non ſumitur hoc in loco. Poteſt & etiàm ſignificare cauſalitatem, & effectum finis, & tunc æquiualet huic quod dico cauſantis motum, & ſic ſumitur in propoſito, nec eſt aliqua æquiuocatio, ſed ſumitur motus vtrobique propriè, & ſpecificatur qualis ſit finis entium mathematicalium, quaſi diceret, quod quia finis mathematicalium habet rationem mouentis, id eſt cauſantis motum propriè dictum, ſicuti & finis naturalium, ſequitur quod ſi mathematicalia abſtrahunt à motu, & à materia, quod abſtrahant à fine, & ſic ſoluitur obiectio.

Reſp. Caiet. ad quandam inſtantiam.

Nec obſtat quod mathematicalia formalitèr loquendo non ſint nec actu, nec potentia, & poſteà dicatur, quod habeant rationem entis; quia ſi ſanè intelliguntur hæc duo, nulla eſt contradictio. In primis non negatur eſſe vniuerſalitèr, ſed negatur ſic eſſe ipſa, in tali abſtractionis modo. Triangulus enim abſtractus à materia ſenſibili nec eſt, nec eſſe poteſt, ſcilicèt ſecundum talem eſſendi modum in rerum natura. In ſecundo autèm loco affirmatur in confuſo aliquod eſſe: Conſtat enim quod cum negatione vnius modi eſſendi, ſtat affirmatiuè modus

eſſendi

Digitized by Google

eſſendi in communi de eodem ſubiecto, quia poteſt verificari ſecundum alium modum eſſendi. Mathematicalia ergò & non ſunt entia tali modo, & ſunt abſolutè entia. Nec obſtat hæc conſequentia; ergò eodem modo dicendum eſt, quod Mathematicalia non ſunt bona tali modo, benè tamèn abſolutè bona. Non valet, inquàm, quia ad hoc quod aliquid habeat formalitèr rationem entis ſufficit quod ſit in ſe tale, quod ei non repugnet eſſe in rerum natura, quocumque modo id eueniat, ſiuè ſecundum ſuam abſtractionem, ſiuè non. Ad hoc autèm quod habeat formaliter rationem boni, vltrà hoc exigitur, quod ipſum ſumatur in ordine ad eſſe, vel ad finem &c. Modò Triangulus &c. & Mathematicalia entia ſecundùm ſuas quidditates hoc poſſident, quod ipſis non repugnat exiſtere, & propterea entis rationem formalitèr retinent, ſed quia non conſiderantur in ordine ad eſſe, & finem in rerum natura, ideò abſtrahunt à boni ratione formalitèr, non fundamentalitèr, & propterea in eis eſſe negatur. Cuius ſignum manifeſtum eſt, quod nulla ibi Concluſio demonſtratur proptèr bonum, aut meliùs eſſe per demonſtrationem, quæ ſit per cauſam finalem, aut effectiuam, quæ reſpiciant eſſe in rerum natura, ſed tantùm per formalem, quæ eſt propria enti; illa verò eſt propria bono. Ità Caietanus in fine Comment. art. 3 cit.

Reſp. Caietani ad aliam inſtantiam,

Appendices ad Lectionem 3. Metaphyſicalem in Tractatu 6. de Proprietatibus Entis.

INtèr Thomiſtas ſiuè veteres, ſiuè modernos pro defenſione D. Thomæ, & doctrinæ Caietani in interpretanda eius mente, legas Magiſtrum Ripam de Conuertentia paſſionum cum ente quo ad prædicationem quæſt. 1. ſuper caput quartum de ente, & eſſentia pag. 414. vbi conſequentèr loquitur cum Caietano, ſcilicèt quod paſſiones entis non puram illam relationem, aut negationem important, aliàs eſſent entia rationis tantùm, neque ſolùm Ens, aliàs & in conceptu cum ente conuerterentur, & eſſent ſynonima cum ente: Sed vtrumque referunt & ens, & negationem illam, vel relationem, adeò quod vnum non dicit purè ens, neque indiuiſionem, ſed ens indiuiſum, vt ſcilicèt ſtat ſub indiuiſione, idem dicitur de Vero, & Bono, ſignificant enim ens vt conforme intellectui, & vt conſonum appetitui. Quomodò autèm ſubſtantia cuiuslibet entis non ſe habeat æqualiter ad cauſandam vnitatem, & quod Deus ſingularitèr dicatur maximè vnus, vt probatur à D. Thom. & Caietano in præſenti Lectione, legas Marcum Ferrum in Tractatu ſuo de Trinitate quæſt. 39. art. 1. vbi pag. mihi 499. ſiſtendo cum Caietano in reſpectiuis declarat quomodò Deus vt comprehendit Eſſentiam ac perſonas ſit formaliſſimè vnus ſecundum ſe, & in ordine reali, & ſecundum ſe in ordine rationum formalium, & non quo ad nos, ſoluendo cum Caietano Argumenta Scoti eiuſque Reſponſiones formalizando. Videas etiàm ſapientiſſimum Io: à S. Thoma.

Circà autèm ſententias modernorum in ordine ad mentem D. Thom. circà iſtas proprietates Entis, quid ſentiat Magiſter Arnù videas ipſum in art. 1. quæſt. 4. de Vno num. 3. & in cap. 2. in 2. Concluſione ſua num. 19. & art. 3. num. 51. vbi affert reſponſionem Caietani pro Argumento Suarezij ſingularem. De vero legas ipſum in quæſt. 7. art. 1. num. 11. ponit hanc ſuam Concluſionem. Verum ſecundum ſuum eſſe, equidem eſt realis perfectio. De vero autèm loquendo non ſecundum id quod eſt, ſed ſecundum rationem ſuam, quàm ipſi enti addit profectò non eſt aliquid reale, ſed relatio rationis ad intellectum, fundata nihilominus in

aliquo

aliquo reali, quod eſt de ratione ipſius Veri, probat hoc longo diſcurſu D. Thomæ ex q. 1. de Verit. a. 1. in corp. & an ſit vna ſola Veritas legas ipſum in eadem q. 7. de Vero art. 3. num. 40. De proprietate Boni legas eundem Mag. Arnù q. 8. de Bono num. 6. vbi proportionaliter loquitur de Bono, ſicuti, & loquitur de Vero. Et pro præſenti lectione de conuertentia ipſius cum ente leges art. 3. eiuſdem quæſt. 8. num. 18. 19. & 20. tangendo breui methodo entia mathematicalia cum D. Th. relinquendo lectori, quæ de ipſis habet Caietanus ſuprà.

Pro pleniori autèm Intelligentia conuertentiæ proprietatum cum ente, videas Appendices, & formalitates Ven. Porrectæ ſuper art. qui ſunt citati in præſenti lectione tertia.

LECTIO IV.
METAPHYSICALIS
In Tractatu Sexto
DE PROPRIETATIBVS ENTIS.
Quem ordinem habeant intèr ſe proprietates entis.

Ex Caiet. in Comment. art. 2. q. 5. (art. 1. q. 11.) art. 4. quæſt. 26. in p. p.

ADnotat Caietanus antè declarationem tituli quod S. Doctor agendo in p. p. de proprietatibus entis in primo loco agit de Bono, quàm de Vno: de illo in q. 5. & de hoc in q. 11. non quià Bonum determinetur, quod ſit prima proprietas, ſed hunc ordinem ſeruat, quia ſicut Tractatus de Natura Animalis ſecundum omnia prædicata quidditatiua præcedit Tractatum de Vnitate Animalis; Ità Tractatus de Natura Diuina ſecundum omnia prædicata quaſi quidditatiua præcedit Tractatum de Vnitate eiuſdem; cum vnitas ſit quaſi paſſio entis, & vnitas talis rei ſit quaſi paſſio illius. Non eſt igitur ſtandum in hac lectione 4. cum illo ordine quem ſeruat loc. cit. in p. p. ſed quærendum eſt abſolutè de ordine intèr has proprietates: videmus enim quod Sanctiſs. Præceptor in q. 16. a. 4. quærendo vtrum Bonum ſecundum rationem ſit prius quàm verum concludit quod verũ abſolutè loquendo eſt priùs quàm Bonum: & eſto verũ & bonum ſuppoſito conuertantur, ratione tamèn differunt, ait in principio c. a. 4. quod eſt idem dicere, ait Caietanus, in Comment. quod identitas eſt in ſuppoſito, non in ratione formali horum, imò in hac diſtinguuntur vt videbimus ſuo loco. Eſt ergo ſenſus Vtrum ratio Boni ſit prior ratione Veri, & accipitur prioritas rationis ſecundum ſe, & non quo ad nos tantùm, vt ex Reſp. ad primum elicitur. Sicuti & *Declaratio Tituli, eiuſque ſenſus facta à Caiet.*

Digitized by Google

etiàm de ente, & Bono cum rationibus diſtinguantur, ſenſus eſt an Boni ràtio præcedat merito ſui rationem entis: hæc enim ſecundum rationes formales ordinata ſunt, non alio procul dubio ordine, quam qui aptus natus eſt eſſe inter rationes formales, qui vocatur ordo rationis, & ordo iſte conſiſtit in hoc, quod ratio poſterior præſupponit aliam ſecundum ſe, & non è conuerſo. Ordo igitur rationis habet prius, & poſterius ſecundum rationem. Ità Caietanus in loc. cit.

1. Notab. Caiet. de Bono, quod in ipſo conſideretur duplex ordo.

Quo ad primum. Caietanus notat ex D. Th. in p. p. q. 5. a. 2. ex Reſp. ad ſecundum pro Bono duplicem ordinem. Primò conſideratur ordo, ſcilicet vt res ſignificata per nomen Boni conſideratur abſolutè; ſecundò ordo cauſatiuus, vt ſcilicet res ſignificata per nomen Boni conſideratur in genere cauſandi. Vndè quando Diuus Dyoniſius in cap. 3. de Diu. nom. in principio ponit intèr alia nomina Dei priùs Bonum, quàm ens, ibi determinat nomen Bonitatis ſecundum quod importat circà Deum habitudinem cauſæ: nominamus enim Deum ex Creaturis ſicut cauſam ex effectibus; Bonum autèm cum habeat rationem appetibilis importat habitudinem cauſæ finalis, cuius cauſalitas eſt prima, quià Agens non agit niſi proptèr finem, & ab Agente materia mouetur ad formam, vndè dicitur quod finis eſt cauſa cauſarum; & ſic per hanc rationem intèr nomina ſignificantia cauſalitatem Diuinam priùs ponitur à Diuo Dyoniſio Bonum, quàm ens.

Inſuper notat Caietanus ex D. Th. quod quia ſecundum Platonicos qui materiam à priuatione non diſtinguunt, & dicunt Materiam eſſe non ens, ſecundum ipſos ad plura ſe extendit participatio Boni, quàm participatio entis; Materia enim prima participat Bonum cum appetat ipſum, nihil autèm appetit niſi ſimile ſibi; non autèm participat ens, cum ponatur ipſa eſſe non ens; & ſic per hanc eandem rationem ait D. Dyoniſius c. 5. de Diu. nom. quod Bonum extenditur ad non exiſtentia, & exiſtentia non ſecundum prædicationem, ſed ſecundum cauſalitatem, vt per non exiſtentia intelligamus ea (dicit D. Th. in Reſp. ad ſecundum) non ſimpliciter quæ penitùs non ſunt, ſed ea quæ ſunt entia in potentia, & non in actu, quia Bonum habet rationem finis, in quo non solùm quieſcunt, quæ in actu, ſed ad ipſum etiàm ea mouentur, quæ in actu non ſunt, ſed in potentia tantum: quia ens non importat habitudinem cauſæ formalis niſi tantùm vel inhærentis, vel exemplaris, cuius cauſalitas non ſe extendit niſi ad ea, quæ ſunt in actu. Ità Caiet. ex D. Th. in Reſp. ad 1. & 2. art. cit.

Quo ad ſecundum Caiet. per ſequentes Concluſiones explicat ſententiam D. Th. circa ordinem proprietatum intèr ſe, & etiàm ſingulas in comparatione ad ens, cuius ſunt proprietates formalizando eius rationes.

Concl. Caiet. de vno ex D. Th. cum ſua probat. quod vnum ſit prima paſſio entis.

Quo ad tertium Caiet. ponit hanc primam Concluſionem ex D. Th. in p. p. q. 11. art. 1. Vnitas in ordine inter proprietates primum locum obtinet, ideſt eſt prima paſſio, quæ conuertitur cum ente.

Probatur à Caiet. hac ratione. S. Doctor in p. p. expedita in Tractatu de abſolutis ratione prędicatorum, quæ ſunt quaſi quidditatiua ipſius entis Diuini quod nullam relationem importat, ad cuius complementum inſerta eſt quæſtio de Bonitate, deueniendo ad paſſiones eiuſdem entis Diuini immediatè, in primo loco explicat vnitatem: ergo neceſſario dicendum eſt ſecundum mentem D. Th. quod ipſa ratio vnius, ſit prior quàm ratio Veri, & Boni. Antecedens conſtat euidentèr ex ipſo ordine, quem ibi ſeruat Sanctus Doctor. In ratione entis vt ſic, quæ eſt abſoluta clauditur ſimplicitas, perfectio, infinitas, & immutabilitas, de quibus in primo loco

Digitized by Google

co tractat ; inſeritur autèm ibi quæſtio de Bonitate, quia adeſt aliqua difficultas intèr rationem Boni, & rationem entis in aliquo genere, vt vidimus in declaratione Tituli, & in adnotatione, & magis videbimus immediatè in ſecunda Concluſione. Patet etiam hoc ratione, quod Vnum, & non Bonum ſit prima paſſio entis, quia ſi definiatur Vnum, ſtatim dicitur eſt ens indiuiſum. En quomodo ens ſtatim immediatè ſequitur ad ens, vt ad rationem abſolutam nullam dicentem relationem. Et ſic conſequentia ſit manifeſta, quia aliæ duæ proprietates, ſcilicet Bonum, & Verum dicunt Relationem ; Verum ad intellectum, Bonum ad appetitum. Vnum autèm dicit de formali, & ens, & meram negationem ; & infrà dicit Sanctus Doctor quod ratio Veri eſt prior quàm ratio Boni. Ità Caietanus locis citatis.

Concl. Caiet. cum ſua probatione de Bono quod entis ratio ſit prior abſolutè ratione Boni.

Secunda Concluſio ponitur ex Diuo Thoma à Caietano ſic. Abſolutè loquendo ratio entis eſt prior abſolutè ratione Boni; ſecundum tamen ordinem cauſatiuum omninò fatendum eſt, quod Bonum in genere cauſandi eſt prius ratione ipſo ente.

Probatur à Caietano prima pars tali ratione ſic. Vnumquodque eſt cognoſcibile inquantum eſt in actu : ergo ens eſt proprium obiectum intellectus : ergo eſt primum intelligibile : ergo primò cadit in Conceptione intellectus : ergo eſt prius ratione quàm Bonum. Antecedens probatur ex 9. Met. tex. 2. Prima, ſecunda, & tertia conſequentia relinquuntur vt notæ à D. Th. in litt. art. 2. Quarta, & vltima probatur : quia ratio ſignificata per nomen eſt id quod concipitur de re ab intellectu. Omnia clara ſunt. Et de illis duabus conſequentijs, ſcilicet ens eſt proprium obiectum intellectus, & ſic eſt primum intelligibile, ſicut ſonus eſt primum audibile, videas Caietanum in ſua Phyſica in quæſtione ſua prohæmiali vtrum ens ſit illud quod primò intelligitur. Ibi translatæ ſunt obiectiones, quas facit Caiet. in art. 2. q. 5. in p. p. Ità Caietanus q. 5. loc. cit.

Prob. 2. partis de Bono quod ſecundum ordinem cauſatiuum, ſit eius ratio prior ente.

Probatur ſecunda pars à Caiet. ex D. Th. in Reſp. ad 1. & 2. ſub tali forma. Bonum conſideratum ſecundum ordinem cauſatiuum habet rationem cauſæ finalis, & ſe extendit ad exiſtentia, & non exiſtentia, ſcilicet ad entia in potentia ſecundum eandem cauſalitatem : ſed Cauſalitas cauſæ finalis eſt prima omnium cauſarum, imò cauſa cauſarum: ergò ratio Boni in ordine cauſatiuo, ſeù in genere cauſandi conſiderata eſt prior quàm ratio entis. Maior remanet probata ex D. Thomæ adnotatione ſuprà ; iam dictum eſt, quod de ratione entis in ordine cauſandi non poteſt verificari, quod habeat rationem cauſæ finalis, cum importet tantùm habitudinem cauſæ formalis, vel inhærentis, vel exemplaris, quia eius cauſalitas non niſi ad ea, quæ ſunt in actu ſe extendit. Minor etiam ibi remanet probata ex doctrina D. Th. Ità Caiet. loc. cit.

Concl. Caiet. de Vero cum probatione p. p. quod ratio Veri abſolutè ſit prior ratione Boni.

Concluſio de Vero ſic ponitur à Caietano ex D. Th. q. 16. art. 4. loquendo de Vero communitèr ſumpto, Ratio veri abſolutè eſt prior ratione Boni; in genere tamen appetibilium ratio Boni eſt prior ratione Veri.

Suppoſito quod ratio entis ſit prior quàm ratio Veri probat Caietanus primam partem ſic ex D. Th. duplici ratione, & primò ſic. Verum ſequitur eſſe ſimpliciter, & immediatè, Bonum autèm conſequitur eſſe ſecundum quod eſt aliquo modo perfectum, ideſt ſecundum quod aliquo modo habet rationem perfectionis: ergo Verum eſt propinquius enti, quàm Bonum, ergo eſt prior ratio Veri. Antecedens pro ſecunda parte probatur, quia ens non habet rationem appetibilis, niſi vt rationem perfectionis induit, quod patet ; Tum quia ens non ſecundum quamcumque

conſiderationem comitatur ratio Boni, vt patet in Mathematicalibus; Tùm quia omne appetens appetit perfectionem aliquam. Secunda conſequentia probatur quia ens conſtat eſſe prius Bono, imò primum ſimpliciter.

Probatio eiuſdem primæ partis. Probatur eadem prima pars ſecundò. Verum reſpicit cognitionem, Bonum autem appetitum: ergo Verum eſt prius Bono. Probatur ſequela hæc, quia cognitio naturaliter præcedit appetitionem, hinc notat Caietanus Reſponſionem D. Th. ad primum quod Voluntas, & Intellectus mutuò ſe includunt, nàm intellectus intelligit voluntatem, & voluntas vult intellectum intelligere: intèr illa igitur quæ ordinantur ad obiectum voluntatis, continentur etiàm ea, quæ ſunt intellectus, & è conuerſo; & ſic in ordine appetibilium Bonum ſe habet vt vniuerſale, & verum vt particulare. In ordine autem intelligibilium eſt è conuerſo, & ſic verum eſt quoddam Bonum, & Bonum eſt quoddam intelligibile, & quia cognitio ſemper præcedit naturaliter appetitionem, ideò in Concluſione dicitur quod ratio veri eſt prior ratione Boni. Ità Caiet. loc. cit.

Probatio Caiet. 2. partis. Secunda pars Concluſionis non probatur à Caietano quia iam relinquitur probata ex modo dictis ex Reſponſione ad primum, & tertium Argumentum D. Th. vt vidimus in Adnotatione ſuprà. Et non ſinè Myſterio (proſequitur Caietanus) in Concluſione apponitur ly abſolutè, innuendo per hoc, quod veri ratio eſt prior ſimpliciter, & Boni ratio in aliquo dumtaxat ſenſu, ideſt in genere appetibilium. Primum igitur Tranſcendens ex D. Th. eſt ens; ſecundum eſt vnum; tertium eſt verum; quartum eſt Bonum, & hæc tria ſunt veluti paſſiones entis. Ità Caietanus loc. cit.

Arg. Caiet. contrà Vnum. Quo ad quartum Argùit Caietanus contrà primam Concluſionem de Vno in p. p. q. 11. art. 1. ſic. Vnum priùs conuenit enti, quàm ſimplicitas, & immutabilitas, & alia quæ tractantur à quæſtione tertia vſque ad quæſtionem vndecimam; ergo ratio probatiua Concluſionis ex ordine ſeruato à D. Th. non concludit, quia prius tractandum erat de vno, quam de ente, & non in quæſt. 11. Antecedens probatur quoniam omne ens eſt vnum, non autem ſimplex, nec immutabile prius autem eſt à quo non conuertitur conſequentia.

Reſp. Caiet. ad Argumentum. Reſp. Caietanus negando quod vnitas ſit prior ſupradictis, ad probationem de ly, prius eſt à quo non conuertitur conſequentia Reſp. quod verificatur quando eſt ratione ſui, non autem ſi eſt prius ratione alterius. Verbi gratia. Coloratum reſpectu hominis eſt à quo non conuertitur conſequentia non tamèn eſt prius homine eſto ſit communius prædicatum; & hoc eſt; quia Coloratum non ratione ſui, ſed ratione ſui ſubiecti eſt à quo non conuertitur Conſequentia. Ratione namque ſubiecti valet, eſt homo, ergo eſt coloratum, & non è conuerſo. Vndè id à quo non conuertitur conſequentia eſt prius, vel includit aliquid prius, ratione cuius non conuertitur conſequentia. Sic in propoſito Vnum non eſt formaliter prius, ſed includit ens, ratione cuius non valet ſequela, eſt Vnum, ergo eſt immutabile, ſed è conuerſo. Vnum igitur fruitur hoc priuilegio tantum, quod ſit prima paſſio entis. Ità Caiet. in Comment. art. 1. q. 11. cit.

Appens

Appendices ad Lectionem Quartam Metaphyſicalem in Tractatu Sexto de Proprietatibus entis.

IN hoc conueniunt omnes, & Antiqui, & Moderni exceptis aliquibus, quod paſſiones, ſeù proprietates entis nec relatiuum, nec præcisè abſolutum exprimunt, ſed vtrumque ſcilicet abſolutum vt ſtat ſub reſpectu; ſicut Idæa in Diuinis non importat tantum abſolutum, ſcilicet eſſentiam Diuinam, neque dumtaxat reſpectum illum, quo Creatura eam valet imitari, ſed importat vtrumque, ſcilicet eſſentiam vt eſt à Creaturis imitabilis: eſſentia itaque eſt abſolutum, imitabilitas eſt quid reſpectiuum; ſic pariformiter diſcurrendum eſt de proprietatibus entis: Verbi gratia. Verum non importat dumtaxat ens, neque ſolam relationem illam ad Intellectum, ſed ens ſub illa relatione, quam dicunt Metaphyſici importare de ſuo formali, dicit abſolutum vt de materiali, cum reſpectiuo, vt de formali. Arnù Concluſione ſecunda, art. 1. cap. 2. quæſt. 4. de Vno. Idem Magiſter Arnù in ſua Metaphyſica articulo ſecundo in quæſtione quinta de Paſſionibus entis breuiori Methodo declarat, quæ habet Diuus Thomas in primæ partis locis citatis, & Caietanus in Commentarijs de ordine, quem ſeruant intèr ſe prædictæ proprietates, & in Reſponſione ab obiectiones Caietani, & Argumenta D. Th. reſpondet reſponſionibus datis à D. Th. in primo ſent. diſt. 8. quæſt. 1. art. 3.

De Vno videas Appendicem Vener. Porrectæ art. 1. quæſt. 11. in p. p. vbi citat Ariſtotelem dicentem in 10. Met. tex. 8. quod ens, & Vnum ſignificant eandem eſſentiam, ſed differunt ſecundum modum, & ibidem quod ens, & vnum non ſignificant idem omnibus modis, ſed ſignificant idem ſecundum ſubiectum, & diuerſa ſecundum modum. De Vero videas formalitates Reſponſionum ſuper art. 4. quæſt. 16. in p. p. eiuſdem Ven. Porrectæ, cum Appendice.

De Bono legas formalitates Reſponſionum eiuſdem Ven. Porrectæ ſuper articulum ſecundum, quæſt. quinta in prima parte cum Appendice, vbi citat Ariſtot. dixiſſe 9. Metaphyſic. tex. 20. quod primum cadens in intellectu, eſt ens; ſiuè quod in idem redit, quod vnumquodque eſt cognoſcibile in quantùm eſt actu; & Diuus Thomas in Argumento, ſed contra citat ipſum in libro de Cauſis propoſitione quarta intèr opera Ariſtotelis tom. 3. quod prima rerum creatarum eſt eſſe.

LE.

LECTIO V.

METAPHYSICALIS

In Tractatu

ROMA

DE PROPRIETATIBVS ENTIS.

Vtrùm Vnum, & multa opponantur, & qua oppoſitione.

Ex Comment. Caiet. in a. 2. q. 11. p. p & alibi.

Declaratio Tituli eiuſq; ſenſus facta à Caiet.

DE Vno in primo loco quærit (ait Caietanus) S. Doctor in p. p. q. 11. art. 2. ſub hac formalitate, vtrùm Vnum, & multa opponantur? & in corp. art. reſoluit, & de Vno quod eſt principium numeri, & de Vno, quod conuertitur cum ente, quomodò opponantur multitudini; & ex Reſp. ad Argumenta reſoluit S. Doctor ſub eadem formalitate, quomodò multitudo componatur ex Vnitatibus in Reſp. ad ſecundum; & ex Reſp. ad quartum declarat quomodò verificetur, quod diuiſio ſit prior Vnitate ſimpliciter, ideſt ſecundum ſe in eſſe intelligibili tantùm, & quod diuiſio ſit poſterior Vnitate ſimpliciter, ideſt ſecundum eſſe ſimpliciter, quod eſt eſſe in rerum natura. Ità Caietanus.

Motiua D. Th pro controuerſia, & primò quod opponantur contrariè cum aliqua priuatione,

Motiua conuertendi hanc difficultatem ſumuntur ex D. Th. in pluribus locis, & primò ex p. p. q. 30. a. 3. ad 3. expreſsè docet, quod Vnum non eſt remotiuum multitudinis, ſed diuiſionis, quæ eſt prior ſecundum rationem, quam vnum, vel multitudo; Multitudo autem non remouet Vnitatem, ſed remouet diuiſionem circà vnumquodq; eorum, ex quibus conſtat multitudo, vt expoſuimus ſuprà, ſcilicet in q. 11. a. 2. (In q. verò 6. de potentia a. 10. ad 3. ait Vnum, & multa ſunt priuatiuè oppoſita) & in 4. Met. lect. 3. ait, & ideò dicendum quod Vnum importat priuationem diuiſionis, non quidem diuiſionis, quæ eſt ſecundum quantitatem, nàm iſta determinatur ad vnum particulare genus entis, & non poteſt cadere in definitione vnius, ſed vnum quod conuertitur cum ente importat priuationem diuiſionis formalis quæ ſit per oppoſita, cuius prima radix eſt oppoſitio affirmationis, & negationis: nàm illa diuiduntur ad inuicem, quæ ità ſe habent, quod hoc non eſt illud (in 10. Met. lect. 4. ſuper Ariſt. ait, quod Vnum, & multa non opponantur ſecundum contradictionem, manifeſtum eſt, quia neutrùm eorum verificatur de non ente. Non ens enim neque Vnum, nec multa eſt; ſimilitèr etiàm manifeſtum eſt, quod non opponuntur vt ad aliquid, ſcilicet relatiuè, Vnum enim, & multa dicuntur abſolutè) Quod autèm Vnum aliquando dicat completam, & perfectam ſpeciem multitudini oppoſitam, & aliquando non; hoc habet D. Th. in 10. Met. lect. 4. Sic igitur, & ipſum Vnum ſecundum quod conſideratur in ſe perfectum & ſpeciem quamdam habens opponitur multitudini, quià quod eſt Vnum non eſt multa, & è contrà; pro vt verò conſideratur vt non completum ſecundum ſpeciem, &

for-

Digitized by Google

formam, ſic non opponitur multitudini, ſed eſt pars eius, quandò verò illud dicat, & quandò non colligitur ex S. Doctore in p. p. q. 11. Reſp. ad 2. Ex his locis D. Th. ſumunt aliqui Doctores Metaphyſici anſam opinandi, quod Vnum, & multa opponantur, vel priuatiuè, vel contratiè, & ſic dicunt ex p. ſent. d. 24. q. 1. a. 3. & alibi, quod Vnum, & multa opponuntur ad inuicem oppoſitione contrarietatis inuoluentis, & includentis aliquem modum oppoſitionis priuatiuæ.

Motiua D. Th. quod opponantur tantùm priuatiuè.

Quod verò Vnum opponatur priuatiuè multitudini, & quod huic oppoſitioni non officiat quod Multitudo ſit prior Vnitate, aſſerit D. Th. in Reſp. ad 4. q. 11. in p. p. & in 10. Met. lect. 4. vbi habet quod nihil prohibet aliquid eſſe prius, & poſterius ſecundum rationem eandem ſecundum diuerſa in eo conſiderata: in multitudine enim conſiderari poteſt & quod multitudo eſt, & ipſa diuiſio; ratione diuiſionis prior eſt quam Vnum ſecundum rationem, nàm Vnum eſt, quod non diuiditur; pro vt autem conſideratur vt multitudo poſterior eſt Vno ſecundum rationem, cùm multitudo dicatur aggregatio vnitatum. Ità Caiet. ex D. Th. ex quibus locis reſoluit multa de Vno, & multitudine per ſequentia infrà &c.

1. Notab. Caiet. quod Vnum, duo, vel tres in Diuinis nihil addant explicatur.

Quo ad primum Caietanus notat ex D. Th. in corp. art. q. 30. p. p. vbi quærit an iſti Termini numerales, ſcilicet Vnus, Duo, Tres, &c. ponant aliquid, vel ſignificent in Diuinis poſitiuum, vel ſolàm negationem, notat, inquam, quod Pluralitas eſt duplex, ſcilicet materialis, & tranſcendens, quià diuiſio eſt etiàm duplex ſcilicet continui, & formarum oppoſitarum, ſeù diuiſarum: Pluralitas enim diuiſionem ſequitur, & manifeſtantur membra diſtinctionis ex duabus alijs differentijs, præter prædictam radicalem, quia ſcilicet materialis, eſt ſpecies quantitatis, Tranſcendens autèm in nullo genere eſt. Et rursùs illa non eſt niſi in quantis, iſta eſt in ſeparatis à materia. Et quando in littera dicitur, quod Multitudo nihil addit ſuprà res, niſi indiuiſionem circa vnamquamque, dupliciter intelligi poteſt. Primò quod ly nihil ſupponat pro poſitiuo, diſcuſſio enim ſit, vt ſciatur an poſitiuum aliquid addat, aut ſolam negationem, non curando verum vnam, vel plures: certum eſt enim, multitudinem includere plures negationes, ſcilicet eam quam claudit Vnitas, quæ eſt indiuiſio in ſe, & eam quam addit multitudo, quæ eſt diſtinctio vnius Vnitatis ab alia. Secundò quod ponderatur in ly res in numero plurali, ſignificat enim in actu exercito diuiſionem vnius ab alia, & ſic ſuprà res diuiſas multitudo non addit niſi negationem diuiſionis circà vnamquamque, & hoc modo ly nihil ſtat tàm pro poſitiuo, quàm pro negatiuo. Ità Caietanus loc. cit. in fine Comment.

2. Notab. Caiet. in quo explicatur quomodo vnum opponatur multitudini, & vt dicit completam, & incompletam ſpeciem.

Notat ſecundò Caietanus ex D. Th. p. p. q. 11. a. 2. in principio Comment. quod littera art. intendendo de diuerſis Vnitatibus, & multitudinibus, ex hoc innoteſcit nobis, quod eadem Vnitas diuerſimodè ſumpta, ſcilicet vt principium numeri, & vt indiuiſa opponitur diuerſimodè eidem multitudini diuerſimodè ſumptæ, ſcilicet ſub ratione numeri, & ſub ratione diuiſi. Et ſic hæc diſtinctio erit quandoque rerum, & quandoque rationum; & quando eſt rationum conuenit vtrique Vni, & vtrique multitudini, quoniam, & Vnum conuerſum cum ente principium eſt numeri tranſcendentis, & Vnum in prædicamento quantitatis eſt indiuiſum. Et inſuper Caietanus notat ex Reſp. ad ſecundum quod aliquandò Vnum dicit completam, & perfectam ſpeciem multitudini oppoſitam, & aliquando non dicit. Tunc dicit ſpeciem illam completam, quia conſideratur in ratione vnius perfecti, quod quidem tunc eſt, quando conſideratur vt in ſe indiuiſum, hoc eſt quando conſideratur vt negans, & excludens à ſe quamcumque diuiſionem, & per conſequens vt negans, & excludens à ſe diuiſionem, quæ eſt in multitudine. Tunc au-

tem

Digitized by Google

tem non dicit ſpeciem completam, quando vnum præciſè conſideratur ſecundum entitatem ſuam, abſtrahendo ab hoc quod talis entitas neget, & excludat diuiſionem illam, quæ eſt in multitudine; vel etiam, quod illam non neget, & excludat, ſed potiùs, quod ad illam per modum partis heterogeneæ concurrat. Ità Caiet. explicat D. Thomæ Reſponſionem ad ſecundum art. 2. q. 11. cit. vt infrà etiàm in quarto loco dicitur &c.

3. Notab Caiet. in quo explicatur quot modis Vnum, & multa ſumantur tranſcendentèr, & quot modis Vnitas de genere quantitatis.

Notat tertiò Caiet. ibidem art. 2. q. 11. quod tàm Vnum, quàm multa ſumpta tranſcendentèr, ſumi poſſunt dupliciter. Vno modo ſubſtantialiter, alio modo completiuè, ſeù formaliter. Si ſumantur primo modo conſtat quod multitudo componitur ex rebus vnis, & quod eſt ſubſtantia, ſeù ens reale, & loquimur cum D. Th. de multitudine formaliter, quantùm ad id quod realiter eſt. Altius tamen atq; formalius loquendo, dicendum mihi videtur, ait Caietanus, quod in art. 2. cit. Eſt ſermo de Vnitate, & multitudine formaliter, & vniuerſaliter, & quod per illa verba Vnitates ſecundum id quod habent de entitate, non intendit littera rem, quæ eſt Vna, ſed intendit ipſam vnitatis naturam, pro vt entis actum exercet; quod vt clariùs percipiamus, ab Vno in genere quantitatis incipiamus. Vnitas igitur de genere quantitatis ſumi poteſt dupliciter Vno modo vt eſt non numerus, quod eſt eſſe non diuiſum in ſe, quemadmodum eſt diuiſus in plures vnitates, & ſic patet, quod non componit numerum, ſicut non domus non componit domum. Alio modo ſumitur vt eſt in ſe talis entitas puta Accidens, & ſic componit numerum. Vnitas quoque tranſcendens dupliciter ſumi poteſt, primò vt eſt indiuiſa, quod eſt eſſe non multitudinem, & ſic impoſſibile eſt componere multitudinem ratione dicta; Alio modo ſecundum id quod eſt, ideſt ſecundum ipſam negationem diuiſionis, non in quantùm exercet actum priuationis, ſed in quantùm habet entis rationem, & ſic componit multitudinem formaliter, & completiuè ſumptam. Hæc igitur diſtinctio contracta ad vnum, & multa tranſcendentèr, non eſt diſtinctio priuationis à ſubiecto poſitiuo, ſed eſt diſtinctio actus priuatiui ab actu poſitiuo. Ità quod ipſa indiuiſio, vt exercet actum priuationis non componit, & ipſa met vt cuiuſdam entitatis rationem habet, componit multitudinem, quæ ſecundum veritatem, eſt magis ens negatiuum formaliter, quàm Vnum, & quod hæc ſit mens S. Doctoris non ſolùm ex ſenſu formali patet, ſed ex Reſp. ad quartum vbi dicitur quod diuiſa non habent rationem multitudinis, niſi vtrumque diuerſorum habeat rationem vnius. Hinc manifeſtè apparet, quod multitudo formaliter ex vnitatibus formalitatis conſurgit, & conſequentèr ex negationibus, quoniàm ſolam negationem formaliter addere docuit in art. 1. q. 11. cit. Ità Caietanus &c.

Opinio D. Th. recitata à Caiet de vno quod opponitur multitudini per modū priuationis.

Quò ad ſecundùm. Caietanus interpretando mentem D. Thom. opinatur cum ipſo, quod vnum, quòd conuertitur cum ente opponitur multitudini per modum priuationis, vt indiuiſum diuiſo, vt Philoſophus dicit in 4. Met. tex. 4. quod vnum opponitur multo, idem diuerſo, ſimili diſſimile, æquale inæquali, dicendo ibidem, quod vnum ſignificat aut negationem multitudinis, aut priuationem abſolutam. Et verè, ait Caietanus, aſſequitur mentem D. Thom. qui ex D. Tho. 10 quæſt. diſp. de potentia quæſt. 9. art. 2. ad 18. tenet, vnitatem opponi quidem priuatiuè multitudini materialitèr ſumptæ, qua eſt poſterior, non autem multitudini ſumptæ formalitèr, quàm antecedit. Ità Caietanus ex art. 2. quæſt. 11. cit. & alibi, &c.

Opinio D. Th. explicata à Caiet. & Mag. ſent de Terminis numeralibus.

De Terminis numeralibus in Diuinis Caietanus ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 30. art. 3. refert duas opiniones. Vnam Magiſtri ſententiarum, qui dicit ipſos non ponere aliquid in Diuinis, ſed remouere tantùm. Alia verò opinio dicit contra-

rium,

Digitized by Google

rium. Vtraque tamèn opinio, ait Caietanus, inſpexit ſolùm materialem multitudinem, quæ numerus vocatur. Sed alio calle inceſſit altera, dùm imperfectionem, & altera vltimam differentiam quaſi abſque imperfectione conſiderauit: & ſic illa ad remouendum, iſta ad ponendum terminos numerales aſſumptos dixit. Et ſic Termini numerales, ait Caietanus cum D. Thom. ſignificant in Diuinis illa de quibus dicuntur ſolam negationem addendo. Et ſic opinio Auctoris differt quo ad radicem ab vtraque opinione præmiſſa. In Concluſione verò ſimplicitèr differt à ſecunda, quàm abſque tamèn ratione aliqua approbare videtur Scotus in quolibetis quæſt. 14. circà principium art. 3. dùm Trini nomen de Deo dictum à ſpecie quantitatis diſcretæ abſtrahit. A prima verò differt ſecundum aliquid, quia ſcilicèt non purè negatiuè ſignificare dicit, quamuis etiàm negationem importare concedat cum ipſo Magiſtro Sententiarum. Ità Caietanus art. 3. quæſt. 30. cit.

Prima Concluſ. Caiet. ex D. Thom. cum ſua probatione quod Vnum opponatur multis diuerſimodè.

Quò ad tertiùm. Caietanus ponit ex D. Thom. 1. p. quæſt. 11. art. 2. hanc Concluſionem reſponſiuam quæſiti. Vnum opponitur multis diuerſimodè.

Probatur ſic à Caietano ex D. Thom. Vnum principium numeri opponitùr numero, & menſurato: vnum autèm conuerſum cum ente opponitur, vt indiuiſum diuiſo: ergò vnum opponitur multis diuerſimodè. Antecedens pro prima parte probatur ex 10. Met. quia vni primò conuenit menſura, & numerus eſt multitudo menſurata per vnum. Pro ſecunda parte antecedentis iàm patet ratio ex dictis. Conſequentia eſt euidens, quia alia eſt oppoſitio relatiua, & alia priuatiua. Ità Caietanus loc. cit.

Secunda Concl. Caiet. ex D. Thom. cum ſua probatione quod Termini numerales in Diuinis nil addant niſi ſolam negationem.

Secunda Concluſio. Termini numerales in Diuinis ſignificant illa, de quibus dicuntur, ſolam negationem addendo. Probatur, & declaratur à Caietano ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 30. art. 3. Termini numerales in Diuinis non ſumuntur à numero, qui eſt ſpecies quantitatis, ſed à multitudine tranſcendenti: ergò ſignificant illa de quibus dicuntur, ſola negatione addita. Antecedens quo ad partem negatiuam, quæ eſt contrà radicem vtriuſque opinionis præmiſſæ probatur, quia alitèr ſequeretur quod non dicerentur de Deo niſi metaphoricè; & probatur ſequela, quia proprietates corporales non niſi metaphoricè de Deo dicuntur, vt patet de latitudine, & longitudine, &c. Quo ad partem verò affirmatiuam licèt explicitè non probetur, ſequitur tamèn ex differentia intèr vtramque multitudinem, & præcipuè ex illa, quæ ſe tenet ex parte ſubiecti, conſtat enim Diuina eſſe de ordine immaterialium. Conſequentia probatur ex differentia intèr vtramque multitudinem, ac vtriuſque principium, ſcilicèt vnitatem, quo ad ſignificandum aliquid poſitiuum, vel negatiuum. Vnum tranſcendentèr ſignificat rem, quæ vna dicitur, addita tamen negatione diuiſionis: ergò multa tranſcendentèr ſignificat res, quæ plures dicuntur, addita tamèn negatione diuiſionis circà vnamquamque vnitatem: multitudo enim ex vnitatibus conſtat. Vnum verò quod eſt principium numeri, & ipſe numerus certum accidens poſitiuumque ſignificat, alioquin quantitatis ſpecies non eſſet &c. ergò ſi termini numerales in Diuinis, ſunt deſumpti à multitudine tranſcendenti, ſignificant res illas quibus adduntur, ſola negatione addita, quod erat probandum.

Manifeſtatur ſecunda Concluſio.

Manifeſtatur autem Concluſio, applicando ad eſſentiam, & perſonas. Vt quando dicimus eſſentia eſt vna, vnum ſignificat eſſentiam indiuiſam; quando verò dicimus, Perſona eſt vna, ſignificat perſonam indiuiſam; & quandò dicimus perſonæ ſunt plures, ſignificantur & illæ perſonæ, & indiuiſio circà vnamquamque earum, quia de ratione multitudinis eſt, quod ex vnitatibus conſtet. Ità Caietanus ex D. Thom. in corp. art. 3. quæſt. 30. cit.

Argum. Caiet. ex D. Thom. contrà primam Concluſione cum ſua Reſponſione.

Quò ad quartùm. Arguit primò Caietanus ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 11. art. 2. ſic. Nullum oppoſitum conſtituitur ex ſuo oppoſito: ſed vnum conſtituit multitudinem: ergò non opponitur multitudini.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. ad ſecundùm. Nullum oppoſitum, &c. inquantùm eſt oppoſitum concedo, inquantùm non eſt oppoſitum nego: quia partes vt entia, vel corpora componunt tota non vt oppoſita totis. Duplex eſt Totum, ait D. Tho. quoddam homogeneum, quod componitur ex ſimilibus partibus, quoddam verò heterogeneum, quod componitur ex diſſimilibus partibus. In quolibet toto homogeneo, totum conſtituitur ex partibus habentibus formam totius, ſicut quælibet pars aquæ eſt aqua, & talis eſt conſtitutio continui ex ſuis partibus. In quolibet autèm toto hæterogeneo, quælibet pars caret forma totius: nulla enim pars domus eſt domus, nec aliqua pars hominis eſt homo, & tale totum eſt multitudo. In quantùm ergò pars eius non habet formam multitudinis multitudo componitur ex vnitatibus, ſicut domus ex non domibus, non quod vnitates conſtituant multitudinem ſecundum id quod habent de ratione indiuiſionis pro vt opponuntur multitudini, ſed ſecundum hoc quod habent de entitate; ſicut & partes domus conſtituunt domum per hoc quod ſunt quædam corpora, non per hoc, quod ſunt non domus. Ità D. Thom.

Inſtantia Caiet. contrà Reſponſionē D. Thomæ.

Inſtat Caietanus contrà Reſponſionem D. Thomæ. Hoc quod dicitur à D. Tho. quod multitudo componitur ex vnitatibus non ſecundum id quod habent &c. de multitudine tranſcendenti de qua ibi loquitur, manifeſtè eſt impoſſibile verificari, ergò &c. Probatur hoc. Quoniam aut hic eſt ſermo de multitudine vt multitudo eſt, aut de rebus multis; non hoc ſecundum vt patet ex Reſponſione data cum dicitur, quod multitudo eſt totum hæterogeneum; de ipſa autèm multitudine conſtat quod non componitur ex rebus vnis, ſed ex vnitatibus, alioquin multitudo tranſcendens, vt multitudo eſt, eſſet ſubſtantia, vtpotè ex ſubſtantijs rerum compoſita.

Reſp. Caiet. ad inſtantiam.

Reſp. Caietanus vt ſuprà in tertio Notabili, quod ipſa indiuiſio vt exercet actum priuationis non componit, ſed ipſa met vt cuiuſdam entitatis rationem habet, componit multitudinem, quia ſecundum veritatem loquendo formalitèr magis eſt ens negatiuum, quàm vnum: quia multitudo formalitèr ex vnitatibus formalibus conſurgit, & per conſequens ex negationibus, quoniam ſolam negationem addere formalitèr, iàm docuerat Auctor in art. 1. quæſt. 11. cit. Ità Caietanus in loc. cit.

Argum. 2. ex D. Th. contrà eamdem primam Concluſionem.

Arguit ſecundò Caietanus ibidem ex D. Thom. ſic. Si vnum opponitur multitudini, opponitur ei ſicuti indiuiſum diuiſo, & ſic opponitur ei vt priuatio habitui: hoc autèm videtur inconueniens, quia ſequeretur, quod vnum ſit poſteriùs multitudine, & diffiniatur per eam. Vndè erit circulus in diffinitione, quod eſt inconueniens: non ergò vnum, & multa ſunt oppoſita. Hæc eadem difficultas mouetur à D. Thom. in quæſt. 30. art. 3. in 1. p. pro terminis numeralibus in Diuinis, ſub hac forma. Si Termini numerales non ponunt aliquid in Diuinis, ſed inducuntur ad remouendum tantùm, vt per pluralitatem vnitas remoueatur, & per vnitatem pluralitas, ſequitur quod ſit circulatio in ratione, confundens intellectum, & nihil certificans, quod eſt inconueniens: relinquitur ergò quod Termini numerales aliquid ponunt in Diuinis.

Reſp. ex D. Tho. ad 2. Argum.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. ad difficultatem motam in quæſt. 30. art. 3. ad ſequelam. Ad ly ſequitur &c. ſtante illo falſo, quod ſcilicèt per pluralitatem remoueatur vnitas, & per vnitatem pluralitas concedo. Remoto illo ſuppoſito falſo,

Digitized by Google

ſo, & dato iſto verò, ſcilicèt quod per pluralitatem remoueatur indiuiſio, & per vnitatem diuiſio, negatur ſequela, quia vnum, ait D. Thom. non eſt remotiuum multitudinis, ſed diuiſionis, quæ eſt prior ſecundum rationem, quam vnum, vel multitudo; multitudo autèm non remouet vnitatem, ſed remouet diuiſionem circà vnamquamque earum ex quibus conſtat multitudo. Et hæc, ait D. Thom. ſunt ſuprà expoſita cum de Diuina vnitate ageretur, ſcilicèt in quæſt. 11. art. 2. ad 4. vbi diximus, quod vnum opponitur priuatiuè multis, in quantùm in ratione multorum eſt quod ſint diuiſa. Vndè opportet quod diuiſio ſit priùs vnitate non ſimplicitèr, ſed ſecundum rationem noſtræ apprehenſionis: apprehendimus enim ſimplicia per compoſita. Vndè diffinimus punctum, cuius pars non eſt, vel principium lineæ. Sed multitudo etiàm ſecundum rationem conſequentèr ſe habet ad vnum, quia diuiſa non intelligimus habere rationem multitudinis niſi per hoc quod vtrique diuiſorum attribuimus vnitatem, vndè vnum ponitur in diffinitione multitudinis, non autèm multitudo in diffinitione vnius; ſed diuiſio cadit in intellectu ex ipſa negatione entis. Ità quod primò cadit ens in intellectu. Secundò quod hoc ens non eſt illud ens (& ſic ſecundò apprehendimus diuiſionem.) Tertiò vnum. Quartò ipſa multitudo cadit in intellectu. Ità D. Thom. loc. cit.

Inſtat Caietanus contrà dictum D. Th. quod diuiſio, ſcilicèt ſit prior non ſimplicitèr, ſed ſecundum rationem noſtræ apprehenſionis. Arguit ſic. Habitus eſt naturalitèr prior priuatione, & diuiſio ſe habet ad vnitatem, vt habitus ad priuationem: ergò diuiſio eſt prior ſimplicitèr vnitate. *Inſtantia Caiet. contrà Reſponſionē D. Thomæ.*

Nec valet dicere quod Diuiſio non ſit verè habitus, ſed tantùm ſecundum noſtrum modum intelligendi; non valet, inquam, quia opporteret aſſignare ſaltèm circumlocutiuè, quis eſt ille habitus, quo priuat ſecundum ſe vnitas. Nec facilè eſſet hoc fingere, quia ille habitus ſecundum ſe, aut eſt quid poſitiuum, aut negatiuum. Si poſitiuum, ergò aliquid poſitiuum vltrà ens eſt ante vnitatem, quod eſt impoſſibile. Si negatiuum, ergò aliqua negatio eſt ante vnitatem, & ſi hoc non inconuenit, cur inconuenit diuiſioni, quæ negatio eſt, eſſe ante vnitatem?

Reſp. Caietanus, quod labor eſt in æquiuoco: Ambæ ſiquidem propoſitiones ſunt veræ, & quod diuiſio eſt prior vnitate ſimplicitèr, ideſt ſecundum ſe in eſſe intelligibili tamèn, eo quòd diuiſio negatio eſt, quæ eſt ens rationis. Hæc propoſitio probatur non enim intelligibile eſt, quòd Affirmatio non ſit prior negatione; eſſe autèm vnum eſt eſſe hoc, & eſt non eſſe non hoc, vbi patet quod in ratione vnius clauditur negatio alterius extremæ contradictionis: extrema igitur contradictionis, quorum eſt ipſa indiuiſio præcedunt naturalitèr vnitatem. Primo enim eſt homo, & in eodem priori eſt non homo in eſſe intelligibili, & ſic eſt diuiſio. Deindè homo eſt homo, & non eſt non homo, quod eſt eſſe vnum, ideſt indiuiſum: non enim eſt diuiſum in ſe, ità vt ſit homo, & non homo. Penès priuationem huiuſmodi diuiſionis vnumquodque eſt, & dicitur, ſi vnum priuatiuum nomen eſt ſecundum veritatem, vt ſupponimus. Nullum autem inconueniens eſt negationem diuiſionis eſſe priorem negatione vnitatis; quamuis impoſſibile ſit poſitiuum diuiſionis in re, eſſe ante poſitionem vnitatis. *Reſp. Caiet. ad Inſtantiam.*

Alia autèm propoſitio eſt etiàm vera, ſcilicet quod diuiſio eſt poſterior vnitate ſimplicitèr, ideſt ſecundum eſſe ſimplicitèr, quod eſt eſſe in rerum natura: eſſe enim intelligibile eſt ſecundum quid tantùm, & patet ex ſe. Non enim opportet ad hoc quod homo ſit, & intelligatur vnus, vt negatio hominis ſit in aliqua na-

Digitized by Google

tura puta Bouina, aut Cœleſti. Si enim ſolus homo eſſet vnus nihilominùs eſſet, ſicut ante mundi Creationem Deus erat vnus, & Deus in nulla re erat: Creatis autèm alijs poſita eſt diuiſio Dei à non Deo in rerum natura; de qua diuiſione dicit D. Thom. in art. 2. cit. quod non eſt prior ſimplicitèr, vt patet ex calce Reſponſionis ad quartum, vbi dicitur, ſecundò apprehendimus, quod hoc ens, non eſt illud ens, & ſic apprehendimus diuiſionem. Quid clariùs? Hoc ens non eſt illud ens, aſſerendo ſic, diuiſionem in rerum natura expreſſit: Et propterea eamdem diuiſionem dixit, quod ſimplicia ex compoſitis diffinimus diuiſionem tàm realem, quàm poſitiuam poſtpoſuit vnitati formalitèr, non autèm contradictoriam in eſſe intelligibili. Ità Caietanus in calce Comment. art. 2. quæſt. 11. cit.

Argum. Caiet. ex D. Thom. contrà ſecundam Concluſionem cum ſua Reſponſione.

Arguit Caietanus contrà ſecundam Concluſionem ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 30. art. 3. ſic. Vnitas enim Diuina eſt eius eſſentia, ſed omnis numerus eſt vnitas repetita, & in Creaturis aliquid ponit: ergò omnis terminus numeralis in Diuinis ſignificat eſſentiam: ergò multò magis ponit aliquid in Deo, quàm in Creaturis.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. ad 1. & 2. art. 3. cit. quod cùm vnum ſit de tranſcendentibus eſt communiùs, quàm ſubſtantia, & relatio, & ſimilitèr multitudo; vndè poteſt ſtare in Diuinis, & pro ſubſtantia, & pro relatione ſecundum quod competit his, quibus adiungitur, & ſuper hæc nil addit niſi negationem. Et recole ſemper quod multitudo, quæ ponit aliquid in rebus creatis eſt ſpecies quantitatis, quæ non tranſmittitur in Diuinam prædicationem, ſed tantùm multitudo tranſcendens, quæ non addit ſuprà ea, de quibus dicitur, niſi indiuiſionem citrà ſingula, ſeù additur ex eorum ſignificatione propria negatio quædam diuiſionis, vt in corp. articuli dicitur. Ità Caietanus ex D. Thom. loc. cit.

Appendices ad Lectionem 5. Metaphyſicalem in Tractatu de Proprietatibus Entis.

THomiſtæ Moderni ad ſtabiliendam mentem D. Thom. eiuſque Commentatoris circà oppoſitionem priuatiuam intèr vnum, & multa, notant cum D. Thom. quæſt. 1. de potentia art. 7. ad 1. & 5. Met. tex. 17. priuationem diſtinctam in priuationem propriè, & in priuationem communiùs, & in priuationem communiſſimè, vt non habere viſum in planta, quæ eſt media intèr priuationem veram, & ſimplicem negationem habens aliquod commune cum vtroque, & ſic dicunt cum D. Thom. quod Vnum priuatiuè dicitur priuatione communiſſimè ſumpta, ſicut ſimili modo prædicantur in Diuinis Immenſus, & Inuiſibilis, &c. Et ſic priuatio, non verò propriè ſumpta, ſignificata ab vno, ponitur in Deo, vt docet D. Thom. in 1. p. quæſt. 49. art. 3. ad 2. Et ſic concludunt ad mentem D. Thom. & Caietani, quod indiuiſio, quàm importat de ſuo formali vnum non eſt ſimplex negatio, ſed priuatio communiſſimè ſumpta. Ità diſcurrit Io: Martinez de Prado in ſua Metaphyſica. Simulque etiàm dicunt alij Moderni, quod ſi vnum ſumatur ratione indiuiſionis opponitur priuatiuè, ſi ratione ſubiecti indiuiſionis opponitur contrariè, vt eſt in p. p. q. 11. a. 2. ad 4. & in corp. (& 4. Met. lect. 3.) & 10. Met. lect. 4. Ità Soncinas in Met. & Flandria lib. 5. Met. q. 5. a. 2. Ità diſcurrit Blaſius à Conceptione in ſua Metaphyſica diſp. 21. de Vnitate q. 3. qui citat Caietanum in primo loco dicentem cum Fonſeca quod vnitas importat de formali ſolam negationem diuiſionis, de materiali autem ipſum ens. In ſecundo tamèn loco pro communi ſententia Thomiſtarum citat ipſum, quod

Digitized by Google

quod etiàm importet de formali, ipſum ens, cùm ſemper Caiet. dicat cum D. Thòma, quod vnum eſt idem quod ens indiuiſum ex q. 9. de potentia a. 7. Eſto ſemper nominet ſolam negationem, ideſt indiuiſionem vbicumque eſt ſermo de formalitate vnius; ſicuti & etiam, quando eſt ſermo de oppoſitione vnius ad multa ſemper nominat oppoſitionem priuatiuam cum Sanctiſſimo Præceptore in ſua Summa. Opinio igitur Blaſij à Conceptione eſt quod vnum, & multa opponuntur ad inuicem oppoſitione contrarietatis, cùm implicantia alicuius modi oppoſitionis priuatiuæ.

Alij verò moderni aberrãtes à vero modo loquendi formali D. Thomæ in ſua ſumma probant per vnam Concluſionem quod Vnum, & multa non opponuntur priuatiuè, ſed contrariè tantùm, quia priuatiuè oppoſita ità ſe habent, quod vnum eſt ens, & aliud non ens, vnitas autèm, & multitudo dicunt ens poſitiuum: ergò non opponuntur priuatiuè, ſed contrariè, quia habent diuerſam eſſentiam explicatam per diuerſam diſſinitionem, & ſunt duæ naturæ poſitiuæ intèr ſe diuerſæ, & ſub aliqua ratione ſuperiori contentæ. Per aliam verò Concluſionem reſpondens iſti primæ ſic cum D. Thom. & Caietano, quod ſi ſumatur vnitas quantùm ad negationem diuiſionis opponuntur priuatiuè (vide quomodo iſti Moderni, velint, nolint, oportet quod conueniant cum modo loquendi D. Thom. & Caietani, qui non alio modo ſumunt vnitatem, niſi vt ſignificat indiuiſionem)

Videas Magiſtrum Arnù in ſua Metaphyſica quæſt. 6. de Vno art. 2. vbi in fine ex D. Thom. 10. Met. lect. 4. concordantiam diſſidij ſumit, intèr dicta D. Tho. in 1. p. quæſt. 11. art. 2. ad 4. vbi videtur aſſerere quod vnum, & multa opponantur priuatiuè, & intèr dictum D. Thom. in 10. Met. lect. 4 vbi cum Ariſt. videtur aſſerere, quod opponuntur contrariè: ex ipſo igitur D. Thom. ſumit concordiam, dicendo quod vnùm duplicitèr ſumi poteſt, primò quaſi Metaphyſicè, qua ratione de formali dicit ipſam indiuiſionem, materialitèr autèm ipſum ens, & hoc modo opponitur priuatiuè multitudini, quia indiuiſio de ſe ſonat negationem diuiſionis ad modum priuationis cuiuſdam. Secundò quaſi Phyſicè, & ſecundum eſſe, & hoc pacto opponuntur contrariè, quapropter de vtraque oppoſitione priuatiua nimirùm, & contraria Vnum, & multa participant. Ità Magiſter Arnù.

Cui autèm vnitati opponatur illa diſtinctio duplex Scotica, ſcilicèt ex naturà rei, quæ dicitur realis, & quæ eſt intèr rem exiſtentem ſecundum Scotiſtas, & intèr aliam rem exiſtentem cum propria exiſtentia. Et alia diſtinctio formalis, quæ eſt intèr formalitates incapaces exiſtentiæ, non tamèn habentes, ſed mendicantes, oportet legere Bordonum Tertij Ordinis Minorum in illo ſuo Libello de formalitatibus Scoti in quæſt. 5. tract. 2. pag. mihi 222. num. 171. ibi habetur diſtinctio entitatiua, & diſtinctio formalis.

De vnitate, & pluralitate in Diuinis legas attentè Ven. Porrectam in formalitatibus, & Appendice art. 3. quæſt. 30. in 1. p. gloſando cum Caietano Auctoritates à D. Thom. adductas in Argumento. ſed contrà, ſecundum opinionem Magiſtri Sententiarum: dicit enim cum Caietano, quod non probant ſufficientèr quod illa nomina in Diuinis, vnùm & multa, ponantur ad remouendum tantùm, licèt enim, ait D. Thom. pluralitate excludatur ſolitudo, & vnitate Deorum pluralitas, non tamèn ſequitur, quod his nominibus hoc ſolùm ſignificetur: Albedine enim excluditur nigredo, non tamèn nomine albedinis ſignificatur ſola nigredinis excluſio: hi igitur termini (addit, cum Caietano) & ſignificant illa de quibus dicuntur, & ſuper hoc nil niſi negationem addunt; vndè ex Reſpon-

ſione

ſione ad Argumentum. Sed contrà, probabilitèr ſaltèm hoc habetur, quòd Argumenta in oppoſitum adducta à D. Thom. eiuſque Reſponſionibus, probant ſufficientèr propoſitum, pro quo probando inducuntur. Et ſignum huius eſt, quod quando non probant ſufficientèr, corriguntur à S. Doctore, vt facit in art. 3. cit. ſuprà quæſt. 30. in 1. p. Ità Caietanus in locis citatis cum Ven. Porrecta, cuius etiàm formalitates, & Appendices videndæ ſunt, & legendæ in 1. p. quæſt. 11. art. 2.

LECTIO VI.
METAPHYSICALIS
In Tractatu ſexto
DE PROPRIETATIBVS ENTIS.

Vtrùm vnitas formalis, & numeralis in Indiuiduo differant realitèr, vel ratione.

Ex Caietano in cap. 3. de ente, & eſſentia in 4. parte Capituli. Et in cap. 4. quaſt. 6.

Declaratio Tituli eiuſque ſenſus facta à Caietano.

METAPHYSICE' loquendo, ait Caietanus, diximus in ſuperioribus, quod formale ſignificatum vnius eſt indiuiſio, ſimulque etiàm diximus in ſenſu Metaphyſicali, & formali, quod vnum & multa opponuntur priuatiuè, quidquid ſit de ſenſu Phyſicali. Nunc in præſenti Lectione quærenda eſt diſtinctio vnitatis numeralis, & formalis, quomodocumque reperiatur in vno, & eodem indiuiduo, an differant intèr ſe realitèr, an ratione tantùm: idem enim indiuiduum, & eſt ſortes, & eſt homo; & ex conſequenti idem eſt quod caret vtràque diuiſione; & formali, & numerali, & vtràque gaudet vnitate, & hoc ratione poſitiui, quia vnitas dicit ens ſub indiuiſione; & ſic etiàm quæritur ratione priuatiui, cum aliud ſit id quo priuat vnitas numeralis, & aliud quo formalis, an penès hoc vnitates iſtæ differant diſtinctione reali. Vndè non quæritur hic de vnitate indeterminationis ipſius generis, nec de vnitate ipſius materiæ primæ, cùm D. Thom. in textu 7. in 4. p. 3. cap. de ente, & eſſentia, & Commentator in 12. Met. Comm. 14. dicant; quod vnitas materiæ ſolitariè ſumpta ſecundum ſe, & vnitas generis differunt in hoc, quod vnitas materiæ eſt vnitas numeralis fundata ſuprà determinatam rem; & vnitas generica eſt vnitas non numeralis, ſed indeterminationis fundata ſuprà diuerſas naturas indeterminatè; ſed quæritur de vnitate formali, & numerica vt ſuprà; & non facimus vim in hoc, quod diſtinctio realis ſit paſſio

entis

Digitized by Google

ẽtis realis, & quod alia priuatio eſt priuatio diuiſionis formalis, & alia eſt priuatio diuiſionis numeralis, quia tunc certè nequeunt realitèr diſtingui, cum vtraque diuiſio, cuius priuationem dicit vnitas ſit vnius entis realis. Intelligitur ergò quæſtio in vno, & eodem vt ſic indiuiduo; neque ratione priuatiui, abſolutè loquendo, realitèr diſtinguuntur hæ vnitates, ſed quæritur quantùm eſt ex meritis ipſarum ſimplicitèr, an ratione priuatiui diſtinguantùr realitèr, cùm alia ſit diuiſio formalis, alia numeralis: quod enim formalitèr ſecernantur nullus dubitare poteſt. Ità Caietanus loc. cit. explicat ſenſum quæſiti in hac Lectione ſexta.

Primum Notabile Caiet. in quo habetur quod vnũ numero dicitur dupliciter.

Quò ad primùm. Notat Caietanus in 4. p. cap. 3. de ente, & eſſentia, vt quoddam præambulum ad dignoſcendam vnitatem numericam, & formalem. Cum audis, ait, vnitatem materiæ primæ eſſe vnitatem numeralem; intelligas tn negatiuè, & non poſitiuè: Dicitur enim aliquid vnum numero duplicitèr poſitiuè, ſcilicèt & negatiuè. Illud eſt vnum numero poſitiuè, quod eſt vnum per poſitionem proprietatis, ſeù differentiæ numeralis, ſicut Sortes. Et hoc modo materia prima ſecundum ſe non eſt vna numero, quia nullam proprietatem indiuidualem includit; Illud autèm eſt vnum numero negatiuè, quod cùm non ſit vniuerſale, eſt non plura numero; hoc autèm eſt illud, quod nullum diſtinctiuum includit in ſe, vndè pluralitatem; & numerum habere queat, & hoc modo materia prima ſecundum ſe eſt vna numero, & talis vnitas numeralis fundatur ſuprà determinatam illam entitatem, ſcilicèt quæ eſt materia, quæ nullum diſtinctiuum includit, cum ab omni ſit denudata actu, cuius eſt diſtinguere. Ideò Commentator dicit, quod materia eſt vna per remotionem omnium formarum, quia vnitatem ſuam negatiuè habet, ex hoc quod non habet diſtinctiuas formas.

Genus autèm, quod non ſit vnum numero neque poſitiuè, neque negatiuè fundatur ſuprà certam, & determinatam rem, quod in genere non inuenitur: Dicit enim genus plures naturas, ex quibus numerari poteſt. Quod autèm ſit vnum vnitate indeterminationis ex eo patet, quod plures naturæ per genus importatæ non adunantur in eius ſignificatione niſi proptèr hoc, quòd indeterminatè ſignificat eas. Animal enim ideò adunat in ſe Equum, Bouem, Leonem, &c. quia non determinatè explicat, quis eorum ſit habens perfectionem ſenſitiuam. Et ideò ibi Comment. dicit quod Genus eſt Vnum per communitatem formæ ſignificatæ, ideſt ex eo quod communitèr, & non determinatè formas ſignificat. Cum ergò quæratur de vnitate formali, & numerica indiuidui vt ſic ideò notamus, ait Caietanus loc. cit.

Notabile ſecundum Caiet. in quo habetur quod diuiſio eſt duplex.

Notat ſecundò Caietanus in cap. 4. de ente, & eſſentia in principio quæſt. 6. quod cum quælibet priuatio per ſuum habitum cognoſcatur, ideò vnitas quæ indiuiſionem ſonat, ex natûra diuiſionis, quàm priuat; cognoſci debet. Diuiſio igitur eſt duplex quædam eſt materialis per principia indiuiduantia cauſata; Alia eſt formalis, quæ per eſſentialia fit; & hæc habet latitudinem, quia quædam eſt per principia eſſentialia propria, quædam verò per principia eſſentialia communia; & hæc iterùm habet latitudinem ſecundum quod principia eſſentialia communia ſunt magis, & minus communia, v. g. intèr Socratem, & Platonem eſt diuiſio numeralis, & non formalis, quia non cauſatur diſtinctio eorum ex eſſentialibus, ſed indiuidualibus principijs. Intèr Socratem verò, & hunc Leonem, dato quod Leo, & Homo eſſent ſub eodem genere proximo eſt diuiſio formalis per eſſentialia principia propria per vltimas ſcilicèt differentias tantùm. Intèr Socratem verò, & hanc plantam eſt maior diuiſio formalis per principia, ſcilicèt

eſſen-

eſſentialia communia Socrati, & multis alijs ſpeciebus, ſcilicèt ſenſibile, & inſenſibile. Intèr Socratem verò, & hunc lapidem eſt diuiſio formalis adhuc maior per communiora principia, ſcilicèt per animatum, & inanimatum. Et ſic ſemper aſcendendo intenditur diuiſio formalis, adeò quod intèr Socratem, & hanc albedinem eſt maxima diuiſio formalis, vtpotè per propria, & communiſſima principia eſſentialia, ſcilicèt ſubſtantiuum, & diſpoſitiuum, quæ ſunt modi entis prædicamentorum conſtitutiui. Ità Caietanus loc. cit.

Notabile tertiũ Caietani, in quo habetur quod vnitas eſt etiàm duplex.

Notat tertiò Caietanus poſt prædicta immediatè, quod idem dicendum eſt de vnitate, quæ eſt duplex, quædam numeralis, & quædam formalis. Numeralis attenditur penès priuationem diuiſionis numeralis; Formalis attenditur penès priuationem diuiſionis formalis; & hæc habet latitudinem: Quædam enim priuat diuiſione formali omninò, cauſabili per principia propria communia, & hæc eſt vnitas formalis ſimplicitèr; quædam verò priuat diuiſione formali non ſimplicitèr, ſed talitèr cauſabili, ſcilicèt per principia communia, & hæc eſt vnitas formalis ſecundum quid, & habet latitudinem ſecundum quod diuiſio priuata cauſabilis eſt à magis, & minus communibus principijs eſſentialibus v. g. Socrates eſt vnus numero, quia non eſt per materiales differentias in ſe diſtinctus. Homo eſt ſimplicitèr vnus formalitèr, quia non compatitur ſecum diuiſionem formalem quamcumque. Animal verò eſt vnum formalitèr, in quantùm non compatitur ſecum diuiſionem per ſenſibile, & inſenſibile, non tamèn habet vnitatem ſimplicitèr, quia compatitur ſecum diuiſionem per rationale, & irrationale. Corpus verò eſt minùs vnum formalitèr, eſt enim vnum, quia non eſt in ſe diuiſum per corporeum, & incorporeum, eſt autèm minùs vnum, quia compatitur ſecum diuiſionem formalem maiorem, ſcilicèt per animatum, & inanimatum. Ens autèm minimè eſt vnum, vnum eſt quidem pro quanto in ſe diuiſum proportionalitèr: minimè verò vnum pro quanto tantam diuerſitatem formalem cum ſua vnitate compatitur: ex his patet primùm, quid ſcilicèt ſit vnitas quælibet: quia ſcilicèt vnitas eſt indiuiſio, & talis vnitas eſt talis indiuiſio, ſcilicèt diuiſionis priuatio: ità quod nihil aliud eſt dicere, Socrates eſt vnus numero, ideſt Socrates eſt ens carens diuiſione numerali. Homo eſt vnus formalitèr, ideſt homo eſt ens carens diuiſione formali. Ità Caietanus in quæſt. 6. cap. 4. de ente, & eſſentia.

Opinio D. Tho. explicata à Caietano circà Communitatem naturæ quæ vnitas ſequatur ad ipſam ratione ſui.

Quò ad ſecundùm. Caietanus diſcurrendo cum D. Thom. in cap. 3. & 4. quæſt. 6. de vnitate negatiua numerali poſitiua, & formali cuiuslibet entis indiuidui; concludit contrà Scotum de Communitate Naturæ, quod ratione ſui ſequitur vnitatem formalem, ſed communitas negatiua non ſequitur eam ratione ſui, ſed ratione ſolitudinis ſuæ, ſicut ſingularitatem ſequi eam diximus ratione aſſociationis eius ad exiſtentiam. Et quia conditio ſolitudinis non conuenit ratione ſui, nec ratione ipſius eſſe, quod habet extrà Animam; ſed ratione intellectus, qui natus eſt adunata diuidere, ideò antè omnem actum intellectus nulla communitas naturæ inuenitur; & ſicut quærenda eſt cauſa vndè habeat natura eſſe ſolitarium, & eſſe extrà, quia de ſe neutrum habet; ità quærenda eſt cauſa vndè habeat natura communitatem, & ſingularitatem, de ſe enim neutrum habet. Sed de hoc iàm diximus in Tractatu 3. ſuprà. Alia quamplura habemus in quæſt. 6. cap. 4. de ente, & eſſentia, vbi quærimus cum D. Thom. Vtrùm natura habeat abſolutè ſumpta vnitatem, vel pluralitatem. Ità Caietanus.

Opinio Caietani circà alietatem di-

Circà diſtinctionem intèr vnitatem numericam, & formalem exiſtentem in Socrate, nos dicimus, ait Caietanus in quæſt. 6. cap. 4. de ente, & eſſentia, quod

diuerſi-

diuerſimodè loquendo, vt patebit infrà in Concluſionibus, concedenda eſt, & alietas realis, & etiàm alietas rationis tantùm; & non inconuenit in vno eſſe plures vnitates ſubſtantiales realiter diſtinctas quo ad priuationes importatas: impoſſibile tamèn eſt quod in vno ſint plures vnitates ſubſtantiales realiter diſtinctæ quo ad res poſitiuas, quas importat indiuiduum vnum. Ità Caiet. loc. cit.

ſtinctionis inter vnitatem numericam, & formalem.

Quo ad tertium Concluſio Reſponſiua ponitur à Caiet. in fine q. 6. c. 4. ſic. Cùm vnum dicat ens indiuiſum, & per conſequens importet aliquid poſitiuum, & aliquid priuatiuum, ſi loquamur de Vnitate formali, & Vnitate numerali ſubſtantiali, prout ſic important ad propoſitum ſunt idem realiter, & ſola diſtinguuntur ratione; ſi autèm loquamur de his Vnitatibus quo ad priuationes diuiſionum importatas, ſic diſtinguuntur realiter.

1. Concl. Caiet. cum ſua probatione p partis, ſcilicet quod ſola diſtinctione rationis diſtinguuntur vnitas formalis, & numeralis ſubſtantialis.

Prob. à Caietano prima pars ſic. Eadem res eſt, puta Socrates, quæ eſt vna formaliter, & vna numeraliter: ergo Socrates, & Homo ſunt idem realiter: ergo Vnitas formalis, & Vnitas numeralis ſubſtantialis ſunt idem realiter: ergo ſola diſtinguuntur ratione: probatur hoc vltimum. Sicuti ſe habet natura formalis ad naturam indiuidualem, ità Vnitas formalis ad Vnitatem numeralem: ſed natura formaliter ſumpta eſt eadem ipſi naturæ numeraliter ſumptæ, & non niſi ab ea ratione diſtinguitur: ergo etiàm Vnitas formalis erit eadem realiter Vnitati numerali, & non niſi ratione ab illa erit alia. Propoſitiones patent.

Probatur ſecunda pars à Caiet. ſic. Quandocumque habitus priuationum diſtinguuntur realiter, ipſæ quoque priuationes diſtinguuntur: quia enim viſus, & auditus diſtinguuntur realiter, cæcitas etiam, & ſurditas realiter diſtinguuntur: ſed vnitatis formalis, & vnitatis numeralis habitus diſtinguuntur realiter: ergo & priuationes &c. hoc patet. Diuiſio enim formalis, & diuiſio numeralis adeò diſtinguuntur, quod in rebus ſeparatis à materia, formalis ſine numerali inuenitur, & in iſtis inferioribus indiuidua eiuſdem ſpeciei diuiſionem numeralem, abſque formali diuiſione habent. Recole tamen quod diximus in declaratione Tituli, quod hic nolumus vim facere an diſtinctio realis ſit paſſio entis; nec quod ſit alia priuatio diuiſionis formalis à diuiſionis priuatione numeralis. Ità Caietanus locis citatis.

Probatio Caiet. pro 2. p. Concl. 1. ſcilicet quo ad priuationes diuiſionũ diſtinguuntur realiter illæ vnitates.

Secunda Concl. ponitur à Caiet. in q. 6. c. 4. præmiſſis duabus propoſitionibus. Prima eſt. Quælibet vnitas & numeralis, & formalis exiſtit extrà Animam. Secunda eſt. Vnitas nulla communis extrà Animam pluribus ſuppoſitaliter diſtinctis (ſalua Fide Catholica de tribus perſonis cum vnitate) exiſtit extrà Animam in rerum natura. Præmiſſis igitur his duabus, ponit Caietanus tertiam Propoſitionem pro Concluſione 2. ſic. Omnis vnitas formalis exiſtens extrà Animam multiplicatur realiter ad multiplicationem ipſarum rerum.

2. Concl. Caiet. ſcilicet quod omnis vnitas formalis exiſtens extrà Animam multiplicatur realiter ad multiplicationem ipſarum rerũ quarum ſunt vnitates cum ſua probatione in forma.

Probatur à Caiet. vt manifeſtatiua prædictarum vnitatum ſub tali forma ſic. Quotieſcumque aliqua duo ſunt conuertibilitèr idem realitèr, multiplicato vno realitèr, multiplicatur, & reliquum: ſed res vna, & vnum ſunt conuertibilitè idem realiter, ergo multiplicata realiter ipſa re, multiplicabitur, & eius vnitas. Vnde in Socrate, & Platone ſicut ſunt duæ Corporeitates, Animalitates, & humanitates ità ſunt duæ vnitates formales, ſequentes illas duas Corporeitates, & duæ ſequentes &c. oportet enim ſecundum numerum prædicatorum eſſentialium, eſſe numerum vnitatum formalium in quolibet indiuiduo; ſicut enim quodlibet prædicatum quidditatiuum dat aliquod eſſe, ita oportet quod det aliquam vnitatem. Vnum enim & ens idem ſunt ex 4. Met. tex. Comm. 3. Ex his patet, addit Caietanus, quomodo ſcilicet vnitates habeant eſſe extrà Animam, quia ſunt non

communes, ſed ſingularizatæ, & multiplicatæ numeralitèr iuxtà numerum indiuiduorum, quorum ſunt vnitates. Ità Caietanus loc. cit.

Appendices ad Lectionem Sextam Metaphyſicalem in Tractatu de Proprietatibus entis.

DE iſta Vnitate numerali, & formali quo ad diſtinctionem intèr ipſas, dè qua Caietanus plura ſcripſit in loc. cit. de Ente, & Eſſentia, ſi vis maiorem explicationem legas Magiſtrum Ripa in c. 4. de Ente, & Eſſentia in art. 3. ſuæ quæſt. 2. pag. mihi 441. vbi explicat quomodo illæ Vnitates formales in vno, & eodem compoſito, ſcilicet quia eſt homo, alia quia Animal, & alia quià viuens &c. non diſtinguantur realiter, quia ab vna, & eadem forma ſub varijs conſiderationibus, & gradibus accipiuntur, quippè quæ forma omnes illas continet ſi non formaliter ſaltem eminentèr: realiter tamen diſtinguuntur, quamùm in ipſis fuerit, & vt ſunt in varijs ſuppoſitis. Vnitas igitur illa in Sorte qua eſt Corpus non eſt diſtincta realiter ab illa Vnitate qua eſt Animal &c.

LECTIO VII.
METAPHYSICALIS
In Tractatu
DE PROPRIETATIBVS ENTIS.

Vtrùm ipſa Indiuiſio à ſe, & in ſe, vel etiàm diuiſio ab alio ingrediatur in conſtitutiuo formali vnius.

Ex Caiet. Doctrina data in Comment. art. 2. q. 11. in p. p.

Declaratio Tituli, eiuſque ſenſus facta à Caiet.

SVfficientèr explicauimus rationem formalem conſtitutiuam vnius, ait Caiet. in ſuperioribus Lectionibus ex doctrina D. Th. data in Reſp. ad 2. & 4. art. 2. q. 11. in p. p. ſed quià iſti termini, ſcilicet indiuiſio à ſe, & in ſe, & diuiſio ab alio vel actu vniuerſaliter, vel poſſibili, vel imaginabili confundit ingenium diſcipuli addiſcentis Metaphyſicam, videndo hoc quæſitum, quod formalitèr eſt vnum, & idem diſtinctum ab exteris, & à domeſticis in noſtra Schola in varia quæſita; ideò de tota hac Controuerſia circa formalitatem negationis diuiſionis ab alio, an ſe habeat concomitantèr, & vt effectus, vel potius per ſe primò in ratione vnius inſtituenda eſt à nobis hæc Lectio ſeptima in eodem hoc Tractatu ſeptimo.

Motiuum ex D.

Et verè motiua huius Controuerſiæ declinandi in vnam, vel alteram partem aeci-

cipiunt Metaphyſici ex ipſo Sanctiſſimo Præceptore. Et primò quod diuiſio ab alio concomitantèr ſe habeat ad vnum, & identicè, & potiùs ſpectet ad aliquid habetur ex D. Th. in q. 1. de Verit. art. 1. in corp. vbi ait, *Negatio quæ eſt conſequens omne ens abſolute, eſt indiuiſio, & hanc exprimit hoc nomen vnum; nihil enim aliud eſt vnum, quam ens indiuiſum; ſi autem accipiatur ens ſecundum ordinem vnius ad aliud, hoc poteſt eſſe dupliciter vno modo ſecundum diuiſionem vnius ab alio, & hoc exprimit hoc nomen aliquid: dicitur enim aliquid quaſi aliud quid; vnde ſicuti ens dicitur vnum in quantum eſt indiuiſum in ſe, ità dicitur aliquid in quantùm eſt diuiſum ab alijs*. Quod autèm diuiſio vnius ab alio conſtituat ſufficienter multitudinem in ſui ratione, habetur ex D. Th. in q. 9. de potentia a. 7. vbi ait. *Multitudo autem correſpondens Vni nihil addit ſuprà res multas niſi diſtinctionem; quæ in hoc attenditur quod vna earum non eſt alia*. Quod autèm ſola negatio diuiſionis, ideſt indiuiſio à ſe, & in ſe formarum, aut ſuppoſitorum ſit eſſentia Vnius. D. Th hoc fatetur in q. 9. de potentia a. 7. vbi ait. *Vnum addit negationem ſupra ens, ſecundum quod aliquid eſt indiuiſum in ſe*. Et ad 15. ait. *Intelligitur ratio vnius pro vt intelligitur hoc ens non eſſe in ſe diuiſum*.

Th. quod diuiſio ab alio ſpectet concomitantèr ad rationem vnius, & non ad eius eſſentiam.

Motiuum ex D. Th. quod ratio vnius ſit ſola indiuiſio à ſe, & in ſe.

Et quod in ſe non admittat aliud, & aliud ſuppoſitum, hoc docet in 3. p. q. 3. a. 7. ad 2. vbi ait quod ſi Diuina perſona aſſumeret duas naturas humanas proptèr vnitatem ſuppoſiti diceretur vnus Homo habens duas naturas humanas; & ſimiliter ſi duæ Perſonæ Diuinæ aſſumerent vnam numero naturam dicerentur vnus homo non vnitate ſuppoſiti, ſed in quantùm conueniũnt in aliquo vno, ideſt non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, addit Caietanus; & in p. p. quæſt. 39. a. 3. ponens D. Th. regulam vniuerſalem, quod ad plurificanda ſubſtantiua requiritur pluralitas tùm formæ, tùm ſuppoſiti: ad pluraficanda vero adiectiua ſufficit pluralitas ſuppoſitorum, qua ratione in Diuinis non poſſunt dari tres omnipotentes, tres æterni &c. Subſtantiuè, benè tamen adiectiuè, cum ſint tres perſonæ exiſtentes. Ad eſſentiam igitur vnius, addit Caietanus, ex D. Th. clarè habetur, quod ſpectat negatio diuiſionis in ſe formarum, aut ſuppoſitorum, ità quod ſufficiat, quod forma, aut ſuppoſitum ſit indiuiſum: teneas tamèn ſemper pro regula, quod in ea ratione, qua eſt indiuiſum eſt vnum, & è contra. Ita Caiet. loc. cit.

Pro alia vero parte Controuerſiæ quod ſcilicet vnum formaliter dicat etiam diuiſionem ab alijs, ſtat D. Th. in p. ſent. diſt. 19. q. 4. a. p. ad 2. vbi ait, quod vnum eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum à quocumque alio. Et iterum ibidem ait quod ipſa eſſentia entis creati ſecundum quod eſt indiuiſa in ſe, & diuiſa ab alijs eſt vnitas eius. Et in quolib. 10. q. 1. a. p. ad 3. ait quod eſſe indiuiſum, & vnum eſt quod ſit hoc, & non hoc. Et in p. p. q. 11. a. 2. ad 4. videtur admittere quod diuiſio ab alijs non ſequatur tanquàm effectus ad indiuiſionem in ſe, & à ſe dùm dicit quod primo apprehendimus ens, ſecundo diuiſionem, & tertio vnum. Ita D. Th. ſed quià Caietanus ſtat pro motiuis in primo loco adductis, & Reſpondet, vt videbimus infra motiuis nuper adductis. Ideò notat Caietanus pro primis motiuis.

Motiua D Th. pro diuiſione ab alio, quod ſit etiam ratio vnius.

Quo ad 1. Notat Caietanus, ſuppoſito id quod dixit ſupra in quo ſenſu diuiſio ſit prior vnitate, quod eſſe diuiſum ab alio poteſt intelligi dupliciter vno modo ab alio poſſibili; alio modo ab alio imaginabili. Primo modo ſumitur quando ſupponit pro diſtincta vnitate a prio i, ita vt Binarium cum ipſa conſtituat. Secundo modo ſumitur quoties per diuiſionem oppoſitam vnitati tranſcendenti, res ipſa concipitur, & non ipſa, ſicut ſi Antonius eſſet plures Antonij eſſet ipſe, & non ipſe, & conſequentèr alius à ſe imaginario quidem, non poſſibiliter. Vel iterum, proſequitur Caietanus ex Reſponſione ad ſecundum q. 11. art. 2. negatio diuiſio-

Notab Caiet. in quo oſtenditur quod eſſe diuiſum ab alio poteſt intelligi dupliciter.

Digitized by Google

nis à ſe, eſt qua aliquid à ſe non diuiditur quia non eſt aliud à ſe, quia eſt idem ſibi. Negatio verò diuiſionis in ſe, eſt quia non habet in ſe plura, quorum vnum non ſit aliud, ſicut lignum dicitur vnum, quia non eſt diuiſum in plura ligna; vel dicatur quod negatio diuiſionis à ſe eſt negatio entis impoſſibilis, quam contemplamur, ad exprimendam vnitatem. Et ſic in ſimplicibus quamuis ſit impoſſibilis diuiſio nec à ſe, nec in ſe, etiam has conſideramus negationes. Diuiſio verò ab alio, ſit aliud extremum vel exiſtens, vel non repugnans, vel imaginatum, vt ſit terminus à quo diuidatur, vel cum quo non identificatur. Ità Caiet. loc. cit.

Opinio Caiet. de Mente D. Th.

Quo ad 2. Concluſio ponitur vnica à Caiet. in qua oſtendit qualis ſit mens D. Thomæ circà rationem formalem vnius, vt eſt infrà in tertio loco, ſcilicet quod vnum addit ſolummodo ſuprà ens indiuiſionem in ſe, diuiſionem verò ab alio importare ſolummodo ſecundariò, & ex conſequenti. Et Caiet. reſpondet infrà auctoritatibus D. Th. in ſecundo loco adductis.

Concl. Caiet. vnica cum probatione primæ, & ſecundæ partis, ſcilicet quod diuiſio ab alio non conuenit per ſe primo;

Quo ad 3. Vnica Concluſio ponitur à Caiet. reſponſiua quæſiti ſic. Diuiſio ab alio actuali, vel ab alio poſſibili, ſeù imaginabili non ſpectat per ſe primò ad rationem formalem vnius, ſed ſolùm concomitantèr, & vt effectus.

Probatur prima pars à Caietano, & ſecunda ſimul ſub tali forma. Paſſio entis per ſe conuenit omni enti, ſed actualis diuiſio, ſeù diſtinctio ab alio non per ſe primo conuenit omni enti ergo &c. Probatur Minor, quià per accidens conuenit ex coexiſtentia aliorum vel actu, vel de poſſibili, quia antequam Creaturæ exiſterent, ait Caietanus, Deus erat perfectè, & completè vnus abſque hac negatione: ergo nec ab alio poſſibili, quæ eſt ſecunda pars, diuiſio conuenit per ſe primò vnitati; vndè ſi ex hypotheſi impoſſibili non poſſet dari vllum ens creatum, adhuc Deus eſſet vnus: ergo res eſt abſolutè vna, quamuis nulla alia ſit poſſibilis. Nec valet dicere quod data hypotheſi impoſſibilitatis Creaturarum, Deus non eſſet vnus, ſicuti modò eſt, ſed quaſi incompletè; non valet, inquam, quia vnitas tranſcendentalis ſequitur ad rationem entis vt ſic: ſed in Deo prior eſt ratio entis, quam ratio attributorum cauſalium, quo ad nos, & per conſequens poſſibilitas Creaturarum, quæ in illorum virtute continetur: ergo Deus intelligitur perfectè vnus tranſcendentaliter, antequàm intelligatur diuiſus ab aliquo ente poſſibili, & per conſequens iſta diuiſio ab alio actuali, ſeù poſſibili non eſt de intrinſeca ratione vnitatis tranſcendentalis.

Probatio Caiet. pro 3. p. Concl.

Probatur 3. pars à Caiet. ſic. Habitudo rei ad ſe ipſum prior eſt quacumque habitudine ad aliud: ſed diuiſio à ſe eſt habitudo ad ſe ipſum, diuiſio verò ab alio, eſt habitudo ad aliud: ergo hæc eſt poſterior illa: ergo in negatione diuiſionis à ſe cum poſſit denominare ſubiectum vnum, erit ſita ratio formalis conſtitutiua vnius, non autèm in negatione diuiſionis ab alio, quodcumque ſit illud, vel ab alio poſſibili, vel ab alio imaginabili. Ità Caiet. loc. cit.

Prob. Caiet. pro 4. p. Concl.

Probatur à Caietano quarta pars ſic. Quod eſt indiuiſum à ſe; neceſſe eſt vt ſit Indiuiſum ab alio: quod enim non eſt non ſe ipſum, neceſſariò non eſt aliud: quoniam ſicut ex ipſo, & non ipſo coniunctis ſequitur aliud, ità ex ipſo, & non ipſo neceſſariò ſequitur non aliud: ergo diuiſio ab alio; ſequitur ad indiuiſionem in ſe, & à ſe, ergo concomitanter ſpectat ad rationem formalem vnitatis; ergo ſola ratio formalis conſtitutiua vnius, ſeù vnitatis eſt indiuiſio in ſe, & à ſe; quod remanet ex antecedentibus probatum, & manifeſtatum. Ità Caiet. loc. cit.

Reſp. Caiet. pro auctoritatibus D. Th. adductis in ſecundo loco ſuprà.

Quo ad 4. Reſp. Caiet. auctoritatibus D. Thomæ in ſecundo loco in titulo adductis, & ad primam Reſp. Caiet. ex 1. ſent. deſumptam, quod cùm vnum, & aliquid ſemper ſimul reperiantur, ideò diuiſum à quocumque alio, ſe habet identi-

cè,

Digitized by Google

rè, & concomitantèr. Ad aliam auctoritatem ex eodem p. ſent. Reſp. Caiet. in ly diuiſa ab alijs eſt vnitas eius, quod ly aliud ſe habet contradictoriè pro non entes non verò contrariè. Ad aliam ex quolib. 10. circà definitionem vnius Reſp. Caiet. quod eſt deſcriptio vnius veluti per effectum ſubſequutum ad indiuiſionem in ſe ipſo: ſic ſe explicat D. Th. in q. 1. de Verit. a. 1. Et ad aliam ex quæſt. 11. Reſp. Caietanus, quod illud eſt in proceſſu cognitionis quo ad nos, & non ſecundum ſe. Ità Caiet. interpretatur mentem D. Thomæ.

Arguit 2. Caietanus contrà Concluſionem, ratione ſub tali forma. Ipſum & non ipſum eſt idem prorſus quod ipſum, & aliud à ſe: ſed vnitas conſiſtit in eo, vt ens quod dicitur vnum ſit ipſum, & non ipſum: ergo etiàm conſiſtit in eo, vt ſit ipſum, & non aliud à ſe: ergo diuiſio ab alio erit &c. *Arg. ex ratione contrà Concl. cum ſua Confirm.*

Confirmatur hæc ratio à Caiet. ſic. Aliud à ſe dicit Conceptum immediatè oppoſitum conceptui vnitatis: ergò vnitas dicit negationem diuiſionis ab alio à ſe formaliter, & non ſolùm concomitantèr. Patet antecedens: eſſe enim aliud à ſe, & non eſſe aliud à ſe immediatè opponuntur: ſed in hoc quod dicitur non eſſe aliud à ſe conſiſtit ratio vnitatis: ergo eſſe aliud à ſe dicit conceptum immediatè oppoſitum conceptui vnitatis. Conſequentia probatur, quia non poteſt eſſe formalis, & immediata oppoſitio intèr Conceptum formæ poſitiuæ, & conceptum alicuius negationis, niſi negatio formaliter, & per ſe tollat formam poſitiuam: ergo &c.

Reſp. Caietanus ad Argumentum quod omnis vnitas quæ fingitur eſſe eſt alia, & non alia, conſequenter eſt ipſa, & non ipſa: nihilominus tamèn hæc duo differunt formaliter, nàm hoc quod dico ipſum, & non ipſum conſiſtit in poſitione, & negatione ſui, hoc autèm ipſum, & non aliud à ſe conſiſtit in poſitione ſui, & alterius: conſtat autèm quod negatio ſui, & poſitio alterius ſunt rationes formales diuerſæ &c. *Reſp. Caiet. ad Argumentum.*

Ad Confirm. Reſp. Caietanus negando antecedens, ad probationem negatur Minor: quià in eo priori in quo concipitur res, & eius negatio concipitur diuiſio, abſq; eo quod concipiatur eius fundamentum; & conſequentèr antequàm res concipiatur non eſſe alia à ſe, poteſt concipi, imò de facto concipitur non eſſe non ſe ipſam, in qua ratio tantùm vnitatis conſiſtit. Hinc addit Caietanus in fine Comment. q. 11. p. p. in Reſp. ad 4. quod ſcilicet loquendo de eſſe ſimpliciter, quod eſt eſſe in rerum natura, diuiſio eſt poſterior vnitate ſimpliciter, vt dictum eſt in ſuperioribus lectionibus. Ità Caiet. in loc. cit. *Reſp. Caiet. ad Confirmat. Argumenti.*

Appendices ad Lectionem Septimam Metaphyſicalem in Tractatu de Proprietatibus entis.

IN iſta Controuerſia de formalitate conſtitutiua vnius, attendas ò Thomiſta, vniformitatem loquendi Caietani in interpretanda mente D. Thomæ, & euitanda ſunt æquiuoca Modernorum, qui putant ſe fundare nouas opiniones, & tamen ſunt erutæ ex antiqua Schola Metaphyſicorum, vt faciunt Fonſeca, Suarez diſp. 4. ſect. p. num. 17. cum alijs Modernis.

Ex Thomiſtis legas Sapientiſſimum Io: à S. Thoma noſtrum, qui ex profunda Metaphyſica in p. p. diſp. 11. a. p. difficultate 3. clarè probat ex D. Th. q. 1. de Verit. a. 1. quod diuiſio ab alio importatur in ratione vnius ſecundariò dumtaxat, & ex conſequenti, vt probat Caietanus ſupra in 4. p. Concluſionis ſuæ. Et Ioannem à S. Thoma defendit in ſua Metaphyſica Mag. Arnù in cap. 2. de Vno q. 4. art. 1. explicando cum Caietano etiàm quomodo vnum indiuiſionem, ſeù negatio-

nem

Digitized by Google

nem indiuiſionis importet. Et in art. 3. quærendo Arnù, Verum diuiſio ſit prior vnitate, ac multitudine, & de conceptu vnius, docet cum D. Th. & Caiet. p. p. q. 11. a. 2. ad 4. quod diuiſio equidem prior eſt vnitate ſecundum intellectus apprehenſionem, non tamèn ſimpliciter, & in num. 48. citat Suarezium diſp. 4. Met. negantem diuiſionem ab alio formaliter eſſe de ratione vnius, aut illi per ſe primò competere, ſed ſolum conſequenter, & citat Caiet. num. 49. & Capreolum in 2. ſent. diſt. 3. q. 1. & Soncinatem 7. Met. q. 34. & Nazarium, & alios Thomiſtas, quos vult ſuſtinere cum Caiet. quod diuiſio pro vt dicit negationem ſit de formali ratione, & conceptu vnius; vndè in num. 51. citat Caietanum p. p. q. 39. a. p. reſpondentem rationibus Suarezij. Multi verò Thomiſtæ explicant 4. partem Concluſionis Caiet. ſcilicet quod eſſe diſtinctum ab alio aptitudine, & fundamentaliter conuenit vtique omni enti, qua vnum eſt, non tamèn intrat formaliter rationem vnitatis, ſed conſequitur ad quantitatem, vt ſit fundamentum æqualitatis, vel inæqualitatis, quià cùm quolibet ente conſtat, quod poſſibilis eſt exiſtentia alterius, & per conſequens quodlibet vnum ens aptitudine, & fundamentaliter dicit diſtinctionem ab alio. Ità ſub diuerſis terminis, & diuerſo modo loquendi iſti Thomiſtæ explicant Caietanum. Et Magiſter Arnù recitat in fine art. 3. q. 4. de Vno Reſponſionem datam rationi Suarezij à Caietano in p. p. q. 39. a. 1. ſcilicet quod negatio, qua vnum ens non eſt aliud, puta qua Homo non eſt Bos, & eadem ratione negatio, qua hoc ens non eſt non ens, eſt negatio in actu exercito, & rebus ipſis abſque intellectus operatione competit; nam præciſa omni illius operatione competit homini non eſſe Bouem, & non eſſe Chymeram, aut non hominem; quamuis talis negatio ſecundum ſe nec ſit ens reale neque ens rationis; quatenus autèm ab intellectu formante propoſitionem negatiuam concipitur, induit rationem entis, & eſt ens rationis. Ità Magiſter Arnù. Legas etiam Magiſtrum Io: Martinez à Prado noſtrum in ſua p. p. Metaphyſicæ §. 3. controu. 9. vbi conciliat dicta Thomiſtarum facundiſſimè, quæ inter ſe videntur contraria doctrinæ Caietani; & reſpondet elegantiſſimè auctoritatibus in contrarium adductis Sanctiſſimi Præceptoris. Ex quibus omnibus conſtabit tibi legenti, quod Thomiſtæ ſub diuerſis terminis idem aſſerunt quod probat Caiet. in ſua Concluſione ſup à. Sunt alij relati à Io: Martinez de Prado, qui citant pro ſe Caiet. quaſi quod ipſe opinetur vnum non dicere indiuiſionem in ſe, ſed à ſe: ſed immeritò quia pro ratione formali conſtitutiua vnius ex parte Caietani quod ſit etiàm indiuiſio in ſe, & ab alijs citatur B. Alb. Magnus p. p. Theologiæ tract. 6. q. 24. memb. 2. (Heruæus, Ægidius, Capreolus, Picus Mirandulanus, qui volunt quod de mente D. Th. propter loca adducta in ſecundo loco quibus reſpondit Caiet. tenuerit eſſe de conceptu vnius primario diuiſionem etiàm ab alijs, ſed in Commentarijs ſuper Summam D. Thomæ, quidquid dicant iſti Metaphyſici, iam patet quod Caiet. tenet rationem formalem conſtitutiuam vnius, eſſe dumtaxat primò, & per ſe, indiuiſionem à ſe, & in ſe; diuiſionem verò ab alijs de Conceptu ſecundario, & ex conſequenti,

Digitized by Google

LECTIO VIII. METAPHYSICALIS

In Tractatu

DE PROPRIETATIBVS ENTIS.

Vtrùm Vnum, & multitudo numeralis ſint idem quod Vnum & multitudo tranſcendens.

Ex Caiet. in p. p. q. 30. a. 3. & alibi.

Declaratio Tituli facta à Caiet. ſimulque eius ſenſus.

QVærendo Sanctiſſimus Præceptor in p. p. q. 30. a. 3. An Termini numerales ponant aliquid in Diuinis, ait Caiet. aduerte Thomiſta, quod ibi ſunt multæ propoſitiones diſputabiles, ſcilicet prima quod numerus eſt vna certa ſpecies quantitatis; ſecunda quod non inuenitur niſi in rebus quantitatiuis; tertia quod vnum principium numeri eſt aliquod Accidens poſitiuum materiale. Sed quià iſtæ propoſitionis non ſunt præſentis negotij Metaphyſicalis, diſputatur ſolummodo in præſenti lectione vt tollatur omnis ambiguitas, quando eſt ſermo de vno quod eſt proprietas entis, & quod conuertitur cum ente An vnum, & multitudo materialis verè ponant aliquid reale ſuprà ens, vel potius ſint idem quod vnum, & multitudo tranſcendentalis, de quo iàm dictum eſt in ſuperioribus quid addant quando quæſitum eſt, quomodo vnum, & multa opponantur ſecundum quod veniunt in Diuinam prædicationem. Et non eſt ſenſus quæſiti an diſtinguantur vt duæ res, & vna non ſit altera, nec prædicetur de ea vt duæ ſpecies, & duo indiuidua eiuſdem ſpeciei, quia iam manifeſtè patet quod vnum tranſcendens, & vnum quod eſt principium numeri non diſtinguntur, ſed ſunt idem: quia licet vnum numerale non prædicetur ſaltèm directè de vno tranſcendenti, vnum tamen tranſcendens prædicatur directè de vno numerali: Vnum enim numerale eſt ens, & per conſequens tranſcendentèr vnum. Sed ſenſus Tituli eſt, an diſtinguantur ad modum duorum quæ comparata tertio ità ſe habeant, quod vnum nihil reale addat ſuper tertium, alterum autem addat aliquid reale, vt ſi Homo, & ſenſitiuum comparentur Animali, poſſit dici quod Homo diſtinguatur à ſenſitiuo, cum ſenſitiuum nihil reale addat ſuper Animal, Homo autem addat rationale. Stante hac declaratione, quærimus, ait Caietanus; vt ſuprà Vtrum Vnum &c. Ità Caietanus.

1. Notab Caiet. in quo declarauit duplicem eſſe vnitatem, & pluralitatem.

Quo ad 1. Notat Caietanus ex D. Th. in p. p. q. 30. p. p. art. 30. quod cum vnitas, & pluralitas ſit duplex materialis vna, & formalis altera. Materialis eſt ſpecies quantitatis diſcretæ, & accidit Corporibus ratione quantitatis, & eſt accidens poſitiuum illorum, & ſolummodo in Corporibus quantis reperitur, & ideò vocatur vnitas, vel pluralitas prædicamentalis. Vnitas autèm, ac multitudo forma-

lis

Digitized by Google

lis tranſcendit prædicamentum quantitatis, & vagat per omnia entia, & ideò vocatur vnitas, ac multitudo tranſcendentalis, & non ſolùm reperitur in ſubſtantijs quantitatis, ſed etiàm in rebus purè ſpiritualibus, nec eſt accidens poſitiuum illorum, ſed ſolùm addit indiuiſionem: Vnum enim eſt ens indiuiſum, & multum eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum ab alio. Et diuiſio, & vnitas, vel pluralitas ex diuiſione continui per ſe competit quantitati, & per aliud, ideſt ratione quantitatis competit ſubſtantiæ corporeæ, & ratione corporis competit materiæ primæ. Et quando ait D. Thom. quod diuiſio formalis fit per oppoſitas formas, per ly formas intelligit formalitates, naturas, ac eſſentias omnium entium, vt diximus in alio Tractatu ſuprà, ideſt eſt diuiſio formalis latiſſimè accepta, & diuiſio entitatiua, cuius formalitates vagantur per omnia entia, quia quodlibet ens habet ſuam formalitatem per quam in eſſe entis conſtituitur, quæ eſt vel oppoſita, vel diuerſa à formalitate alterius entis conſtitutiua. Ità Caiet. loc. cit.

Secundum Notabile Caietani, in quo explicatur ratio vnius numeralis, & quale ſit illud accidens quod addit.

Notat ſecundò Caietanus ex Commentatore in 4. Met. comm. 3. & lib. 10. comm. 5. dicente Vnum eſſe ſynonimum enti ſignificante ſubſtantiam rei, vnum tamèn principium numeri eſſe accidens, notat, inquàm, quòd ratio vnius numeralis communitèr tenetur quod dicatur poſitiua formalitèr, eo quòd addit ſuprà ens aliquod poſitiuum reale quod eſt accidens. Quale verò ſit accidens, aliqui tenent quod ſit illud eſſe, quod dat quantitas continua rei quantæ, puta ſi quæratur, quare lapis ſit vnus numeralitèr, dicitur quia habet eſſe quantitatiuum indiuiſum fluens à quantitate continua lapidis, ità quod tamdiù lapis erit vnus, quamdiù eſt indiuiſus, ſi enim quantitas lapidis diuidatur fit alterum, & alterum eſſe quantitatiuum, ex conſequenti fiunt duo lapides, & hoc videtur innuere D. Thom. in 1. ſent. diſt. 24. vbi improbando opinionem Auicennæ, quantùm ad hoc quod vnum numerale non diſtinguit ab vno tranſcendenti, admittit tamèn illam, quo ad hoc quod vnitas numeralis ſit eſſe quantitatis continuæ. Aliqui verò dicunt, quod vnum numerale eſt accidens, quod tamèn non eſt eſſe quantitatis continuæ, ſed eſt ipſa quantitas continua, putà vnitas lapidis eſt quantitas continua lapidis. Tenendum eſt igitur ſecundum mentem D. Thom. vt fatetur etiàm Capreolus in 1. ſent. diſt. 24. quæſt. 1. art. 1. in probatione primæ Concluſionis, quòd Vnum numerale addit aliquid poſitiuum, & eſt eſſe indiuiſum quantitatiuum, quod dat quantitas continua rei quantæ. Ità Caietanus.

Tertium Notabile Caiet. in quo ex D. Th. declaratur quo modo multitudo ſit quaſi genus numeri.

Notat tertiò Caietanus ex D. Thom. ſuper illa verba Ariſtotelis 10. Met. lect. 8. & 21. dicentis Multitudinem eſſe quaſi genus numeri, quod pluralitas, ſiue multitudo abſoluta, quæ opponitur vni, quod conuertitur cùm ente, dicitur quaſi genus numeri, quia numerus nihil aliud eſt, quàm pluralitas, & multitudo menſurabilis ab vno. Sic igitur vnum ſecundum quod dicitur ſimplicitèr ens indiuiſibile conuertitur cum ente; ſecundùm autèm quod accipit rationem menſuræ ſic determinatur ad aliquod genus quantitatis, in qua propriè inuenitur ratio menſuræ; & ſimilitèr pluralitas, vel multitudo ſecundum quod ſignificat entia indiuiſa non determinatur ad aliquod genus; ſecundùm autèm quod ſignificat aliquod menſuratum determinatur ad aliquod genus quantitatis, cuius ſpecies eſt numerus, & hoc contra Iandunum reprobantem hoc dictum D. Thom. de quo infrà in 4. loco. Ità Caietanus ex D. Thoma in locis citatis.

Opinio Pythagoræ recitatur à Caiet. & in quo

Quò ad ſecundùm. Caietanus ex D. Thom. in quæſt. 30. 1. p. art. 3. recitat opinionem Pythagoræ, qui non cognouit niſi numerum tranſcendentalem, & illum vocauit ſubſtantiam, ac eſſentiam, omnium rerum, vndè ſi in iſto numero,

ac

Digitized by Google

ac harmonia addatur aliquid eſſentiale, vel ab ipſo auferatur aliqua vnitas, mutatur ſtatim eſſantia rei. Ariſt. tamèn cum D. Thom. 1. Met. lect. 7. & 8. Met. tex. 10. concedit quidem Pythagoræ ſpecies rerum eſſe quidem ſimiles ſpeciebus numerorum, non autèm concedit eſſe numeros, quia non omne quod eſt ſimile ſimilitudine analoga, ac proportionali alicui, eſt illud. Auicennas autèm Tract. 3. cap. 6. non cognouit niſi numerum prædicamentalem, vndè apud ipſum non datur niſi vnitas, & multitudo, quæ eſt ſpecies quantitatis, contrà quem diſputat Auuerroes, & Ariſtoteles in 4. Met. Comm. 3. cum D. Thom. ibi lect. 1. Et Grægorius Ariminenſis in 1. ſent. diſt. 24. art. 3. vbi ex tribus propoſitionibus, hanc ſtatuit ad propoſitum, quod numerus, qui eſt ſpecies quantitatis diſcretæ inuenitur etiàm in abſtractis, & qui dicunt numerum non inueniri, niſi in rebus materialibus, & corporeis irrationabilitèr loquuntur, quia multò veriùs inuenitur in rebus ſpiritualibus. Ità Caietanus qui dicit ſtare contrà Gregorium Scholam Thomiſticam.

concordet, & diſſentiat Ariſtoteles.

Opinio Auicennæ explicatur à Caietano, & in quo illam improbet D. Thom. & Auuerroes, & Ariſtoteles.

Opinio igitur S. Thomæ, eiuſque mens, ait Caietanus in art. 3. quæſt. 30. cit. eſt quod ſicut vnum quod eſt principium numeri quantitatiui non inuenitur niſi in re quanta, ſic numerus quantitatiuus aggregatus ex vnitatibus numeralibus non inuenitur, niſi in rebus quantis, & corporeis, & quando de ſeparatis verificantur termini numerales, vt vna intelligentia, duæ, tres perſonæ Diuinæ verificatur de vno Tranſcendenti, & de multitudine tranſcendenti, & hoc contrà Gregorium. Et certè, addit Caietanus, ſi vnum numerale nil reale addit ſuper ens, ſicut non addit vnum tranſcendens, profectò ſunt idem, ſi autèm addit, certè non ſunt idem realitèr: diximus enim cùm D. Thom. in 2. & 3. adnotatione ſuprà, quod addit eſſe indiuiſum quantitatiuum contrà aliquos Thomiſtas, & hic numerus quantitatiuus, qui cauſatur ex diuiſione continui, & ſecundum Scholam Thomiſticam (contrà Gregorium) reperitur in ſolis materialibus, eſt in minùs, quàm multitudo, & ipſe eſt quaſi genus numeri ex 10. Met. tex. 21. Solus numerus vniuerſaliſſimè ſumptus ex D. Thom. qui prædicatur de numero formali, & eſſentiali, qui reperitur tàm in abſtractis, quàm in rebus materialibus non eſt minùs, quàm multitudo, imò eſt conuertibilis cùm multitudine, vt duæ intelligentiæ conueniunt in numero eſſentiali, & duæ quidditates materiales, vt humanitas, & equinitas conſtituunt binarium eſſentialem. Ità Caietanus ex D. Thom. loc. cit.

Opinio vera D. Thomæ, ſtabilitur à Caietano contrà Gregorium.

Quò ad tertiùm. Caietanus ponit hanc Concluſionem reſponſiuam quæſiti ſic. Vnum tranſcendens, & vnum numerale non ſunt idem, ſed diſtinguuntur.

Probatur à Caietano, ſuppoſita declaratione tituli ſuprà in quo ſenſu ſit ſumenda Concluſio ſub tali forma. Quod eſt determinati generis non eſt paſſio entis tranſcendentis, nàm paſſio eſt conuertibilis cùm ſubiecto, eò quòd fluit à principijs ſubiecti: Sed vnum numerale eſt determinati generis (reductiue tamen ad genus quantitatis, ſicuti & numerus quantitatiuus) ergò non eſt paſſio entis tranſcendentis. Minor conſtat, quia iàm declaratum eſt quale ſit illud vnum quod eſt paſſio tranſcendentis, in hoc quia æquale enti ſecundum prædicationem: ergò de primo ad vltimum vnum tranſcendens, & vnum numerale non ſunt idem. Ità Caietanus ex D. Thom.

Concluſ. Caiet. Reſponſiua quæſiti cum ſua probatione ſcilicet quod vnum tranſcendens, & numerale diſtinguuntur.

Corrolarium vnum deducitur quod eſt tale. Sicuti vnum quod eſt principium numeri quantitatiui non inuenitur niſi in re quanta, quia tale vnum vel eſt continuitas rei quantæ, vel eſt eſſe quantitatis continuæ quo res corporea eſt indiuiſa in ſe, & ſecundum aliquos Thomiſtas diuiſa ab alio; ità numerus quantitatiuus

Corrollarium probatum à Caiet. quod vnum numerale, & numerus

quantitatiuus non inuenitur niſi in rebus quantis, & corporeis.

aggregatus ex vnitatibus numeralibus non inuenitur niſi in rebus quantis, & corporeis. Fundamentum ſumitur ex D. Thom. 3. Phyſ. vbi docet ex Ariſtotele quantitatem diſcretam cauſari ex diuiſione continui, vbi ergò non eſt ratio cauſatiua numeri quantitatiui non eſt talis numerus. Conſtat autem quod in ſeparatis non eſt continuitas, vndè ſi in ipſis, eſt vnitas, & numerus, eſt ſolùm tranſcendens. Ità Caiet. ex D. Thom. quæſt. 30. art. 3. cit.

Secunda Concl. Caiet. cum ſua probatione, ſcilicèt vnum numerale, & numerus addens aliquid ſcilicèt accidens.

Secunda Concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. quæſt. 30. art. 3. & alibi. Numerus, qui eſt ſpecies quantitatis ponit quoddam accidens additum ſuprà res: ſicuti & vnum quod eſt principium numeri. Et iſtud accidens eſt eſſe indiuiſum quantitatis continuæ.

Prima pars Probatur à Caietano ſub tali forma. Numerus quantitatiuus ſuprà res quantas ponit quantitatem, & vnum, quod eſt principium numeri eſt quantitas indiuiſa à ſe, & etiàm ſecundum aliquos Thomiſtas diuiſa ab omni alia quantitate quantitatiuè; ſed quantitas, ſicuti & omne accidens vniuerſalitèr realitèr diſtinguitur à ſubſtantia ex 1. Phyſ. tex. 16. & vnitas prædicamentalis eſt ipſa quantitas indiuiſa in ſe, & diuiſa ab alia: ergò numerus quantitatiuus ponit accidens, ideſt quantitatem ſuprà res quantas, & ſic vnum ponit aliquid reale in ſubiecto. Maior conſtat quia continet duas negationes, vna quæ vocatur indiuiſio in ſe, quæ negatio eſt per intellectum, quia extrema realitèr ſunt vnum; ideſt eadem numero quantitas; & alia quæ vocatur diuiſio, hoc tamèn nomen diuiſio non ſignificat aliquid poſitiuum, ſed negatiuum, quod ſcilicèt res vna non ſit alia, ſed ſit realitèr diſtincta ab alia, quæ negatio vocatur negatio realis, quia eſt intèr duo extrema realitèr diſtincta, quorum vnum non eſt realitèr aliud, ſed eſt res realis ab alia re reali realitèr diſtincta. Minor ſuadetur quia eſt ens in illa, & non eſt ens per ſe ſubſiſtens ſinè illa, neque eſt illa, ſecus non accideret illi. Ità Caietanus.

Probatio ſecundæ partis facta à Caietano, ſcilicèt quod accidens illud additum eſt eſſe indiuiſum quantitatis continuæ.

Probatur ſecunda pars à Caietano ſub tali forma ſic. Nullum ex natura ſua diuiſibile, & cui repugnat indiuiſibilitas poteſt habere rationem vnitatis: ſed quantitas continua eſt diuiſibilis etiàm in infinitum, ità quòd repugnat deuenire ad indiuiſibilia ex 3. Phyſ. tex. 108 ergò iſtud accidens, quod addit vnum non eſt eſſe quantitatis continuæ, ſed erit eſſe indiuiſum quantitatiuum. Maior conſtat ex diffinitione ſua, Vnum enim eſt quod non diuiditur: ergò vnitas in quantùm vnitas eſt indiuiſibilis, & omne vnum in quantùm vnum eſt indiuiſibile ex 3. Phyſ. lect. 12. tex. 68. Impoſſibile enim eſt, ait Ariſtoteles, vt in quantùm vnitas formalitèr, & reduplicatiuè diuidatur.

Nec valet dicere, quòd Maior concedenda eſt de quantitate, vt habet partem extrà partem, vt ſic enim eſt extenſa, & diuiſibilis, & vt ſic non poteſt habere rationem vnitatis, non verò concedenda eſt de quantitate vt eſt indiuiſa in ſe, & diuiſa à quolibet alio, quia ſic poteſt habere rationem vnitatis, loquendo ſcilicèt de vnitate prædicamenti, quòd non in quantùm vnitas, ſed in quàntùm multiplex in potentia eſt diuiſibilis, & ſic poteſt ſuſtineri vt vera alia opinio aliorum Thomiſtarum, ſcilicèt quod illud accidens additum, ſcilicèt illud eſſe quod addit vnum principium numeri, ſeù vnitas prædicamentalis eſt eſſe quantitatis continuæ.

Soluuntur à Caiet. aliorũ Thomiſtarũ inſtantiæ cõtrà rationem ſecũdæ partis.

Hoc, inquàm, non obſtat, primò quia ſic diſtinguere de quantitate eſt nihil dicere, ſed eſt multiplicare verba, cùm in præſenti lectione controuertatur de illo accidente; quod addit vnitas prædicamentalis in re ſuprà rem; nobis de mente D. Thom. ſatiùs eſt dicere, quòd eſt indiuiſum quantitatiuum, quod dat quantitas

titas continua rei quantæ, & quod vnitas lapidis, non eſt ipſa quantitas continua lapidis. Et quod non valeat illa conſideratio probatur, quia quod conuenit alicui ex ſua ratione formali, & ex ſuo eſſe quidditatiuo, quocumque modo conſideretur ſemper conuenit ei: prædicata enim quidditatiua ſunt inſeparabilia, & ſecundum eſſe, & ſecundum cognitionem: ſed habere partem extrà partem, & eſſe diuiſibilem conuenit quantitati continuæ ex ſua ratione formali, & quidditatiua ex 6. Phyſ. tex. 3. vbi Philoſophus diffiniens continuum eſt diuiſibile ſemper in continua, & nullum continuum eſt diuiſibile in impartibilia: ergò quantitas continua, quocumque modo conſideretur non poteſt habere rationem vnitatis, & per conſequens ſtat firmum, quod accidens additum eſt illud eſſe indiuiſum, &c.Ità Caietanus loc. cit.

Tertia Concluſ. Caiet. ex D. Thom. cum probatione 1. partis, ſcilicèt quod numerus vniuerſaliter ſumptus conuertitur cum multitudine.

Tertia Concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. ſic. Numerus vniuerſaliſſimè ſumptus eſt conuertibilis cum multitudine; Quantitatiuus verò in minus ſe habet, quàm multitudo, quæ quaſi genus poteſt dici numeri.

Probatur prima pars à Caietano ſic. Cùm non detur multitudo infinita actu, ſicuti numerus vniuerſaliſſimè ſumptus menſuratur vnitate, & conſtituitur aggregatione vnitatum, ſic pariformitèr omnis multitudo ſiuè tranſcendens, ſiue numeralis ſe habet: ergò &c. in lib. 8. Met. dicitur, quod ſicut proprietates numerales, paritas, & imparitas ſunt tot, & tot; ità attribui poſſunt multitudini tranſcendenti, & numero eſſentiali, ſicut multitudini, & numero quantitatiuo. Et quando Ariſt. dixit multitudinem eſſe quaſi genus numeri non intelligit de multitudine, & numero tranſcendenti, quem appellamus numerum eſſentialem ſeù formarum, ideſt formalitatum, vel oppoſitarum, vel diuerſarum.

Probatio ſecundæ partis facta à Caiet. ſcilicet quod numerus quantitatiuus in minus ſe habet, quàm multitudo, & quod hæc eſt quaſi genus numeri.

Secunda pars probatur ſic à Caietano. Sicuti ſe habet vnum tranſcendens ad vnum numerale, ſic multitudo tranſcendens ad numerum quantitatiuum, iuxtà illud: Sicut principium ad principium, ſic principiatum ad principiatum: ſed conſtat, quod vnum tranſcendens eſt in plus, & magis commune, quàm vnum numerale: ergò & multitudo tranſcendens eſt in plus, quàm numerus quantitatiuus: Minor declaratur, quia tranſcendens conuertitur cum ente, & circumdat omne prædicamentum, & verificatur de qualibet eſſentia, & formalitate, tàm abſtracta, quam materiali; vnum verò numerale arctatur reductiuè ad prædicamentum quantitatis: ergò pariformitèr ſicut vnum tranſcendens circumdat omne prædicamentum, & verificatur in abſtractis, & materialibus, numerus verò quantitatiuus reſtringitur ad prædicamentum quantitatis, cùm ſit quantitas diſcreta, & non verificatur niſi de rebus quantitatis; & cùm ſit plus in ſenſu declarato, ideò dicitur à Philoſopho in 10. Met. tex. 21. quod eſt quaſi genus numeri, & notantèr dicit quaſi genus, quoniam ſicut ens non eſt genus, vt diximus, ſic nec vnum tranſcendens, nec multitudo tranſcendens, alitèr prima cauſa eſſet in genere: Omne enim magis commune poteſt dici largo modo genus. Ità Caietanus ex D. Thom. loc. cit.

Arg. Caiet. contrà 1. Concluſ. probans quod vnum numerale, & tranſcendens addant aliquid, ſcilicèt accidens cum ſua Reſponſione.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus contrà primam Concluſionem ſic. Vnum numerale, & vnum tranſcendens per multiplicationem conſtituunt numerum, qui eſt accidens: ergò ambo ſignificant accidens. Antecedens probatur, ſicuti vnum numerale conſtituit binarium per bis, ita vnum tranſcendens.

Reſp. Caietanus quod eſto vtrumque ſit conſtitutiuum numeri, non tamèn eiuſdem generis: diximus enim quod ſicuti duplex eſt vnum, ità duplex eſt numerus: tranſcendens, qui dicitur formalis, vel formalitatum, & non eſt Accidens, ſed abſtrahit à ſubſtantia, & accidente ſicuti ens, & numerus quantitati-

uus, qui conſtituitur ex vnitatibus quantitatiuis, & eſt accidens de prædicamento quantitatis, & non inuenitur niſi in rebus quantis, eo quod cauſatur ex diuiſione Continui ex 3. Phyſ. Hinc Commentator dixit Comm. 3. quod Auicenna deceptus eſt, quoniam opinatus eſt omnem numerum eſſe accidens, & per conſequens omnem vnitatem, quia exiſtimauit quod illud vnum, quod de omnibus prædicamentis dicitur, ſit illud vnum quod eſt principium numerorum, & ſic opinatus eſt, quod vnum ſignificat accidens.

Inſtantia Caiet. contrà Reſponſ.

Inſtat Caietanus contrà hanc Reſponſionem ex D. Thom. 4. Met. lect. 2. Vnum quod eſt principium numeri addit ſuper ſubſtantiam rationem menſuræ, quæ eſt propria paſſio quantitatis, quæ primò inuenitur in vnitate, & dicitur per priuationẽ, & negationem diuiſionis ſecundùm quantitatem continuam: ergò ſecundum D. Tho. Vnum numerale, & tranſcendens addit accidens, ergò Auicenna non improbatur, ſed defenditur à D. Thoma.

Reſp. Caietanus, non eſſe inconueniens, quod addat vtrumque, ſed ſub diuerſa ratione, nàm addit eſſe indiuiſum quantitatis continuæ, vt prædicatum eſſentiale de vno numerali, quod quidem non admittit Auicenna; Addit etiàm menſuram, vt proprietatem conſequentem, & fluentem à prædicato eſſentiali; nàm ex hoc quod dicit indiuiſum, dicit conſequenter rationem menſuræ, quoniam ex 10. Met. tex. 3. neceſſe eſt eſſe menſuram indiuiſibilem, aut à natura; aut ex inſtitutione humana; & ideò primò conuenit vni. D. Thomas ergò improbat Auicennam, non quod dicat hoc ſecundum, ſed quia hoc ſolum admittit pro ſolo conſtitutiuo vnius, & multitudinis, de ſpecie quantitatis. Ità Caiet.

Inſtantia contrà Reſponſionem,

Inſtat Caietanus contrà Reſponſionem D. Thom. ex Iandunoſic. Vnum & multa vt habent rationem menſuræ, & menſurati ſunt in prædicamento Relationis: ergò non determinantur vt ſic ad genus quantitatis: patet illa conſequentia, quia cum prædicamenta ſint impermixta, idem ſub eadem ratione non poteſt eſſe in duobus prædicamentis. Antecedens probatur, quia differentia relationis non trahit aliquid cui adiungitur extrà prædicamentum Relationis, nàm differentia eſt in eodem Prædicamento cum eo, cui adiungitur, ſicut rationale, & Animal determinatum per rationale ſunt in prædicamento ſubſtantiæ: ſed menſura, & menſuratum ſunt differentiæ relationis: conſtituunt enim tertium modum relatiuorum, vt dicitur in 5. Met. ergò vnum, & multa vt ſtant ſub ratione menſuræ, & menſurati non determinantur ad aliud genus, quàm ad genus Relationis.

Reſponſio Caiet. ad ſecundam inſtantiam.

Reſp. Caietanus, quod Iandunus non penetrauit ſenſum D. Thomæ. In tota Doctrina D. Thom. vbicumque inueſtigat de oppoſitione intèr vnum, & multa ſemper ait, quòd vnum vt menſura, multa vt menſurata opponuntur ex conſequenti relatiuè, & pro vt ſtant ſub tali reſpectu ſunt in prædicamento Relationis. Ità in 1. ſent. diſt. 24. quæſt. 1. art. 3. ad 4. Si enim diceret, quod vt ſtant ſub tali reſpectu non ſunt in prædicamento Relationis, ſed quantitatis certè contradiceret ſibi. Intelligenda eſt igitur illa Reſponſio D. Thom. quo ad fundamentum, & non quo ad ſuum formale. Illud igitur quod eſt vnum cui attribuitur ratio menſuræ eſt res de genere quantitatis, ſicuti & id quod eſt multa cui attribuitur ratio menſurati. Cæterùm vt ſtant ſub tali reſpectu menſuræ, & menſurati ſunt in genere relationis. Pater, & Filius quantùm ad id quod ſunt, ſunt in genere ſubſtantiæ, in reſpectu autèm Paternitatis, & Filiationis, ſunt in genere Relatiuorum. Aliæ inſtantiæ afferuntur à Ianduno, ſuſtinente Auicennam contrà dicta D. Thom. in 1. p. qu. 30. art. 3. Sed quia ſunt apparentes, omittuntur. Ità Caietanus loc. cit.

Arguit

Digitized by Google

Argum. Caiet. contrà ſecundam partem ſecundæ Concluſionis.

Arguit Caietanus contrà ſecundam partem Concluſionis ſecundæ probando ſic; quod illud Accidens quod addit vnum, & numerus ſuprà res, non ſit eſſe indiuiſum quantitatis continuæ. Si indiuiſio eſt de ratione formali, tàm vnius numeralis, quàm vnius tranſcendentis: ergò cum indiuiſio ſit negatio, & non quid poſitiuum, ſic pariſormitèr ratio vnius numeralis erit formalitèr negatiua, vt eſt ratio vnius Tranſcendentis, cui oppoſitum determinauimus ſuprà: ergò, &c.

Reſponſio Caiet. ad Argumentum.

Reſp. Caietanus, quod ratio vnius numeralis non dicitur poſitiua formalitèr; quaſi nullam includens negationem: hoc enim conſtat eſſe falſum, cum toties dictum ſit à nobis cum D. Thoma, quod de ratione ſua eſt indiuiſio: quod enim non eſt indiuiſum, non eſt vnum; ſed ideò dicitur poſitiua formalitèr, quia id quod addit eſt verè poſitiuum, quale eſt eſſe indiuiſum quantitatis continuæ. Id autèm quod addit vnum tranſcendens eſt ſola indiuiſio, & ideò in rei veritate dicimus, quod ratio vnius tranſcendentalis eſt formalitèr negatiua, & quod ratio vnius numeralis eſt formalitèr poſitiua, quia additum eſt poſitiuum, licèt concipiatur cùm negatione: Apprehendimus enim ſimplicia per negationem. Ità Caietanus ex D. Thom.

Argum. Caiet. contrà Corrollariū primæ Concluſ.

Arguit Caietanus contrà Corrollarium deductum ex prima Concluſione, ex Gregorio Ariminenſi ſub tali forma. Interroganti de aliqua multitudine abſtractorum, quot ſunt, ità benè Reſp. quod ſunt tria, vel ſex, ſicut interroganti de lapidibus quot ſunt, tres vel ſex æque benè reſpondemus: ergò ille numerus qui verificatur de lapidibus, qui eſt ſpecies quantitatis diſcretæ verificatur æquè benè, imò melius de abſtractis.

Reſponſio Caiet. ad Argumentum contrà Corrollarium.

Reſp. Caietanus ex D. Thoma, diſtinguendo vnitas, & multitudo numeralis reperitur in ſeparatis, vt ſunt ſpecies quantitatis, & tot & quot propriè ſumpta, vt ſunt interrogatiua de prædicamento quantitatis, negatur: talia enim interrogatiua non excedunt ambitum ſui generis, ſcilicèt quantitatis, quæ non reperitur in abſtractis, & ſeparatis, cum quantitas ſit diſpoſitio materiæ; ſi autèm ſumantur generalitèr, pro vt interrogant de multitudine, ſiuè ſit de genere quantitatis, ſiuè tranſcendenti, conceditur antecedens, & negatur conſequentia. Tales igitur Paſſiones, pro vt important relationem fundatam in quantitate non verificantur de abſtractis, vel ſi verificantur de eis non conueniunt ipſis, prout Ternarius, & Senarius numerus ſunt ſpecies numeri quantitatis, ſed vt ſunt ſpecies multitudinis tranſcendentis, ſicuti & paſſiones iſtæ imparitas, primitas &c. Ità Caietanus loc. cit.

Appendices ad Lectionem 8. Metaphyſicalem in Tractatu 6. de Proprietatibus Entis.

MAgiſter Ripa in ſuo art. 7. quæſt. 4. ſuper cap. 2. de ente, & eſſentia pag. mihi 298. defendit diffinitionem Ariſt. datam de vno numerali, quod abſolutè non extendatur ad vnum in ſeparatis. Et Marcus Ferro Venetus in tract. de Trin. quæſt. 30. 1. p. art. 3. formalizat textum D. Thomæ, & Caietani, quantùm ad hoc quod Termini numerales ſecundum quod veniunt in prædicationem Diuinam debent ſumi à multitudine ſecundum quod eſt tranſcendens, & quod numerus, qui eſt ſpecies quantitatis, & qui reperitur in ſolis rebus quantis, & non in ſeparatis ponit quoddam accidens, & addit ſuprà res, ſicuti etiàm vnum quod eſt principium numeri. Et Iauellus noſter conformitèr loquitur

Digitized by Google

quitur in ſua Metaphyſica cum D. Thom. & Caietano, vt in 4. Met. quæſt. 7. & 8. quærendo an vnum, & multitudo numeralis ſint idem cum vno tranſcendenti & an dicant rationem formalitèr poſitiuam, vel negatiuam, & contrà Gregorium in 8. Met. quæſt. 11. diſputat quærendo, an numerus quantitatiuus reperiatur etiàm in abſtractis, concludendo cum Caietano, quod omnis numerus quantitatiuus, & hic ſolus, cauſatur ex diuiſione continui, & quomodò etiàm cauſatur in materia Corporum Cæleſtium. Et tamdèm in 10. Met. quæſt. 15. quærendo, quomodò multitudo ſit quaſi genus numeri, ſecundum doctrinam Caietani reſoluit.

Moderni verò Thomiſtæ, ſed pauci certè non viderunt D. Thomam, nec Caienum, nec Iauellum, dicendo, quod vnum tranſcendentale non differt ſecundum rem, ſed tantùm ſecundum rationem ab vno prædicamentali. In citandis verò alijs in ordine ad additionem quàm facit vnitas prædicamentalis ſuprà ens, pro affirmatiua citant Auicennam in 3. Met. cap. 2. & Scotum cum ſua Schola in 2. ſent. diſt. 3. quæſt. 2. Scilicèt quod tàm prædicamentalis, quàm tranſcendentalis addat. Pro negatiua quod vtraque vnitas nihil addat citant Pythagoram, Platonem, Durandum, Suarezium diſp. 4. ſect. 4. & Fonſecam in 5. Met. cap. 12. quæſt. 3. Ex noſtra Scola citant Sotum, Lermam lib. 2. log. quæſt. 13. Quod verò ſola vnitas prædicamentalis, & non tranſcendentalis addat aliquid citant Capreolum in 1. ſent. diſt. 24. quæſt. vnica, Soncinatem, Iauellum, Maſium, Arauium 5. Met. quæſt. 3. art. 3. Complutenſes diſp. 13. logic. quæſt. 6. Et noſtrum Sanchez lib. 5. log. quæſt. 21.

Magiſter Arnù pro plena notitia iſtius Controuerſiæ admonet legendum eſſe D. Thomam lib. 5. Met, lect. 7. & Tabulam auream, Verbo, Vnum, ſeù Vnitas.

IE

Digitized by Google

LECTIO IX. METAPHYSICALIS

In Tractatu ſexto

DE PROPRIETATIBVS ENTIS.

Vtrùm Diſtinctio formalis, ſeù diſtinctio ex natura rei formalis ſit in via D. Thomæ admittenda, & in gradibus Metaphyſicis, & in Diuinis.

Ex Caietano in cap. 6. de ente, & eſſentia quaſt. 12. & alibi pluribus in locis in Commentarÿs p. p.

Declaratio Tituli, eiuſque ſenſus facta à Caietano.

CVM Diuiſio opponatur Vnitati, ait Caietanus, & diſtinctio opponatur identitati: Vnum enim eſt idem ſibi ipſi, & de formali importat negationem identitatis, & diſtinctio nil aliud ſit, quàm negatio, ſeù carentia identitatis inter duo extrema, declarata ratione formali vnius, ſeù vnitatis, dicendum eſt in præſenti Lectione de eius oppoſito, ſcilicèt de diſtinctione. Et ſuppoſita prima diuiſione diſtinctionis in realem, & rationis, & quod realis ſit mutua negatio identitatis realis, ſeù à partes rei intèr aliqua, v. g. intèr Albedinem, & Nigredinem, quæ eſt duplex realis formalis ſi fiat ſecundum formas, ſeù rationes formales rerum, & aliquando vocatur realis entitatiua ſi fiat ſecundum entitates; & ſuppoſito etiàm quod diſtinctio rationis ſit duplex, ſcilicet rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ, controuertendum eſt cum Scoto, & ſuis aſſeclis, abſtrahendo ſemper à diſtinctione reali actuali in Trinitate perſonarum, an D. Thomas etiàm in Diuinis metaphyſicè ex puris naturalibus procedendo, nedum in gradibus Metaphyſicis, vtatur aliquando diſtinctione formali, ſeù ex natura rei intèr attributa Diuina, v. g. Scotus vult quod intèr Bonitatem, & Sapientiam ſit diſtinctio formalis, quæ innaſcitur ex formis, ſeù ex rationibus formalibus, à quibus nomen ſortitur, & dicitur à Scoto ex natura rei, quia in re ipſa ſimpliciſſima, obiectiuè loquendo, ratio vnius non eſt ratio alterius, quia vt ſapientia non ſit formalitèr Bona non proficiſcitur ex aliqua alicuius intellectus actione, ſed ex natura rei; & ſic cum etiàm Scotus admittat cum D. Thoma non eſſe intèr attributa diſtinctionem realem (quoniam ſcit vtique Scotus, quod ſapientia in Diuinis eſt ipſamet res, quæ eſt Bonitas) in declarandis rationibus formalibus attributorum, vt graduum in Metaphyſicis, adhibeat modum loquendi, & diſtinguendi vt ſuprà, ex parte noſtri intellectus, vel potiùs cum ſua Schola noſter Sanctiſſimus Præceptor alienus ab illa diſtinctione ex natura rei formali, edoceat quod tota illa diſtinctio, quàm intellectus noſter dat attributis Diuinis, vocanda ſit diſtinctio rationis, quæ

in ſe

Digitized by Google

in ſe habet latitudinem, & dicatur diſtinctio rationis ratiocinatæ, vel ſecundum intelligentiæ rationem, & nequaquam diſtinctio ex natura rei, quæ certè vt videbimus eſt maior ipſa diſtinctione rationis ratiocinatæ. Ità declarat Titulum, & non alitèr Caietanus in loc. cit. & vbique locorum vbi D. Thom. agit de hac re.

Primum Notabile Caiet. in quo oſtenditur in via D. Thom radix diſtinctionis rationis ratiocinatæ intèr Genus, & differentiam.

Quò ad primùm. Caietanus notat radicem diſtinctionis rationis ratiocinatæ in via D. Thomæ hoc modo. Illa igitur realitèr diſtinguuntur, explicauimus in titulo, quæ ſi ſpectentur in ſe ipſis, vnum non eſt aliud; ſi autèm vnum eſt aliud, ſaltèm addit aliud quid reale, vel quandam realitatem, vndè ab aliquibus noſtris vocatur aliquando diſtinctio realis formalis, vel realis modalis. Illa verò diſtinguuntur ratione, quarum diſtinctio eis ſolùm competit, quatenùs ab intellectu conſiderantur, & obiectiuè in ipſo ſunt, vndè opere intellectus ceſſante nulla eſt in illis diſtinctio; hinc applicando diſtinctionem alteri horum Metaphyſicè vænamur vtrobique rationem huius diſtinctionis, & dicimus primò, quod iſta diſtinctio rationis poſita intèr genus, & differentiam, non eſt vana, & fictitia; ſed fundamentum habet in re ipſa, vt ſcilicèt verè poſſit quo ad vnum reſpectum concipi ſub ratione potentiæ, & cuiuſdam indeterminati; & penès alium reſpectum, ſub ratione actus, & cuiuſdam determinati. Et ſic ſecundum viam D. Thomæ ab eadem forma in compoſito (quæ forma vnica iuxtà principia D Thomæ eſt tenenda) tenemus diſtinctionem, & in hoc improbamus Scotum qui vænatur diſtinctionem rationis intèr genus, & differentiam ex varijs realitatibus, vel ex varijs rebus, vel formalitatibus diſtinctis. Et intèr gradus Metaphyſicos, & attributa Diuina ponimus differentiam diſtinctionis rationis, quod licèt vtraque fundamentum habeat in re, ac proindè vtrobique vocanda ſit diſtinctio rationis ratiocinatæ, in Diuinis tamèn conſurgit ex imperfectione intellectus, qui nequit ex re ipſa attributum aliquod, quantùm de ſe fuerit penetrabile, penetrare. In Gradibus autèm enaſcitur ex ipſa re, ſuprà quam intuens intellectus noſter rem Generis, & rem Differentiæ intuebitur ſemper conceptum vnius, non eſſe conceptum alterius, & ità & non alitèr conceptus generis per intellectum erit diſtinctus à conceptus differentiæ, & è contrà. In voce etiàm deprehenditur aliquod diſcrimen, & in attributis, & in gradibus, quæ licèt vtraque non ſit nominanda realis, quia tamèn maior eſt diſtinctio in gradibus, propterea poteſt vocari à Thomiſta formalis, non ex parte naturæ rei, ſed ex parte Conceptus, & ſic dicimus, non quod in illa ſit alia realitas generis, & quod in illa ſit alia realitas differentiæ, ſed dicimus quod ex parte ipſius rei alius ſit conceptus formalis illius, & alius iſtius. Cum D. Thoma igitur poſſumus dicere quod hæc diſtinctio non eſt in actu niſi per opus intellectus: certum enim eſt quod omnis diſtinctio non realis pendet ab intellectu, & per ipſum completur, ſed quia Aduerſarij volunt quod nullo intellectu conſiderante adſit talis diſtinctio, & ideò ab ipſis vocatur formalis ex natura rei; nos ideò dicimus cum D. Thom. quod hæc diſtinctio radicalitèr, & fundamentalitèr eſt in re, quam complet, & perficit intellectus, alias commentitia eſſet, & non conſtituimus illam intèr rem generis, & rem differentiæ, nec intèr realitates eiuſdem rei, alias eſſet realis omninò; ſed conſtituimus illam intèr varios eiuſdem rei conceptus, & ſic ab aliquibus Thomiſtis vocatur formalis, non denotando rem, ſed conceptus ipſius rei. Ita Caietanus in cap. 3. de ente, & eſſentia, & alibi, &c.

Diſcrimen aſſignatum à Caietano inter diſtinctionem rationis ratio. inatæ conſideratam in attributis Diuinis & in gradibus Metaphyſicis.

Notabile ſecundum Caiet in quo explicat ex D. Th.

Notat ſecundò Caietanus ex D. Thom. varijs in locis modum explicandi iſtam diſtinctionem rationis ratiocinatæ, ſcilicèt ex 1. p. quæſt. 13. art. 4. & ex quæſt 7. de potentia art. 1. & 6. & ex 1. cont. gent. & ex quæſt. 39. art. 1. in 1. p. ait enim

Caieta-

Digitized by Google

Caietanus, ex radice iſtius diſtinctionis rationis actualis in Deo, quàm aliqui Thomiſtæ vocant diſtinctionem fundamentalitèr, & virtualitèr, nos iure meritò vocamus formalem, non formalitèr, aut actualitèr, ſed eminentèr, & virtualitèr, quia nimirùm id totum efficit, ac præſtat ob ſuam eminentiam quod efficeret ac præſtaret, ac ſi eſſet formalis formalitèr, v. g. Sol dicitur calidus eminentèr, & virtualitèr, quoniam omne id agit, ac ſi eſſet formalitèr calidus. Diuerſitas igitur horum conceptuum prouenit ex duplici capite, ex eminentia ſcilicèt Diuinæ eſſentiæ, & ex noſtri intellectus tenuitate, vt dicit D. Thom. in 1. ſent. diſt. 2. quæſt. 1. art. 3. Intellectus quippè creatus, vt maximè elongatus ab illa ſumma Dei vnitate, adeò dearticulatè intelligit illa attributa, quæ ſunt in ſe realitèr vna res ſimpliciſſima, & infinita, vt mille conceptus, ſicuti humanus, formet, & ſub ea ratione qua illis poteſt reſpondere eoſdemque terminare, ponitur in ipſis virtualis diſtinctio relatione ad intellectum, & quando Deus conſideratur prout actu terminat illos formales conceptus, actualis in eodem conſtituitur diſtinctio rationis; vndè caue tu Thomiſta, ait Caietanus in 1. p. quæſt. 13. art. 4. ad 3. dicere quod Deus ſit ſubiectum horum conceptuum, quia eſto poſſit dici, vt terminat illos, multiplex ratione, non tamèn poteſt dici multiplex ſubiectiuè, cùm vnicus ſit in Diuino intellectu Conceptus, quo ſe, & alia nouit: benè tamèn poteſt dici multiplex ratione obiectiuè, quoniam ipſe eſt obiectum omnium conceptuum, qui de ipſo à nobis formantur, eoſdemque omnes terminans: ſicuti enim quando intueor lapidem, hic intuitus non eſt in lapide ſubiectiuè, ſed ſolùm obiectiuè, ac terminatiuè, in oculo autèm meo eſt tanquàm in ſubiecto; ita dùm varios noſter intellectus de perfectionibus Diuinis format conceptus, hi conceptus ſunt in noſtro intellectu, tanquàm in ſubiecto, in Deo autèm tanquàm in obiecto, & termino; hinc S. Doctor pulchrè dixit in 1. ſent. diſt. 2. quæſt. 1. art. 3. ad 5. quod rationes intellectus habent firmitatem ſui eſſe ab intellectu, veluti & alia accidentia à ſuis ſubiectis; firmitatem autèm ſuæ veritatis ex re, cui conformantur: quo circà rationes attributorum fundantur in intellectu, quo ad ſuum eſſe: in eſſentia verò Diuina ſunt quo ad firmitatem ſuæ veritatis; reſpondet enim Deus his Conceptibus, faciens eos veros; hoc idem etiàm docuit S. Doctor quæſt. 7. de potentia art. 6. propè finem. Et ſicut Spiritus Sanctus, Theologicè loquendo, dicitur multiplex, & ſeptiformis non in ſe, ſed extrinſecè ob multiplices eius effectus, ſic colligas ex hoc, ait Capreolus in 1. ſent. diſt. 2. quæſt. 3. art. 3. ad 2. Aureoli, nullam nos ponere in Deo compoſitionem, ex hoc quod ſit mille & mille noſtrorum conceptuum obiectum, fundamentum, ac terminus. Quid verò in re reſpondeat his noſtris Conceptibus, & eorumdem pluralitati Caietanus in ſequenti adnotatione explicat.

diſtinctionem rationis ratiocinatæ in Deo per noſtrum intellectum actu poſita,

Quod illa res infinita eminentiſſimè vna omninò poſſit dici multiplex ratione non ſubiectiuè, ſed obiectiuè explicatur à Caiet. ex D. Thom.

Notat igitur Caietanus tertiò in quæſt. 12. ſuper caput ſextum de ente, & eſſentia, & alibi in 1. p. quod ſententia S. Thomæ conſiſtit in tribus propoſitionibus. Prima. In Deo ſecundum ſe nulla eſt diſtinctio actualitèr, & ly ſecundum ſe denotat rationem formalem eſſentiæ, & attributorum Diuinorum ſecundum ſe, id eſt non comparatiuè ad hunc, vel illum intellectum. Secunda propoſitio eſt. In Deo ſecundum ſe eſt diſtinctio rationis virtualiter, ſeù fundamentalitèr. Tertia eſt hæc. In Deo, vt terminat actum noſtri intellectus eſt diſtinctio rationis actualitèr. Et nota quod ſicut illa res ſimpliciſſima, quam Deum dicimus, eſt id cui aſſimilantur omnes perfectiones ſimplicitèr in proprijs naturis exiſtentes, ità eſt id cui aſſimilantur omnes Conceptus formales earum, cum nihil aliud ſint, quàm ipſæ perfectiones in eſſe intentionali. Ex hoc autèm quod Deus terminat

Tertium Notabile Caiet. in quo explicantur 3 propoſitiones D. Thom. & maximè tertia ex qua elicitur, quod Deus vt terminat actum noſtri intellectus cauſat rationis diſtinctionem actualiter.

Conceptus hos, vt obiectum in eis intellectum, neceſſe eſt, quod ipſe Deus intelligatur correlatiuum omnium eorum pluribus relationibus rationis ſecundum earum numerum, & ſic diſtinctionem rationis in ſe habere, itá vt Deus obiectus pluribus Conceptionibus, ſeù rationibus formalibus dicatur habere in ſe diſtinctionem rationis formalem actualitèr, obiectiuè tamèn, & proptèr pluralitatem conceptuum formalium, quibus obijcitur, & proptèr pluralitatem relationum rationis, quibus refertur, ſeù referri intelligatur ad perfectiones prædictas, tàm in eſſe naturali, quàm in eſſe intentionali. Ex eo autèm quod in Deo ſecluſo omni opere intellectus eſt tale quid, quo terminare poſſit conceptus prædictos, dicitur habere in ſe diſtinctionem rationis virtualitèr, ſeù fundamentalitèr. Et hoc habet Deus ipſe ex ſumma illimitata ſui perfectione, cuius ſicuti nulla Creatura capax eſt in eſſe naturali, itá nullus intellectùs creatus in eſſe intentionali: quicumque enim intellectus creatus videns etiàm Deum per eſſentiam, impotens eſt ad formandum conceptum vnum adæquatum perfectionis Diuinæ. Itá Caietanus.

Caietanus explicat quæ ſit in via D. Thom. diſtinctio intèr genus, & differentiam, intèr attributa ad inuicem & intèr eſſentiam.

Quò ad ſecundùm. Caietanus applicando ea quæ dicta ſunt de diſtinctione rationis ipſi generi, & differentiæ, qui ſunt gradus Metaphyſicales, & ipſis perfectionibus Diuinis, D. Thom. vbique ſentit, ait Caietanus, quod diuinæ perfectiones ab inuicem, & à Diuina eſſentia, ratione tantùm diſtinguuntur. Quæ diſtinctio à nobis vocatur Virtualis eminentialis, ab alijs Thomiſtis virtualitèr fundamentalitèr intèr verò genus, & differentiam vocatur diſtinctio rationis ratiocinatæ, & non ex natura rei: hoc conſtantiſſimè habet D. Thom. & in 1. p. quæſt. 4. art. 2. ad 1. (quæſt. 13. art. 4. ad 3. & art. 9. vt eſt videre in noſtris Commentarijs;) & in cap. 6. de ente, & eſſentia, ex quæſt. 7. de potentia Dei, & præcipuè art. 1. 5. & 6. (& ex 1. ſent. diſt. 2. quæſt. 1. ad 3.) & ex 1. c. g. cap. 31. 35. & 36. quem ſequuntur omnes antiqui Thomiſtæ, & Ferrarienſis de hac re prorsùs ſe remittit ad Capreolum in fine cap. illius 36. Et in Appendice videbimus, quod noſtrum exemplum de luce ſolari allatum ſuprà, non impugnatur, nec oppugnatur. Itá Caietanus pluribus in locis recitat ſenſus D. Thom. circà iſtam diſtinctionem rationis ratiocinatæ.

Quò ad tertiùm. Prima Concluſio ponitur à Caietano ſic. In Deo ſecundum ſe nulla eſt diſtinctio actualitèr, ſeu ex natura rei.

Concluſio ſecunda ponitur a Caiet. cum ſua probatione quod ſcilicet in Deo nulla eſt diſtinctio actualis ex natura rei, & prima, & ſecunda.

Probatur à Caietano in quæſt. 12. cap. 6. de ente, & eſſentia ſub tali forma: Quæcumque formalitèr adunantur in vnica, & adæquata ratione formali ipſius Dei non diſtinguuntur formalitèr ex natura rei; ſed perfectiones Diuinæ ſecluſo omni opere intellectus adunantur in vnica, & adæquata ratione formali ipſius, ergò &c. Probatur Minor, quia non magis adunantur virtutes qualitatum inferiorum in luce ſolari, quàm perfectiones ſimplicitèr in Deo: ſed illæ adunantur formalitèr, vt de ſe patet, & ab aduerſarijs conceditur: ergò &c. Probatur Maior quia alitèr definitio non adæquaretur definito.

Secundò probatur à Caietano contrà Scotum ſub tali forma. Omnis actualis diſtinctio ex natura rei fundatur ſuper actuali oppoſitione ex natura rei: ſed intèr perfectiones Diuinas nulla eſt actualis oppoſitio ex natura rei: ergò &c. Maior habetur ex 10. Met. tex. 24. Minor probatur inductiuè, & primò quod non ſit ibi oppoſitio contradictoria, neque priuatiua formalitèr ex eo patet, quod vtriuſque oppoſitionis alterum membrum eſt formalitèr negatio, quàm formalitèr ponere in Deo nefas eſt: nec ſufficit quod ſit ibi negatio fundamentalitèr, quoniam diſtinctio actualitèr exigit actualitèr oppoſitionem: oppoſitio autèm actualitèr exigit ex-

extrema actualitèr, vt patet regularitèr de omni oppoſitione. Quod autèm non ſit ibi oppoſitio contraria, patet ex eo quod alterum contrariorum ſemper eſt defectiuum ex 10. Met. Comm. 16. Quod verò non ſit ibi oppoſitio intèr ipſas relatiua, ex ſe manifeſtum eſt; & ſic Deus ipſe non eſt niſi vna perfectio illimitata omninò præhabens in ſe multiplicatas, & in alijs multiplicabiles perfectiones omnes. Ità Caietanus in loc. cit.

Secunda Concl. ponitur à Caietano cum ſua probatione quod ſcilicet in Deo ſit tantùm actualis diſtinctio rationis virtualitèr.

Secunda Concluſio ponitur à Caietano ſic. In Deo ſecundum ſe eſt diſtinctio tantùm rationis virtualitèr, ſeù fundamentalitèr, & iſta diſtinctio eſt actualis, pro vt terminat actum intellectus.

Prob. Omne habens in ſe vndè poſſit cauſare, terminare, ac verificare obiectalitèr diſtinctas rationes, ſeù conceptiones formales habet in ſe diſtinctionem rationis, non niſi virtualitèr ſecluſo omni opere intellectus, & nequaquam diſtinctionem ex natura rei: ſed Deus Glorioſus eſt huiuſmodi: ergò &c. Probatur à Caietano Maior quo ad negatiuam, quia illa diſtinctio ex natura rei eſt maior omni diſtinctione reali. Probatur hoc, quia diſtinctio formalis ex natura rei eſt per maximè intima rei, quæ eſt maior illa quæ fit per ea, quæ ſunt extrà intima rei, ergò &c. & quid ſit ex intimis rei habetur à Scoto in 1. ſent. diſt. 2. vbi ait quod diſtinctio formalis ex natura rei fit per prædicata primi modi, quæ inſunt rei in primo ſigno, diſtinctio autem realis fit per ea, quæ inſunt poſt, & cùm diſtinctio per aliqualitèr intima ſit aliqualitèr diſtinctio, ſequitur quod quæ fit per maximè intima ſit maxima diſtinctio. Ex illa regula ſi enim ſimplicitèr, ſequitur ad ſimplicitèr, & magis ad magis, maximum neceſſariò ſequitur ad maximum. Ità Caietanus loc. cit.

Reſponſio Scotiſtarum ad rationē Concluſionis.

Reſpondent Scotiſtæ huic probationi, quod afferendo ibi Scotum, nihil eſt in fauorem probationis: quià eſto verum ſit, quod diſtinctio formalis ſit per prædicata primi modi dicendi per ſe, ſiuè in Diuinis, ſiuè intèr gradus Metaphyſicos: non tamèn eſt per illa quatenus prædicantur eo modo, ſed in quantùm habent diuerſos conceptus obiectiuos: vndè diſtinctio realis ab entitate ex fundamentis Thomiſticis modò cognoſcitur maior, modò minor; quia magis diſtinguuntur Petrus, & Albedo, quàm Petrus, & Paulus, qui conueniunt in ſpecie atoma, & Petrus, & Albedo conueniunt in remotiſſimo genere entis tantùm: diſtinctio ergò maior, & minor non eſt deſumenda, quatenus prædicantur, ſcilicèt per prædicata primi modi dicendi per ſe: ſed inquantùm habent diuerſos conceptus obiectiuos, ſcilicèt quatenùs magis, & minus conueniunt, vel differunt in genere entis.

Refutatur à Caietano Reſponſio Scotiſtarum.

Reſp. Caietanus negando quod fundamentum maioris, vel minoris diſtinctionis apud Thomiſtas ſit ipſa entitas, & non ſit ipſa prædicatio in modis dicendi per ſe: iàm diximus in prima, & ſecunda aduotatione, quod ſtante identitate eiuſdem rei in ipſa eſt tale fundamentum; vndè intellectus noſter poteſt formare conceptum obiectiuum in ipſa re, pro vt habet rationem indeterminati, qui formalitèr diſtinguitur à conceptu alio eiuſdem rei pro vt concipit rem habentem rationem determinati: Totum hoc fit dependentèr ab intellectu cùm fundamento in ipſa re, qui intellectus diſtinguit actu illam rem virtualitèr multiplicem in formalitatem generis, & differentiæ, animalitatis, & rationalitatis. Et ex hoc rectè dicunt Thomiſtæ cum ſuo Sanctiſſimo Præceptore, quod ibi eſt diſtinctio virtualis fundamentalis tantùm, & nequaquam formalis ex natura rei, quæ ſemper eſt maior illa, vt benè probauimus, deſumendam eſſe ex prædicatis primi modi dicendi per ſe. Et tales formalitates reales actu diſtinctæ antè opus intellectus,

Digitized by Google

& in Diuinis, & in gradibus Metaphyſicis nunquam ſunt admiſſæ in via D. Thomæ in eadem re. Nec valet dicere, quod eſto prædicentur de tertio cui inſunt, quod in eo ſint ſuæ conceptibilitates obiectiuæ diuerſæ inter ſe, & ideò formaliter diſtingui independenter ab intellectu ex diuerſitate ſingulorum obiectiua. Non valet hoc, quod ſi ſunt diuerſæ actu non ſunt amplius idem in re: ergo fiunt actu diſtinctæ per opus intellectus non valentis formare vnum, & eundem conceptum formalem Animalitatis, & realitatis, generis, & differentiæ, ſed ſunt diſtinctæ virtualiter quia eſt fundamentum in ipſa re, vnde intellectus noſter formet &c. vt diximus in Adnotationibus ſuprà. Ità Caiet. loc. cit.

Probatio Caiet. ſecundæ partis.

Probatur ſecunda pars facilitèr, & breuitèr ex dictis à Caietano ſub tali forma: Omne terminans plures conceptus formales habet actualiter in ſe diſtinctionem rationis: ſed Deus eſt huiuſmodi: ergo &c. propoſitiones patent ex dictis ſupra &c. Ità Caietanus.

3. Concl. ponitur à Caiet. cum ſua probatione quod ſcilicet illa diſtinctio rationis virtualiter fundamentaliter intèr genus & differentiam eſt maior illa in diuinis.

Tertia Concluſio ponitur à Caietano ſic in cap. 3. de Ente, & Eſſentia. Illa diſtinctio rationis ratiocinatæ, quam vocamus nos virtualem fundamentaliter inter genus, & differentiam, poteſt vocari formalis non ex natura rei, ſed rationis, quia eſt maior illa quæ ponitur in Diuinis.

Probatur Concluſio à Caietano ſub tali forma. Iſta diſtinctio rationis ratiocinatæ, ſeù virtualis quæ eſt in gradibus Metaphyſicis, puta intèr genus, & differentiam non eſt cum tanta eminentia fundamenti in re ſicut eſt in Diuinis: ergo ſtante hoc erit Maior, ergo poteſt vocari formalis rationis tamen, & non ex natura rei. Antecedens probatur, quia eſto iſta prædicata non ſint actu diſtincta in ipſa re: in eodem tamèn ſuppoſito, & vt deprompta ab eadem forma, & quatenus obiectiuè terminant intellectum ſunt actu diſtincta; vndè ſi ad rem, & naturam referantur diſtincta diſtinctione virtuali fundamentali in ſenſu declarato poſſunt nominari; ſi ad conceptus reſpiciamus diſtinctione rationis formali poſſumus nominare diſtincta; vndè genus, & differentia cum illo fundamento identitatis, ſcilicet vt ſub vario formali conceptu dicunt vnam, & eandem rem, non poſſunt comparari æqualitèr cum perfectionibus Diuinis &c. per conſequens ſua diſtinctio erit maior, ſiſtendo ſemper in linea diſtinctionis rationis, quam diximus habere latitudinem. Ità Caiet. &c.

Caiet. Arguit pro Scotiſtis probās diſtinctionē ex natura rei.

Quoad quartum Caietanus per totum illud caput tertium de Ente, & Eſſentia arguit pro Scotiſtis ſic. Diſtinctio illa, quæ fundamentum habet in re dicenda eſt ex natura rei: ſed diſtinctio intèr genus, & differentiam eſt huiuſmodi: ergo dicenda eſt ex natura rei, & non diſtinctio virtualis. Maior probatur, quid eſt dicere diſtinctionem cum fundamento in re? niſi quod in re ipſa ſecluſo quouis intellectu pullulant duo conceptus formales, ità intèr ſe alius, & alius, vt dicant propriam definitionem intèr ſe diuerſam, & iſta diuerſitas definitionis eſt in re ipſa: hoc autem non niſi dicit diſtinctionem ex natura rei: ergo vera Maior. Probatur Minor, quod ſic dicat genus, & differentia. Suum fundamentum in re nil aliud dicit, niſi quod verè res ipſa poſſit concipi conceptu generis, & differentiæ, & quod conceptus vnius non intrat conceptum quidditatiuum alterius. Metaphyſicè enim loquendo conceptus rei illius, vt eſt genus, eſt vt ſit ſubſtantia animata ſenſibilis; & conceptus eiuſdem rei, vt eſt differentia puta rationale eſt conducens ad eſſe id cuius eſt differentia, cum ergo conceptus generis ſit alius, ab illo conceptu differentiæ, & hoc ex parte rei comparatiuè ad quemcumque intellectum, quid amplius deſideratur ad hoc vt dicatur diſtinctio ex natura rei? hoc autem non reperitur intèr attributa Diuina niſi relatione ad Diuinum intellectum, nulla penitus

Digitized by Google

nitus intèr illa conſurgit actualis diſtinctio, ſed conceptus vnius eſt prorſus ex parte rei conceptus alterius vt dicitur in cap. 6. q. 17. hinc moti ex iſta ratione aliqui Thomiſtæ poſuerunt diſtinctionem mediam inter diſtinctionem rationis, & realem. Et alij dederunt manum huic diſtinctioni ex natura rei, non ſicuti Scotiſtæ, ſed ſe ipſos declarando ſic. Cùm ex natura rei adſit diſtinctio intèr rem generis, & rem differentiæ, hoc eſt in re ipſa cum ſit fundamentum vndè verè concipi poſſit, & conceptu generis, & conceptu differentiæ, poteſt dici ex natura rei, non tamen accipimus ipſam ſicuti Scotiſtæ ex varijs realitatibus, vel formalitatibus diſtinctis, vel ex varijs rebus, ſed tantùm prædicto modo declarato. Quidquid ſit de hoc, ait Caietanus, reſpondeo cum Antiquis Thomiſtis.

Reſp. Caiet. quod tota probatio Argumenti nil aliud concludit niſi quod diximus ſuprà, nimirùm, quod eſto ſit maior diſtinctio rationis intèr genus, & differentiam, quàm intèr attributa ad inuicem, vt benè probat Argumentum, nihilominus vocanda eſt nequaquam diſtinctio ex natura rei: ſed ſi probat aliquid, hoc tantùm probat pro Thomiſtis illis quod illa diſtinctio virtualis fundamentalis ad minus poſſit vocari formalis rationis. Et ſic ſtat ſolida doctrina Sanctiſſimi Præceptoris, quod hæc diſtinctio ſemper dicenda eſt rationis, & non realis, quia eadem res, & nomine generis, & nomine differentiæ importatur; & cum habeat latitudinem hæc diſtinctio rationis, ſi licet ab hoc nomine communi, & amplo recedere, & tranſire ad vocem quandam magis peculiarem, formalis poterit dici: ſed ne conueniamus, & ne laboremus in æquiuoco ſatius erit loqui pro ſenſu Concluſionis, quod iſta diſtinctio eſt virtualis fundamentaliter, licet non cum tanta eminentia ſit, vt eſt in re ipſa Diuina, & ſic Argumentum erit pro confirmatione Doctrinæ Auctoris, & non pro illis Thomiſtis qui admittunt diſtinctionem formalem ex natura rei in alio ſenſu à Scotiſtis non admiſſo, & diuerſo ab illis. Ità Caietanus ſuper caput 3. cit. de Ente, & Eſſentia. *Reſp. Caiet. ad Arg. Scoti.*

Arguit ſecundò Caietanus contrà prædicta ſic. Diſtinctio præcedens rationem primi diſtinctiui non eſt per tale diſtinctiuum: ſed diſtinctio naturæ, & intellectus præcedit intellectionem, quæ eſt primum diſtinctiuum ſecundum rationem: ergo &c. Probatur Minor, quia ſi nulla diſtinctio eorum præcederet, non magis diſtinguerentur intellectione vt intellectio eſt quam ea vt natura eſt: quidquid enim diſtinguitur intellectione, vt eſt omninò indiſtincta à natura, diſtinguitur etiam natura. *Arguit 2. Caiet. pro Scoto.*

Confirmatur. Inter perfectiones diuinas eſt ordo demonſtratiuus, quo Doctores vnam ex alia demonſtrant; & eſt etiam ordo diſtinctiuus intèr prædicationes formales: dicitur enim quod Sapientia non prædicatur formaliter de Bonitate, & eſt ibi æqualitas ſecundum D. Auguſt. 15. de Trinitate: ergo diſtinguuntur ex natura rei, ſi non diſtinguuntur, & omnia ſunt idem ſimpliciter, ad quid Doctores tot quinterna conſcribere? *Confirm. Argumenti.*

Reſp. Caietanus ad Argumentum negando Minorem loquendo de quacumque diſtinctione actuali: ad probationem negantur omnia aſſumpta: ſufficit enim diſtinctio rationis fundamentaliter intèr naturam, & intellectionem ad hoc quod diſtinguantur aliqua intellectione, vt intellectio eſt, & non natura. Vndè quando dicitur in Argumento, Quidquid diſtinguitur intellectione, vt omninò indiſtincta eſt à natura, diſtinguitur etiam natura, dicas ſic, in ly indiſtincta actualitèr, vel fundamentalitèr: primo modo eſt falſum, ſecundo modo verum, ſed poſtea nega minorem ſubſumptam, ſcilicet, ſed intellectus, & natura ſunt indiſtincta formaliter antè omnem actum intellectus, habent enim diſtinctionem rationis fun- *Reſp. Caiet. ad Arg. Scoti.*

Digitized by Google

fundamentaliter vt declarauimus. Ità Caiet. in Reſp. ad ſecundum Scoti in quæſt. 12. cap. 6. de Ente, & Eſſentia &c.

Reſp. Caiet. ad Confirmationem. Reſp. Caiet. ad Confirmationem, quod ſufficit ex parte rei ad omnia illa diſtinctio rationis virtualiter, ſeù fundamentaliter, cum diſtinctione actuali ex parte noſtri: Formamus autèm diſtinctos conceptus, quorum vnus ex alio oritur, & de alio non prædicatur, & vnus habet aliquam habitudinem, quam alius non habet. Et ideò demonſtrationes, & prædicationes formales, & identitates facimus, & negamus de Deo ſub vno conceptu, quod affirmamus de ipſo ſub alio. Implent ergo Doctores libros balbutiendo de illa ſimpliciſſima ratione formali, quæ in Deo complectitur omne quod eſt ibi formaliter, non niſi particularibus conceptibus inſpiciendo ibi nullam diſtinctionem actu, quæ ſit ex natura rei. Sed ſi ibi inſurgit aliqua diſtinctio actu, eſt tota per opus intellectus noſtri, quæ dicitur, & vocatur diſtinctio eminentèr virtualiter fundata in illa re vnica ſimpliciſſima æquiualente mille conceptibus noſtris. Ità Caiet. in omnibus locis doctrinæ D. Thomæ &c. Sunt plura alia Argumenta Scoti, ſoluta ibi videas in Caietano ex dictis, & in Capreolo.

Appendices ſuper 9. Lectionem Metaphyſicalem in Tractatu de Proprietatibus entis.

OMnes conueniunt quod ipſa diſtinctio diuidatur adæquatè in realem, & rationis: Controuerſia eſt maxima in Scholis in ipſa ſubdiuiſione. Caiet. ſuprà iam dixit quod in via D. Th. diſtinctio rationis debet ſubdiuidi in diſtinctionem eminentialiter virtualiter, vt eſt intèr attributa, ſeù in diſtinctionem rationis ratiocinatæ, quæ intèr gradus Metaphyſicales, intèr genus, & differentiam propriè vocatur diſtinctio virtualis, ſeù formalis virtualiter, vt in p. p. q. 28. diffusè legitur, Caietanum defendunt Doctores Veneti, ſcilicet Marcus Ferrus in Tract. de Trin. q. 27. dub. 5. & in q. 39. art. 1. in Reſponſione ad ſecundum D. Th. excludendo diſtinctionem Scoticam ex natura; ſicuti, & etiam defendit ipſum Magiſter Ripa Venetus ſuprà cap. 3. de Ente, & Eſſentia q. 1. art. 2. & 4. ibi enim explicat Caietanum, quo ad illam diſtinctionem rationis ratiocinatæ intèr genus, & differentiam cum fundamento in re, quæ eſt vocanda diſtinctio virtualis fundamentaliter. Et quia maior eſt illa, quæ reperitur in Diuinis, idem dicit quod Caietanus, quod vocanda ſit ad minus diſtinctio rationis formalis virtualiter. Et in c. 6. q. 2. à pag. 756. vſq; ad pag. 791. defendit quæſtionem 12. Caietani vbi agitur de illa diſtinctione intèr attributa. De hac re legendus eſt omninò Sapientiſſimus Io: à S. Th. in p. p. q. 28. vbi cum aliis Thomiſtis docet habere locum etiàm in Creaturis, ſcilicet intèr gradus Metaphyſicos. Et legendus eſt etiam Ferr. lib. 1. c. g. cap. 35. Nazarius, Salmanticenſes & eſt communis intèr Thomiſtas. Aliqui verò Thomiſtæ ex hoc quod conſiderarunt illam diſtinctionem virtualiter fundamentaliter cum tanta eminentia intèr genus, & differentiam, & intèr gradus Metaphyſicales, ampliori vocabulo vocarunt diſtinctionem formalem, non ex natura rei tamen, ſed rationis tantùm; Decem citat Thomiſtas Io: Martinez à Prado noſter in ſua Metaphyſica controu. 10. a. 2. ſcilicet Sotum, Zumel, Banneſium, Arauium, Serra, Lermam, Nazarium &c. & Bannez in p. p. q. 3. art. 5. per hoc dixit, quod compoſitio generis, & differentiæ poſſit vocari

cari compoſitio realis Metaphyſica. Blaſius à Conceptione excalceatus Carmelita in ſua Metaphyſica diſp. 12. de Attributis §. 2. pag. mihi 347. mordicus contrà Scotum defendit, quod ſi ponit diſtinctionem ex natura rei in Diuinis, & intèr gradus Metaphyſicales, opportet quod illam nominet realem, & nequaquam rationis, cùm hanc noſtram diſtinctionem rationis expreſſe Scotus refutet in p. ſent. diſt. 12. q. 1. §. ly contrà iſtam opinionem. Et noſter Magiſter Arnù in ſua Metaphyſica q. 10. de eodem, & diuerſo &c. Art. 3. & 4. clarius omnibus cum Sapientiſſimo Io: à S. Th. de ſuo more procedit declarando prius cùm Scotiſtis ex Maſtrio vbi conſiſtat ſecundum Scotum iſta diſtinctio ex natura rei; concludendo poſteà in art. 4. num. 28. quod non eſt admittenda, aliqua diſtinctio formalis, ſeù ex natura rei diſtincta à diſtinctione virtuali, vel rationis ratiocinatæ media intèr realem ſimpliciter, & rationis, probat ibi diffusè, & reſpondet, & num. 33. formalizat rationem illam Caiet. quam ſupra attulimus, ſcilicet quod omnis diſtinctio actualis realis ex natura rei debet eſſe maior, quàm diſtinctio rei à re, quia diſtinctio per intimiora eſt maior illa, quæ fit per ea quæ ſunt extrà intima rei, & num. 34. reſpondet Maſtrio, qui conatur infringere hanc rationem. Videas ipſum Arnù locis citatis.

Ex Scotiſtis duo Doctores Moderni inſurgunt, qui non patientes iſtam Cenſuram ab aliquibus Theologis, & Metaphyſicis tributam Scoto, ſcilicet quod iſta diſtinctio poſita à Scoto ex natura rei inter attributa Diuina, & inter ipſa attributa, & eſſentiam Diuinam parit ſcandalum in Scholis, & quod ſit ſuſpecta, & parùm in Fide tuta, vt refert Blaſius à Conceptione in ſua Metaphyſica diſp. 12. de Attributis diuinis quæſt. 1. §. tit. Reſolutio Quæſtionis; ideò iſti duo Doctores, ſcilicet Bordonus ex Tertio Ordine S. Franciſci Parmenſis Ciuitatis, & Geſualdus Ordinis Capucinorum Typis mandarunt Tractatum de formalitatibus Scoti. Et Bordonus reſpondet obiectionibus, & rationibus Thomiſtarum, præcipuè in Tract. 2. in quæſt. 4. proponit num. 39. & ſoluit duas rationes Sapientiſſimi Io: à S. Thoma, & in fine eiuſdem quæſtionis quartæ proponit, & ſoluit duas rationes Caiet. probantes diſtinctionem virtualem fundamentalem intèr gradus Metaphyſicos, & plurimas alias rationes ſoluit per 30. Arg. ſcilicet Paſqualigi, Arriagæ, & Hurtadi, Complutenſium, & Blaſij à Conceptione, Pontij Hibernici ex Ord. Min. Recupiti; & Fabri, qui omnes ſunt contrà iſtam diſtinctionem formalem ex natura rei.

Et tandem in quæſtione quinta, & vltima eiuſdem Tract. 2. proponit 30. alias rationes contrà id quod dicit Scotùs in p. ſent. diſt. 8. q. 4. ſcilicet quod diſtinctio tertia præcedens intellectum eſt in Diuinis, & conatur eas ſoluere, ſed fruſtrà: præcipuè à num. 117. vſque ad 128. conatur ſoluere tres rationes Caietani per principia Scotica, quæ in via D. Th. tenentur vt falſa, & ad minus ſunt inuerisimilia. Legas, ò Diſcipule Thomiſta, ſi vis te prouocare ad riſum, & curioſitas ſi te mouet. Hæc ſufficiant.

Digitized by Google

LECTIO X. METAPHYSICALIS

In Tractatu

DE PROPRIETATIBVS ENTIS.

Vtrùm præter diſtinctionem rationis ratiocinatæ virtualiter, & fundamentaliter ſit ponenda diſtinctio modalis, quæ ſit membrum diſtinctionis rationis vel diſtinctionis realis.

Ex Caiet. pluribus in locis ſuorum Commentariorum.

Declaratio Tituli eiuſque ſenſus quæſiti, & in via Scoti, & in via D. Thomæ facta à Caiet.

EXcluſa diſtinctione reali ex natura rei, ait Caietanus, Scotiſtica, & diſtinctione formali reali, & ſtabilita in via D. Thomæ diſtinctione rationis ratiocinatæ virtuali fundamentaliter inter gradus Metaphyſicos, & eminentèr virtualiter intèr attributa Diuina intèr ſe, & intèr eſſentiam Diuinam, & attributa, remanet diſcutienda illa diſtinctio tertia modalis poſita à Scoto vt ſpecies diſtinctionis formalis ex natura rei, quæ eſt intèr rem, & modum, & quæ ſecundum Scotum in rigore ſtatuitur realis: illa enim quæ eſt intèr extrema, quæ ſunt ab inuicem ſeparata, vt res, & res cùm propria exiſtentia partiali, vt inter materiam, & formam, vocatur à Scoto numeralis entitatiua; ſicuti etiàm vocatur ab ipſo entitatiua illa, quæ eſt intèr extrema vnita quæ poſſunt ſeparari ab inuicem, & remanere: quæritur ergo ſi in via D. Thomæ poſſit admitti ſecundum Scotum illa diſtinctio tertia realis, quæ reperitur intèr extrema vnita, quorum vnum non poteſt remanere ſinè alterius coniunctione, & quæ vocatur à ſuis diſcipulis diſtinctio Modalis; licet non omnia coniuncta habeant rationem modi ſi comparentur intèr ſe, benè tamen ſi comparentur cum tertio. D. Th. dat occaſionem in pluribus locis Scholæ ſuæ eidem fundandi iſtam diſtinctionem modalem realem, quæ ſit membrum ſubdiuiſum ſub diſtinctione reali, dicit enim primò quod ratio Boni conſiſtit in modo, ſpecie, & ordine, & quod peccatum pro vt eſt malum culpæ priuat etiàm modo, ſpecie, & ordine: & in 3. p. q. 62. a. 4. in corp. & ad 1. (& in q. 63. a. 1.) & in 4. ſent. diſt. 1. q. 1. a. 4. quæſtiuncula 2. ad 4. facit mentionem de entibus incompletis, quæ potius vocantur modi, & merentur potius hoc nomen Modi, quam quod ſint, & vocentur abſolutè entia, propter eorum minimam entitatem. Vt in inſtrumentis motis ab Arte, eſt virtus Artis; & in motu eſt virtus ſubſtantiæ ſeparatæ mouentis ſecundum Philoſophos; & ſemen agit in virtute Animæ; & idem met motus naturalis modo ſuperaddito fit artificialis, & ipſe met fit potens, & virtuoſus per modum ibi impreſſum. Et in q. 3. de potentia a. 7. ad 7. dicit quod illud, quo Deus applicat cauſas ſecundas ad

ope-

ſperandum, dicit quod habet eſſe quoddam incompletum per modum quo colores ſunt in aere; & cùm ipſo Sanctiſſimo Præceptore nos ponimus aliquid reale, & Phyſicum impreſſum à Deo in Sacramentis, & in omnibus cauſis ſecundis imprimitur à Deo vt à cauſa principali, in cuius virtute agit Creatura, quod quidem ab aliquibus ex noſtris vocatur modale, quo Motio Agentis inferioris redditur virtuoſa. Et ſecundum alios ex noſtra Schola ipſa vnio, dependentia, figura, ſeſſio, & alia huiuſmodi cum ſint minimæ entitatis vocantur modi. Stantibus igitur his, apud nos quæritur (quidquid ſit de voce) an in re ipſa, quin conueniamus cùm Scoto, danda, & admittenda ſit in via D. Thomæ præter diſtinctionem realem intèr rem, & rem, alia diſtinctio realis, quæ cùm ſit intèr rem, & ens illud incompletum, quod non niſi vocari poteſt modus, vocetur modalis. Ità Caietanus pluribus in locis.

Primum Notabile Caiet. in quo explicatur ex D. Th modus in generali multiplex.

Quò ad primùm. Notat Caietanus ex D. Thom. 1. p. quæſt. 5. art. 5. vbi quæritur An ratio Boni conſiſtat in modo, & ſpecie, & ordine, quod Modus ibi ſumitur generalitèr pro menſura præfixa rei finitæ, ſumitur nimirùm vt determinatio eſt, ſiuè Commenſuratio principiorum, ſiuè materialium, ſiuè efficientium ipſam formam; & ſic dicitur quod menſura modum præfigit ſecundum D. Aug. & ſicuti potentialitas, & determinatio eſt multiplex, ità variè accipitur modus. In hoc ſenſu omnis res conſtat modo, ſpecie, & ordine. Caietanus addit ad hæc quod in p. 2. quæſt. 85. art. 4. per ſpeciem D. Thom. intendit formam abſolutè; per modum intelligit menſuram ipſius formæ. Species enim rerum ſunt menſuratæ ſicut numeri. In quæſtione autèm de verit. 21. intendit per ſpeciem formam, per modum commenſurationem ipſius eſſe ad eſſentiam cuius eſt: Quæ duæ expoſitiones cum prima, quamuis valdè differre videantur in ly, Modus, ſi tamèn ſubtilius perſcrutemur in vnum coeunt. Commenſuratio namque principiorum, Menſura formæ, & Commenſuratio eſſe ad eſſentiam mutuò ſe inferunt: ex tali enim principiorum harmonia tantæ perfectionis forma eſt, & ex tanta forma tantùm eſſe ſecundum ordinem generationis: ſecundum verò ordinem perfectionis, ſeù finis, ſi tantæ perfectionis eſſe eſt producendum, ſequitur quod opportet ſupponere tantæ perfectionis formam, ac eſſentiam, & ſi hanc debemus ſupponere, debemus etiàm ſupponere talem principiorum diſpoſitionem. Quomodò autèm ſaluetur modus in bono ſubſtantiali Angelorum, cum in Angelis non ſint principia materialia, & efficiens eorum ſit ſolus Deus, cuius Actio eſt ſua ſubſtantia, debemus reſpondere, ait Caietanus, quod ibi ſaluatur modus quo ad principium efficiens, hoc pacto, Deus enim agens poteſt ſumi duplicitèr vno modo abſolutè, & ſic tàm ipſe, quàm ſua actio eſt ſuprà omnem modum; Alio modo vt agit ſecundum hanc, vel ſecundum illam idæam, & ſic actio Dei eſt commenſurata huic & non alij, ſicut & idæa eſt propria huius idæa, quod non alterius, & hoc modo actio productiua Gabrielis eſt modificata, & modificans eſſe, & bonum ſubſtantiale Gabrielis, & hoc ſufficit. Poteſt quoque ſecundùm materiale principium ſaluari modus in Angelis, quoniam eſſentia eſt vt materia ipſius eſſe, & eſt commenſurata illi, ſed modus hic non antecedit formam, vndè alibi ſit explicatio ad fundandam diſtinctionem modalem in via D. Thom. eſto hæc explicatio parum iuuet, multum tamèn iuuat ad explicandum modum vt ſic, vt poſtea penetretur modus ille ſtrictè ſumptus prout condiſtinguitur contra ens, & rem, vt loquitur D. Thom. in locis citatis ſuprà in explicatione Tituli. Ità Caietanus.

Secundum Notabile Caiet. in quo

Notat ſecundò Caietanus, quod modus ſtrictè, & propriè ſumptus pro vt ad propoſitum poteſt ſumi duplicitèr primo nominalitèr, ſcilicèt pro quodam ente in-

explicatur modus propriè dictus fūdans in via D. Th. diſtinctionem modalem.

incompleto minimo, & dependenti à re, quàm qualificat, & modificat, pro v° diffinitur ſecundum vſum Philoſophorum, quod modus eſt determinatio adiacens extrà eſſentiam rei, ità minimæ entitatis, vt ſinè illa poſſit non eſſe. Et per primam particulam conuenit cum omni qualificatiuo etiàm ſubſtantiali, ſcilicèt differentia, & forma determinantibus indifferentiam materiæ, ſeù generis. Dicitur etiàm ly extrà eſſentiam rei, ſiuè pertineat ad genus ſubſtantiæ, ſiuè ad genus accidentis, prout differt ab illis alijs modis prædictis; dicitur etiàm minimæ entitatis ad differentiam accidentium completorùm, quæ determinant, & qualificant, & circumſtant, & tollunt aliquam indifferentiam ſubiecti, cùm ſit in potentia ad illa, quæ ideò dicuntur entis entia. Et hoc notandum eſt ab illis, qui ſentiunt ſex vltima prædicamenta diſtingui modalitèr; ſecundò poteſt ſumi modus aduerbialitèr pro vt dicit comparationem ſimilitudinis, vt quandò dicimus hoc modo ſe habet iſtud, ſicuti & aliud, non quia addatur modus, ſed quia ſe habent illo modo, ac ſe habent alia: vt quando S. Thom. dicit in quæſt. 10. de potentia art. 2. quod in Diuinis proceſſio ſe habet per modum naturæ, vel voluntatis, non ponitur in Deo modus, qui ſit qualitas Diuinæ ſubſtantiæ ſuper addita, ſed oſtenditur ſimilitudinis cuiuſdam comparatio intèr proceſſiones Diuinas, quæ ſunt in rebus creatis; ſicùt etiàm dicitur quod quantitas in Euchariſtia habet modum ſubſtantiæ, non intelligitur ſic, quaſi addatur illi modus ſubſtantialis, ſed quia gerit vicem ſubſtantiæ. Quæ omnia referuntur hic, vt inueſtigetur in ſenſu proprio modus ſuprà quem fundatur, & qui conſtituat diſtinctionem modalem, quæ ſit ſpecies diſtinctionis realis in via D. Thomæ. Ità Caietanus.

Tertium Notabile Caiet. in quo explicatur quomodo peccatum priuet modo in rebus moralibus, ſpecie, & ordine.

Notat tertiò Caietanus ad maiorem declarationem modi conſtituentis diſtinctionem modalem, quod ly modus ponitur à D. Thom. in 1. p. quæſt. 85. art. 4. ad declaranda alia: modus enim actionis ſemper ſequitur modum formæ, quia forma ſe habente vt vna, ſequitur actio per modum vnius, & ſe habente, vt plures, illa plura abſolutè ſequuntur actiones per modum plurium: ſemper igitur modus actionis ſequitur modum formæ, ſiuè vna intellectio, ſiuè plures ſimul ex pluribus ſpeciebus, vt ſunt ad vnum intelligibile ordinatæ, proueniat. Et in 1. 2. quæſt. 85. art. 4. notat ex D. Thom. in corp. quod peccatum eſt priuatio modi, ſpeciei, & ordinis, & priuat, vel diminuit modum, ſpeciem, & ordinem; vbi D. Thom. non intendit quod peccatum ſit eſſentialitèr priuatio, ſed quod eſſentialitèr ſit actus priuatus, & cum priuet multis ſpeciebus, modis, & ordinibus, priuat eis diuerſimodè: quæ enim pertinent ad bonum Gratiæ priuat modo, ſpecie, & ordine demeritoriè: quæ pertinent ad bonum habilitatis priuat modo, ſpecie, & ordine effectiuè: quæ pertinent ad bonum naturalis inclinationis priuat modo, ſpecie, & ordine diminutiuè, & non totalitèr: & quæ pertinent ad modum ſubſtantiæ, non priuat nec diminutiuè, modo, ſpecie, & ordine; at quæ pertinent ad bonum actus ipſius priuat modo formalitèr, & quia priuat formalitèr, ideò dicitur quod peccatum eſt eſſentialitèr priuatio. Vel dicatur alio modo, & meliùs, ait Caietanus, quod ſecundum Diu. Thomam peccatum, vt eſt in genere mali ſimplicitèr, eſt eſſentialitèr priuatio modi, ſpeciei, & ordinis pertinentium ad bonum actus ordinati. Ità Caietanus in locis citatis diſcurrit, ne, inquit ipſe, paralogizemus in diuerſis materijs ad probandam diſtinctionem modalem, quando ibi non inuenitur.

Opinio Caietani circà diſtinctionē modalem pro Tho-

Quò ad ſecundùm, Caietanus videns quod Scotus admittit tria genera, ſeù tres ſpecies diſtinctionis realis, nimirum realis entitatiua, realis formalis, & realis modalis, & quod hoc genus diſtinctionis modalis ponit ſub formali, quæ diuiditur

Digitized by Google

ditur in duas ſpecies quarum prima eſt illa, quæ intercedit intèr extrema, quæ quidem ſunt formalitates, vel ambo, vel vnum tantùm excludens rationem modi, vt intèr gradus Metaphyſicos; & alia, quæ ſpecificatur ab altero extremo, quod denominatur modus, & non poteſt remanere ſinè alterius coniſtione, & quæ proprè vocatur diſtinctio modalis realis. Ideò Caietanus recedendo à modo loquendi Scoti fundat diſtinctionem modalem pro diſcipulis Thomiſtis iuxtà principia D. Thom. intèr ſex vltima Prædicamenta iuxtà varios eſſendi modos; & quia formalitas prædicamentorum vt ſic ſtat in prædicari, & in dici de pluribus, hinc formalitèr, & proximè per varios prædicandi modos ſecernuntur; & ſicuti non valet, ſunt hic plures res; ergò plura prædicamenta, quoniam ſtat quod eodem modo reſpiciant ſubſtantiam primam; vndè vnicum ex illis conſtituatur prædicamentùm; ſimilitèr non valet, adeſt vna res; ergò vnum tantùm prædicamentùm, quoniam ſtat quod in illa re ſint varij eſſendi modi, quibus diuerſimodè primam reſpiciat ſubſtantiam, & ex conſequenti plura conſurgant prædicamenta: varij, inquàm, modi eſſentialitèr diſtincti, & plures realitates, non autèm res, conſtituentes; vt patet de motu, qui eſt vnica res, quoniam tamèn in ipſo ſunt plures modi eſſendi, qui fundant diuerſos modos prædicandi, proptereà dùo ex ipſo conſurgunt prædicamenta. Idem enim motus denominat ſubſtantiam primam à qua aliquid proficiſcitur, & ſic adeſt prædicamentum actionis; & quia tamdem denominat, vt in qua aliquid recipitur, ſic conſtituitur prædicamentum paſſionis. Nec audiendus eſt intèr Scotiſtas Io: Andreas qui in 5. Met. quæſt. 7. probat ſumi prædicamenta penes diuerſos modos eſſendi, non autèm penes modos prædicandi; & quoniam decem ſunt modi, quibus poteſt fieri prædicatio de prima ſubſtantia, ideò dicebat Auctor ex Ariſt. ens diuidi per diuerſos modos prædicandi in decem genera rerum, & quod ſint tot, Auctor exponit in 5. Met. tex. 14. & ſuper textum 22. 3. Phyſicorum.

miſtis excludens illam ab illa Scoti quam reducit vt ſpecies ad diſtinctionem realem modalem.

In via igitur D. Thomæ poteſt aſſignàri triplex diſtinctio realis, Maior, Minor, & minima, ſicuti & diſtinctio rationis triplex Maior, Minor, & minima. Diſtinctio realis quæ dicitur Maior eſt intèr rem, & rem, vt Petrus à Ioanne, Anima à corpore, &c. Diſtinctio realis minor eſt intèr rem, & modum, quæ ſolet vocari diſtinctio modalis provt exponunt Thomiſtæ ſecundum doctrinam D. Thomæ, & non Scoti, vt Petrus diſtinguitur a ſua ſeſſione, lapis à ſuo motu, linea à ſua obliquitate, & ſimilia &c. Diſtinctio minima quæ dicitur virtualis, non tàm eſt diſtinctio, quàm fundamentum diſtinctionis, & eſt in illa re, quæ cùm ſit vnica in ſe, attamèn æquiualet in pluribus, & completur in actu per opus intellectus, vt toties ſuprà declarauimus: quæ quidem poteſt vocari proprio nomine diſtinctio rationis maior, ſcilicèt rationis ratiocinatæ, quia ratio noſtra; diſtinguit eamdem entitatem virtualitèr multiplicem in varios conceptus perfectè diſtinctos à ratione noſtræ intelligentiæ, & vnus conceptus nullo modo includitur in alio, vt conceptus animalitatis, & ipſius humanitatis nullo modo continetur in conceptu rationalitatis, ideòque poteſt attribui etiàm creatis carentibus ratione. Diſtinctio rationis minor eſt, quandò intellectus rem eamdem diſtinguit in varios conceptus, quorum vnus explicitè quidem non continet alium, ideſt ipſum formalitèr non exprimit, implicitè tamèn ipſum inuoluit, & includit, vt dùm diuidimus ens in Verum, Bonum, & Vnum, quia conceptus boni continetur implicitè in conceptu veri, cum omne bonum ſit verum. Diſtinctio rationis minima, eſt quando abſque vllo fundamento, vel ex ſolo beneplacito, vel ex infirmitate intellectus noſtri intellectus diuidit rem vnicam in varios conceptus, vt quan-

Caietanus aſſignat in via D. Th. triplicem diſtinctionem reali ſicuti & etiam triplicem diſtinctionem rationis.

Digitized by Google

quando diſtinguit veſtimentum ab indumento, & voluntatem Diuinam à ſua volitione. His ſtantibus, ſic & non alitèr in via D. Thom. fundamus, & ex his explicamus diſtinctionem realem modalem. Ità Caietanus multis in loc. cit.

Vnica Concluſio ponitur à Caietano cum ſua probatione primæ partis, ſcilicèt quod diſtinctio minor realis vocanda ſit diſtinctio modalis,

Quò ad tertiùm. Ponitur à Caietano hæc vnica Concluſio pro Thomiſtis reſponſiua quæſiti. In via D. Thom. Diſtinctio Minor realis poteſt vocari modalis, ad quam ſequitur diſtinctio virtualis, quæ eſt tertia realis completa actu per intellectum.

Probatur prima pars à Caietano ſub tali forma. Intèr ſex vltima prædicamenta, & intèr entia incompleta vt modi, & intèr rem cuius ſunt modi, non poteſt aſſignari, alia diſtinctio minor realis, quàm modalis: ergò vera prima pars Concluſionis. Quod ſit realis patet, quia intèr ipſa extrema datur alia, & alia realitas; quòd verò ſit minor realis, & non maior; probatur, quia in vno illorum extremorum datur realitas, quæ eſt minor, quàm illa quæ eſt alterius extremi, quæ vocatur modus: ſed hæc non poteſt vocari, & denominari propriè niſi realis modalis: ergò &c. & quod illæ minores realitates in ſex vltimis prædicamentis debeant vocari modi, patet ex dictis: quia licèt diſtinguantur ex variis modis eſſendi, & prædicandi illa ſex vltima prædicamenta, reſpectu tamèn ſubſtantiæ non ſunt niſi diminutæ realitates qualificantes vt modi ipſam ſubſtantiam; ſicuti & etiàm patet quod illa entia quæ dicuntur modi rei cuius ſunt modi, ſunt minimæ realitates. Ità Caietanus.

Probatio ſecundæ partis, quod diſtinctio vniuerſalis eſt diſtinctio minima realis, ſcilicèt eſt fundamentum in ipſa re.

Probatur ſecunda pars à Caietano in fine cap. 6. de ente, & eſſentia quæſt. 12. Quod æquiualet alteri poteſt facere, quidquid alterum faceret, ſi adeſſet: ſed ità ſe habet illa diſtinctio virtualis, quæ ſequitur ad illam modalem: ergò &c. Maior manifeſtatur ex ipſo nummo aureo, qui facit quidquid facerent duo argentei, ſi adeſſent, ſic punctum in centro poſitum, quia eſt virtualitèr multiplex poteſt terminare varias lineas æquè ac ſi eſſent varia puncta; & hinc illa diſtinctio dicitur virtualis ideò, quia per illam, res æquiualet pluribus realitèr diſtinctis ante opus intellectus; vndè S. Thomas quæſt. 7. de potentia art. 1. ait. De illo quod eſt idem ſecundum rem, ſed ratione differens nihil prohibet prædicari contradictoria, vt habetur ex Ariſt. 3. Phyſ. quod punctum idem re, & differens ſolùm ratione eſt principium, & finis; & ſecundum quod eſt principium non eſt finis, & è contrà. Et D. Thom. in 1. p. quæſt. 76. art. 3. in corp. & art. 4. hoc idem eſſe docet in eadem numero Anima in homine ſenſitiua, vegetatiua, nutritiua ſimul. Et in 2. de Anima tex. 30. & 31. comparat diuerſas Animas ſpeciebus figurarum, quarum vna continet aliam, ſicut pentagonon continet tetragonum, & excedit; & docet quod ſicut ſuperficies, quæ habet figuram pentagonam, non per aliam figuram eſt tetragona, & per aliam pentagona, quia ſuperflueret figura tetragona, ex quo in pentagona continetur, ità nec per aliam Animam Socrates eſt Homo, & per aliam Animal, ſed per vnam, & eamdem. Idem probat D. Thom. quæſt. 76. cit. art. 4. modum poſitionis ſolius Animæ intellectiuæ in homine, ſcilicèt ratione ordinis perfectioris, & continentis. Ex his verificatur prædicta Minor, quod diſtinctio virtualis, quæ eſt minima, cum inueniatur in eadem forma, ſeù in eadem re, æquiualet actuali, & fit actu per opus rationis, & dicitur actualis per rationem, realis in virtute, ſeù in fundamento.

Diſtinctio hæc virtualis ponitur in via D. Tho. in gradibus Metaphy-

Hanc diſtinctionem virtualem ponunt in via D. Thom. Thomiſtæ in gradibus Metaphyſicis, fundati in vna & eadem formalitate, ſeù entitate reali, virtualitèr tantùm multiplici, putà Anima rationalis in homine eſt vna tantùm ſimplex res, virtualitèr tamèn multiplex. Et humanitas in homine, non eſt tertia formalitas

com-

Digitized by Google

ficis, & in Attributis Diuinis iuxtà doctrinam D. Thomæ,

compoſita ex pluribus partialibus formalitatibus, ſcilicèt, animalitate, & rationalitate, ſed vnica ſimplex, & virtualitèr multiplex tantùm, & vt talis eſt radix diſcurrendi, ſentiendi, & viuendi: intellectus tamèn noſter qui diſtinguit illa, quæ ſunt in re vnum, apprehendit iſtam ſimplicem formalitatem præcisè quatenùs eſt principium ſentiendi, & ſic vocat animalitatem, & format gradum animalis; deindè illam concipit vt eſt principium ratiocinandi, & ſic format gradum rationalitatis, & vocat eam rationalem quamuis illa omnia ſint vna, & eadem entitas, multiplex ſolùm virtualitèr. Idem dicimus, addit Caietanus, de attributis Diuinis, formando intellectus in illa vnica, & ſimpliciſſima re, quæ in ſua eminentiſſima ſublimitate continet omnia, quæ ſunt diſperſa in Creaturis, diuerſos conceptus, & quatenùs punit, vocat illam iuſtitiam; quatenùs parcit, vocat miſericordiam, quatenùs &c. (diſcurras de ſingulis) Æquiualet enim infinitis conceptibus, quia in re vna, & multiplex virtualitèr. In via ergò D. Thomæ nos Thomiſtæ iure meritò intèr gradus Metaphyſicos, inueniendo in re vnum, quod eſt ſimplex, & virtualitèr multiplex, damus diſtinctionem virtualem, vt minimam ponentes, quam cum Scoto non poſſumus vocare diſtinctionem formalem, ſeù ex natura rei, quæ ſemper eſt maior diſtinctio, & cum in ipſa eadem re iſta diſtinctio virtualis poſſit præſtare omnia illa, quæ tribuit Scotus ſuæ diſtinctioni, non eſt neceſſe quod ante opus intellectus diſtinguamus illa ſi non ſunt actu diſtincta; & cum virtualis præſtet cum opere intellectus, ac ſi eſſent diſtincta ante ipſum, ſufficiet diſtinctio virtualis, & ſuperflua eſt omnis diſtinctio ex natura rei. Ità Caietanus in locis citatis.

Arguit Caiet. cum fundamento Scoti contrà Concluſionem.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus ex fundamento Scoti ſic. Partes Metaphyſicæ, ſeù gradus Metaphyſici puta animalitas, & rationalitas ſunt partes reales: ergò non poſſunt niſi diſtingui actu à parte rei ante opus intellectus, vel diſtinctione reali entitatiua ſi poſſunt remanere ſeparatæ, vel ad minus diſtinctione formali ex natura rei actuali. Patet hæc conſequentia de ſe.

Reſponſio Caiet. ad Argum. Scoti.

Reſp. Caiet. quod in via D. Thomæ iuxtà eius principia falſum eſt antecedens. Conceditur enim quod animalitas, & rationalitas ſint partes Metaphyſicæ, non quantùm ad diſtinctionem, quia ſunt vna entitas realis, & vna res; vndè ſi vocandæ ſunt partes, ſunt quantùm ad diſtinctionem, partes ſecundum rationem, quia dicunt vtique aliquam naturam realem, ſed non exigunt vt illa natura realis vna, ſit ſecundum rem diuiſa actu in vtramque partem, ſed ſufficit quod diuidatur per intellectum; & ſic negatur conſequentia quod non poſſit ibi eſſe niſi diſtinctio realis entitatiua, vel diſtinctio formalis actu ex natura rei; hinc S. Doctor dixit, quod ex animali, & rationali componitur Homo, non ſicut ex duabus rebus, aut formalitatibus tertia res, vel tertia formalitas, ſed ſicut ex duobus Conceptibus tertius conceptus, vndè non diſtinguuntur actu ſecundum rem, ſed ſolùm ſecundùm rationem, & conceptum. Et non valet dicere, Cur ergò non concipitur potiùs per modum cuiuſdam ſimplicis entitatis æquiualentis vtriq; parti? Non valet, inquàm, quia iàm diximus ſuprà quod hoc contingit propter conditionem intellectus noſtri, qui non percipit intuitiuè eſſentias rerum, ſed ſolùm ex effectibus ſenſibilibus eas colligit; vndè quando ex vna eſſentia plures procedunt effectus, plures quoque de illa format notiones. Angelus autèm qui videt intuitiuè v. g. humanitatem, videt etiàm illam eſſe vnicam ſimplicem formalitatem, virtualitèr tantùm multiplicem, quatenùs cum ſit vna res, duo tamèn munera præſtat, ſcilicèt ſentire, & ratiocinari. Ità Caietanus pluribus in loc. cit.

Inſtantia Scoti contrà Reſp. Caiet.

Inſtat Caietanus ex Scoto eodem. Animalitas in homine non eſt actualitèr rationalitas; ergò actu ſunt partes reales diſtinctæ. Probatur hoc, Animalitas enim

non

Digitized by Google

non eſt actualitèr id quod negat, ſcilicèt non eſt rationalitas actu: ergò ſaltèm formalitèr ad minus ex natura rei non eſt rationalitas. Probatur quia id quod conuenit, negat illud à ſe, quod non conuenit: ſed Animalitas in homine eſt id quod cum Bruto conuenit: ergò formalitèr negat rationalitatem, quæ eſt id, per quod homo non conuenit cum Bruto.

Reſponſio prima ad inſtantiam. Reſp. Caietanus, quod Inſtantia nimis probat, quia probat nil in mundo eſſe ſimplex: quia nihil eſt in rerum natura, quod cùm alijs aliquo modo non conueniat, & aliquo modo non differat.

Reſponſio 2. Reſp. ſecundò, quod id quod conuenit, negat id quod non conuenit, non ſemper actualitèr, ſed virtualitèr: Hoc enim ipſo quod in homine actualitas, & rationalitas ſunt eadem formalitas, & virtualitèr multiplex; ſecundum vnam virtualitatem negat conuenientiam, quam dicit ſecundum aliam formalitatem: Diſtinctio enim virtualis, vt diximus, cum æquiualeat actuali, idem facit, quod iſta faceret, ſi adeſſet.

Reſponſio 3. Reſp. tertiò, quod vt idem eidem conueniat, & non conueniat, & dicatur conueniens, & non conueniens, non requiritur aliqua diſtinctio in illo, ſed ſatis eſt, vt ea, quæ in illo ſunt identificata, in alio cui comparatur ſint diuiſa, ſeù quod vnum ſit ſinè alio in termino Comparationis. Et radix huius eſt, quia prædicata reſpectiua, cùm ſint ad alterum, addit Caietanus, diſtinctionem, & oppoſitionem deſumunt per ordinem ad alterum. Ità Caietanus multis in locis.

Inſtantia Scoti contrà Reſponſionē. Inſtat Caietanus. Nullum Ens reale dependet ab operatione intellectus: ſed attributa, puta in Diuinis ſunt aliquid reale, & vnum formalitèr non eſt aliud, aliàs diceretur Verbum procedere formalitèr per voluntatem, ſicut dicitur per intellectum procedere: ergò realitèr formalitèr ex natura rei diſtinguuntur. Et quod dicitur de attributis, idem probatur ſuprà de gradibus Metaphyſicis in Argumento ſuprà. Imò in ipſis, puta in animalitate, & rationalitate, cùm ſint in humanitate aliquid reale, magis eluceſcit, quod vna formalitas non eſt alia; alias diceretur quod Animalitas eſt rationalitas, quod neque Thomiſtæ admittunt.

Reſponſio Caietani ad inſtantiam Scoti. Reſp. Caietanus quo ad attributa, diſtinguendo maiorem: Nullum ens reale dependet ab operatione intellectus, quantùm ad ſuum eſſe conceditur; quantùm ad rationem ſuam negatur: Tempus enim eſt verum ens reale, & tamèn dependet ab actu intellectus ſeù Animæ. Et ſic diſtinguitur Minor. Attributa ſunt aliquid reale, & vnum non eſt aliud ſecundum ſuum eſſe negatur. Secundum rationem ſuam conceditur minor, & negatur conſequentia.

Item dicas, & eodem modo diſtinguas de gradibus Metaphyſicis, ſcilicet animalitate, & rationalitate pro vt ſuprà. Ità Caietanus per totam quæſt. 12. cap. 6. de ente, & eſſentia, & ſuper caput tertium loc. cit.

Appendices ad Lectionem 10. Metaphyſicalem in Tractatu de Proprietatibus Entis.

Eſto in quarto loco huius Lectionis Argumenta tangant diſtinctionem formalem ex natura rei actualem, ipſamque defendant, & nihil de diſtinctione modali iuxtà viam D. Thomæ dicatur, & objiciatur: Reſponſiones tamèn ad Argumenta excludendo diſtinctionem formalem ex natura rei, excludunt etiàm diſtinctionem modalem, iuxtà principia Scoti, quàm Scotiſtæ cit. à Bordono in illo ſuo opuſculo de formalitatibus Scoti in quæſt. 14. Tract. 1. reducunt ad illam diſtinctionem formalem ex natura rei, vt eius ſpecies. Sicut etiàm P. Albert

Digitized by Google

bertinus ex Soc. Ieſu confundit ipſam diſtinctionem modalem ; cum diſtinctione formali ex natura rei, contrà quem inuehit Io: Martinez de Prado noſter in ſua Metaphyſica ; ſicuti & etiàm ibi impugnat Suarezium petentem principium, concludendo quod Suarez de diſtinctione modali dat expoſitionem ſatis obſcuram. Albertinus dixit, quod ad rationem modi exigitur vt non variet rationem formalem rei modificatæ, & quod res modificata cum ſuo modo non differat à re, & ideò confundit ipſam cum diſtinctione formali ex natura rei, de qua legas, vt diximus in Appendicibus Lectionis præcedentis, præcipuè intèr gradus Metaphyſicos Bordonum quæſt. 4. 2. tract. vbi pag. 151. ſoluit rationem Io: à S. Thoma parte 2. log. quæſt. 10. art. 3. & etiàm Complutenſium pag. 165. & Blaſij à Conceptione de Attributis Diuinis quæſt. 1. §. 2. & ſoluit rationem Caietani apud Gelualdum Capucinum cit. à Bordono pag. 188. num. 110. in 29. Argumento. Legas ipſum, ſi placet, &c.

Intèr Modernos fundantes diſtinctionem modalem, ſunt qui declarant modos dicendos eſſe illos in actuali informatione ſubiecti. Hurtadus dixit Modos eſſe entitates illas ex vi quarum aufertur indifferentia, quàm habent aliæ entitates ad aliquid præſtandum, vel non præſtandum. Alij dicunt, quod Modus, nec diuinitus poteſt ſeparari à re, cuius eſt modus, quamuis è contrà res ipſa poſſit eſſe ſine modo iſto, & aliquando connectatur neceſſariò cùm aliquo modo vagè res illa, licèt non eſſentialitèr pendeat, ab iſto, vel illo. Huiuſmodi opiniones dicunt aliqui, ſicut nec facilè probari poſſunt, ità nec euidentèr refelli. Omnes tamèn conueniunt, quod adeſt neceſſitas iſtorum modorum, & quod exiſtunt antè operationem intellectus, licèt ſint minimæ entitatis, & conſiſtentiæ, ex quo non merentur habere nomen rei abſolute, nec proprium quaſi genus, & lineam entis completi, & perfecti, in quo differunt à ſex vltimis prædicamentis, quæ ſunt genera, &c. Ità Moderni, &c. Io: Martinez à Prado num. 61. admittit etiàm intèr modos entis rationis, diſtinctionem modalem, quo modo ens reale, poteſt diuerſificari per modos diuerſos rationis, eo modo quo dicitur tranſcendentia differre ab ente per diuerſos modos, &c.

LE-

LECTIO XI.
METAPHYSICALIS
In Tractatu ſexto
DE PROPRIETATIBVS ENTIS.

Vtrùm veritas tranſcendentalis, ſicut & falſitas ſit in rebus, an in intellectu.

Ex Caietano p. p. quæſt. 16. art. 1. & quæſt. 17. art. 1. & alibi, &c.

Declaratio Tituli, eiuſque ſenſus facta à Caietano.

QVIA Vnũm eſt propinquius Enti, ipſi vnitati primum dedimus locum ad explicandam hanc primam proprietatem cum eius oppoſito, ſcilicèt, diſtinctione, ſeù diuiſione. In præſenti Lectione, ait Caietanus, quia Verum, & ens conuertuntur, cui nihil addit reale, vt diximus ex D. Thom. quæſt. 16. art. 3. p. p. in ſuperioribus, ſecundum locum obtinet verum intèr proprietates entis, explicanda eſt in particulari hæc proprietas cum D. Thom. Et primò quæritur, cùm duplex conſideretur Veritas vna Tranſcendentalis, de qua in præſenti, & altera formalis, de qua in ſequenti Lectione, an Tranſcendentalis, ſicuti, & eius oppoſitum, puta falſitas, ſit in rebus, vel in intellectu. Et nota, quod ex eo quod non addit aliquid reale ſuprà ens veritas ipſa tranſcendentalis. Ne dicas, quod non ſit entitas realis; quia vtraque ſcilicèt tranſcendentalis, & formalis eſt vtique entitas realis, cùm ſit maxima perfectio noſtri intellectus, quæ non in aliquo rationis, ſed reali debet conſiſtere. Et ſicuti Diuinam eſſentiam cognoſcimus alio, & alio conceptu, ſcilicet Sapientiæ, Bonitatis, &c. Et per vnum Conceptum aliquid reale ſignificatur, quod non ſignificatur per alterum formalitèr, quamuis non realitèr diſtinctum; ſic dicimus quod ipſum ens, & quidquid clauditur in illo non cognoſcimus diſtinctè per vnum conceptum; ſed alio conceptu cognoſcimus vnitatem entis, & alio veritatem, & alio ipſam rationem entis abſtrahendo ab hoc, vel alio &c. etiàm ſi non diſtinguantur intèr ſe realitèr. Quidquid dicant alij Metaphyſici ſuper illum Textum 8. 6. Met. quòd à conſideratione Metaphyſica prætermittendum eſt ens verum, ſcilicèt prætermittenda non eſt veritas tranſcendentalis, nec veritas repreſentatiua, ſed ſola veritas formalis, quæ eſt in intellectu enunciatiuo; quam Philoſophus appellat ens Verum, & Commentator appellat ens veridicum, quia eſt ens diminutum, & contractum ad ens Logicum propriè conueniens ſecundis intentionibus, & ideò ad ipſum ſolum propriè ſpectans. Quidquid ſit de hoc, ait Caietanus, nos debemus quærere cum D. Thom. 1. p. quæſt. 16. art. 1. de veritate tranſcendentali, an ſit tantùm in intellectu, & in quæſt. 17. art. 1. de eius oppoſito, cum contrariorum ſit eadem diſciplina, an

Videas Iauellum in ſua Metaphyſica qu. 13. vbi ens rationis excludit à cõſideratione Metaphyſica.

etiàm

Digitized by Google

etiàm falſitas ſit in ſolo intellectu, vel etiàm in rebus. Et nota, ait Caiet. quod D. Th. art. p. cit. q. 16. in fine corporis refert ſex definitiones veritatis, & dicit quod tres pertinent ad verum in re, duæ ad verum in intellectu, & vltima ad verum in re, & in intellectu. Veritas enim, ait D. Th. diuerſimodè notificatur. D. Aug. in lib. de vera Religione c. 36. dicit, quod veritas eſt qua oſtenditur id quod eſt. Et Hilarius dicit, quod verum eſt declaratiuum, aut manifeſtatiuum ipſius eſſe, & hoc pertinet ad veritatem ſecundum quod eſt in intellectu. Ad veritatem autem rei, ſecundum ordinem ad intellectum pertinet definitio Aug. in lib. de vera Religione c. 35. vbi ait, veritas eſt ſumma ſimilitudo principij, quæ ſine vlla diſſimilitudine eſt. Anſelmus dicit, Veritas eſt ſola rectitudo mente perceptibilis, quia rectum eſt quod concordat principio. Et Auicenna ait, Veritas vniuſcuiuſq; rei eſt proprietas ſui eſſe, quod ſtabilitum eſt ei. Quod autèm dicitur, quod Veritas eſt adæquatio rei, & intellectus poteſt ad vtrumque pertinere. Ità D. Thom. Quæritur ergo præcipuè de Veritate tranſcendentali, & de falſitate an ſit vel in rebus, vel in intellectu. Ità & non aliter, declarat Caietanus titulum in loc. cit.

Quo ad primum Caietanus in p. p. q. 58. a. 5. (& q. 85. a. 6. ex D. Th. declarat oppoſitum ipſi veritati) ſcilicet, quomodo poſſit eſſe, & non eſſe falſitas in intellectu noſtro, & Angeli, & ait quod D. Th. in a. 6. cit. reddit in corpore rationem omnis infallibilitatis inuentæ in intellectu docendo quod intellectus propter hoc quod non fallitur circà quidditatem, oritur infallibilitas intellectus circà principia prima complexa, & conſequentèr circà omnes Concluſiones ſcientificas, & quod indè naſcatur hoc probat, quia hoc conuenit eis, quia euidentes ſunt ex ſola quidditate terminorum: Principia enim cognoſcimus, in quantùm terminos cognoſcimus, vt dicitur in p. poſt. habent ergo principia infallibilitatem ex vicinitate ad quidditatem, quæ eſt proprium obiectum intellectus: Proprium enim, & primum obiectum intellectus eſt incomplexum, quod ſimplex terminus ſignificat, & quià circà illud errare non poteſt, meritò circa ea, quæ ſufficiens habent lumen ex illo, errare quoque non poteſt. Infallibilitatis igitur cauſa intellectus optimè dicta eſt ab Auctore quod eſt ille ordo ad quod quid eſt, cùm ex illo oſtendatur omnis intellectus infallibilitas. Et ad plenitudinem Doctrinæ Auctor addit, quod circà quidditates ſimplices, nec per ſe, nec per accidens fallitur, ſed aut verè cognoſcitur, aut non attinguntur ex 9. Met. tex. 22. Sed de his in lectione ſequenti, vbi de Veritate formali eſt ſermo, hic pro nunc tangitur id quod dicitur de compoſitione, veritate, & falſitate in intellectu Angeli, ibi patet diffusè, quod cum ſua operatio ex parte ſua ſit ſimplex, ſi ex parte obiecti ſit etiam incomplexio omnimoda, nulla compoſitio, & per conſequens nulla veritas, aut falſitas poteſt ibi accidere; vndè ſi accidit in prima operatione falſitas, hoc accidit ratione compoſitionis in obiecto, ratione cuius ibi eſt falſitas, aut veritas virtualiter &c. Omninò enim ſimplex à ſimplici operatione non poteſt ex parte attingi, quamuis à complexa operatione poſſit falsò attingi ex parte operationis. Sed de his in lectione ſequenti. Ità Caietanus ex D. Th. in p. p. q. 85. art. 6. in fine Comment.

Primum Notab. Caiet. in quo explicatur vndè proueniat infallibilitas in intellectu noſtro.

Notat 2. Caietanus in p. p. q. 17. a. p. circà falſitatem in rebus, quod res naturales dependent ab intellectu Diuino, vt artificiales ab humano, & hinc infert vniuerſaliſſimè, ergo in rebus naturalibus dependentibus à Deo non eſt falſitas ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid. Et primò hoc fecit D. Th. ait Caietanus, quià idem eſt iudicium de omnibus, & de naturalibus: Omnia enim quatenus ab ipſo pendent, ſtatutum in eo habent quid eis conueniat, & quomodò conformia oporteat, vt ſint, exceptis voluntarijs; & ſecundò hoc fecit, quod omnia alia à Deo

2. Notab. Caiet. in quo explicatur quo pacto falſitas poſſit eſſe in rebus.

Digitized by Google

poſſunt comparari ad intellectum Diuinum dupliciter vno modo vt cognita ad cōgnoſcentem; aliomodo vt menſurata ad menſuram, ſeù vt regulata ad Regulam. Si primo modo comparentur, nulla differentia eſt intèr alia, & voluntaria, quo ad ſubductionem ab ordine reſpectu intellectus Diuini, quia omnia æquè nuda, ac aperta ſunt coram eo. Sed ſi comparentur ſecundo modo, ſic eſt differentia poſita ab Auctore in corp. art. quoniàm in rebus alijs nihil accidit niſi ex aliquo ordine regulato à Diuino intellectu licet ordo non congruat huic, vt patet in Monſtris. In Voluntarijs autèm accidit deformitas moralis, non ex ordine aliquo ſtatuto à Deo: nullum enim ordinem ſtatuit ex quo culpa fieret: nullaque in Deo regula eſt, cui culpa conformis ſit, ſed ex potentia peccandi liberi arbitrij accidit, quæ vt ſic nec per ſe, nec per accidens eſt à Deo, vt alibi patet. Et nota quod in corp. art. addit D. Th. ly niſi fortè in voluntarijs non quia Dubium ſit, ſed quia non eſt neceſſe in voluntarijs inueniri huiuſmodi falſitatem; vel quia adhuc de voluntarijs nondum eſt determinatum, de quo in p. 2. Ità Caietanus in loc. cit. q. 17. art. 5. cit. circà finem Comment.

Opinio propria Caiet. de Mente D. Thomæ.

Quo ad ſecundum Caiet. in p. p. q. 16. art. 1. cum D. Th. ait, opportet fateri, quod veritas tranſcendentalis principaliter eſt in intellectu, ſecundariò in rebus in ordine ad intellectum à quo dependent, & ex Reſp. ad ſecundum D. Th. dicit quod antiqui Philoſophi ſpecies rerum naturalium non dicebant procedere ab aliquo intellectu, ſed eas prouenire à caſu. Et quia conſiderabant quod verum importat comparationem ad intellectum, cogebantur veritatem rerum conſtituere in ordine ad intellectum noſtrum. Ex quo inconuenientia ſequebantur quæ recitat Philoſophus in 4. Met. & in p. poſt. tex. 5. vbi inter alia, ponebant hoc ſcilicet quod omne quod videtur, opportet eſſe verum. Inconuenientia autèm non accidunt, ſi ponamus Veritatem rerum conſiſtere in comparatione ad intellectum diuinum. Et ſic verificatur dictum Ariſt. in 6. Met. quod verum, & falſum non in rebus, ſed in intellectu ſunt. Et patet ex his quomodo in vero ſenſu ſit defendendus Ariſtoteles.

Opinio Aureoli, & Durandi de Veritate tranſcendentali.

Aureolus vult quod Veritas tranſcendentalis conſiſtat in ſola negatione formali; & ideò ens dici Verum, quia non eſt ens fictum. Heruæus opinatur quod Verum conſiſtat in conformitate rei, pro vt eſt in ſe ad ſe ipſam, vt obiectiuè conceptam. Durandus oppoſitum dicit, ſcilicet quod conſiſtat in conformitate rei ſecundum eſſe obiectiuum ad ſe ipſam, ſecundum eſſe reale conſideratam. Ità Caiet.

Opinio de Falſitate in rebus iuxtà Mentem D. Th.

Circà falſitatem, ait Caietanus in p. p. q. 17. art. 1. quod nullus diſſentit à D. Th. ſcilicet quod falſitas non poteſt ſimpliciter reperiri in rebus, quæ ſcilicet ſit ſimpliciter, & abſolutè tranſcendentalis in genere entis: benè tamen quod poſſit reperiri ſecundum quid in quibuſdam rebus, quæ ſcilicet ſit talis ſolum in aliquo determinato genere entis, & hoc habet expreſſè D. Th. in art. 1. cit. in corp. contrà aliquos, vbi ait Artificialia aliqua eſſe ſimpliciter in genere artificialium falſa, in quantùm ſcilicet recedunt à forma artis; & peccata etiàm ſunt falſa in genere moris iuxtà illud pſalmi 4. Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? cum recedant, & ſe ſubducant à regula rationis practicæ. Ità Caiet. in loc. cit.

1. Concl. ponitur à Caiet. ex Th. cum probatione primæ partis quod Veritas ſit in intellectu principalitèr.

Quo ad tertium. Ponitur prima Concluſio à Caietano ex D. Th. p. p. q. 16. art. p. ſic. Veritas principaliter eſt in intellectu, ſecundariò in rebus, ſecundum quod comparantur ad intellectum, vt ad principium à quo dependent.

Probatur prima pars à Caiet. ex D. Thoma ſub tali forma. Verum eſt terminus intellectus: ergo eſt in intellectu. Antecedens declaratur ex proportionali conuenientia intèr Verum, & Bonum, quod ſicut Bonum ſignificat id, in quod tendit

appe-

appetitus, ità Verum ſignificat id, ad quod tendit intellectus (Appetitus enim eſt ſecundum inclinationem ad rem) ità Verum ſignificat id ad quod tendit intellectus ſicut bonum, & cognitio eſt ſecundum quod cognitum eſt in cognoſcente. Hinc patet conſequentia deducta quod extrà appetitus, cognitio intus perficitur.

Probatur 2. pars à Caietano ex D. Th. ſub tali forma. Verum eſt in intellectu ſecundum quod conformatur rei intellectæ: ergo ratio Veri ab intellectu ad rem intellectam deriuatur: ergo res intellecta vera dicitur ſecundum quod habet ordinem ad intellectum. Manifeſtatur antecedens vt ſupra, quod ſicut Bonum eſt in re, vt conueniens eſt appetitui, ità Verum in intellectu eſt ſecundum quod conformatur rei intellectæ: Vtraque quoque conſequentia ex eadem radice probatur. Prima quia ex bono in re Bonitas ad appetitum deriuatur, ſecunda quia ex hoc appetitus Boni dicitur Bonus.

Probatio ſecundæ partis quod ſint veræ res in ordine ad intellectum cum ſua Confirmatione prima.

Confirmatur primò ratione Iudicium de vnaquaque re non fit ſecundum ea, quæ inſunt per accidens, ſed per ſe: ergo vnaquæque res dicitur vera abſolutè ſecundum ordinem ad intellectum à quo dependet. Probatur hoc ex differentia inter ordinem rei ad intellectum cauſatiuum, vel cognoſcitiuum tantùm, quia ſcilicet ad iſtum per accidens, ad illum per ſe ordinem habet, quod quidem declaratur exemplo Domus reſpectu Artificis, & non artificis. Dicitur enim domus vera, quæ aſſequitur ſimilitudinem formæ, quæ eſt in mente artificis; & dicitur oratio vera, inquantùm eſt ſignum intellectus Veri.

Confirmatur hoc idem ſecundò ab effectu. Effectus teſtimonium præbentes, ſunt artificialia, & naturalia; Naturalia enim vera ſunt abſolutè ſi conſonant opifici quem ſupponimus eſſe primum intellectum: Dicuntur enim veræ ſecundum quod aſſequuntur ſimilitudinem ſpecierum, quæ ſunt in Mente Diuina, dicitur enim verus lapis, quia aſſequitur propriam lapidis naturam ſecundum præconceptionem intellectus Diuini. Artificialia etiam, tàm Mæchanica, vt Domus, quàm liberalia vt oratio abſolutè vera ſunt, quia ſunt conformia ſuis artibus, & regulis. Ità Caiet. art. p. q. 16. cit.

Confirm. ſecunda.

Secunda Concluſio ponitur à Caiet. ex D. Th. q. 17. in p. p. art. 1. ſic. Falſitas rei illuè ſimpliciter, ſiuè ſecundum quid conſiſtit prima in difformitate rei ad intellectum à quo dependet, ſecunda in ordine ad intellectum à quo non dependet.

2. Concl. Caiet. de Falſitate cum ſua probatione quod ſimpliciter ſiuè ſecundum quid conſiſtit in difformitate rei ad intellectum.

Probatur à Caietano vtraq; pars ſimul ſic. Verum, & falſum opponuntur: ergo vbi primò veritas, ibi primò falſitas: ergo falſitas eſt in intellectu, & non in rebus niſi in ordine ad intellectum. ergo falſitas ſimpliciter conſiſtet in difformitate ad intellectum quem per ſe reſpicit: ergo ad intellectum à quo dependet: ergo falſitas ſecundum quid in ordine ad intellectum per accidens: ergo à quo non dependet. Prima Conſequentia probatur: quia oppoſita ſunt circa idem. Secunda quia Veritas cum ſit in intellectu, & non in rebus, non niſi erit in ordine a intellectum. Tertia probatur quia vnumquodque nominatur ſimpliciter ab eo quod conuenit per ſe. Quarta intellectus, à quo res dependet, per ſe reſpicitur. Quinta cum ſexta probatur ex oppoſitis tertiæ, & quartæ conſequentiæ, quia ab intellectu per accidens denominatur res ſecundum quid, quia intellectus à quo res non pendet eſt per accidens. Ità Caiet.

Tertia Concluſio ponitur ibidem à Caiet. ſic. Falſitas ſecundum quid eſt in rebus; ſimpliciter autem non eſt in rebus dependentibus à Deo, niſi fortè in Voluntarijs.

3. Concl. ponitur à Caiet. cum probatione primæ partis, quod falſitas ſecundum quid ſit in rebus.

Prima pars dupliciter declaratur à Caietano ex D. Thoma ſic. Res naturales relatæ ad intellectum noſtrum ſunt ſignificatæ, & vt cauſæ, & quandoque ſignifican-

cantur ſecundum id quod non ineſt, & nata ſunt quædam facere de ſe falſam opinionem: ergo vtroque modo in eis poteſt dici falſitas ſecundum quid. Antecedens patet quo ad omnes partes inductiuè, ſicut ſi dicamus diametrum eſſe falſum commenſurabile vt dicit Philoſophus in 5. Met. tex. 34. & ſicut dicit Auguſt. in libro ſoliloquiorum c. 10. quod Tragædus eſt falſus Hector. Per modum cauſæ patet etiàm inductiuè, quia ſic dicitur res falſa, quæ nata eſt facere de ſe opinionem falſam, & quia innatum eſt nobis, ait Auctor per ea quæ exteriùs apparent de rebus iudicare, eo quod noſtra cognitio à ſenſu ortum habet, qui primò, & per ſe eſt exteriorum accidentium; ideò ea, quæ in exterioribus accidentibus habent ſimilitudinem aliarum rerum dicuntur eſſe falſa ſecundum res illas, ſicuti Fel eſt falſum Mel, & Stannum eſt falſum Argentum, & ſecundum hoc dicit Aug. in lib. Soliloquiorum c. 6. quod eas res eſſe falſas nominamus, quæ veriſimilia apprehendimus. Et Philoſophus dicit in 5. Met. tex. 34. quod falſa dicuntur quæcumque apta nata ſunt apparere, aut qualia non ſunt, aut quæ non ſunt. Et per hunc modum etiàm dicitur Homo falſus in quantùm eſt amatiuus falſarum opinionum, vel locutionum, non autèm ex hoc, quod poteſt eas confingere, quia ſic etiàm Sapientes, & Scientes falſi dicerentur vt dicitur in 5. Met. Ità Caiet. probat conſequentiam ex ipſa ratione Falſi, & auctoritatibus Aug. & Ariſt. loc. cit.

Probatio ſecundæ partis, quod falſitas ſimpliciter non ſit in rebus.

Probatur ſecunda pars ex D. Th. ibidem q. 17. cit. à Caiet. ſic. Res naturales dependent ab intellectu Diuino, ſicut Artificiales ab intellectu humano: ergo falſitas ſimpliciter naturalium conſiſtit in difformitate ad intellectum Diuinum: ergo in rebus dependentibus à Deo non eſt falſitas ibi ſimpliciter, niſi fortè in voluntarijs. Antecedens ſupponitur. Conſequentia probatur: quia res artificiales dicuntur falſæ ſimpliciter, in quantùm deficiunt à forma Artis. Et manifeſtatur hoc ex vſu loquendi, dicitur enim aliquis falſam Grammaticam feciſſe, quia defecit ab Arte Grammaticæ, & ſumitur hic deficere, non negatiuè, ſed contrariè, quia idem eſt, quod eſſe difforme: Defectus enim negatiuè conſtituit opus imperfectum, ſed contrariè conſtituit falſum. Et ideò vt clarior eſſet ſenſus, vſus ſum in conſequentijs difformitatis nomine. Secunda verò conſequentia proba ur. Quidquid in rebus accidit (exceptis his in quorum poteſtate eſt ſubducere ſe ab ordine Diuini intellectus) ex ordinatione Diuini intellectus procedit: ergo in rebus dependentibus à Deo non eſt falſitas ſimpliciter niſi forte in voluntarijs. Et exceptio confirmatur auctoritate Scripturæ directè, & ex oppoſito confirmato quoque auctoritate Scripturæ, ſcilicet Veritate vitæ dicta de actu virtuoſo ſecundum, quod ipſa peccata falſitates, & mendacia dicuntur. Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium; & per oppoſitum operatio virtuoſa Veritas Vitæ nominatur in quantùm ſubditur ordini Diuini intellectus, vt dicitur Io. 3. Qui facit Veritatem, venit ad lucem. Ità Caiet. ex D. Th. q. 17. a. 1. cit.

4. Concluſio Caiet. cum probatione primæ partis, quod in intellectu Angelico non poſſit eſſe per ſe falſitas.

Quarta Concluſio ponitur à Caietano de tali intellectu ſingularis ex D. Th. p. p. q. 58. a. 5. In intellectu Angelico non poteſt eſſe falſitas per ſe; ſed per accidens non quo ad naturalia, ſed quo ad ſupernaturalia.

Probatur prima pars à Caietano ſic, ex D. Th. ſub tali forma. Intellectus in prima operatione ſemper eſt verus per ſe loquendo, vt patet in ſenſu ex 3. de Anima tex. 61. ſed intellectus Angelicus ſemper intelligit per modum primæ operationis, ergo &c. Maior declaratur aſſignando cauſas vtriuſque modi, quo falſitas inuenitur in nobis intelligendo quod quid eſt, quod eſt obiectum primæ operationis, quia ſcilicet vterq; contingit ex compoſitione admixta; & rurſus ſecundus modus contingit reſpectu quorumdam obiectorum, ſcilicet compoſitorum tantùm, & non ſim-

ſimplicium vt patet ex p. Met. tex. 22. In primo modo contingit, ait D. Th. in corpore intelligendo quod quid eſt, ſcilicet ſecundum rationem alicuius compoſitionis, vel cùm accipimus definitionem vnius rei, vt definitionem alterius, vel cùm partes definitionis ſibi non cohærent; ſicut ſi accipiatur pro definitione alicuius rei Animal quadruplex volatile: nullum enim Animal tale eſt, & hoc quidem accidit in compoſitis quorum definitio ex diuerſis ſumitur quorum vnum eſt materiale ad aliud; ſed intelligendo quidditates ſimplices vt dicitur in 9. Met. tex. 22. non eſt falſitas, quia vel totaliter non attinguntur, & nihil intelligimus de eis; vel cognoſcuntur vt ſunt; & per conſequens per ſe non poteſt eſſe falſitas, aut error, aut deceptio in intellectu alicuius Angeli. Ità Caiet. ex D. Th.

Probatur à Caiet. ibidem ſecunda pars, quod per accidens, ex differentia aſſignata ab Auctore intèr modum, quo per accidens noſtræ ſimplici intelligentiæ admiſcetur falſum, & intèr modum quo per accidens admiſcetur Angelicæ: falſitas enim apud nos præcedit quod quid eſt, quoniam admiſcetur in via componendo, vel applicando ſicut quando diuidendo, & demonſtrando definitionem inueſtigamus. In Angelis verò falſitas ſequitur quod quid eſt, quoniam in iudicando ex illo contingit; vndè non eſt ſicut in nobis, quià per quod quid eſt rei cognoſcunt omnes enunciationes ad illam rem pertinentes.

Probatio ſecundæ partis quod in intellectu Angelico poſſit eſſe falſitas per accidens quo ad ſupernaturalia.

Tertia, & quarta pars, ſcilicet non quo ad naturalia, ſed quo ad ſupernaturalia, ſimul declaratur, & probatur ſic. Intellectus ex iudicando quod quid eſt conditiones rei potens iudicare, ſaluo, & non ſaluo Diuinæ Sapientiæ ordine poteſt falli circà ſupernaturalia quamuis non circà naturalia: ſed intellectus Angelicus eſt huiuſmodi in quibuſdam: ergo &c. Maior patet quo ad naturalia, quia ex cognitione quod quid eſt ſufficiens habetur ratio naturalium, & ordinis Diuinæ Sapientiæ vt diſponentis curſum naturalem. Quo ad ſupernaturalia verò probatur, quia hæc ex reuelatione tantum ſciri poſſunt; & declaratur exemplaritèr de Chriſto homine, & Deo, ſicut ſi conſideret ipſum vt hominem, iudicat eum non reſurrecturum; ſi autèm conſiderat hominem Chriſtum, iudicet eum non eſſe Deum. Minor declaratur, quià Angelorum quidam ſunt Boni, quidam verò mali, & illi quidem ſua ſorte contenti, iudicant; ſaluo ſemper ſuperiori, ordine, & quantùm eſt ex meritis cauſarum naturalium; hi verò ſuperbia elati iudicant ſimpliciter, ac ſi nullus eſſet ordo ſuperior immutatiuus ordine naturæ; & per hoc ſubducere dicuntur intellectus ſuos, quandoque ab ordine Diuinæ Sapientiæ, & falli. Ità D. Th. loc. cit.

Quinta Concluſio ponitur à Caiet. ex D. Th. p. p. q. 85. a. 6. ſic. Intellectus non fallitur circà quidditatem rei, per ſe loquendo; ſed circa ea, quæ circumſtant rei eſſentiam, vel quidditatem intellectus poteſt falli.

5. Concl. ponitur à Caiet. cum ſua probat. quod circà quod quid eſt non fallatur intellectus, ſed circà circumſtantia &c.

Concluſio hæc, eſto ex dictis ſit manifeſtata, nihilominùs Caietanus loc. cit. declarata ſimilitudine D. Th. ſumpta ex Ariſt. qui in 3. de Anima tex. 26. comparat quantùm ad hoc intellectum ipſi ſenſui, formalizat hanc rationem pro prima parte ſic. Potentia ſemper eodem modo ſe habet ipſa manente ad proprium obiectum: ergo nunquam ab eo deficit, & conſequentèr non fallitur circà illud, cum falli in defectu conſiſtat. Antecedens probatur, quia potentia per ſe, & ſecundum quod ipſa ordinatur ad proprium obiectum: ergo ſemper eodem modo. Tenet ſequela, quia ſecundum quod ipſum infert neceſſarium, & ſempiternum ex p. poſt. Hinc Auctor applicat ſimilitudinem Ariſt. ad intellectum, & totidem dicantur de intellectu proportionaliter tamèn. Vndè ſex dicit in corp. primò aſſignat proprium obiectum intellectus, quod eſt quidditas rei; ſecundò infert primam hanc partem ſimilem primo dicto de ſenſu, & dicit quod per accidens contingit intellectum decipi

cipi circà quod quid eſt in rebus compoſitis non ex parte organi, quia intellectus non eſt virtus vtens organo, ſed ex parte compoſitionis interuenientis circà definitionem dùm vel definitio vnius rei eſt falſa de alia, ſicut definitio Circuli de Triangulo, vel dùm aliqua definitio eſt in ſe falſa implicans compoſitionem impoſſibilium, vt ſi accipiatur hæc definitio Animal rationale alatum, vt definitio alicuius rei.

Hinc tertiò infert ſecundam partem Concluſionis, ſcilicet quod poteſt falli circa ea quæ circumſtant &c. dùm vnum ordinat ad aliud, vel componendo, vel diuidendo, vel etiàm ratiocinando, vt explicauimus etiam cum D. Th. in notabilibus ſuprà. Ità Caietanus a. 6. q. 85. cit. legas ibi, quia habet multa ex D. Thoma vt manifeſtata, & declarata alibi.

1. Arg. Caiet. contrà 4. Concl. Quo ad 4. Arguit Caietanus contrà quartam Concluſionem ſic. Ex p. p. q. 58. a. 5. Omnis intellectio Angeli eſt ſimplex apprehenſio, cui non admiſcetur compoſitio, aut diuiſio: ergo cum nulla intellectio Angeli tàm naturalium, quàm ſupernaturalium habeat compoſitionem adiunctam ſiuè præcedentem, ſiuè ſubſequentem non rectè dicitur in quarta Concluſione quod in intellectu eius poſſit eſſe falſitas. Antecedens probatur, quia iàm conſtat, quod nulla prima intellectus operatio falſitati ſubeſſe poſſit niſi ratione compoſitionis adiunctæ, vt Auctor dicit in corpore, vt conſtat per experientiam, & ex definitione veri, & falſi 4. Met. tex. 27.

Reſp. ad 1. Arg. Reſp. Caiet. pro nunc, cum Argumentum tangat de Veritate formali de qua in ſequentibus quod cum Angelus omnia cognoſcat per modum primæ operationis, dùm cognoſcit compoſita; virtualitèr poteſt incurrere falſum, ratione compoſitionis adiunctæ in obiecto. Et hoc eſt quod intendit Auctor per radices, quas tangit in art. 5. cit. falſitatis, aut veritatis ex parte rei ſimplicis, aut compoſitæ cognitæ cum naturali, aut ſupernaturali conditione, aut quacumque habitudine, & ſic veritas, vel falſitas formaliter ſemper eſt in compoſitione ex parte intellectus, vt dicetur in lectione ſequenti: Falſitas autem, vel veritas eſt virtualitèr in compoſitione, aut diuiſione obiectiua, quamuis non modali. Ità Caietanus loc. cit.

Arg. 2. contrà Concluſionem. Arguitur ſecundo contrà primam Concluſionem, quod ſi falſitas ſit, ſit in omnibus rebus, auctoritate D. Aug. in lib. 2. ſoliloquiorum cap. 8. Si verum eſt id quod eſt, falſum non eſſe vſpiam concluditur quouis repugnante. Inſuper in lib. de vera Religione c. 34. ait, quod omne Corpus eſt verum Corpus, & falſa Bonitas, quia imitatur Bonitatem, & non eſt Bonitas: ſed quælibet res imitatur Diuinam Bonitatem, & ab ea deficit: ergo in omnibus rebus eſt falſitas.

Reſp. Caiet. ad 2. Argumentum. Reſp. Caietanus ad primam auctoritatem, quod res comparata ad intellectum ſecundum id quod eſt dicitur vera, & ſecundum id quod non eſt dicitur falſa. Vnde verus Tragœdus eſt falſus Hector; ſicut igitur in his, quæ ſunt, inuenitur quoddam non eſſe, ità in his, quæ ſunt, inuenitur quædam ratio falſitatis; nàm ſi id quod eſt, ſecundum id quod non eſt diceretur verum, profectò nihil falſum reperiri poſſet alicubi: falſam enim non dicimus rem aliquam, niſi ſecundum quod illa non eſt.

Reſp. ad ſecundam auctoritatem, quod ſimilitudo, vel repreſentatio deficiens non inducit rationem falſitatis niſi in quantùm præſtat occaſionem falſæ opinionis; vnde non vbicumque eſt ſimilitudo dicitur res falſa, ſed vbicumque eſt talis ſimilitudo, quæ nata eſt facere opinionem falſam non cuicumque, ſed vt in pluribus. Igitur non ex eo, quod res deficit ab imitando aliquid dicitur falſa, ſed ex eo quod de ſe dat occaſionem deceptionis pluribus. Ità Caiet. loc. cit. & in p. p. q. 17. a. p.

Arg. 3. Caiet. contra 1. Concl. cũ ſua Reſp. Arguitur tertiò ibidem ex D. Th. q. 16. a. p. Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis ex p. poſt. tex. 5. ſed ex eo quod res eſt vel non eſt, opinio, vel oratio

tio ſecundum Philoſophum c. de ſubſtantia dicitur vera, vel falſa: ergo veritas magis eſt in rebus, quàm in intellectu.

Reſp. Caietanus ex D. Th. quod licet veritas intellectus noſtri à re cauſetur, non tamen opportet, quod in re per prius inueniatur ratio veritatis, ſicut neque in Medicina per prius inuenitur ratio ſanitatis, quàm in Animali, quia virtus Medicinæ, & non ſanitas eius cauſat ſanitatem, cùm non ſit Agens vniuocum. Et ſimiliter eſſe rei, non veritas eius, cauſat veritatem intellectus. Vndè Philoſophus dicit, quod opinio, & oratio vera eſt ex eo, quod res eſt, non ex eo, quod res vera eſt. Ità Caietanus loc. cit.

Appendices ad Lectionem Vndecimam Metaphyſicalem in Tractatu de Proprietatibus entis.

Minaldus noſter in ſua nouiſſima Metaphyſica lib. 3. dub. 11. vbi quærit, in quo conſiſtat ratio veritatis tranſcendentalis, ſequens in omnibus Caietanum, dicit quod ſicuti vnitas duo importat, vnum de materiali, quod eſt ipſa ratio entis; aliud de formali, & hoc eſt negatio diuiſionis; ità veritas importat de materiali ipſam rationem entis; de formali vero habitudinem adæquationis, & conformitatis cum intellectu, quæ quidem adæquatio, & conformitas eſt quid abſolutum, inuoluens tamen reſpectum, & habitudinem tranſcendentalem ad intellectum. Et ſic cum Caietano dicit Minaldus, quod veritas tranſcendentalis formaliter conſiſtit in habitudine reali adæquationis, & conformitatis cum intellectu Diuino primariò, & ſecundariò in intellectu creato, & hoc verificatur de veritate tranſcendentali creata, quia eſt paſſio entis realis, & aliquid reale debet eſſe, & in aliquo reali conſiſtere. Nec obſtat; quod talis conformitas terminetur primariò ad intellectum Diuinum, cui nihil reale poteſt aduenire, quia hoc non tollit, quod ſit relatio realis, quia ad relationem realem ſufficit, quod ex parte vnius extremi ſit realis, vt patet in relatione ſeruitutis, quam habent Creaturæ ad Deum, quæ tantùm eſt realis ex parte vnius extremi, ſcilicet Creaturarum; & dicimus quod eſt quid abſolutum ab ordine vtique prædicamentali, non verò tranſcendentali, quæ relatio, ſeù ordo, ſeù habitudo eſt tranſcendentalis, & non prædicamentalis. Et quando D. Th. in p. p. q. 16. a. 6. ait quod res denominantur veræ, à veritate quæ eſt in intellectu, eo modo quo medicina denominatur ſana à ſanitate, quæ eſt in Animali; ibi loquitur D. Th. de Veritate formali, & non de tranſcendentali, vt clarius habetur in q. 1. de Verit. a. 4. in corp. vbi ait, denominantur autèm res veræ à veritate, quæ eſt in intellectu Diuino, aut humano, ſicut denominatur cibus ſanus, à ſanitate, quæ eſt in Animali &c. Cæterùm non per denominationem extrinſecam, ſed per intrinſecam, & realem habitudinem, quàm habent primariò res &c. denominantur intrinſecè veræ.

Idem dicit quod Minaldus, Blaſius à Conceptione de Veritate tranſcendentali creata in ſua Metaphyſica diſp. 22. q. 1. §. 1. & 2. in ſua Concl. 1. & 2. conciliando aliquos Modernos Thomiſtas cum Caiet. cui credunt contrarios eſſe. Ait enim veritas tranſcendentalis non conſiſtit formaliter in aliqua denominatione extrinſeca, nec in negatione falſi, nec in aliquo reſpectu rationis, ſed primariò conſiſtit in habitudine illa reali, atq; tranſcendentali, qua vnaquæque res dicit conuenientiam aptitudinalem, & conformitatem cùm intellectu Diuino Ideiſq; Ipſius; ſecundariò verò in conuenientia aptitudinali quam poteſt habere cum Intellectu creato: loquimur enim de veritate tranſcendentali creata, & non de veritate abſtra-

ſtrahente à creata, & increata, quia certum eſt, non poſſe conſiſtere in aliqua habitudine reali ad intellectum Diuinum, cùm veritas increata non poſſit realiter referri ad intellectum Diuinum, quia ab ipſo non diſtinguitur realiter; vndè ſi conſideretur veritas ſub illa generali abſtractione abſtrahente à creata, & increata; erit definienda per habitudinem conformitatis abſtrahentem à reali, & rationis. Legas ipſum Blaſium loc. cit. defendentem Caietanum, contrà Suareziùm, & aliquos alios Modernos, qui putant recedere Caietanum à communi ſententia Thomiſtarum, & in rei veritate ſtat cum D. Thoma, alijſq; antiquioribus Thomiſtis, & Modernis Metaphyſicis.

Moderni igitur intèr ſe digladiantur pro opinione Caietani in præſenti Lect. Aliqui enim citant Caiet. in p. p. q. 16. a. 2. cum Durando, ſcilicet, quod ipſe teneat, veritatem denotare primariò relationem ad intellectum, & ſecundariò entitatem; & citant alios Thomiſtas pro oppoſito Capreolum, Soncinatem, Ferrarienſem p. c. g. c. 60. Bannezium, & Maſium lib. 4. de Tranſcend. c. 3. de qua re conſidera tu Thomiſta, quæ dicunt ſuprà in loc. cit. pro Caiet. Minaldus, Blaſius à Conceptione.

Et circà veritatem an ſit in rebùs formaliter, vel fundamentaliter tantùm, legas præcipuè Ioannem à S. Thoma Sapientiſſimum noſtrum, cuius doctrinam ſequitur noſter Mag. Arnù in ſua nouiſſima Metaphyſica art. 2. q. 7. de Vero, & art. 3. num. 48. & num. 51. concludit ſic. Secundum ergo quod veritas participata in creatura attribuitur ex habitudine ad veritatem, quæ eſt in Deo, ſeù ad intellectum Diuinum, veluti ad efficientem exemplar, & finem, ſolùm ei extrinſecè competit formaliter loquendo, licet fundamentum illius habitudinis intrinſecum ſit. Fundamentaliter ergo, & quaſi materialiter fundat intrinſecam habitudinem ad veritatem ratione propriæ entitatis adæquatæ intellectui, & hac ratione veritas eſt ei intrinſecè inhærens ratione connexionis intrinſecæ, & denominatur formaliter vera, non tamen abſolutè, ſed veritate participata ſicuti, & dicitur ens non abſolutè, ſed ens participatum. Ità Magiſter Arnù, cuius dicta ſi compares cum ijs, quæ dicuntur à Minaldo, & à Blaſio à Conceptione, videbis, quod omnia conſona ſunt doctrinæ Caiet. iuxtà interpretationem ab illo datam de Mente D. Thomæ, eſto ſit inter Modernos diuerſitas modi loquendi, & varietas terminorum, quæ nil aliud facit, & parit niſi confuſionem in diſcipulis addiſcentibus Controuerſias ibi natas.

De falſitate legas eumdem Magiſtrum Arnù q. cit. a. 4. num. 54. ait quod cùm res comparari poſſit ad intellectum tùm humanum, tùm Diuinum, per ordinem ad Diuinum non accidit in rebus falſitas, quia ſemper ei adæquantur, & ab eius arte procedunt. Per ordinem verò ad intellectum humanum accidit quandoque falſitas, quodammodo ex ipſa re cauſata. Vndè Philoſophus in 6. Met. illa vocat falſa, quæ nata ſunt videri, aut qualia non ſunt, aut quæ non ſunt. Et hoc modo falſitas eſt in rebus, quaſi tamèn per accidens, quia comparatio rerum ad intellectum humanum, accidentalis eſt. Idcircò per ſe, ac præcipuè falſitas in ſolo Iudicio intellectus conſiſtit. Quomodo autèm verum, & falſum ſint contraria, breuiori methodo, & clariori declarat idem Mag. Arnù num. 55. concludendo, quod conſiderata Diuina veritas prout in participatione noſtra eſt, vel in apprehenſione noſtra, poteſt habere contrarium, non autèm in ſe: Veræ enim opinioni de Deo, falſa opinio contrariatur. Citat in fine ibi D. Alb. Magnum in ſua Summa Theolog. p. p. tract. 6. q. 25. memb. 3. art. 4. Legas etiam formalitatea, & Append. Ven. Porrectæ ſuper art. cit. ſupra ex p. p. pulcherrima ibi, & lucidiora Sole habebis &c.

LECTIO XII. METAPHYSICALIS

In Tractatu ſexto DE PROPRIETATIBVS ENTIS.

Vtrùm veritas formalis, eiuſque oppoſitum falſitas, ſit in intellectu componente, & diuidente.

Ex Caietano p. p. queſt. 16. art. 2. & queſt. 17. art. 3. & alibi.

TITVLVS clarus, ait Caietanus apud retinentes, quod intellectus componens, & diuidens non ſignificat ſubſtantiam, aut potentiam aliquam, ſed operationem intellectus, quæ in 3. de Anima vocatur compoſitio, & diuiſio. Occaſio dubij datur à Philoſopho in 6. Met. tex. 8. vbi habet quod circà ſimplicia, & circà ipſum quod quid eſt non eſt veritas nec in intellectu, nec in rebus; vndè ſi apud aliquos veritas formalis reperitur in ſimplici apprehenſione, hoc non verificatur niſi materialitèr, & veluti ſeminalitèr, ſeù in eſſe inchoato, & incompleto, quia ibi reperitur materia, vel ſemen propoſitionis mentalis, & per conſequens reperiuntur ea ex quibus fit, & componitur propoſitio mentalis, & in hoc ſenſu intendit Ariſtoteles ibi, quod formalitèr non eſt in intellectu, nec in rebus. Et aduerte, addit Caietanus, quod quandò dicitur, quod veritas formalis reperitur in intellectu, non excluditur ex hoc veritas tranſcendentalis, quàm habet intellectus, ſicuti cætera entia, penès comparationem, & conformitatem ad idæas Diuinas; & etiàm pro vt intellectus diſtinguitur ab entibus non cognoſcentibus, ſuam veritatem habet tranſcendentalem, & aſſimilationem ad obiectum, quod cognoſcit. Et Caietanus pro penetratione tituli dicit, quod vt veritas formalis propriè, & per ſe, & non materialitèr, & inchoatiuè ſit in intellectu tres requiruntur conditiones. Prima quod ſimilitudo rei cognitæ ſit in eo, ex defectu cuius veritas formalis non poteſt eſſe in rebus non cognoſcentibus. Secunda quod illud, in quo eſt talis ſimilitudo cognoſcat rationem illius ſimilitudinis, ex cuius defectu veritas formalis non poteſt in ſenſu reperiri, vt docet S. Thom. in quæſt. 1. de verit. art. 4. eſto in eo reperiatur ſimilitudo obiecti. Tertia eſt, quod illud in quo eſt illa ſimilitudo cognoſcat illam rationem ſimilitudinis iudicando de ea, & de ratione repreſentata per eam, ex cuius defectu veritas formalis propriè non reperitur in ſimplici intellectus apprehenſione. Stantibus his examinamus in præſenti Lectione in qua intellectus operatione ſit iſta veritas formalis cum ſint tres, ſcilicèt ſimplicium apprehenſio, compoſitio, & diuiſio; ratiocinatio, & diſcurſus, an per ſe tantùm ſit formalitèr in intellectu componente, & diuidente; & quod quæritur de veritate, quæritur & de eius oppoſito, ſcilicèt, de falſitate; hæc enim inueſti-

Declaratio Tituli eiuſque ſenſus facta à Caietano.

gat per ordinem D. Thomas in 1. p. quæſt. 17. & in quæſt. 16. Ità Caietanus loc. cit.

Primum Notabile Caiet. in quo declaratur, quod conformitas ad rem poteſt eſſe ibi, & per ſe, & per accidens.

Quò ad primùm. Notat Caietanus in 1. p. quæſt. 16. art. 2. ex diffinitionibus datis, & recitatis in præcedenti Lectione illam communitèr acceptatam, ſcilicèt, veritas eſt adæquatio, ſeù conformitas rei, & intellectus. Circà iſtam, notat Caietanus, & dicit: Conformitas ad rem duplicitèr poteſt inueniri in intellectu. Vno modo per ſe, alio modo per accidens. Per ſe nulli intellectui incomplexo, ſeù ſimplici conuenit, quia incomplexum vt ſic nullum reſpectum æqualitatis, vel inæqualitatis ad alterum dicit, ac proindè conformitas, quæ reſpectum æqualitatis includit, per ſe in intellectu ſimplici inueniri non poteſt, ſed ſolùm in intellectu componente. Vndè Ariſt. in 4. Met. tex. 27. vt oſtenderet verum exercitè inueniri propriè, & per ſe in compoſitione, diffiniuit ipſum cum Falſo per enunciabile, dicens, quod verum eſt ens eſſe, & non ens non eſſe; falſum autèm diffiniuit per ens non eſſe, & non ens per eſſe. Et addit Caietanus, ſi altiùs diffinitionem illam perſcrutati fuerimus, inueniemus quod vniuerſalitèr, & propriè loquendo illa diffinitio ſoli veritati abſolutè conuenit, & veritati rei non niſi extenſiuè; quia cum aliquis intellectus ſit ex propria ratione conformis, aut difformis, & de ratione veritatis abſolutè ſit conformitas in intellectu, conſentaneum eſt, quod de intellectu cui per ſe conuenit conformitas, ſit ſermo. Ità quod ſenſus eſt, veritas eſt conformitas intellectus, & rei, ſcilicèt, veritas eſt intellectus per ſe conformis rei, vel dicatur ſic, eſt veritas conformitas intellectus, vt eius ſubiecti, & ſic in diffinitione veritatis ponitur intellectus tanquam ſubiectum non per accidens, ſed per ſe. Ità Caiet. in fine Comment. art. 2. cit. § a pater quartum notatu dignum, &c.

Notabile ſecundum Caiet. in quo diſtinguitur, quod aliud eſt loqui de intellectu in actu ſecundo, & aliud de intellectu in quantùm cognoſcēs.

Notat ſecundò Caietanus ibidem, quod aliud eſt loqui de intellectu etiàm in actu ſecundo, & aliud de intellectu in quantùm cognoſcens; & ſimilitèr aliud eſt loqui de veritate illius, & aliud de veritate iſtius. Ad veritatem enim intellectus in actu ſecundo non plus requiritur quàm ad veritatem ſenſus in actu ſecundo. Vndè & intellectus, & ſenſus in actu verus dicitur, vt quædam res vera, quia cognitio aſſimilatione ad cognitum informatur. Ad veritatem autèm intellectus vt cognoſcens eſt exigitur, quòd veritas ſit in eo, vt eſt cognoſcens, hoc autèm non eſt, niſi ſit in eo vt cognita; & proptereà Auctor inueſtigans, vbi propriè verum ſit, à propria forma intellectus, non in actu primo, aut ſecundo; ſed vt cognoſcens eſt, procedit; & vult quod propria forma eius, ac perfectio ſit ſimilitudo cogniti, non quæ eſt principium cognitionis; ſed quæ eſt terminus, vel quaſi terminus, ſeù perfectio ad quam attingendo perficitur; hinc in corp. art. cit. ait Auctor, veritas quidem igitur poteſt eſſe in ſenſu, vel intellectu cognoſcente quodquid eſt, vt in quadam re vera, non autèm vt cognitum in cognoſcente, quod importat nomen veri. Et ſic ſimilitudo rei cognitæ duplicitèr ſumitur. Primò pro ſpecie intelligibili, ſiuè ſenſibili ſimplici, ideſt per modum incomplexi repræſentantis, quidquid ſit illa ſpecies. Secundò pro ſpecie repræſentatiua cogniti vt ſic, ſiuè complexè, ſiuè incomplexè, ſiuè ſit ſpecies illa impreſſa, ſiuè expreſſa, ſiuè cognitio ipſa: hæc enim non variant propoſitum. In præſenti Lectione non ſumitur ſimilitudo cogniti primo modo, vt ſuperficialitèr videtur dicere littera, ſed in ſecundo modo, ità vt ſenſus ſit, quod ſimilitudo attacta, ſeù aſſecuta à cognitione eſt propria forma, & perfectio intellectus vt cognoſcens eſt, & illa cognitio, quæ ſui ipſius conformitatem cum re cognoſcit, illa verum cognoſcit, & nulla alia quomodocumque ſit illa conformitas, ſiuè per

modum

modum complexi, ſiuè incomplexi. Ità Caietanus art. 2. cit. §. Ad euidentiam horum, &c.

Notat tertiò Caietanus ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 17. art. 3. in ordine ad falſitatem, quod illa propoſitio aſſumpta à D. Thom. Res naturalis non deficit ab eſſe, quod ſibi conuenit ſecundum ſuam formam, poteſt benè, & malè interpretari; Malè quidem ſi intelligatur, quod eſſe rei naturalis non poteſt deficere: hoc enim non eſt verum niſi in incorruptibilibus; benè autem ſi intelligatur, quod eſſe rei naturalis non poteſt deficere, ſalua ipſa re naturali, & hunc ſenſum intendit Auctor; vndè non dicit, quod nulla res naturalis poteſt deficere, ſed dicit, quod non poteſt deficere ab eſſe, quod ſibi competit ſecundum ſuam formam, ac ſi diceret quod, quod nulla res habens aliquam formam, dùm habet illam, poteſt deficere ab eſſe, conuenit ei ſecundum illam, & eſt per ſe nota hæc propoſitio, quoniam eſſe eſt de ratione formæ, vt diximus in ſuperioribus ex 7. Met. Et nota, addit Caietanus, illam aliam propoſitionem Auctoris proportionalem. Sicut res habet eſſe per propriam formam, ità virtus cognoſcitiua habet cognoſcere per ſimilitudinem rei cognitæ, quod cognoſcere eſt ipſum eſſe ſpeciei cognoſcibilis, quia verè eſt actu in genere cognoſcibili, vt etiàm diximus, quod intelligere eſt ipſum eſſe ſpeciei intelligibilis actu in genere intelligibilium, & non medio modo exiſtentis; ità quod hoc eſt commune omni cognoſcitiuæ virtuti, ſiuè ordinis ſenſitiui, ſiuè intellectiui, ſcilicèt quod cognoſcere eſt eſſe ſpeciei, qua cognoſcit, ſumendo illam ſpeciem, quidquid illa ſit in actu, in genere cognoſcibili, quidquid ſit de eſſe eius actu in genere entium. Et in Reſponſione ad primùm, ait D. Thom. quod ideò quidditas dicitur proprium obiectum intellectus, quia intellectus in communi ſe habet ad quidditatem, ſicut viſus ad colorem, ità quod per ſe primò cognoſcit quodquid eſt, & ab ipſo tantùm perficitur, & mouetur per ſe primò. Et ratio eſt, quia ſpecies intelligibilis primò eſt quidditatis; tùm etiàm quia in quodquid eſt clauditur cognitio omnis complexionis, ſiuè conuenientis, ſiuè diſconuenientis; adeò quod, ſi quis perfectè penetraret quidditates rerum perfectè intelligeret in eis omnes propoſitiones de earum accidentibus, vt in Tractatu de Angelis dicitur; Tùm quia quodquid eſt, cognoſcibile eſt de ſe; Complexi autèm non niſi ex quodquid eſt. In cuius ſignum principia cognoſcimus, in quantùm terminos cognoſcimus, vt dicitur 1. poſter. & omnes dubitationes reſoluendo in quodquid eſt, iudicamus. Ità Caietanus quæſt. 17. art. 3. in fine Comment.

Notabile tertiù Caietani, in quo de falſitate explicatur illa propoſitio D. Thom. Res naturalis non deficit ab eſſe, quod ſibi conuenit ſecundùm ſuam formam.

Quò ad ſecundùm, Caietanus recitat veram ſententiam D. Thom. cum Ariſt. vt etiam habetur in 3. de Anima in fine cap. 3. pag. mihi 232. Et ait, quod Verum in intellectu pro vt inuenitur duo modo vt cognitum, ità quod ipſum cognitum ſit in ſe verum, ſic inuenitur tantùm in intellectu componente, & diuidente, quoniam de ratione veri, vt patet 4. Met. tex. 27. eſt compoſitio, vt diximus; pro vt autèm verum eſt in intellectu, quaſi vt in quadam re, ſic etiàm eſt in intellectu quodquid eſt, quando intellectus apprehendit quodquid eſt circuli, figuram planam à cuius centro ad circumferentiam omnes lineæ ſunt æquales. Et quoniam veri nomen ſignificat obiectum intellectus, ideò intèr hos duos modos hæc eſt differentia, quod iuxtà primum modum dicitur, & quod intellectus eſt verus, & quod verum eſt in intellectu; iuxtà autèm ſecundum modum dicimus dumtaxat quod intellectus eſt verus, & hanc differentiam inſinuat Philoſophus, dicens, quod omnis dictio vt affirmatio, ideſt ſecunda operatio enunciatiua, eſt vera, vel falſa, ità quod in ſe habet verum, vel falſum dictum ab intellectu.

Opinio D. Tho. explicatur à Caietano de Veritate formali vbi & in qua operatione conſiſtat.

Intellectus autèm ipſius quodquid eſt vt ſic eſt verus, non illo modo, quo verùm conſiſtit in enunciando aliquid de aliquo, ſed illo modo quo ſenſus proprius eſt verus, ideſt non vt cognoſcens; & dicens verùm, ſed tanquàm res informata vera forma. Et ly vt ſic ponitur, quia intellectus quodquid eſt in quantùm admixtam habet compoſitionem partium diffinientium, & applicationem diffinitionis ad diffinitum eſt falſus, & recedit à ſe ipſo immiſcens ſe ſecundò operi, vt patet in 5. Met. De intellectu Angelico pro vt ſit lectio de veritate formali per comparationem ad intellectum humanum dicetur in ſequenti Lectione. De Deo enim certum eſt non intelligere hoc modo, cum arguat imperfectionem in intellectu.

Opinio D. Tho. explicata à Caiet. in quo actu iudicij conſiſtat illa veritas formalis.

Veritas autèm iſta formalis, quæ formalitèr conſiſtit in compoſitione iudicatiua, an conſiſtat formalitèr in illo actu iudicij componentis vnum cum alio, an verò in conceptu formali prædictum actum terminante? Caietanus conciliat ſic Thomiſtas: Qui enim aſſerunt veritatem formalem conſiſtere in actu iudicij, intelligendi ſunt de veritate formali ſolùm vialitèr & in fieri; qui autèm aſſerunt veritatem formalem conſiſtere in conceptu formali repreſentante conuenientiam prædicati cum ſubiecto, vt Ferr. in 1. cont. gent. cap. 59. intelliguntur de veritate formali, formalitèr & in facto eſſe. S. Thomas enim docet expreſsè in 1. cont. gent. cap. 59. in principio, quod ad id in intellectu veritas pertinet, quod intellectus dicit, non ad operationem, quæ id dicit: non enim ad veritatem intellectus exigitur, vt ipſum intelligere rei adæquetur, cùm res interdùm ſit materialis, intelligere immateriale ſit, ſed illud quod intellectus intelligendo dicit, & cognoſcit oportet eſſe rei adæquatum, vt ſcillcèt ità in re ſit ſicut intellectus dicit. Ex D. Thom. igitur cum illud quod dicitur per operationem intellectus ſit verbum, ſeù conceptus formalis obiecti per conſequens veritas formalis conſiſtet formalitèr in prædicto conceptu: ſecundum quam doctrinam D. Thomæ nos conciliamus dicta, quæ videntur ſibi contraria. Ità Caietanus ex notabilibus ſuprà.

Prima Concluſio Caiet. ex D. Thom. cum ſua probatione quod veritas propriè loquendo ſit in intellectu componente, & diuidente.

Quò ad tertiùm. Caietanus ex D. Thom. 1. p. quæſt. 16. art. 2. ponit hanc Concluſionem primam ſic. Veritas propriè loquendo eſt in intellectu componente, & diuidente tantùm: probatur à Caietano vtraque exponens per ly propriè, & ly tantùm ſub tali forma.

Omnis res eſt vera ſecundum quod habet propriam formam ſuæ naturæ: ergò intellectus, vt cognoſcens eſt verus ſecundum quod aſſimilatur rei cognitæ: ergò veritas eſt conformitas intellectus & rei: ergò cognoſcere veritatem eſt cognoſcere conformitatem cognitionis ad cognitum: ergò nec ſenſus, nec intellectus ipſius quodquid eſt, ſed intellectus tantùm iudicans ità eſſe ſicut apprehenditur, cognoſcit primò, & dicit verum: ergò intellectus componens, & diuidens cognoſcit verum: ergò in eo tantùm eſt verum, ſecundùm proprium modum nomine veri importatum: ergò in eo tantùm eſt verum propriè loquendo. Prima conſequentia probatur, quia ſimilitudo rei cognitæ eſt propria forma intellectus, vt cognoſcens eſt; ſecunda verò manifeſtè tenet ex vi antecedentis, adiuncta illa propoſitione D. Thom. in corp. art. Verum ſecundum ſui primam rationem eſt in intellectu: ſi enim ſic eſt, & veritas attenditur ſecundum ſimilitudinem ad rem, ſequitur manifeſtè, quod veritas per conformitatem intellectus, & rei diffiniatur, & diffinienda ſit. Tertia conſequentia vt de ſe verè nota relinquitur, quoniam ſi veritas cognitionis conſiſtit in ſimilitudine, ſeù conformitate intellectus, & rei, & è conuerſò, ſequitur quod cognoſcere hanc conformitatem, ſit cognoſcere veritatem. Quarta conſequentia quo ad partes negatiuas de-

clara-

claritur in viſu, & in intellectu ſimplici; licet enim viſus habeat ſimilitudinem viſibilis, non tamen cognoſcit comparationem, quæ eſt intèr rem viſam, & id quod apprehendit ipſe de ea, & ideò bene inuenitur quod ſenſus eſt verus de aliqua re; vel intellectus cognoſcendo quodquid eſt, non autèm quod cognoſcat, aut dicat verum. Affirmatiua, probat one non eget. Quinta probatur, quia in omni propoſitione intellectus aliquam formam ſignificatam per prædicatum explicat rei ſignificatæ per ſubiectum, vel ab ea remouet. Sexta probatur, quia verum eſt perfectio intellectus, vt cognitum; & manifeſtatur ex differentia conſequente intèr cognoſcentem eſſe verum, & cognoſcentem cognoſcere verum: illud enim eſt cognoſcentem eſſe verum, vt quamdam rem, & ideò conuenit ſenſui, & intellectui ipſius quodquid eſt, & vocibus incompletis: hoc autem eſt habere verum, vt cognitum in cognoſcente, & ideò in intellectu componente, vocibuſque complexis, vt ſignis, &c. Vltima demum conſequentia per ſe nota deducitur. Ità Caiet. art. 2. cit.

Secunda Concluſio Caiet. cum ſua probatione quod veritas formalis, formalitèr, & in facto eſſe conſiſtit in conceptu formali.

Secunda Concluſio ità ponitur à Caietano pro conciliandis Thomiſtis ſic. Veritas formalis non conſiſtit in actu iudicij niſi vniuerſalitèr, & in fieri, ſed formalitèr, & in facto eſſe conſiſtit in conceptu formali repræſentante conuenientiam prædicati cum ſubiecto.

Probatur à Caietano ſufficiente diuiſione ſub tali forma. Veritas formalis, vel conſiſtit formalitèr in iudicio in ſpecie impreſſa; vel in expreſſa, ſeù conceptu formali obiecti; vel in relatione conformitatis, & ſimilitudinis, quæ eſt intèr intellectum, & obiectum; vel vt dicit Durandus in vltima conformitate, ideſt in ipſo obiecto, vt eſt ſecundum eſſe obiectum ſibi ipſi in eſſe entis conforme: ſed non conſiſtit in ſpecie impreſſa, nec in relatione conformitatis intèr intellectum, & obiectum; nec vt vult Durandus in vltima conformitate: ergò conſiſtet in ſpecie expreſſa, ſeù conceptu formali obiecti. Minor probatur, quod non in ſpecie impreſſa, quia ſpecies impreſſa eſt forma intelligibilis, veritas verò formalis habet rationem formæ cognitæ cum ſit vltima intellectus perfectio; nec poteſt conſiſtere in actione intellectus, quia actio intellectus non eſt ſimilis formalitèr obiecto. Probatur, quod non in relatione conformitatis, & ſimilitudinis intèr obiectum, & intellectum, quia finis & vltima perfectio in quam tendit intellectus eſt veritas formalis, & hoc eſt quid abſolutum: ergò eſto verum ſit, quod ex acquiſitione veritatis reſultat, vt ex fundamento in intellectu aliqua relatio conformitatis cum obiecto, realis quidem, ſi obiectum ſit reale, & exiſtens: rationis verò ſi non exiſtat, vel ſit aliquid rationis, in iſta tamèn relatione non conſiſtet ratio formalis veritatis, ſed conſiſtet in illo abſoluto, ſcilicèt in aliqua qualitate abſoluta, vt terminus intellectionis, & hoc contrà aliquos ex noſtris. Probatur Minor contrà Durandum, quod in illa vltima conformitate conſiſtat. Si per Durandum, & per aliquos alios conſiſteret in iſta conformitate conſiſteret formalitèr in aliquo reſpectu rationis: nihil enim poteſt eſſe ſibi ipſi conforme per aliquid realitèr reſpectu ſui ipſius reſpectiuum, quia nihil poteſt ad ſe ipſum realitèr referri: ſed non poteſt ſic conſiſtere: ergò, &c. Probatur Minor, quia veritas formalis etiàm in abſtracto prædicatur de ſapientia æterna. Ego ſum via, & veritas &c. Et ſic cum abſtractum nil niſi formam, quam exprimit ſignificet, & quodcumque aliud à ſua ſignificatione excludat, implicat quod veritas formalis ſignificet ſolùm ens rationis, alias ſequeretur, quod Deus eſſet ens rationis, imò quod non eſſet aliud quàm ens rationis &c. Nec obſtat, quod hic ſit ſermo de veritate creata, & non increata, quia proportionalitèr loquendum eſt

de

de veritate increata, ac de creata, cùm veritas creata ſit participatio quædam veritatis increatæ; & per conſequens ſi veritas creata eſt aliquid ſolùm rationis de formali, idem dicendum erit de increata &c. ergò de primo ad vltimum, ſi veritas formalis non conſiſtit in illa ſpecie impreſſa, nec in operatione, nec in prima, & vltima conformitate per Durandum, ex ſufficienti diuiſione, neceſſariò ſequitur quod conſiſtat in conceptu formali, qui eſt formalis, & expreſſa ſimilitudo obiecti cum nil aliud poſſit aſſignari in intellectu ex ſufficienti diuiſione. Ità Caietanus loc. cit.

Tertia Concluſ. Caiet. ex D. Thom. cum probatione primæ partis, quod falſitas non ſit in intellectu quodquid eſt niſi per accidens.

Tertia Concluſio ponitur de falſitate ex D. Thom. à Caietano in 1. p. quæſt. 17. art. 3. hoc modo. Falſitas non eſt in intellectu quodquid eſt niſi per accidens; ſed eſt in intellectu componente, & diuidente formalitèr, & obiectiuè.

Probatur à Caietano prima pars ſic. Falſitas per ſe eſt in compoſitione intellectus tantùm: ergò in intellectu habebit locum tantum ratione compoſitionis admixtæ: ergò inuenitur in eo per accidens. Antecedens patebit modò. Conſequentiæ ſunt notæ, & prima fundatur ſuper hoc quod ex primo tali cætera oportet dici talia in quantùm participant illud ex 1. poſt. Secunda fundatur ſuper hoc quod non eſt de ratione quodquid eſt eſſe compoſitum.

Manifeſtatur inſuper diſtinguendo duos modos, quibus compoſitio admiſcetur intellectui circà quodquid eſt, vt dictum eſt in notabilibus, quæ non opportet ampliùs repetere &c.

Probatio ſecundæ partis, quod falſitas ſit in intellectu componente, & diuidente formaliter, & obiectiuè.

Probatur ſecunda pars. Res naturalis non deficit ab eſſe quod ſibi conuenit ſecundum ſuam formam, deficere tamèn poteſt ab accidentibus, vel conſequentibus: ergò virtus cognoſcitiua non deficit à cognitione illius, cuius ſimilitudine informatur; ſed accidentium eius, vel conſequentium: ergò intellectus circà quodquid eſt non decipitur; ſed in componendo, vel diuidendo. Antecedens probatur inductiuè de homine. Decipitur ab hoc quod eſt habere duos pedes, non autèm ab hoc quod eſt eſſe hominem. Conſequentia probatur. Sicut res ſe habet ad eſſe per formam, ità virtus cognoſcitiua ad cognoſcere per ſimilitudinem rei cognitæ: ergò ſi non poteſt deficere &c. deficiet &c. Secunda conſequentia principalis probatur quoad primam partem, quia intellectus informatur ſimilitudine quidditatis; quoad ſecundam partem probatur, quia componendo attribuitur quidditati aliquid vel non conſequens, vel oppoſitum. Similitudo proportionalis conſiſtit in hoc, ſicut ſenſus viſus ſe habet ad ſenſibile proprium, ità intellectus ad quodquid eſt, & ſicut ille informatur directè ſimilitudine proprij ſenſibilis, ità hic ſimilitudine quidditatis, & propterea in neutro vt ſic eſt falſitas. Et inſuper ſicuti ſenſus ſe habet ad ſenſibilia communia, & per accidens: ità intellectus ad iudicandum de conſequentibus, vel accidentibus quidditati, & cùm hoc fiat componendo vel diuidendo, ideò in vtroque poteſt eſſe falſitas.

Probatur à Caietano tertia pars ex D. Thom. ſic. Veritas eſt in eodem intellectu eiſdem modis, ergò &c. Manifeſtatur hoc ex differentia ad ſenſum vt ſuprà dictum eſt quod falſitas in intellectu eſſe poteſt, non ſolùm quia cognitio intellectus eſt falſa, ſed quia intellectus eam cognoſcit, ſicut & veritatem; In ſenſu autem falſitas non eſt vt cognita, vt dicitur in art. 2. quæſt. 17. Ità Caietanus loc. cit.

Corrollarium D. Thom.

Corrollarium tandèm Caietanus ex D. Thom. in fine corp. art. cit. affert. Intellectus in cognoſcendo quidditates ſimplices non poteſt eſſe falſus, ſed aut verus, aut nullus, ideſt, ſed vel eſt verus, vel totalitèr nihil intelligit. Ità Caiet. art. 3. quæſt. 17. cit.

Arg. 1. Caiet. contrà prædicta.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus contrà id quod dicitur; quod in ſimplicibus poſſit eſſe error ex coniunctione partium cū diffinito, in intellectu quodquid eſt. Coniunctio diffinitionis cùm diffinito eſt extrà intellectum ipſius quodquid eſt: ergò non verificatur primus modus falſitatis. Probatur: Intellectus enim quodquid eſt lineæ non dicit linea eſt longitudo, cuius extrema ſunt duo puncta: ſed dicit tantùm longitudo cuius extrema ſunt duo puncta: nàm illa tota prima propoſitio eſt ab intellectu componente, & diuidente, ſicuti etiàm ab eodem dicitur, & enuntiatur, quod linea eſt curua, vel recta; cur ergò magis falſitas illius coniunctionis primæ operationi intellectus imponitur, & non potiùs huic ſecundæ quæ eſt ab intellectu componente, & diuidente?

Confirmatio Argumenti.

Confirmatur. Iſte modus falſitatis non minus habet locum in ſimplicibùs, ac in compoſitis: poteſt enim ſimpliciſſimus conceptus iungi, cui non conuenit quidditatiuè; ad quid ergò dicere in Corrollario, quod in ſimplicibus non poteſt eſſe error nec per accidens?

Reſponſio Caiet. & ad Argum. & ad Confirmationem

Reſp. Caietanus ad Argumentum, quod ſicut res ſe habet ad eſſe, ità ad cognoſci; & propterea quantùm differt coniunctio diffinitionis cum diffinito à coniunctione cum cæteris; tantùm intereſt vt exigatur cognitio illius coniunctionis ad quod quid eſt, & non coniunctionis cum alijs: Coniunctio enim diffinitionis cum diffinito dat locum diffinitioni, quod ſit ipſum quodquid eſt: nulla enim ratio eſt quidditas niſi in quantùm eſt alicuius entis quidditas: Et propterea cognoſcere quodquid eſt non contingit niſi cognoſcatur coniunctio diffinitionis cum diffinito; ſi enim cognoſceretur diffinitione, ſciendo cuius eſt rei, non ſciretur quidditas aliqua, ſed quid ſignificat nomen: ſic enim ſe haberet huiuſmodi diffinitionem apprehendens, ſicuti ſe habet modo formans conceptum montis aurei, vel cuiuſcumque alterius figmenti ex non impoſſibilibus; non ſic autèm ſe habet ad quodquid eſt coniunctio cum paſſionibus & alijs, quoniam abſque illis quidditatis ratio ſaluatur. Quia ergò quodquid eſt eſſentialitèr exigit in eſſendo id cuius eſt, quamuis non hoc vel illud, opportet etiàm vt in cognoſci exigat illud, ac per hoc illa coniunctio ſpectat ad primam operationem intellectus, ſicuti & coniunctio partium diffinitionis, quamuis hæc vltima magis. Et quoniam coniunctio diffinitionis cum diffinito, ſi ſecundum ſe iudicetur conſurgit ex compoſitione diffiniti (niſi enim eſſet compoſitum, locum in eo non haberet abſtractio diffinitionis ab eo, quantùm eſt ex ſe, cum nihil abſtrahat ſecundum ſe, ab omninò ſe ipſo) propterea ſi aliqua quidditas inuenitur, ità ſimplex, ſcilicèt vt ſit rei ſimplicis quidditas, circà illam in tali caſu nullus ex parte ſua error eſſe poteſt, ſicuti nulla eſt etiàm compoſitio. Et per hoc patet Reſponſio ad Confirmationem. Ità Caietanus in fine Comment. art. 3. quæſt. 17. §. Ad euidentiam horum ſcito &c.

Arg. 2. Caiet. ex auctoritate.

Arguit ſecundò Caietanus ex D. Thom. ibidem primò Auctoritate D. Aug. in lib. 83. quæſt. 32. Omnis qui fallitur, id in quo fallitur, non intelligit: Sed falſum dicitur eſſe in aliqua cognitione, ſecundum quod per eam fallimur: ergò in intellectu non eſt falſitas. Inſuper Philoſophus in 3. de Anima tex. 51. ait quod intellectus ſemper eſt rectus: non ergò in ipſo eſt falſitas.

Reſponſio Caiet. ex D. Tho. ad primam auctoritatē.

Reſpond. Caietanus ex Diu. Thom. ad primum, quod quia quidditas rei eſt proprium obiectum intellectus, propter hoc tunc propriè dicitur aliquis intelligere, quando reducentes illud in quodquid eſt, ſic de eo iudicamus, ſicut accidit in demonſtrationibus, in quibus non eſt falſitas. Et ſic quando Auguſt. dicit, quod omnis qui fallitur, non intelligit id in quo fallitur intelligitur in

prima

prima operatione, non autem intelligitur ità, vt in nulla operatione intellectus, aliquis fallatur. En quomodo quis intelligit, & intelligendo fallatur, quia falſò intelligit, & hoc quia non intelligit id in quo fallitur.

Reſponſio ad ſecundam auctoritatem. Ad Philoſ. Reſp. quod intellectus ſemper eſt rectus, ſecundum quod eſt intellectus principiorum, circà quæ non decipitur ex eadem cauſa, quia non decipitur circà quod quid eſt: Nàm principia per ſe nota ſunt illa, quæ ſtatim terminis intellectis cognoſcuntur ex eo quod prædicatum ponitur in diffinitione ſubiecti. Stat igitur, quod intellectus principiorum, & quodquid eſt, ſemper ſit rectus, & tamèn intellectus aliquorum aliorum non ſemper. Ità Caiet. ex D. Thom. loc. cit.

Argum. tertium Caietani. Arguit tertiò Caietanus contrà id quod dicit Auctor, quod ſicut ſenſus non dicitur cognoſcere verum, ità nec intellectus ſimplex, niſi quando componit, & diuidit. Contrà, ait Caietanus, hic ſenſus eſt alienus ſecundum veritatem; ergò &c. Probatur antecedens. Tùm quia falſum eſt quod intellectus ſimplex non cognoſcat illam conformitatem, quoniam conformitas illa quoddam diffinibile eſt, & conſequenter ſimplici intellectu cognoſcitur, cùm quia conformitas illa non cognoſcitur niſi reflexè ab intellectu, verum autèm cognoſcitur directè, & non reflexè tantùm. Tùm quia medius terminus adductus ad probandum, quod conformitas, in qua conſiſtit veritas cognoſcatur ab intellectu componendo, vel diuidendo non eſſet ad propoſitum, vt patet applicanti &c.

Reſponſio Caiet. ad Argum. ſuprà. Reſp. Caiet. ex ſuis notabilibus ſuprà, quod Auctor inueſtigans vbi propriè Verum ſit, à propria forma intellectus, non in actu primo, aut ſecundo, ſed vt cognoſcens eſt, procedit, & vult quod propria eius forma, ac perfectio eſt ſimilitudo cogniti, non quæ eſt principium cognitionis, ſed quæ eſt terminus, vel quaſi terminus, ſeù perfectio ad quam attingendo perficitur. Et ſtante ſecunda diſtinctione, videbis quod Auctor non ſumit ſimilitudinem cogniti primo modo per modum incomplexi repreſentantis, vt obijciens intelligit in illa ſuperficiali expoſitione: ſed ſecundo modo ſumit; ità quod ſenſus litteræ eſt, quod ſimilitudo attacta, ſeù aſſecuta à cognitione eſt propria forma, & perfectio intellectus vt cognoſcens eſt, & illa cognitio, quæ ſui ipſius conformitatem cum re cognoſcit, illa cognoſcit verum, & nulla alia. Et conſiderata illa alia diſtinctione de actu ſignato, & exercito videbis quod littera non ſumit cognoſcere conformitatem primo modo, ſcilicèt in actu ſignato, vt obijciens accepit in illa ſuperficiali expoſitione: ſed ſumit ſecundo modo in actu exercito, & propterea littera dicit, & probat, quod cognoſcere conformitatem ſui ad rem eſt proprium intellectus componentis, & diuidentis, ex eò quod enunciatio omnis, ponit, vel remouet aliquid à ſubiecto: ſic enim cognoſcere conformitatem ſui ad rem, eſt cognoſcere aliquid in ſe vt conforme rei, & nunquàm cognoſcitur aliquid in ſe vt conforme rei, niſi cùm cognoſcitur enunciatio, quàm conſtat eſſe in enunciante. Et conformitatem, vel difformitatem ad rem importare, oportet quod ſolus intellectus enuncians cognoſcat, & dicat conforme, vel difforme vt ſic. Ità Caietanus in Comment. art. 2. quæſt. 17. cit. & ex notabilibus ſuprà.

Appendices ad Lectionem 5. Metaphyſicalem in Tractatu de Proprietatibus Entis.

QVod alij per plura quæſita hanc Controuerſiam de veritate tranſcendentali, & formalitèr reſoluunt, Caietanus per duas præcedentes Lectiones reſoluendo, medullitùs, & profundiùs cùm Io: à S. Thoma percur-

ſit,

rit. Moderni dilatant philacteria ſua confundendo Diſcipulorum ingenia. Blaſius à Conceptione in ſua Metaphyſica diſp. 22. pag. mihi 495. primo quærit in quo conſiſtat ratio veritatis tranſcendentalis: deindè, Vtrùm ratio veri tranſcendentalis ſit formale obiectum intellectus; & alij quærunt an Veritas principaliter ſignificet entitatem, vel relationem ad intellectum, & an veritas conſiſtat in adæquatione cum intellectu Diuino vel Creato; & an Relatio, quàm ſuperaddit veritas ad ens ſit realis, vel rationis; & de Veritate formali quærit Blaſius in diſp. 23. an Veritas formalis reperiatur tantùm in compoſitione, & diuiſione, vel etiàm in ſimplici apprehenſione; Deindè an veritas formalis conſiſtat in conformitate rei ſecundum eſſe obiectiuum, quod habet reſpectu Iudicij ad ſe ipſam in eſſe rei conſideratam: Deindè an veritas formalis conſiſtat formaliter in actu Iudicij vnum componentis cùm alio, an verò in conceptu formali prædictum actum terminante, vel in relatione intellectus ad rationem intellectam. Et de falſitate quærit Blaſius in diſp. 23. q. 5. an falſitas in ſolo intellectu, an etiàm in rebus reperiatur, & an formalis ſit in ſolo intellectu componente, & diuidente. Hæc omnia cum D. Th. Caietanus reſoluit in duabus præcedentibus lectionibus.

Alij Moderni illam diſtinctionem Caietani de Veritate formali, formaliter in actu ſignato, & materialitèr in actu exercito tribuunt Maſio. Et dicunt quod Caiet. & Io: à S. Th. explicant illam diuerſimodè omninò à Maſio, & quod ſola differentia eſt in terminis; & dicunt quod ſtante illa diſtinctione plerique Thomiſtæ vt Ferrarienſis, Capreolus, Soncinas, & Arauius conſentiunt cum D. Th. & Caietano, non obſtante quod teneant inueniri veritatem formalem in ſimplici apprehenſione. Et Minaldus defendens Caietanum abbreuiando notabilia ſua ſupra, ſtatuit contrà Vaſquezium hanc Concluſionem, quod falſitas formalis reperitur in ſolo intellectu componente, & diuidente. Et Blaſius à Conceptione in diſp. 13. q. 4. ſtatuit hanc Conclúſionem ſecundam quod Actus intellectus non eſt repreſentatiuus obiecti ratione ſui, ſed ratione conceptus formalis, ſeù Verbi, cuius eſt via, & fieri, quod quidem etiàm tenent Thomiſtæ contrà Suarezium in p. p. q. 12. a. 2. citantur Salmanticenſes contrà ipſum Suarezium diſp. 2. dubio 9.

Magiſter Goudin Lemouicenſis noſter in ſua Metaphyſ. 3. p. Philoſophiæ q. 2. a. 3. breuiori methodo ſe expedit à prædictis difficultatibus, & ſupponit eſſe ſolutas in Logica Phyſica, & in 3. de Anima. Sicuti, & noſter Magiſter Arnù in q. 7. de Vero art. p. 2. 3. & 4. breuioribus quæſitis ſe expedit facillimè clarificans ingenia diſcipulorum Thomiſtarum.

Pro pleniori tamèn intelligentia litteræ D. Th. in q. 16. de Veritate, & in q. 17. de falſitate, legas, diſcipule Thomiſta, ſi vis eſſe perfectus Metaphyſicus Catholicus, & in Dogmatibus Metaphyſicis, & Canonicis, formalitates Ven. Porrectæ, cum eius Appendicibus; ibi clariora, & ſubtiliora videbis &c.

Digitized by Google

LECTIO XIII. METAPHYSICALIS

In Tractatu Sexto

DE PROPRIETATIBVS ENTIS.

Vtrùm proprietas intellectus noſtri in intelligendo conueniat etiam intellectui ſubſtantiæ ſeparatæ.

Declaratio Tituli eiuſque ſenſus quæſiti data à Caietano.

Occaſionem huius præſentis lectionis dat D. Thomas ex ijs, ait Caietanus, quæ habet in p. p. q. 88. a. 4. & 5. de modo Intelligendi Angeli, & primò quod aliquando intelligat componendo, & diuidendo, dum dicit, quod quamuis Angelus naturalia omnia intelligat intuendo quod quid eſt, quæ pertinent ad ſe naturaliter ſiuè per ſe, ſiuè contingentèr, naturales tamèn conditiones ſemper intelligit componendo, & diuidendo; & quod hæc eius ſit mens patet, quia proceſſus nullus eſſet, & contradiceret ſibi, dùm dicit, & oſtendit, quomodò in Iudicio Angeli ſit falſitas per accidens vt in nobis, differentèr tamèn, quia in nobis ratio falſitatis præcedit quod quid eſt, in eis verò ſequitur; & in nobis accidit inueſtigando, in eis verò comparando naturale ad ſupernaturale; tùm etiam patet eius mens, quia in calce art. 5. cit. reſpondendo ad oppoſita dicit, quod intellectus Angelicus quod quid eſt habet falſitatem per accidens, vt ordinatur ad compoſitionem. Ex alia vero parte videtur D. Th. admittere quod numquam intellectus Angeli intelligendo componit, & diuidit, dùm expreſsè tenet, quod etiàm Dæmones ad ea quæ ſunt eis naturaliter occulta, vt cogitationes cordium non diſcurrunt; nec alia ratio eſt de vno naturaliter occulto, & de alio; & ſic rationabile ſit, omnem Angeli cognitionem abſq; compoſitione eſſe, quia regularitèr apparet, quod ſupernaturales reuelationes modificantur, & ſuſcipiuntur in vnoquoque ſecundum modum naturalem recipientis, vt in nobis experimur, qui reuelata noſtro modo cognoſcimus; vndè ſi naturalis modus cognoſcendi Angelis inditus eſt per ſimplicem apprehenſionem, conſequens eſt vt reuelata ſimpliciter etiàm apprehendant, & pari ratione quælibet alia naturaliter occulta. Stantibus igitur his ex vtraq; parte hic relatis, modò quæritur, an Vera ſit Mens D. Th. & ſecundum ipſius doctrinam poſſit teneri quod aliquando Angelus intelligit componendo, & diuidendo.

1. Notab. Caiet. in quo explicatur quod compoſitio dupliciter admiſcetur cognitioni.

Quo ad primum. Notat Caietanus in p. p. q. 58. a. 5. quod cum verum, & falſum in compoſitione conſiſtat, quemadmodum compoſitio dupliciter admiſcetur cognitioni, ità & verum, & falſum: poteſt enim intellectui competere compoſitio ex parte modi cognoſcendi, vt quando cognoſcimus, quod homo eſt homo; & ex parte rei cognitæ, vt quando cognoſcimus rem compoſitam. Et per oppoſitum ſimplex apprehenſio dupliciter inuenitur ſcilicer quo ad modum cognoſcendi, aut quo ad rem cognitam, nec requiritur ad rationem veri aut falſi vtraq; compoſitio,

ſed

Digitized by Google

ſed altera quæuis eãrũm ſufficit; Patet enim, quod de re quantumcumque ſimpliciſſima, poteſt quis habere cognitionem compoſitam veram, aut falſam, puta, formare propoſitionem, quod ipſa eſt ipſa, aut quod ipſa non eſt ipſa; Et ſimilitèr quantumcumque modus concipiendi ſit ſimplex poteſt apprehendi ex partibus diſcohærentibus, vel cohærentibus, ac per hoc verum, vel falſum: Et ex hoc patet quod ad ſecundam operationem intellectus non ſufficit, nec requiritur neceſſariò compoſitio ex parte rei cognitæ; ſed exigitur, & ſufficit compoſitio ex parte modi cognoſcendi; Et vlterius ſequitur, quod ad primam operationem intellectus non exigitur ſimplicitas rei cognitæ, ſed modi cognoſcendi; ſequitur etiàm vlterius, quod in prima operatione intellectus, & ſi non poſſit eſſe falſitas, aut veritas ratione modi cognoſcendi, poteſt tamen eſſe in ea veritas, & falſitas ratione rei cognitæ quando ſcilicet res cognita eſt compoſita. Et propterea 9. Met. dicitur, quod in ſimplicibus nullo modo eſt falſitas quia ſcilicet nec ex parte rei, nec ex parte modi cognoſcendi, ſi prima operatio eſt cognoſcitur, & talem cognoſcendi modum ſimplicitas exigit. Ità Caietanus loc. cit.

Notat 2. Caietanus ibidem idem declarando. In prima igitur operatione intellectus eſto cùm nil affirmet, aut neget formaliter, & concipiat quidditatem, ſeù rem compoſitam, virtualitèr tamèn ibi eſt affirmatio, aut negatio: dum enim intuetur A, B, ſi hæc cohærent concipit verum virtualitèr, quia concipit ſic eſſe, ſicut eſt. Si verò non cohærent concipit falſum virtualitèr, quia concipit eſſe ſic, ſicut non eſt. Dicitur autèm verum, & falſum inueniri per accidens in prima operatione intellectus; tum quia compoſitio ſuper qua fundatur ratio veri, & falſi accidit primæ operationi non ſolùm ea ratione, quia accidit eius obiecto, dum non omni, ſed cuidam conuenit, ſed quia obiectum primæ operationis eſt incomplexum, vt incomplexum eſt, quod vt ſic nullam dicere compoſitionem patet, & conſequentèr nullam veritatem, & falſitatem; & propterea ſicut accidit in complexo compati in ſe compoſitionem, ità veritatem, & falſitatem; & propter hoc dicitur, & benè, quod veritas, & falſitas, ſicut, & compoſitio per ſe non ſunt niſi in ſecunda operatione intellectus, cuius obiectum eſt complexum vt complexum. Quod idem confirmat Caietanus in 3. de Anima in fine cap. 3. circà 6. Concluſionem Ariſtotelis, loquendo de intelligentijs, quas Angelos dicimus: ait enim, ex Ariſtoteles, habes quod non intelligunt componendo, & diuidendo, ſeù quidquid intelligunt, intelligunt intuendo quod quid eſt; ità quod intelligentia mouens orbem Iouis, intelligit ſe ipſam mouere, non formando hanc mentalem enunciationem ego moueo Cælum: ſed intuendo ſe ipſam, intuetur in ſe omnia ſibi conuenientia, puta quod eſt intelligens, quod Amans, quod mouens &c. & ſic vbi nos diſtinguimus prædicata ſubſtantialia, & accidentalia, & componimus cùm ſubiecto, ipſæ intelligentiæ intuendo ſubiectum, ſimul intuentur, quæcumque ſibi conueniunt, & propterea dicuntur intelligentiæ, ideſt intus legentes, & nihil extrà vagantes; nos autem de hoc quaſi nihil participamus, vix enim terminos ſic apprehendimus: Videmus tamèn aliquandò homines excellentis ingenij in vno apprehenſo multa quaſi ſimul inſpicere alijs occulta, tanquàm magis propinqui ſubſtantijs ſeparatis: quia ergo intellectus poſſibilis noſter dicitur habere duplicem operationem, diſcurrendo ibi de operatione intellectus agentis extendit ſermonem ad omnes ſeparatos intellectus, quod ſcilicet intelligendo quod quid eſt ſe habent, quæcumque ſunt ſine materia, & per hoc indigna eſt intelligentijs compoſitio, & diuiſio, & verè ſic eſt; vndè quæcumque ſine materia ſunt (Concluſio eſt Ariſtotelis) intellectus eſt verus, quià eſt ipſius quod quid eſt. Ità Caiet. in loc. cit.

Notab. 2. Caiet. in quo explicatur quomodò verum, & falſum inueniatur in prima operatione intellectus.

Digitized by Google

Notab. 3. Caiet. in quo explicatur modus intelligendi Angeli plura.

Notat 3. Caiet. ex D. Th. in p. p. q. 58. art. 4. vt penetretur magis modus intelligendi in intellectu Angelico, quod aliqua plura ſimplici, & vno intuitu ſimul plura videri contingit tripliciter. Primò vnum cum alio, vt ſimul videantur albedo, & rubedo, & quæcumque duo, vel diſparata; ſecundò vnum cùm & in alio, vt quodcumq; accidens, & vniuerſaliter prædicatum in ſubiecto; tertiò cum, in, & ex alio, vt paſſio propria, & vniuerſaliter effectus quandoque cognoſcitur cum cauſa, in cauſa, & ex cauſa. Et inſuper eſt ſciendum quod quamuis quocumq; modo ſimul plura abſolutè cognoſcere ſimplici intuitu atteſtetur perfectioni cognoſcentis, differt tamen primus modus ab alijs, in hoc quod intelligere intuendo vnum cum alio prouenit ex perfectione intellectus abſolutè; Intelligere verò intuendo vnum in alio prouenit non ſolùm ex perfectione intellectus abſolutè, ſed ex perfectione intellectus vt attingentis primum obiectum ideſt in quo, ſeu ex quo aliud cognoſcitur. Tùm quia ex hoc quod magis penetrat intellectus cauſam, aut ſubiectum cognitum prouenit ſimul intueri, quæ in eis, aut ex eis fiunt, & ſunt, quantò enim magis aliquid cognoſcitur, tantò virtus, ſeù potentia eius magis penetratur. Nàm ex penetratione potentiæ ſciuntur ea, ad quæ ſe extendit proportionaliter ſecundùm exiſtentiam, quandò tamen ſunt; Tùm quia ad perfectiorem cognitionem alicuius obiecti ſpectat non ſolùm potentiam, ſed etiàm omnia ad ipſum quomodolibet pertinentia cognoſcere, & conſequenter ad perfectiorem cognitionem naturalem alicuius obiecti ſpectat cognoſcere omnia infra latitudinem naturalium quomodolibet pertinentia ad obiectum illud. Ità Caiet. loco citato.

Vnde ſententia S. Thomæ explicatur à Caiet.

Quo ad 2. Sententia D. Th. circa compoſitionem, vel circa modum intelligendi Angeli componendo, vel diuidendo formaliter, vel virtualiter declaratur à Caietano in ſuis notabilibus ſuprà, in quibus apertè docet ex D. Th. & manifeſtè probat infrà in ſecunda parte ſuæ Concluſionis, quod Angeli non intelligunt componendo, & diuidendo.

Concl. vnica Caiet. ex D. Th. cum probatione primæ partis quod intellectus noſter ſolus intelligit componendo, & diuidendo.

Quo ad 3. Caietanus ponit hanc Concluſionem vnicam ex D. Th. p. p. q. 85. a. 5. & q. 58. art. 4. ſic. Intellectus noſter, & non Angelicus intelligit componendo, & diuidendo.

Prima pars eſto ſit manifeſtata in præcedentibus à Caietano, probatur tamèn hac ratione radicali ſub tali forma. Intellectus noſter procedit de potentia ad actum, ideſt natus eſt naturaliter exire de potentia eſſentiali ad actum primum naturalem: ergo intellectus noſter intelligit componendo, & diuidendo. Antecedens patet ex proportionalitate, ſeù ſimilitudine, quam habet aliqualem cum rebus generabilibus, quæ non ſtatim perfectionem ſuam habent. Et probatur conſequentia quia intellectus humanus ex hoc quod non ſtatim in prima apprehenſione capit perfectam rei cognitionem, ſed primò apprehendit aliquid de ipſa, puta quidditatem ipſius rei, quæ eſt primum, & proprium obiectum intellectus, & ex hoc quod deindè intelligit proprietates, & accidentia, & habitudines circumſtantes rei eſſentiam, ſequitur quod neceſſe habet, vt vnum apprehenſum cum alijs componat, & diuidat, & quod ex vna compoſitione, & diuiſione ad aliam procedat, quod eſt ratiocinari. Ità Caiet. loc. cit.

Probatio primæ ſecundæ partis ex D. Th. quod Angelus non intelligit componendo, & diuidendo.

Probatur 2. pars à Caietano ex D. Th. in p. p. q. 58. a. 4. ſub tali forma, ex inſerto medio in illa proportionalitate intèr principium, & Concluſionem. Sublata cauſa auffertur effectus iuxtà illud p. poſt. Si affirmatio eſt cauſa &c. Sed propriá ratio neceſſitatis ad intelligendum tàm componendo, quàm diuidendo eſt non intueri alia in ſimplici apprehenſione obiecti: ergo intellectus, qui ſtatim in primo apprehenſo, vt Angelicus, cætera videt, nec diſcurſu, nec compoſitione eget. Mi-

nor

nor probatur, quod conuenit intellectui noſtro ex defectu intellectualis luminis non eſt attribuendum intellectui Angelico in quo eſt lumen intellectuale perfectum ex D. Dyon. c. 4. de Diuin. nom. ſed in primo apprehenſo non inſpicere annexa prouenit in nobis ex defectu intellectualis luminis vt de ſe patet: ergo &c. Et addit D. Th. explicando modum intelligendi enunciationes Angelus quia intelligit mobilia immobiliter, & compoſita ſimpliciter &c. ideò intelligit, & compoſitionem non componendo, & diſcurſum non diſcurrendo, quod eſt dicere quod compoſitio, & diuiſio, & ſimiliter diſcurſus in actu exercito, puta Animal rationale, eſt riſibile, Socrates eſt Animal rationale: ergo &c. comparantur ad intellectum Angelicum, vt res viſa tantùm, & non vt modus videndi: ad noſtrum verò intellectum vtroque modo. Ità Caiet. loc. cit. &c.

2. Probatio ſecundæ partis Caiet. Metaphyſicalis.

Probatur ſecundo à Caietano in 3. de Anima in fine cap. 3. ex Ariſt. ratione æquidem ſubtiliſſima, & Metaphyſicali ſub tali forma. In his in quibus ſcientia eſt eadem rei non poteſt eſſe compoſitio, & diuiſio, ſed eſt ibi ſimplex intelligentia per ſe ipſum, alioquin ſcientia non eſſet idem quod res: at ſic eſt quod in ſeparatis à materia ſcientia eſt eadem rei: ergo &c. Probatur Minor, quia ſcientia eorum eſt ſecundum actum, & non ſecundum potentiam: Compoſitio autem, & diuiſio ſequitur potentiam: niſi enim intellectus apprehenſo triangulo eſſet in potentia ad cognoſcendum, quod habet tres angulos æquales duobus rectis, non eſſet compoſitiuus huius enunciationis, ſed ſimplici intuitu, quo intuetur triangulum intuitus fuiſſet in eo hanc proprietatem, & ſic de alijs; quia ergo ex natura potentiæ naſcitur compoſitio, & diuiſio; ex natura actus ſimplex intelligentia, ideò Ariſt. ex natura ſcientiæ in actu, qualis eſt in ſeparatis à materia, probauit in eis non habere locum niſi primam operationem intellectus: & quia apud nos per primam operationem intellectus tantummodò res cognitæ valdè imperfectè ſciuntur, & perfectè ſciuntur per ſecundam operationem intellectus in qua eſt compoſitio, & diuiſio, ideo concludit quod intellectus noſter, & non intellectus Angelicus, intelligit componendo, & diuidendo. Et ne putares, quod ſi apud nos quæ cognoſcuntur per primam operationem intellectus imperfectè ſciuntur, quod etiam ità ſe habeant in intelligentiæ, cum quidquid cognoſcunt ſemper per ſimplicem apprehenſionem cognoſcant, Ariſt. ſubdit, quod ſcientia eorum quià eſt actu, eſt eadem rei; ac per hoc ſummam perfectionem obtinet: Quanto enim intellectus, addit Caiet. magis diſtinguitur à re, & eſt in potentia ad ipſam, tantò eſt imperfectior; & quantò magis idem, tantò perfectior, adeò vt in ſolo primo intellectu, qui eſt Deus Optimus Maximus ſit omnibus modis idem intellectum, & intellectus. Ità Caiet. in 3. de Anima loc. cit.

Arg. Caiet. contrà 1. p. Concl. eiuſque rationem.

Quo ad 4. arguit p. Caiet. contrà 1. p. Concl. ſic. Ratio qua S. Doctor probat primam partem vitiat proceſſum: ergo &c. Prob. ant. Aut S. Doctor intendit quod intellectus ſit ſimilis generabilibus, quo ad modum acquirendi ſingulas perfectiones aut quo ad ſucceſſionem earum, aut quo ad compoſitionem earum; ſi primo modo, ſequitur quod intellectus non naturaliter perficitur in inſtanti, ſed ſucceſſiuè quod eſt falſum; ſi ſecundo modo, nil aliud ſequitur, niſi quod intellectus acquirit ſuas perfectiones vnam poſt aliam, quod non eſt diſcurrere, nec componere, aut diuidere, vt patet. In tertio modo eſt manifeſta falſitas. Communis quoq; ratio dubitandi ſecundum quemcumq; modum ex prædictis eſt, quia ex hoc quod intellectus noſter exit de potentia ad actum, nil aliud ſequitur, niſi quod non habet inditam ſuam perfectionem, & non quod tali, aut tali modo acquirat.

Confir. Argum.

Confirmatur intellectus intelligit per aſſimilationem ad res; ſed compoſitio, &

diui,

diuiſio nihil eſt in rebus, nihil enim inuenitur in rebus, niſi res, quæ ſignificatur per prædicatum, & ſubiectum, quæ eſt vna, & eadem, ſi compoſitio eſt vera: Homo enim eſt verè id, quod eſt Animal: ergo intellectus non componit, & diuidit.

Reſp. Caiet. ad Arg.

Reſp. Caiet. ad communem dubitationem, quod ex hoc quod aliquid eſt naturaliter in potentia eſſentiali ad aliquam perfectionem, habet, quod naturaliter non acquirat illam ſtatim perfectè, ſed ſucceſſiuè, diuerſimodè tamen iuxta naturas perfectionum, & diuerſitatem perfectibilium, & hoc patet inductiuè, tàm in potentia reſpectu perfectionis ſubſtantialis, quàm quantitatiuæ, & qualificatiuæ; Vndè etiàm lumen non acquiritur niſi medio motu locali; Vndè hic modus perficiendi paſſiuè eſt, qui ſequitur ex potentia eſſentiali, & eſt intentus ab Auctore, ita quod intendit, quod ex hoc quod intellectus noſter eſt in potentia eſſentiali ſimilis eſt generabilibus, quo ad modum acquirendi ſingulas ſuas perfectiones completas, & quando dicitur, ergo intellectui repugnat perfici in inſtanti, Reſp. quod licet intellectui non repugnet recipere, & intelligere in inſtanti, repugnat tamen naturali modo, quo perfici naturaliter debet, quod ſuam completam perfectionem in inſtanti naturaliter aſſequatur. Ità Caiet. in p. p. q. 85. a. 5.

Reſp. Caiet. ad Confirmationem.

Ad Confirm. Reſp. Caiet. diſtinguendo Minorem ex D. Th. ſed compoſitio, & diuiſio nihil eſt in rebus: nihil enim inuenitur in rebus ſecundum modum intellectus concedo; ſecundum modum rerum negatur. Alio enim modo licet inſit vtrobique compoſitio, & diuiſio, modus tamen diuerſus, quo eſt in re non facit, quod ibi non ſit, ſicut modus diuerſus, quo eſt in intellectu, non facit, quod ibi non ſit: ergo &c. negatur conſequentia. Similitudo, dicit D. Th. ad tertium ipſius rei recipitur in intellectu ſecundum modum intellectus, & non ſecundum modum rei. Vndè compoſitioni, & diuiſioni intellectus reſpondet quidem aliquid ex parte rei, tamen non eodem modo ſe habet in re, ſicut in intellectu: Intellectus enim humani proprium obiectum eſt quidditas rei materialis, quæ ſub ſenſu, & imaginatione cadit. Inuenitur autèm duplex compoſitio in re materiali. Prima quidem formæ ad materiam, & huic reſpondet compoſitio intellectus qua totum vniuerſale de ſua parte prædicatur nam genus ſumitur à materia communi; differentia vero completiua ſpeciei à forma; particulare à materia indiuiduali. Secunda verò compoſiti eſt accidens ad ſubiectum, & huic compoſitioni reſpondet compoſitio intellectus ſecundum quam prædicatur accidens de ſubiecto, vt cùm dicitur homo eſt albus; differt tamèn compoſitio intellectus à compoſitione rei, nàm ea quæ componuntur in re ſunt diuerſa; Compoſitio autèm intellectus eſt ſignum identitatis eorum, quæ componuntur. Non enim intellectus ſic componit, vt dicat quod homo eſt albedo, ſed dicit quod homo eſt albus, ideſt habens albedinem, & ſimile eſt de compoſitione formæ, & materiæ. Nàm Animal ſignificat id, quod habet materiam ſenſitiuam; rationale verò, quod habet naturam intellectiuam; Homo vero quod habet vtrumque Socrates vero quod habet omnia hæc cùm materia indiuiduali, & ſecundum hanc identitatis rationem intellectus noſter componit alteri prædicando. Et, addit Caiet. nota hæc, quia deſeruiunt pro multis. Ità Caiet. ex D. Th. p. p q 85. a. 5. ad 3.

Arguit Caiet. contrà ſecundam partem Concluſionis, eiuſque rationem.

Arguit 2. Caiet. contrà ſecundam partem Concluſionis ſic. Aſſumptum in illa maiori non dicit cauſam vniuerſalem componendi, & diuidendi, ſed particularem; ideſt in his tantum quæ per ſe inſunt, vel abſunt à ſubiecto, non autèm in his, quæ ſunt per accidens, & caſualibus, & fortuitis: ergo &c. probatur hoc dupliciter primò quia non ex defectu luminis prouenit, quod aliquo ſubiecto cognito non videantur ea, quæ ſunt per accidens, vel caſualia, quoniàm quantumcumque perfectè cognoſcatur ſubiectum aliquod, nunquam ex eo videbitur accidentalis coniunctio,

&

& maximè fortuita. Tùm quia ſequendo proportionalitatem S. Thomæ, illa prædicata cognoſcuntur in ſubiecto viſo, quæ ſe habent ad ſubiectum, vt Concluſio ad principium, hæc autem conſtat non omnia, ſed illa tantùm eſſe, quæ virtualitèr clauduntur in ſubiecto, quemadmodum Concluſio in principijs, qualia non ſunt accidentalia, & fortuita. Inſuper quilibet effectus haberet aliquam per ſe cauſam contrà Ariſt. 6. Met. & 2. Phyſ. Contra Minorem etiàm Arguit Caiet. non enim valet hæc conſequentia componere, & diuidere, ſeù diſcurrere conuenit intellectui noſtro ex imperfectione; ergo oppoſita perfectione conuenit intellectui Angelico cùm poſſit quiſpiam dicere, quod illa imperfectio communis eſt intellectui noſtro, & Angelico, quoniam conſtat intellectum Angelicum, non excludere omnem imperfectionem, & ſic illa ratio videtur inefficax cum fundetur ſuper hoc.

Reſp. Caiet. ad primam obiectionem contrà aſſumptum in maiori.

Reſp. Caiet. ad primam obiectionem contrà Maiorem, negando quod illa ratio ſit particularis. Ad probationem cum dicitur, non ex defectu luminis, ſed ex naturis cognoſcibilium patère obiectum, & latère contingens, vel caſuale, negatur hoc vniuerſalitèr de lumine intellectuali loquendo, & de caſualibus, aut contingentibus naturalibus, quoniam ex modicitate luminis intellectualis prouenit, quod viſo Socrate, qui actualiter inuenitur à debitore in foro, non ſimul videatur intentio à debitore iàm illi coniuncta, ſed oportet componendo propoſitionem formare, quæ feratur in Socratem, vt inuentum à debitore. Ad aliam probationem Reſp. quod ſicuti ſe habet diſcurſus ad continentiam virtualem concluſionum in principijs, ità ſe habet compoſitio, & diuiſio ad continentiam potentialem prædicatorum in ſubiecto, & hoc conſonat Auctori, virtutis nomen exprimentis in principio, potentiæ autèm in ſubiecto, dùm dicit, quæcumque poſſunt attribui ſubiecto. Et per hoc patet Reſp. ad Confirmationem quod non oportet caſualibus dare cauſam per ſe, ex hoc quod ponuntur cognoſci cùm ſubiecto, & pertinere ad perfectiorem eius cognitionem: ſequeretur enim hoc, ſi poneremus caſuale antequam eſſet, pertinere ad perfectiorem cognitionem ſuæ cauſæ, non autèm poſtquam eſt: quoniàm quemadmodum eſſe eius iàm determinatum, compoſitionem facit cum eo, in quo eſt in rerum natura, & illius quoddam eſſe eſt, quamuis accidentale, abſq; hoc quod habeat per ſe cauſam; ſic & intellectus ſi perfectè cognoſcit ſubiectum illud, omne eſſe eius intuetur, quod actualiter habet abſque perſeitate coniunctionis illorum. Ità Caiet. loc. cit.

Reſp. Caiet. ad Confirmationem.

Reſp. Caiet. ad obiectionem contrà Minorem factam in ratione probatiua ſecundæ partis.

Reſp. Caiet. ad obiectionem contrà Min. quod defectus intellectus eſt duplex, quidam cõmunis omni intellectui creato, & quidã ſpecialis, & proprius intellectui noſtro. Cõmunis quidem eſt, quod virtus ipſa intellectiua potentialitatis habet aliquid admixtum, & quod modus cognoſcendi ſit per ſpeciem ſuperadditam, & per plures actus intelligendi, proprius verò eſt intelligere per conuerſionem ad Phantaſmata, eſſe in potentia, & alia huiuſmodi. Nec eſt dubiũ quod id quod conuenit intellectui noſtro ex imperfectione communi conuenit etiàm Angelo, ſed conſequentia illa tenet in his, quæ conueniunt intellectui noſtro ex imperfectione propria, quoniã imperfectiones oppoſitæ ponuntur in Angelis. Quòd autèm componere, & diuidere, & ſimiliter diſcurrere, ex imperfectione propria intellectus noſtri proueniat S. Th. hic ſupponit, & facilè ex eius dictis etiàm declaratur: exiſtentibus enim duobus modis cognoſcendi, ſcilicet ſimplici intuitu, & per appoſitionem quamdam, & vtroq; conueniente intellectui noſtro, & tàm diſcurſu, quàm compoſitione, & diuiſione importante modum cognoſcendi per appoſitionem quamdam, cùm conſtet perfectiorem modum cognoſcendi eſſe per ſimplicem intuitum, & quod hic modus cognoſcendi in nobis parùm participatur in ſupremo noſtri in prima operatione

in-

Digitized by Google

intellectus, & vtrumque, ac ſimilitudinariè in principio ſecundæ, ideſt in cognitione principiorum; & iam ſtabilitum ſit à D. Dyon. in 7. de Diu. nom. quod ſupremum infimi, attingit infimum ſupremi, euidentèr ſequitur, quod modus cognoſcendi componendo, & diuidendo ex propria noſtri intellectus imperfectione prouenit, cui ex aliquali ſuperiorum participatione communicatur, quod deguſtet experiendo modum intelligendi per ſimplicem intuitum. Ità Caietanus in p. p. q. 58. a. 4. in fine Comment.

Appendices ad Lectionem 13. Metaphyſicalem in Tractatu de Proprietatibus entis.

IN 9. Met. ſuper textum Ariſtotelis 21. & præcipuè ſuprà illud dictum, quod autèm ens dicatur, & non ens &c. hoc autèm in rebus componi, & diuidi, Iauellus noſter examinat, quomodò ſit verum, & in quo ſenſu, & an in omnibus rebus vniuerſalitèr. Et in q. 20. & 21. idem Iauellus quærit an compoſitioni, & diuiſioni intellectus correſpondeat compoſitio, & diuiſio realis in re. Et ſuprà illum textum 22. vbi dicitur decipi enim circa quod quid eſt, non eſt, ſed aut ſecundum accidens, ſimiliter autèm circa ſubſtantias in compoſitas non enim eſt decipi &c. format Iauellus quæſtionem 21. Vltimam, an contingat deceptio circà quod quid eſt, & circà ſubſtantias incompoſitas, ſiuè abſtractas, & ibi ponit hanc tertiam Concluſionem, ſcilicet quod circà ipſas incompoſitas non contingit deceptio in intellectu, ſed ignorantia, in qua re videtur diſſentire à modo loquendi Caietani, qui ſemper ponit vtitur hoc termino, loquendo de Angelis, neſcientiæ, & non ignorantiæ; & Iauellus ſiquidem diuerſo modo à Thomiſtis exponit hos duos terminos, ſcilicet neſcientia, & ignorantia. Legatur ibi Iauellus.

De modo intelligendi Angeli quod non componat, & diuidat, eſto formalitèr reperiatur etiàm veritas in intellectu Angelico, legatur ſolutio Magiſtri Arnù in q. 7. de Vero art. 2. in ſua Metaphyſica num. 35. 36. & 37. legantur etiàm formalitates Reſp. ad Argumenta D. Th. cum Appendicibus ipſius Ven. Porrectæ in q. 85. p. p. & q. 58. a. 3. & 4. ibi habes plura notatu digna prætèr ea, quæ poſuit Caietanus in hac lectione 13.

In Appendice art. 3. q. 58. cit. Ven. Porrecta, vulgatiſſimum dictum Philoſophorum, ſcilicet quod rationale eſt propria hominis differentia. Quod autèm Porphyrius in c. de differentia dicat rationale eſſe commune nobis, & dijs, ſed mortale additum facit nos differre ab illis, hoc dicit de opinione quorumdam in hac re hallucinatorum, & non ſecundum ſententiam Peripateticam, accipiendo tamen ly rationale in rigore vocis, ideſt pro diſcurſiuo, vide inquit, Porrecta, Cardinalem Caietanum ibi; & ideò Ariſt. intelligentias vocauit ſubſtantias ſeparatas, quod eſt dicere in vi nomenclaturæ, quod intelligere, & non ratiocinari conuenit illis. Tantò magis componere, & diuidere non conueniet illis concludit Ven. Porrecta in art. 4. Appendice p. p. q. 58.

Digitized by Google

LECTIO XIV.
METAPHYSICALIS
In Tractatu
DE PROPRIETATIBVS ENTIS.
Vtrùm Diuiſio Boni in Honeſtum, Vtile, & Delectabile conueniat cuicumque Bono.

Ex Caiet. Comment. in 1. p. quæſt. 5. art. 6.

Explicatio Caietani circà Titulum, & eius ſenſum.

IN tertio, & vltimo loco, ait Caietanus, ponenda eſt proprietas entis; ſcilicèt ipſius Boni. Et hic non debet habere locum Lectio de Bono, an habeat rationem Cauſæ Finalis, vel vt apprehenſum, vel vt in eſſe rei, quia iàm in noſtra Phyſica, & Phyſicè, & Metaphyſicè diſcuſſimus hoc in quæſt. 13. 14. & 15. Sed quærimus dumtaxat in hac Lectione 14. præſenti An Bonum ſecundum quod Bonum formalitèr, ideſt ſecundum rationem Boni conuenientèr diuidatur per honeſtum, vtile, & delectabile; & cùm Bonum tranſcendentale ſit paſſio entis abſtrahentis ab ente nominalitèr, vel participalitèr ſumpto, ex D. Thom. quæſt. 5. art. 3. & quæſt. 21. de Verit. art. 2. locum habet illa Diuiſio in Bono tranſcendentali, & ideò diximus ſecundum quod Bonum eſt formalitèr, & ſecundum propriam rationem competit ſibi iſta diuiſio, licèt Bonum in quantùm eſt idem ſubiecto diuidatur cum ente per decem Prædicamenta, vt expreſsè dicit D. Thom. in Reſp. ad 1. art. 6. cit. Lectio igitur cadit ſuprà Bonum formalitèr, ideſt ſecundum rationem Boni quod eſt idem quod Bonum tranſcendentale. Ità Caietanus loc. cit.

Primum Notabile Caiet. in quo explicatur quomodo iſta diuiſio eſt per oppoſitas rationes, & non res.

Quò ad primùm. Notat Caietanus ex D. Thom. 1. p. quæſt. 5. art. 6. in Reſp. ad ſecundùm, quòd diuiſio boni in vtile delectabile, & honeſtum, non eſt per oppoſitas res, ſed per oppoſitas rationes, quod illa propriè dicuntur delectabilia, quæ nullam habent rationem appetibilitatis, niſi delectationem, cum aliquando noxia ſint, & inhoneſta, ipſa delectabilia; hinc aliqui dicunt quod iſta diuiſio propriè, & primariò conueniat bono humano, & morali, eſto transferatur etiàm ad bonum tranſcendentale. Vtilia verò dicuntur, quæ non habent in ſe vndè deſiderentur, ſed deſiderantur ſolùm, vt ſunt ducentia in alterum, ſicut ſumptio Medicinæ amaræ. Honeſta verò dicuntur, quæ in ſe ipſis habent vndè deſiderentur; vndè Bonum, ait D. Thom. in Reſp. ad 3. per priùs prædicatur de honeſto, & ſecundariò de delectabili, & tertiò de vtili; Hinc concludit D. Thom. quod iſta diuiſio Boni, eſt diuiſio ſicut Analogorum, quia prædicantur ſecundùm priùs, & poſteriùs. Et alibi, addit Caietanus, quod non eſt neceſſe vt in quolibet Bono tranſcendentali prædictæ tres rationes Bonitatis inueniantur. Vltimus etenim finis habet rationem Boni, & tamèn in eo ratio vtilis inueniri non poteſt,

cùm ad vlteriorem terminum non ordinetur. Et nota quod etiàm vna, & eadem res habet tres illas ſimul rationes Bonitatis; eadem namque virtus rationem Boni honeſti reſpectu hominis habet, cum propter ſe ſit appetibilis ab homine; habet & rationem delectabilis, quia cauſat etiàm in homine delectationem, & quietem; & demùm habet rationem vtilis, nàm ipſa vtitur homo, tanquàm medio ad Beatitudinis acquiſitionem. Bonum igitur ità diuiditur in honeſtum, vtile, & delectabile, vt nulla res ſit, cui non conueniat aliquod membrum ex prædictis tribus. Ità Caiet. ex D. Thom. multis in locis, & præcipuè art. 6. cit.

Secundum Notabile Caiet. in quo explicatur illa maxima D. Tho. vbi vnum propter alterum ibi vnum tantum eſt.

Notat ſecundò Caietanus ex D. Thom. art. 6. cit. & in 3. p. quæſt. 18. art. 2. ad 3. illam ſuam propoſitionem, ſcilicèt, vbi vnum propter alterum, ibi vnum tantùm eſt, quod tenet in vniuocis, & non in analogis, quod patet, quia cum vtile non ſit bonum niſi propter delectabile, & honeſtum, quia habet rationem medij, non valet, ergò non debet diuidi vtile contrà delectabile, & honeſtum; ſicuti & etiàm eodem modo arguit D. Thom. in 3. p. quæſt. 18. cit. Argum. 3. ſub tali forma. Voluntas ſequitur naturam, ſed in Chriſto non fuit niſi vna natura præter Diuinam: ergò in Chriſto non fuit niſi vna voluntas humana. Reſp. D. Thom. quod vbi eſt vnum propter alterum, ibi vnum tantùm eſſe videtur, ſicut ſuperficies, quæ eſt viſibilis per colorem, eſt vnum viſibile cum colore (en quomodò propoſitio tenet in vniuocis), ſimilitèr, quia ſenſualitas non dicitur voluntas, niſi quia participat voluntarium rationis; ſicut eſt natura humana in Chriſto, ità etiàm ponitur vna voluntas humana in Chriſto. Singularis eſt hæc Reſponſio, ait Caietanus, quia art. cit. in 3. p. quærit de appetitu ſenſitiuo, vt habet rationem voluntatis non ſimplicitèr, & abſolutè, ſed talis, hoc eſt ſenſualis, & rationem huius tituli puto fuiſſe Euangelica illa verba, quibus ipſe motus appetitus ſenſitiui velle vocatur quando dixit Chriſtus Dominus verumtamèn non ſicut ego volo. Ità Caietanus in 3. p. quæſt. cit.

Opinio S. Th. recitata à Caietano quod ſit conueniens & Analoga, vel proportionalitatis, vel attributionis pro vt diuerſimodè conſideratur ratio Boni.

Quò ad ſecundùm. Omnes conueniunt, quod iſta diuiſio ſit analoga, & conuenientèr data; diſſentiunt autèm de modo, quia aliqui volunt, quod ſi triplex illa ratio Bonitatis conſideretur ſecundum quod eamdem rem denominat, Diuiſio erit eiuſdem rei in diuerſas formalitates, diuerſoſque reſpectus: quemadmodum D. Thom. in 1. p. quæſt. 79. art. 11. docet de diuiſione intellectus in ſpeculatiuum, & practicum, quod ſicut diuiditur ipſe tanquam in duos conceptus inadæquatos, dualque formalitates, quas inducit ratione diuerſorum connotatorum; ità eadem res puta virtus diuiditur in Bonum delectabile, &c. tanquàm in tres conceptus ſui inadæquatos quos induit ratione diuerſorum connotatorum, vt patet.

Si autèm conſideretur triplex illa ratio Boni ſecundum quod diuerſas res denominat, tunc Bonum diuiditur in illa tria membra ſicut analogum analogia ſiquidem proportionalitatis ſi conſiderentur res illæ vt participant intrinſecam aliquam Bonitatem, hanc non negando ipſi Bono vtili dependentèr tamèn ab honeſto. Attributionis verò ſi conſiderentur res illæ in quantùm denominantur extrinſecè à Bonitate extrinſeca rei honeſtæ; & in tali caſu vtile habebit Bonitatem intrinſecam non niſi fundamentalitèr, & veluti materialitèr. Ità Caietanus cum antiquioribus Thomiſtis.

Concl. Caiet. ex D. Th. cũ ſua prob. quod Diuiſio propriè eſt Boni in eo quod Bonum.

Quò ad tertiùm. Caietanus ponit hanc Concluſionem ex D. Thom. 1. p. quæſt. 5. art. 6. Si Communis opinio ſpectetur, hæc diuiſio dicitur propriè Boni humani; Singularitèr tamèn, & Metaphyſicè propriè eſt Boni in eo quod Bonum.

Pro-

Probatur à Caietano vtraque pars ſimul ſub tali forma. Terminus corporalis motus conuenientèr diuiditur per ea quæ ſunt proportionalia honeſto, vtili, & delectabili: ergò terminus motus appetitiui benè diuiditur in honeſtum, vtile, & delectabile: ergò eſt bonum. Antecedens declaratur ex diuiſione termini motus in ſecundum quid, & ſimplicitèr, & rursùs termini ſimplicitèr in ipſam rem terminantem, & in quietem in eo, dùm dicitur Bonum eſt aliquid in quantùm eſt appetibile, & terminus motus appetitus; cuius quidem motus terminatio conſiderari poteſt ex conſideratione motus corporis naturalis. Terminatur autèm motus corporis naturalis ſimpliciter quidem ad vltimum, ſecundum quid autèm etiàm ad medium, per quod itur ad vltimum, quod terminat motum. Et dicitur aliquis terminus motus, in quantùm aliquam partem motus terminat. Id autèm quod eſt vltimus terminus motus poteſt accipi duplicitèr, vel ipſa res inquàm tendit, vtpotè locus; vel quies in re illa. Conſequentia verò prima probatur, quia terminus motus appetitiui ex terminatione prædicti motus corporalis innoteſcit. Sic ergò, ait Auctor, in motu appetitus id quod eſt appetibile terminans motum appetitus ipſius ſecundùm quid, vt medium per quod tenditur in aliud, vocatur bonum vtile. Id autèm quod appetitur, vt vltimum terminans totalitèr motum appetitus ſicut quædam res, in quàm per ſe appetitus tendit, vocatur honeſtum. Id autèm quod terminat motum appetitùs, vt quies in re deſiderata, eſt delectatio. Et ſic conſequentia ſecunda eſt clara quod bonum eſt id quod appetitur. Ità Caiet. loc. cit.

Ratio D. Thom. reducta in breuiorem formam.

Probatio D. Thom. poteſt reduci ad hanc breuiorem formam. Bonum vt ſic terminat appetitum, aut tanquàm medium in aliud, aut tanquàm vltimum, vt res eſt, aut tanquàm vltimum, vt quies: ſed primum membrum non poteſt vocari niſi vtile; ſecundum niſi honeſtum; & tertium non niſi delectabile: Sed aliud membrum dari non poteſt, niſi iſtud triplex: ergò prædicta diuiſio non eſt niſi conueniens; & altiùs, & communiùs rationem boni conſiderando, non poteſt non niſi conuenire, nedùm bono humano, ſed etiàm bono vt ſic ſecundum quod Bonum eſt. Ità Caietanus ex prædictis in ratione &c.

Arguit Caiet. contrà rationem D. Thomæ.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus ſic contrà rationem. Ex diſcurſu probatiuo ſuprà ſequitur quod in ſolo fine vltimo bonum honeſtùm poſſit reperiri: ergò illa diuiſio non eſt conueniens. Antecedens probatur, quia ille ſolus eſt qui per ſe, & ratione ſui poteſt terminare appetitum ità vt ad vlteriorem terminum non ſit delectabilis, ratione cuius ſit appetibilis. Hinc Ariſt. in proœmio Met. loquendo de Bono non innuit hanc diuiſionem, ſed tantùm dicit Bonum eſt, quod cuius gratia vna cauſatum eſt. Et clariùs 3. Met. & 2. Phyſ. ait, Bonum eſt per quod diſponitur cauſa finalis. Bonum enim eſt deſiderabile, & cauſa finalis eſt deſiderabilis: ergò nec ſecundum Phyloſophum datur iſta diuiſio Boni, ſed erit tantùm in vno vt finis.

Reſp. Caiet. ex D. Th. ad Arg.

Reſp. Caietanus, quod Bonum honeſtum, quod terminat ſolùm per modum finis particularis, & proximi, poteſt vlteriùs eſſe appetibile ratione finis vniuerſaliſſimi cui ſubordinatur, quamuis non ſit appetibile ratione finis alterius particularis, & proximi.

Argumentum loquitur de Bono honeſto, quod terminat appetitum per modum Finis omninò vltimi, & vniuerſaliſſimi, quod non eſt vllo modo ordinabile ad vlteriorem finem, ſeù terminum, ratione cuius ſit appetibile. Et Ariſtot. non ſuffragatur, imò dicendo quod Bonum eſt per quod diſponitur cauſa finalis, innuit hanc Boni diuiſionem, vt de ſe patet, quia cauſa finalis non diſponitur niſi

per illa membra, &c. Et ideò S. Doctor ad confirmandam hanc diuiſionem, eſſe conformem, & de conſenſu Sacrorum Doctorum, in Argumento ſed contrà, ait art. 6. cit. quod D. Amb. in lib. 1. de offic. cap. 9. vtitur iſta diuiſione Boni. Ità Caiet. ex D. Thom. cum omnibus Thomiſtis, &c.

Appendices ad Lectionem 14. Metaphyſicalem in Tractatu de Proprietatibus Entis.

OMnes conſentiunt cum D. Thom. in 1. p. quæſt. 5. art. 6. circà Diuiſionem Boni in honeſtum, delectabile, & vtile, quod ſit conueniens, & quod ſit analogi in ſua analogata vtraque analogia proportionalitatis, & attributionis, vel vna, vel altera. Omittuntur in hoc Tractatu Lectiones de malo vt faciunt alij Metaphyſici. Blaſius à Conceptione agit de hoc oppoſito Boni in ſua Metaphyſica diſp. 24. art. 8. Et Magiſter Arnù in ſua Metaphyſica art. 4. quæſt. 8. de Bono, & Malo ſecundum ſe pag. mihi 459. Videatur S. Doctor in q. diſp. de Malo. Et propria diſputatio eſt Metaphyſicalis de malo naturæ, quod eſt tale ſimpliciter, quod nil prorsùs Boni in ſua ratione formali includit; ſicuti & etiàm de malo, quod eſt tale ſecundum quid, quod non omnem prorsùs rationem Boni à ſua ratione formali excludit, vt omnes qualitates, quæ ſunt diſſonæ, & diſconuenientes alicui ſubiecto, vt calor reſpectu aquæ, dicuntur malæ ſecundum quid. Et non eſt diſputatio de malo morali, quod eſt peccatum, quia hæc ſpectat ad Theologum in p. 2. & in 2. 2. agendo de vitijs, & peccatis, & in generali, & in particulari, ſicuti & etiàm in 3. p. agitur de malo morali, vt opponitur Bono ſupernaturali, ſcilicèt ipſi Gratiæ. Omittimus inquàm has diſputationes de malo naturæ, quia iàm in Phyſica Caietani, illas extraximus ex ſuis Commentarijs, ibi determinauit Caietanus in 2. Phyſ. quæſt. 16. quod malum eſt quædam abſentia Boni à num. 157. vſque ad num. 167. & quod non datur vnum ſummum malum, quod ſit principium omnium malorum, ſicuti & datur vnum ſummum bonum, quod eſt principium omnium bonorum; & quod malum inuenitur in rebus, ſicuti & corruptio, & quod eſt in Bono, vt in ſubiecto; & quod malum habet ſolummodò cauſam efficientem non per ſe, ſed per accidens. Et omnia hæc ibi Caietanus reſoluit ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 48. art. 1. & 2. & 3. & ex quæſt. 49. art. 1. loca Caietani in ſua Phyſica legas; vt ſis perfectus Metaphyſicus legas in 1. p. formalitates, & Appendices art. cit. ipſius Vener. Porrectæ.

Legas etiàm Caietanum in cap. 1. poſt prædicam in fine pag. mihi 255. vbi agit cum Porphyrio, & Ariſtot. de bono, & malo vt contrarijs. Porphyrius dicit diſtinguendo contraria in vniuoca, & æquiuoca, quod non ſunt in vno genere, nec in pluribus, ſed circuire omnia genera, & propter aliorum genera eſſe eo modo, quo tranſcendentia genera vocantur, & hæc ſunt Bonum, & Malum.

Simplicius dixit, bonum & malum eſſe genera contrariorum, pro quanto quorumcumque contrariorum alterum habet rationem boni, & alterum mali, extendendo mali vocabulum ad imperfectum, quia alterum contrariorum eſt vt habitus & alterum vt priuatio, vt dicitur in 10. Met. Idem confirmat Auicenna, quod ſunt genera contrariorum bonum, & malum, ideſt generales conditiones contrariorum, vel dicitur quod Ariſtoteles loquitur ſecundum famoſam opinionem Pythagoræ qui in 1. Met. poſuit duos ordines rerum; vnum ſub bono, alterum ſub malo comprehenſum.

De

Digitized by Google

De malo igitùr naturæ loquendo, cum oppoſitorum ſit eadem diſciplina, videbis ex prædictis, quod adæquatè diuiditur in malum inhoneſtum, ſeù diſconueniens ſimplicitèr, in contriſtans, & in malum inutile. Et ſub malo inhoneſto & turpi quod ab intrinſeco, & per ſe non appetitur, intelligitur etiàm peccatum; ſicuti & etiàm ſub contriſtanti malum gehennæ, & ſub malo inutili omne malum nociuum intelligitur.

Vt plena ſit cognitio huius proprietatis, ſcilicèt Boni, eſſet in hoc Tractatu 6. in vltimo loco tractanda, & declaranda Lectio, quod omnia ſunt bona bonitate Diuina extrinſecè, & cauſalitèr; Bonitatibus autèm proprijs formalitèr, & intrinſecè: Sed quia in magnum volumen excreſceret Metaphyſica hæc Caietani, ſatiùs duximus remittere diſcipulum Thomiſtam Theologum, & Metaphyſicum ad legendum art. 4. D. Thom. in 1. p. quæſt. 6. cum Commentarijs Caietani; vbi declaratur, quod Bonitas eſt vna omnium, ideſt, quod vnumquodque à primo Bono per eſſentiam poteſt dici Bonum per modum aſſimilationis cuiuſdam, licèt remotè, & deficientèr, vt patet in 1. p. quæſt. 44. art. 3. quod eſt idem ac dicere, quod eſt ibi analogia attributionis, & proportionalitatis in ratione bonitatis; declaratur, & etiàm, quomodo ſint multæ Bonitates, quia cum omnia ſint Bona in quantùm ſunt, & non omnia dicantur entia per eſſe Diuinum, ſed per eſſe proprium, ſequitur quod non omnia ſint bona bonitate Diuina, ſed bonitatibus proprijs. Suarez in ſua Met. diſp. 28. ſect. 3. num. 11. & diſp. 32. ſect. 2. num. 12. vult quod poſſint creaturæ analogari cum Deo analogia attributionis in ratione bonitatis, non autèm analogia proportionalitatis. Pro Thomiſtis quod analogentur vtraque analogia ſtat Blaſius à Conceptione cum ſuis Complut. in ſua Met. diſp. 24. quæſt. 5. ibi recitat opinionem Suarezij, & defendit oppoſitum cum Thomiſtis.

Eſſet etiàm in hoc vltimo loco Tract. 6. inſtituenda Lectio cum Caietano p. 2. quæſt. 8. art. 1. & quæſt. 25. art. 2. & quæſt. 27. art. 1. extrahendo ex eius Commentarijs, an voluntas ſit tantùm Boni, vel etiàm mali? Sed quia ſecum trahit alias Lectiones, ſcilicèt quod omnes concupiſcibiles paſſiones, quarum obiectum eſt bonum, ſunt naturalitèr priores paſſionibus, quarum obiectum eſt malum, vt dicitur in 1. 2. quæſt. 25. art. 2. Et ſecum trahit aliam, ſcilicèt quod Bonum eſt propria cauſa Amoris, ideſt, quod ſolùm ipſi Bono, non autem malo conuenit eſſe cauſam Amoris, vt dicitur in p. 2. quæſt. 27. art. 1. ideò remittimus Diſcipulum Thomiſtam Metaphyſicum ad hæc loca cit. ibi videbit pulchra notatu digna ex Comment. Caietani, maximè circà illud axioma inter Phyloſophos, quod omnis appetitus eſt Boni, & quod nullus operans reſpicit ad malum. Et videbis etiàm declaratam à D. Thom. illam auctoritatem Pſalmi 10. Qui diligit iniquitatem, odit Animam ſuam, vbi apparet quod Bonum non eſt ſola cauſa Amoris; ſicuti & etiàm videbit explicatam illam aliam Phyloſophi in 2. Reth. cap. 4. vbi dicitur, quod eos, qui dicunt ſua mala, amamus, & ſic videtur, quod malum ſit etiàm cauſa amoris; ibi ex Comment. Caiet. videbit quod malum nunquam amatur ſub ratione mali, ſed ſemper ſub ratione boni; malum per accidens amatur, bonum per ſe formalitèr ſemper, & ſic qui dicunt ſua mala, non proptèr mala amantur, ſed proptèr hoc, quod dicunt mala, dicere mala ſua, habet rationem Boni, in quantùm excludit fictionem, & ſimulationem. Videas igitur Caiet. & Ven. Porr. ibi. Sufficiat igitùr ſcire, quod omnis appetitus non eſt niſi Boni, & Voluntas non niſi boni apprehenſi, ideſt alicuius quod apprehenditur ſub ratione Boni, eſto quandoque non ſit bonum in rei veritate. Ad Bonum ap-

pe-

petendo ipſum, ad Malum fugiendo. Moderni vt Blaſius à Conceptione in ſuà Metaphyſica diſp. 24. quæſt. 8. §. vnico definit in quo conſiſtat malum formalitèr, quòd conſiſtat in entitate abſoluta per ſe primò; ſecundariò in relatione ad appetitum citant Caietanum 1. p. quæſt. 5. art. 1. Ferr. 1. cont. gent. cap. 37. Bannez, Zumel, & Maſium, &c. quod verò conſiſtat ſolùm in abſoluto citant Heruæum, & Molinam; quod conſiſtat in relatione ad appetitum citant Durandum, Capreolum, Suarezium, qui dicit potiùs eſſe connotationem, quàm relationem. Magiſter noſter Goudin breuitèr ſe expedit in hac Lectione de malo pro vt opponitur Bono in ſua Metaphyſica in fine quæſt. 2. art. 4 de Bonitate, & dicit, quod duplex eſt malum quod opponitur Bono, ſcilicèt Malum tranſcendens, quod eſt priuatio entitatis debitæ, quod eſt malum naturæ; Et malum morale &c. explicat ibi ipſum vt tranſcendens breuiori methodo, quàm alij, vt etiàm facit Magiſter Arnù.



TRA-

LECTIO PRIMA METAPHYSICALIS
IN TRACTATV SEPTIMO
De potentijs intrinſecis ſpiritualibus ſubſtantiarum intellectualium.

Quomodò in ſubſtantijs intellectualibus tàm coniunctis quàm ſeparatis ſint iſtæ duæ potentiæ ſpeciales, ſcilicèt Intellectus, & Voluntas.

***Ex Caietano* 1. *p. quæſt.* 54. *art.* 5. *quæſt.* 79. *art.* 1. *quæſt.* 80. *art.* 1.**

Declaratio Tituli eiuſque ſenſus data à Caietano.

ESSET præmittenda Lectio cùm ipſo Caietano, an detur aliquod accidens intrinſecè Phyſicè diſtinctum à ſubſtantia intellectuali, quod eſt idem quærere in ſenſu vniuerſali, an ſubſtantia, ſit immediatè operatiua, ſed quia Caietanus in ſua Phyſica in lib. 2. quæſt. 16. iàm determinauit, quod ſolus Deus eſt ſua virtus intellectiua, & volitiua: in ſubſtantia verò intellectuali tàm coniuncta, quàm ſeparata, ſunt duæ potentiæ ſpeciales diſtinctæ, & virtutes accidentales mediantibus quibus tàm homo, quàm Angelus intelligit, & vult, ideò ne fiat repetitio, immediatè in hoc Tractatu Septimo inſtituitur iſta prima Lectio Metaphyſicalis quomodò in iſtis ſpecialibus ſubſtantijs Angelo, & homine ſit appetitus intellectiuus; ſcilicèt an inueniatur in his altior inclinatio, quàm in cognitione carentibus, & ſic, ait Caietanus explicanda aſſumitur Lectio ex intimis ſcientiæ Metaphyſicalis viſceribus, quomodò inueniatur, ex hoc, quod cùm appetere nil aliud ſit, quàm inclinari in aliquid, & appetitus inclinatio ſit, & ad vnamquamque naturam, ſeu rem comitetur inclinatio ſua ad aliquid ſibi proportionatum, & cum non vnius perfectionis ſint ipſæ naturæ, & res, imò vna forma excedat formam non ſecundum gradum perfectionis tantùm,

ſed

Digitized by Google

ſed ſecundum ordinem rerum, quia ſcilicèt vna eſt in altiori ordine, quàm alia; quomodò, inquàm, inueniatur, & ſit ibi altior, & ſuperior inclinatio; ità vt ex hoc fundamento debeat dici in ipſis ſpiritualibus ſubſtantijs intellectualibus ſpecialis appetitus ad Bonum, qui non dicitur in cognitione carentibus, nec in alijs animalibus habentibus cognitionem ſenſitiuam, & quomodo vocandus ſit? Ità Caietanus in 1. p. quæſt. 80. art. 1. ex D. Thom.

Primum Notabile Caiet. in quo explicatur fundamentum ponendi altiorem inclinationem in ſubſtantijs ſpiritualibus.

Quò ad primùm. Notat Caietanus ex D. Thom. 1. p. quæſt. 80. art. 1. declarationem fundamenti ad nominandum appetitum intellectiuum in Anima, & in Angelo. Duos rerum ordines, inquit, videmus in toto Vniuerſo. Vnum in quo naturæ hoc ſolùm habent, quod ſunt tantùm ipſæmet, vt patet in omnibus inanimatis, & etiàm vegetabilibus dumtaxat; Alterum verò, in quo naturis non ſufficit, vt ſint ipſæmet, ſed ſe extendunt ad hoc, vt ſiat etiàm alia, vt patet in ſentientibus, & intelligentibus. Si igitur ad vnamquamque naturam proportionalis ſequitur Inclinatio; ad primi ordinis naturas ſequetur inclinatio ad naturalia, & propria tantùm; ad ſecundi verò ordinis naturas ſequetur inclinatio non ſolùm ad naturalia, ſed ad apprehenſa: ſunt enim ipſæ, & apprehenſa, illæ verò ſunt tantùm ipſæ. Et ex hoc vlterius ſequitur, quod inclinatio rerum primi ordinis multiplicatur in eodem iuxtà multiplicationem rerum, quemadmodum & eſſe proprium, & naturale cuiuſque cum re ipſa multiplicatur. Et propterea aliud eſt naturalis appetitus leuis ad eſſe ſurſum, & illius eiuſdem ad generandum ſibi ſimile, &c. ille enim eſt leuitas, hic autèm calor, vel quodquid eſt ſua vis productiua; inclinatio verò conſequens naturas ſecundi ordinis non multiplicatur in eodem iuxtà rerum multiplicationem, ſed eſt vna ſpecialis quædam vis; alioquin proportionata non eſſet naturæ, à qua fluit: Natura enim ipſa vna exiſtens eſt ipſa, & alia, per conſequens, & inclinatio ſi proportionalis eſt, debet ſe extendere ad vtraque naturalia, & apprehenſa. Ex amplitudine igitur naturæ, qua non ſolùm eſt ipſa, ſed & alia, oritur quod appetitus eius ſit vnus reſpectu vtrorumque, ac per hoc ſit ſpecialis vis, poteſtaſque naturæ; vndè in habentibus cognitionem ſenſitiuam dicitur appetitus ſenſitiuus, & habentibus cognitionem intellectiuam, appetitus intellectus. Ità Caiet. ex D. Thom. loc. cit.

Notabile ſecundum Caiet. in quo explicatur quomodo obiectum appetitus noſtri poſſit variari quadrupliciter.

Notat ſecundò Caietanus ex D. Thom. ibidem art. 2. quod obiectum appetitus noſtri quadrupliciter poteſt variari, diuerſimode combinando terminum appetitus, & rationem terminandi; quia aut vterque terminus eſt vniuerſalis, vt cum appetitus aliquid vniuerſale, puta omnes homines ſaluari; aut vterque ſingularis, vt cùm appetimus hanc vindictam, quia nunc, hic, in hoc &c. conueniens videtur. Aut terminus eſt ſingularis; ratio verò terminandi eſt vniuerſalis, vt dum appetimus ſcire aliquid impertinens, quia omne ſcire eſt perfectionis; & tamdem quartò aut terminus eſt ſingularis, & ratio terminandi eſt communis communitèr; ità quod ly communiter ſit conditio diminuens, & hic videtur frequentiſſimus noſter appetitus: continuè enim appetimus aliquod ſingulare, vtile, delectabile, aut honeſtum propter aliquam conditionem communitèr intentam in pluribus, quæ moueret etiàm non minus nos ad appetendum, ſi in illo alio ſingulari præſentaretur: nihil enim refert vt tribuatur appetenti hunc potum, alter ſolo numero differens. Intèr autèm hæc appetibilia tantùm diſtat, quod duo tantùm, ſcilicèt ſecundum, & quartum appetitum ſenſitiuum terminant, quibus nihil vniuerſalitatis admiſcetur; Ad appetitum verò intellectiuum omnia referri poſſunt pro vt experientia docet. In Reſponſione tamèn ad tertiùm D. Thomæ nominat tantùm duo. Primùm in quo vtrumque eſt vniuerſale ex Au-

ctori-

ctoritate Ariſt. in ſua Rethorica ; & tertium , in quo appetibile eſt ſingulare , & ratio terminandi vniuerſalis , in quo inchoat differentiam intèr intellectiuum , & ſenſitiuum appetitum ; quoniam ſenſitiuus fertur in ſingulare ratione conditionis, aut ſingularis , aut communis vniuerſalitèr , non vniuerſalis , quia nec ſenſus , nec potentia aliqua niſi intellectiuæ partis ad vniuerſale terminatur . Intellectiuus autèm extendit ſe ad ſingulare , ratione conditionis vniuerſalis conſideratæ , & prætèr hoc ad vniuerſale ipſum , & prætèr hoc ad immateriale omninò Bonum , vt in ſecunda differentia dicitur ex Reſponſione ad 3. quæſt. 80. art. 2. Itá Caietanus .

Notabile tertiũ Caiet. in quo explicatur quomodò appetitus ſuperior moueat mediante inferiori .

Notat ibidem ad tertiùm, quod abſolutè loquendo potentia ſecundum locum motiua communis eſt intellectiuo puro , vt credimus de corporibus cœleſtibus , ſi ſunt animata ; & ſenſitiuo puro vt patet in brutis , & in compoſito ex ſenſitiuo , & intellectiuo , vt in homine . Idcircò dato etiàm , quod appetitus ſuperior immediatè moueret corpus , non videtur neceſſariò ſequi , quod multiplicetur potentia motiua : eadem enim habilitate aptum poteſt eſſe corpus ad obediendum appetitui , ſuperiori , & inferiori ſimul , & vtrique ſigillatim . Hæc ideò dixerim , quia nullam rationem ex proprijs cogentem ad hoc video , quod ſuperior appetitus moueat ſemper mediante inferiori , cum contingat appetitum ſuperiorem ferre completè in aliquod appetibile ſingulare ſecundum certum , locum , & tempus , &c. abſque appetitũ inferiori : conſtat enim , quod ad appetitum completum ſingularium ſequitur motus , ſi impedimentum non adſit ex parte corporis ; ex communibus tamèn rationabile videtur , quod appetitus ſuperior ſemper moueat mediante inferiori , quia ordo naturæ habet , vt infima à ſummis per media moueantur ; & quia vt in pluribus hoc accidere videtur ideò in Reſponſione ad 3. hoc tantùm innuitur , & non expreſsè dicitur . Nàm de parte apprehenſiua in littera fit excluſiua , dùm dicitur quod ratio vniuerſalis mouet tantùm mediante particulari , de parte verò appetitiua abſque excluſione dicitur , quod appetitus ſuperior mouet mediante inferiori ; & fortè diſparitas fuit iſta , ad inſinuandum hoc eſſe verum vt in pluribus , & non ſemper ſicut de parte apprehenſiua . Quia ergò quod eſt verum vt in pluribus in materia naturalium vniuerſale dicitur , & eſt ; ideò etiàm abſolutè verificatur appetitum ſuperiorem non mouere niſi medio inferiori . Itá Caietanus loc. cit.

Opinio S. Thom. de ſubſtantijs ſeparatis, ſcilicet Angelis, quod in ipſis ſit ſolus appetitus intellectiuus .

Quò ad ſecundùm . Caietanus in 1. p. quæſt. 54. art. 5. quærendo an in Angelis ſit ſola intellectiua cognitio recitat , & explicat opinionem S. Thomæ quo ad Angelos . Et primò aſſertiuè aſſerit ex Comment. in 12. Met. quod ſubſtantiæ ſeparatæ diuiduntur in intellectum , & voluntatem , & propter hoc Angeli vocantur mentes , & intelligentiæ vt dicitur in Reſponſione ad 1. art. 4 quæſt. 54. ad differentiam Animæ noſtræ , quæ non eſt intellectiua totalitèr , ſed ſecundum partem quia eſt forma corporis . Et ſi quæ auctoritas eſt Sanctorum Patrum , quæ videatur ponere ſenſitiuam potentiam , memoratiuam , & vim imaginatiuam , gloſat D. Thom. quod loquitur ſecundum opinionem illorum , qui poſuerunt Angelos , & Dæmones habere corpora naturalitèr , ſiuè vnita , qua opinione vtitur frequentèr D. Aug. ſuper Gen. lib. 2. cap. 17. & lib. 3. cap. 10. & lib. 21. de Ciu. Dei cap. 10. licèt eam non intendat aſſerere , imò ait quod ſuper hac inquiſitione , multum non eſt laborandum . Memoria tamèn poteſt poni in Angelis ſecundum quod ab Auguſt. ponitur in Mente lib. 10. de Trin. cap. 11. non tamèn ſecundum quod ponitur iſta vt pars Animæ ſenſitiuæ . Et de phantaſia proterua dicitur in Dæmonibus in hoc ſenſu quod habent falſam practicam exiſtimationem de

vero Bono. Deceptio autèm in nobis propriè fit ſecundum phantaſiam per quam interdum ſimilitudinibus rerum inhæremus, ſicut rebus ipſis, vt patet in dormientibus, & amentibus. Ità Caietanus 1. p. quæſt. 54. art. 5. ex D. Thom.

Opinio D. Tho. explicata à Caiet. de diſtinctione appetitus intellectiui & ſenſitiui in nobis.

De appetitu verò in nobis, ſcilicèt ſenſitiuo, & intellectiuo, ſubtiliſſima ratione, ait Caietanus, probat D. Thom. in 1. p. quæſt. 80. art. 1. quod neceſſe eſt ponere quamdam animæ potentiam appetitiuam, & in art. 2. quod appetitus, & intellectus ſunt diuerſæ potentiæ probat etiam. Et in art. 2. ex Reſponſione ad 1. addit Caietanus, occurrerent hic, non dubitatio, ſed Argumentationes eorum qui paralogizant appetitum poſſe appetere non apprehenſum; ſed quoniam de Animali appetitu, de quo eſt ſermo, loquendo, fatuum eſt hoc vertere in dubium, cùm continua experientia id doceat, & quolibet proferente contraria, ſollicitum eſſe, ſtultum eſt; idcircò vide apud Capreolum hæc omnia, ſi vacat, in præſenti examinatur præcipuè differentia inter appetitum ſenſitiuum, & intellectiuum, vt vidimus in Notabili tertio ſuprà, ſicut & etiàm ibi vidimus quomodo appetitus ſuperior moueat mediante inferiori. Cæterùm an appetibile moueat appetitum in genere cauſæ efficientis, & ſimplicitèr, & in via D. Thomæ, ſatis ſuperque dictum eſt in 2. Phyſ. quæſt. 15. & tota reſolutio Caietani in ſua Phyſica ibi tranſlata eſt; ibi perſtringit opiniones veritatem determinando. Ità Caietanus loc. cit.

Concluſio vnica Caietani ex D. Th. cum probatione primæ partis, quod in ſubſtantia Angelica ſit ſola intellectiua cognitio.

Quòad tertiùm. Hæc Concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. ſcilicèt prima pars ex 1. p. quæſt. 54. art. 5. Secunda pars ex quæſt. 80. art. 1. & 2. & eſt talis. In ſubſtantia intellectiua Angelica eſt ſola intellectiua cognitio; in ſubſtantia verò Animæ rationalis, eſt & appetitus ſenſitiuus, & intellectiuus, vt diuerſæ tamèn potentiæ.

Probatur prima pars à Caietano ex D. Thom. quæſt. 54. cit. quadruplicitèr. Primò Auctoritate Auuerrois in 12. Met. Comment. 37. vbi ait, quod ſubſtantiæ ſeparatæ diuiduntur in intellectum, & voluntatem. Secundò probatur ex congruentia ordinis vniuerſi, quia ſcilicèt infima pars eſt tota ſenſibilis, & media partim de genere ſenſitiuo, & partim de genere intellectiuo, vndè reſtat vt ſuprema ſit totalitèr intellectiua. Tertiò, probatur ex ipſis nominibus, quia ſubſtantiæ ſeparatæ vocantur mentes, & intellectus.

Quartò probatur ratione ſub tali forma. In Angelis ſunt ſolæ illæ virtutes animæ noſtræ, quæ non ſunt actus corporis: ergò in eis eſt tantùm intellectus, & voluntas: ergò in eis eſt ſola intellectiua cognitio. Antecedens patet, quia Angeli non habent corpora naturalitèr vnita. Prima conſequentia declaratur diſtinguendo duplex genus potentiarum Animæ, ſcilicèt organicarum, & non organicarum: quædam enim ſunt vires, quarum operationes per organa corporea exercentur, & huiuſmodi vires ſunt actus quarumdam partium corporis ſicut eſt viſus in oculo, & auditus in aure; Quædam verò vires Animæ ſunt, quarum operationes per organa corporea non exercentur, vt intellectus, & voluntas, & huiuſmodi non ſunt actus aliquarum partium corporis. Conſequentia ſecunda valet, ſcilicèt ergò de viribus Animæ non poſſunt competere niſi intellectus, & voluntas. Ità Caietanus loc. cit.

Probatio 2 partis Concl. quod ſcilicèt in ſubſtantia Animæ noſtræ eſt appetitus intellectiuus, & ſenſitiuus

Probatur ſecunda pars à Caietano ex D. Thom. ratione ſubtiliſſima à priori ſic: In cognoſcentibus inuenitur forma altiori modo, quàm in cognitione carentibus: ergò in illis inuenitur inclinatio altior, quàm in iſtis: ergò appetitiua potentia. Antecedens probatur, quia in reliquis forma determinat vnumquodque ad proprium, & naturale tantùm eſſe. In cognoſcentibus autèm non ſolùm ad hoc, ſed alie-

alienum, & intentionale eſſe ſe extendit, quia ſic Anima eſt quòdammodò omnia. Prima conſequentia ſundatur ſuper hoc, quod ad omnem formam ſequitur proportionalitèr inclinatio aliqua, quod patet tàm in proprijs, vt formam ignis ſequitur inclinatio ad ſurſum, quàm in alienis, vt perfecta inclinatio ſequitur ad generationem ſimilium, quæ naturalis appetitus vocatur. Secunda verò conſequentia ſundatur ſuper hoc, quod talis ſuperior inclinatio ad appetitiuam potentiam pertinet, cuius probatio inſinuatur ex eo quod per appetitiuam potentiam Animal poteſt appetere non ſolùm propria, & naturalia, ſed apprehenſa; & ſic neceſſariò concluditur, quod opportet ponere in Anima aliquam potentiam Animæ appetitiuam. Ità Caietanus ex D. Thom. art. 1. quæſt. 80. cit.

Probatio tertia partis Concluſ. quod ſcilicèt iſti duo appetitus diſtinguuntur.

Probatur tertia pars à Caietano ex D. Thom. ſub tali forma. Paſſiua, & mobilia diſtinguuntur ſecundum diſtinctionem actiuorum, & paſſiuorum: Sed Appetitus eſt potentia paſſiua mota ab apprehenſo: ergò appetitus diuerſitas eſt ſecundum diuerſitatem apprehenſi, ſed apprehenſum per intellectum diuerſi eſt generis ab apprehenſo per ſenſum: ergò appetitus intellectiuus, eſt alia potentia ab appetitu ſenſitiuo. Maior probatur duplicitèr. Primò mobile opportet eſſe proportionatum motori, & actiuum paſſiuo, & ipſa potentia paſſiua propriam rationem habet ex ordine ad ſuum actiuum, & hæc eſt probatio ſecunda Maioris. Minor verò probatur, quia appetibile apprehenſum ſolùm eſt mouens non motum, vt patet in 3. de Anima, & appetitus mouens motum. Ità Caietanus ex D. Thom. in principio Comment. art. 2. cit.

Argum. Caiet. contrà primã partem Concluſ. cum ſua Reſponſione.

Quò ad quartùm. Arguitur à Caietano contrà primam partem Concluſionis ſic. Potentia motiua non eſt actus corporis: ergò intelligentia debet diuidi in intellectum, voluntatem, & potentiam motiuam.

Reſp. Caietanus. Ad hoc breuitèr dicendum eſt, quod motiuum ſecundum locum ex parte Animæ coincidit cum appetitiuo, quamuis ex parte corporis aliquid addat vt dicitur in 3. de Anima. Vndè cum in Angelis non ſint corpora, vis motiua eorum coincidit cùm appetitiua. Et ideò Ariſt. & Auerroes dixerunt, quod intelligentiæ mouent amando, & deſiderando intellectualitèr; & ideò vis motiua, cùm non ſit virtus organica, non differt ab intellectu, & voluntate. Poteſt quoque & tutius dici, quod quia excluſio non fit à concomitantibus, non eſt excluſa potentia motiua ex affirmatione intellectus, & voluntatis: Comes enim eorum inſeparabilis eſt. Ità Caietanus in fine Comment. art. 5. quæſt. 54. cit.

Arguit Caiet. contrà ſecundam partem Concluſionis cum ſua Reſponſ.

Arguit ſecundò Caietanus contrà ſecundam partem Concluſionis ex D. Thom. 1. p. quæſt. 80. art. 1. ſic. Potentiæ diſtinguuntur ſecundum obiecta: ſed idem eſt quod cognoſcimus, & appetimus: ergò vim appetitiuam non opportet eſſe aliam, præter vim apprehenſiuam.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. Potentiæ diſtinguuntur ſecundum obiecta formalia concedo, materialia nego: ſub enim diuerſis rationibus quod eſt formale fertur, & cognitio, & appetitus in eamdem rem, quod eſt materiale obiectum. Idem quod apprehenditur, & appetitur, ait S. Doctor, eſt idem ſubiecto, ſed differt ratione: Apprehenditur enim vt ens ſenſibile, vel intelligibile, appetitu verò vt eſt conueniens, aut bonum; diuerſitas autèm rationum in obiectis, requiritur ad diuerſitatem potentiarum, non autèm materialis diuerſitas. Et memento, addit Caietanus, quod ea ratione dicitur ens intelligibile, aut ſenſibile apprehenſionis obiectum, qua in ſecundo de Anima dicitur viſibile obiectum viſu: non enim intendit Auctor, quod ens ſub ratione intelligibilitatis, aut ſenſibilitatis ſit obiectum apprehenſionis, ſicut nec color ſub ratione viſibilitatis, eſt

obiectum viſus: ſed intendit, quod obiectum apprehenſionis eſt ipſum ens intelligibile quidem reſpectu intellectiuæ, & ſenſibile reſpectu ſenſitiuæ; ità quod diſtinctio vis apprehenſiuæ ab appetitiua in hoc ſtat, quod ratio obiecti illius eſt entitas, iſtius verò eſt Bonitas, ſiuè conuenientia. Ità Caietanus in Reſponſione ad 2. quæſt. 80. cit.

Arg. 2. Caiet. contrà idem ſuprà cum ſua Reſponſ.

Arguit ibidem ſecundò ex eodem D. Thom. Commune non diſtinguitur contrà proprium: Sed quælibet potentia Animæ appetit quoddam particulare appetibile, ſcilicèt obiectum ſibi conueniens; ergò reſpectu huius obiecti, quod eſt appetibile in communi non opportet accipere aliquam potentiam ab alijs diſtinctam, quæ appetitiua dicatur.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. Commune non diſtinguitur contrà proprium, niſi diuerſam habeat rationem formalem, concedo, alitèr negatur: Potentiæ enim ſingulæ feruntur in ſuum obiectum alia ratione, quàm potentia appetitiua communitèr dicta; hinc eſt quod etiàm appetitu diuerſo in illa ferri dicuntur ſingulæ appetitu naturali; Appetitiua autèm communis appetitu animali. Et ideò potentia appetitiua dicitur appetere aliquid ea ratione qua eſt conueniens ſimplicitèr animali, quoniam eſt illa, per quam Animal appetere poteſt ea quæ apprehendit; hinc eſt quod Auctor dicit, quod vnaquæque potentia Animæ eſt quædam forma, ſeù natura, & habet naturalem inclinationem in aliquid. Vndè vnaquæque appetit obiectum ſibi conueniens naturali appetitu, ſupra quem eſt appetitus Animalis conſequens apprehenſionem quo appetitur aliquid non ea ratione, qua eſt conueniens ad actum huius, vel illius potentiæ, vtpotè viſio ad videndum, & auditio ad audiendum, ſed quia eſt conueniens ſimplicitèr Animali. Ad hæc addit Caietanus, quod in cognoſcentibus quemadmodum eſt vtriuſque ratio, ſcilicèt naturæ cognoſcitiui, ità eſt vterque appetitus naturalis, qui nihil aliud eſt, quàm ipſa naturalis potentia cuiuſque ad ſuam perfectionem; & Animalis, qui non fertur niſi ad actum cognitum. Et propterea videre, audire, & alia huiuſmodi, & etiàm ipſum appetere duplicitèr appetimus: Naturalitèr ſecundum partem, ſcilicèt ſecundum illam potentiam, cuius eſt perfectio; & Animalitèr, cùm apprehenſum viſionis, aut volitionis bonum concupiſcimus, & conſeruare conamur. Ità Caiet. in Reſp. ad 3. art. 1. cit.

Arg. 3. Caiet. contrà tertiã partem Concluſ. cum ſua Reſponſione.

Arguit tertiò Caietanus contrà tertiam partem Concluſionis ex D. Thom. art. 2. quæſt. 80. art. cit. Cognitio intellectiua eſt vniuerſalium, & ſecundum hoc diſtinguitur à ſenſitiua, quæ eſt ſingularium; ſed iſta diſtinctio non habet locum ex parte appetitiuæ: Cùm enim appetitus ſit motus ab Anima ad res quæ ſunt ſingulares, omnes appetitus vocantur eſſe rei ſingularis: non ergò intellectiuus diſtinguitur à ſenſitiuo.

Reſp. Caietanus negando Minorem. Ad probationem dicitur quod nihil valet in contrarium, quia appetitus eſt rei ſingularis ſecundum rationem, vel particularem ſi eſt appetitus ſenſitiuus, vel vniuerſalem ſi eſt appetitus intellectiuus. Ex Textu igitur D. Thomæ habemus, quod iſti appetitus diuerſificantur quoque ſecundum obiecta deſiderata, quia ſcilicèt intellectus immaterialia, ſenſitiuus materialia appetit, atque ideò non tantùm ſecundum obiecta formalia, ſed & ſecundum obiecta materialia diſtingui.

Inſtantia Caiet. contrà Reſponſ.

Inſtat Caietanus. Si appetitus intellectiuus mouetur ab ipſo ſingulari apprehenſo, cùm apprehenſio iſta fiat per ſenſum, ſcilicèt per cogitatiuam, iàm idem ponitur moueri ab vtroque; Si autèm mouetur ab vniuerſali nunquàm appetet hoc ſingulare ſignatum determinatè, quod vniuerſale non magis determinat ad hoc, quàm

quàm ad illud, ſed vel ad omnia ſimul ſingularia diſtribuit; aut nullum determinat in actu, ſed confusè, & in potentia omnia offert: experimur tamen nos per appetitum intellectiuum appetere hoc ſingulare ſenſibile, & nunc, & hic determinatè, vt patet, cùm eligimus ſectionem alicuius membri, aut aliam paſſionem parti ſenſitiuæ contrariam.

Reſponſio Caiet. ad inſtantiam.

Reſp. Caietanus, quod appetitus intellectiuus ſemper mouetur ab intellectu practico, cuius eſt etiàm apprehendere ſingularia ſenſibilia; ſi autèm directè, vel reflexè non eſt curæ: non enim reflexè intelligimus, quæ in Anima ſunt, & directè volumus. Nec obſtat ſi intellectui practico oporteat, quandoque immiſceri apprehenſum per cogitatiuam ad perfectè mouendum: quoniam apprehenſum per ſenſum excluſum eſt à motione appetitus intellectiui, virtute propria, & ſecundum ſe, non autèm vt adiungitur apprehenſo per intellectum. Ità quod ex hoc diuerſificatur appetitus intellectiuus, & ſenſitiuus, quia illius ſecundum ſe, & propria virtute actiuum eſt apprehenſum per intellectum, huius autèm per ſe, & propria virtute motiuum eſt apprehenſum per ſenſum; Cùm hac tamèn differentia penès diuerſitatem motiuorum ſecundum ſe, quod ſtat vt per adiunctionem, & colligationem tàm virium, quàm obiectorum, ſenſatum vt coniunctum intellecto compleat, quandoque motiuum intellectiui appetitûs. Seorſim autèm, & ſecundum ſe ſenſatum ſit proprium motiuum ſolius appetitus ſenſitiui. Ità Caietanus in Reſp. ad 2. art. 2. quæſt. 80. cit.

Inſtantia ſecunda Caietani.

Inſtat ibidem Caietanus. Reſponſio prædicta nondùm manifeſtat diſtinctionem appetitus intellectiui à ſenſitiuo: ergò adhuc non eſt ſufficiens, & conueniens, &c. Probatur anteç. Non oportet quod quidquid appetimus voluntate, id appetamus appetitu ſenſitiuo vt patet, nec rurſus oportet vt ſi appetitus intellectiuus mouere debeat appetitum à ſe, quod illud appetibile appeti faciat ab appetitu ſenſitiuo, cùm contingat illud eſſe ſuprà ordinem appetibilium per ſenſum, vel eſſe contrarium appetibili ſecundum ſenſum: ergò prædicta Reſponſio non eſt conueniens, quia admiſcet ibi aliquod falſum, & ſic non fit clara iſta diſtinctio, quæ ponitur à D. Thom. intèr illas duas potentias appetitiuas.

Reſponſio Caiet. ad ſecundam inſtantiam.

Reſp. Caietanus, quod licèt principale appetitiuum ab appetitu ſuperiori, quandoque excedatur, vel ſit contrà appetitum inferiorem, quilibet tamèn locus ad quem mouere poteſt appetitus ſuperior poteſt reddi appetibilis appetitui inferiori, vt obedit parti ſuperiori, cùm locus de genere ſenſibilium ſit, & infinitas rationes conuenientiæ poſſit ad rationem particularem habere. Non oportet igitur, quod appetitus inferior idem appetat, quod ſuperior, ſi mediare debet in mouendo, ſed ſatis eſt quod feratur in aliquid ordinatum ad appetibile intentum à ſuperiori, quod ſemper fieri poſſe, patet. Ità Caietanus 1. p. quæſt. 80. art. 2. in fine Comment.

Appendices ad Lectionem 1. Metaphyſicalem in Tractatu ſeptimo de ſubſtantijs ſpiritualibus.

PRæmittenda erat in præſenti Lectione Lectio Metaphyſicalis de potentia intellectiua an ſit potentia paſſiua, ſicuti eſt appetitiua: ſed hæc à Caietano multis in locis diffusè diſcutitur, vt in 3. de Anima agendo de intellectu poſſibili; (& in 1. p. quæſt. 79. art. 2. vbi quæritur an intellectus ſit potentia paſſiua, vbi Caietanus concludit, quod intelligere non eſt formalitèr pati, quamuis propriè loquendo non ſit etiàm formalitèr agere, ſed potiùs actiuè, paſſiuèq;

vi-

Digitized by Google

vitalitèr operari, vndè potius dicenda eſt potentia paſſiua quia patitur in quantùm nudus, dicit in 1. p. quæſt. 79. art. 2. cit. agit verò ſe toto primo, & ſic diuerſimodè eſt ſimul in actu, & potentia; & intellectus non eſt ſicut voluntas, quia voluntas mouet intellectum, & cæteras vires, & velle eſt actionis ſpecies; intellectus autèm non habens omne intelligibile, eſt in potentia, & imperfectus; voluntas tamèn non volens omne volibile non eſt in potentia, nec imperfecta. Ratio S. Thomæ ſtat ſolida in his, quorum perfectio, & operatio eſt in habendo ens vniuerſale, & manifeſtè loquitur de reſpicientibus totum ens, vt in ſe habere debentibus totum ens, & hoc locum non habet in voluntate, quæ in hoc differt ab intellectu, & ſic non valet ergò voluntas eſt etiàm potentia paſſiua, ſi intellectus dicitur potentia paſſiua. Videas Caietanum cum D. Thom. ibi, quia ibi habentur multa, vt in proprio loco, ſcilicèt in libris de Anima, vndè non ſunt hic transferenda. In ſequenti Lectione de intellectu ſubſtantiæ ſeparatæ qui denominat illam, vt mens eſt, & intelligentia, erit propriè Lectio. De differentia etiàm quam aſſignat Caietanus intèr appetitum intellectiuum, & ſenſitiuum, & intèr formam naturalem, & formam apprehenſam legatur art. D. Thom. in quæſt. 19. 1. p. Vtrùm in Deo ſit voluntas §. Caietani in Comment. Ad euidentiam horum, &c.

Negare accidentia realia realitèr diſtincta à ſubſtantia contrà ſenſum, meretur titulum inſenſati, ſicut Ariſtoteles nuncupauit Anaxagoram inſenſatum, vt nominat etiàm ipſum Commentator in 1. Phyſ. comm. 39. De qua materia videas noſtrum eruditiſſimum, & acutiſſimum Magiſtrum Picinardum modernum Theologum Accademiæ, & Vniuerſitatis Patauinæ celeberrimæ, in ſuo libro contrà Nouatores Athomiſtas negantes quamcumque formam accidentalem realitèr intrinſecè, Phyſicè à ſubſtantia diſtinctam in cap. 6. §. 1. pag. mihi 111. vſque ad pag. 124. facit enim ibi hanc demonſtrationem, Quod verum eſt iuxtà fidem non poteſt eſſe falſum iuxtà Phyloſophiam ex Conc. Later. Sed datur hæc propoſitio vera, ſecundum Fidem, Aliquod accidens datur realitèr intrinſecè diſtinctum à ſubſtantia, vt clarè patet de Gratia, &c. ergò non poteſt eſſe falſa iuxtà Phyloſophiam, vt ponunt aliqui, ibi duo arma adhibet, vnum petit gladium ab accidentibus ſupernaturalibus ad naturalia arguendo; alterum ſumit ex ipſo met actu libero naturali. Legas etiàm cap. 7. de Accidentibus Euchariſticis, &c.

Et vt in Metaphyſica tanquam perfectus in omni Dogmate habearis, legas ſemper formalitates Ven. Porrectæ cum ſuis Appendicibus in art. citatis in præſenti Lectione cum Commentarijs Caietani, &c.

LECTIO II.

METAPHYSICALIS

In Tractatu ſeptimo

DE POTENTIIS SPIRITVALIBVS.

Vtrùm in ſubſtantia ſeparata detur, ſicut in nobis, intellectus poſſibilis.

Ex Caietano in p. p. quæſt. 54. art. 4.

Declaratio Tituli facta à Caiet.

CAIETANVS in 1. p. quæſt. 54. art. 4. vbi quæritur à D. Thomâ, an in Angelo ſit intellectus agens, & poſſibilis, ait, Titulus eget recordatione eorum, quæ traduntur in tertio de Anima, vbi in Anima noſtra ponuntur duæ virtutes ad intelligendum concurrentes, vna actiua vocata intellectus agens, altera paſſiua vocata intellectus poſſibilis. Et ſic in præſenti Lectione vertitur in dubium, an vis intellectiua Angeli diſtinguatur in duas virtutes, quarum vna dicatur actiua, altera paſſiua, quod eſt idem ac quærere. Vtrùm in eo ſit intellectus agens, & poſſibilis. Ità Caietanus.

Primum Notabile Caiet. in quo oſtenditur intellectum Angelicum non egere intellectu agente.

Quò ad primùm. Notat Caietanus in quæſt. 54. art. 4. cit. contrà Scotum, quod natura Angeli media eſt intèr actum purum, & potentiam puram in genere intelligibilium, tantùmque obtinet perfectionis, vt ex eo quod habet perfectionis, ac actualitatis fluat intellectus non informis, ſed formatus naturis omnium naturalitèr cognoſcibilium ab Angelo, vt patet ex D. Thom. in quæſt. 53. & 54. cit. & in hoc concordant tàm Peripatetici, quàm Platonici; quamuis ex eo quod habet potentialitatis comparetur ad intellectum formatum, vt recipiens ad receptum. Quemadmodum in ſenſibilibus ex actualitate naturæ prouenit, quod ex ea fluant proprietates, & ex potentialitate fit, vt in ea recipiantur. Et quia natura ſicut non deficit in neceſſarijs, ità non abundat dando ſuperflua, propterea nulli tali rei, ad quam per modum ſequelæ naturalis non impedibilis nata eſt ſequi perfectio propria, opportuit naturam ſollicitari ad dandum ſibi virtutes, quibus poſſet acquirere ſibi ſuam perfectionem: Cùm enim talis natura ſic ſit inſtituta, quod eam neceſſariò comitatur ſua perfectio, ſuperfluæ adiunctæ eſſent virtutes, quibus naturalitèr acquirere poſſet perfectionem, qua naturalitèr carere non poteſt. Ex hac etiàm radice prouenit manifeſtè, & quod intellectus Angelicus nullum habet obiectum motiuum eius quo ad actum primum, & quod intellectus eius nunquàm naturalitèr eſt in ſtatu potentiæ, & conſequentèr nullo eget actiuo. Ità Caietanus loc. cit.

Secundum Notabile Caietani in

Notat ſecundò ibidem Caietanus proſequendo doctrinam contrà Scotum. Peccant tripliciter rationes aduerſariorum. Primò, quia obiectum illud, quod ponitur

Digitized by Google

quo oſtenditur vbi peccant obiectiones Scoti.

nitur adæquatum per prædicationem, non eſt vniuerſale abſtractum à ſenſibilibus, neque localitèr, neque partialitèr; ſed ex hoc ipſo factum pro Angelis, quod illius ſpecies naturalitèr ſunt inditæ Angelis; & ideò non opportet ponere aliquod agens pro illius abſtractione. Secundò peccant, quia neceſſitas ponendi intellectum agentem non eſt ex parte obiecti in quantùm eſt vniuerſale per prædicationem; ſed in quantùm eſt in rerum natura actualitèr perfectiuum, & motiuum intellectus: ponitur enim, vt cooperetur obiecto ad actuandum intellectum poſſibilem; Patet autèm ex dictis, tale obiectum, ſcilicet in ratione motiui nullum eſſe reſpectu Angeli, niſi fortè ſubſtantia propria, aut alicuius alterius ſuperioris intelligentiæ, quas conſtat eſſe actus intelligibiles. Tertiò peccant, quoniam obiectum per prædicationem adæquatum commune eſt omnibus intellectibus, ſcilicèt ens, aut verum, ac per hoc nullius intellectus propria venanda ſunt, ſed proprium obiectum cuiuſque intellectus eſt ens, & verum modificatum in per ſe primo obiecto motiuo, velquaſi motiuo illius: Quemadmodum ad intellectum noſtrum ſe habet, quodquid eſt rei ſenſibilis, & ad quemlibet Angelum ſe habet ſubſtantia propria; & penes talia obiecta diſtinguuntur intèr ſe intellectus, & propriæ eorum conditiones accipiuntur. Vndè poſſet dici & benè, quod obiectum primò, & per ſe adæquatum in ratione motiui naturalis intellectus Angelici cuiuslibet eſt res ſingularis in eſſendo, ſcilicèt eſſentia propria. Ità Caietanus.

Opinio Scoti recitata à Caietano.

Quò ad ſecundùm. Caietanus in 1. p. quæſt. 54. art. 4. refert opinionem Scoti ex 2. ſent. diſt. 3. quæſt. vltima, vbi probat contrà Thomiſtas dari in Angelis intellectum poſſibilem, & quod D. Thom probans non dari intellectum agentem, probet oppoſitum ex ſuis rationibus. Stat pro D. Thom. Capreolus in 2. ſent. diſt. 3. quæſt. 3. concluſ. 3. Et Ariſt. in 3. de Anima habet quod in nobis intellectus agens, & poſſibilis eſt per comparationem ad phantaſmata, quæ quidem comparantur ad intellectum poſſibilem vt colores ad viſum; ad intellectum autèm agentem, vt colores ad lumen; & cùm hæc non habeant locum in Angelis, imò quia in Metaphyſica Philoſophus pluribus in locis aſſerit eſſe abſtractos à materia, atque incorporeos, voluit inſinuare, & docere, quod in Angelis non ſunt huiuſmodi duæ virtutes, ſcilicèt intellectus agens, & intellectus poſſibilis; & vbi non eſt corporeum quid, aut materia, locum non habent phantaſmata. Ità Caietanus.

Vnica Concluſio ponitur à Caiet. ex D. Thom. cum probatione primæ partis quod in Angelis non eſt intellectus agens, nec poſſibilis.

Quò ad tertiùm. Vnica Concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. 1. p. quæſt. 54. art. 4. ſic. In Angelis non eſt intellectus agens, neque poſſibilis, niſi æquiuocè.

Probatur prima pars à Caietano ex D. Thom. ſub tali forma. Ratio neceſſitatis vtriuſque intellectus non habet locum in Angelis: ergò &c. Antecedens primò declaratur quo ad intellectum poſſibilem: Poſſibilis enim ponitur propter potentiam ad actum duplicem, ſcilicèt ad actum primum, & ad actum ſecundum, qui non habet locum in Angelo, quo ad naturalia, de quibus eſt ſermo: nos enim, quia inuenimur quandoque intelligentes in potentia, & non in actu, opportet eſſe quamdam virtutem, quæ ſit in potentia ad intelligibilia antè ipſum intelligere; ſed reducitur in actum eorum, cùm fit ſciens, & vlterius cum fit conſiderans, & hæc virtus vocatur intellectus poſſibilis. Probatur, & declaratur antecedens in ordine ad intellectum agentem. Agens ponitur propter defectum intelligibilis, quia ſcilicèt opportet intelligibile in potentia transferri ad ordinem intelligibilium in actu, quia naturæ rerum materialium, quas nos intelligimus

non

Digitized by Google

non ſubſiſtunt extrà animam immateriales, & intelligibiles in actu, ſed ſunt extrà animam exiſtentes in potentia intelligibiles, & ideò oportuit eſſe aliquam virtutem, quæ faceret illas naturas intelligibiles in actu, & in nobis hæc virtus dicitur intellectus agens; quod quidem locum non habet in Angelis quia proprium intelligibile eorum eſt quidditas immaterialis de ſe intelligibilis, quemadmodum lumens eſt de ſe viſibile vt patet in q. 55. a. 2. p. p. & ſic non poteſt eſſe in eis intellectus agens, & poſſibilis. Ità Caiet.

Probatur ſecunda pars quod non niſi æquiuocè ſit ibi agens, & poſſibilis.

Declaratur ſecunda pars à Caietano ex D. Th. quod ſcilicet non niſi æquiuocè ſit intellectus agens, & poſſibilis in Angelis. In Reſp. ad ſecundum ait D. Th. quod intellectus agentis proprium eſt illuminare non quidem alium intelligentem, ſed intelligibilia in potentiâ, in quantùm per abſtractionem facit ea intelligibilia in actu vt dicitùr in 3. de Anima tex. 18. Ad intellectum autèm poſſibilem pertinet eſſe in potentia reſpectu naturalium cognoſcibilium, & quandoque fieri in actu: ergo ſi ſic eſt; Angelus ſi illuminat alium Angelum, & quod illuminetùr de ſupernaturalibus Myſterijs ad quæ cognoſcenda quandoque eſt in potentia, cum recipiat iſta actu de nouo, hoc non contingit quia ſit ibi intellectus agens, & poſſibilis propriè: ſed ſi quis velit hæc vocare, ait D. Th. intellectum agentem, & poſſibilem, æquiuocè dicet, nec de nominibus eſt curandum. Ità Caiet. ex D. Th. loc. cit.

Arguit 1. Caiet. pro Scoto contrà p. p. Concl. cum ſua Reſp.

Quo ad 4. Arguit Caiet. pro Scoto de intellectu agente. Potentia actiua, quæ eſt perfectionis in Creatura inferiori non eſt deneganda Creaturæ ſuperiori. Et inſuper natura nobiliſſima debet habere eas virtutes, quibus poſſit acquirere ſibi perfectionem ſuam, ſi non habet eam: ſed intellectus agens hæc omnia dicit: ergo natura Angelica debet habere intellectum agentem, & poſſibilem, vt poſſit etiàm ſibi acquirere cognitionem vniuerſalium quidem, ſi non haberet inditam, & ſingularium, quam non habet congenitam.

Reſp. Caiet. ex dictis eſſe falſum, quod intellectus agens pertineat ad perfectionem ſimpliciter naturæ humanæ, ſed pertinet ad perfectionem eius, inquantùm eſt natura imperfecta, imò imperfectiſſima in genere intellectualium, quoniam pertinet ad perfectionem acquiſitiuam propriæ perfectionis, quæ præſupponit eius naturalem abſentiam, quæ manifeſtè importat imperfectionem. Vndè illa propoſitio, potentia actiua quæ eſt perfectionis &c. non eſt vera niſi de perfectione ſimpliciter, quoniam multa pertinent ad perfectionem inferiorum, quæ eſſent imperfectiones in ſuperioribus. Et falſum eſt etiàm, quod in omni natura ſint ponendæ virtutes, quibus poſſet acquirere ſuam perfectionem ſi careret illa, quoniam hoc locum non habet, niſi in his, quæ naturaliter carere poſſunt ſua perfectione: Alioquin opporteret ponere etiàm in Deo intellectum agentem, & poſſibilem. De cognitione autèm ſingularium explicat in alia quæſtione de Angelis S. Doctor, pro nunc negatur intellectum Angeli eſſe in potentia naturali ad quemcumque actum primum, ſiuè ſit obiectum vniuerſale, ſiue ſit ſubiectum ſingulare. Ità Caiet. loc. cit.

Arguit 2. Caiet. pro Scoto.

Arguit Caietanus pro Scoto de intellectu poſſibili ſic. In Angelis eſt potentia receptiua ſpecierum intelligibilium: ergo in eis eſt intellectus poſſibilis: probatur conſequentia quia nihil refert an potentia receptiua præcedat duratione actum receptum, an natura tantùm, in quo tu ponis differre intellectum Angelicum à noſtro poſſibili. Inſuper ſi Deus dediſſet homini ſpecies intelligibiles, nihilominus haberet intellectum poſſibilem vt patet in Chriſto Domino.

Reſp. Caiet. ad Argum. Scoti.

Reſp. Caietanus, quod nil valet obiectio Scoti, quia non diſtinguit intèr per ſe, & intèr per accidens: Potentia enim receptiua duplex eſt; quædam per accidens coæua ſuo actui, & de tali procedunt obiectiones, quæ imaginantur intel-

Digitized by Google

lectum Angelicum eſſe, ſicut intellectum noſtrum, cui accidere poteſt, quod habeat ſpecies coæuas; Quædam verò eſt per ſe coæua ſuæ perfectioni, quia ſcilicet naturaliter eſt inſeparabilis ab ea, quemadmodum figura reſpectu Cæli, & talis non poteſt vocari poſſibilis, quia nunquam eſt in ſtatu potentiæ; Vndè ridiculum eſt dicere, quod Cælum eſt poſſibile reſpectu ſuæ figuræ apud Philoſophos vt patet in 9. Met. tex. 17. & talis potentia eſt in intellectu Angeli. Ità Caiet.

Arguit vltimò Caiet. pro Scoto. Arguit vltimo Caietanus pro Scoto quod detur intellectus agens. Primum, & adæquatum obiectum intellectus Angelici, quod dicis eſſe intelligibile in actu, aut eſt aliqua res ſingularis, aut vniuerſalis. Non ſingularis, quia nullum ſingulare continet virtualitèr, ſeù vniuerſalitèr omnia cognoſcibilia ab Angelo: ergo eſt aliqua ratio vniuerſalis per prædicationem ad omnia cognoſcibilia ab Angelo, & cùm talia non ſint ſolùm immaterialia, ſed etiàm ſenſibilia, quæ ſunt intelligibilia in potentia, iàm obiectum intellectus Angelici erit abſtractum ab intelligibili in potentia quia non ex ſe omninò intelligibile in actu: ergo debet poni intellectus agens in eis.

Reſp. Caiet. ad vltimum Argumentum Scoti. Reſp. ex dictis Caietanus, & primò ad illud, quod nullum ſingulare continet virtualitèr &c. dicitur, quod non eſt opus, quod obiectum contineat omnia virtualitèr, ſed ſat eſt, quod contineat omnia naturaliter cognoſcibilia ſecundum conditiones naturaliter cognoſcibiles repreſentatiuè à tali intellectu; & hoc conuenit eſſentiæ Angeli diuerſimodè tamèn reſpectu diuerſorum, quoniam repreſentat ſuperiora, quaſi vt effectus repreſentat cauſam; Inferiora verò è conuersò, quaſi vt cauſa effectum, & vniuerſalitèr tàm ſuperiorum, quàm inferiorum repreſentatiuas ſpecies virtualitèr continet, quamuis non eorum naturas, & hoc ſufficit: quoniam ſat eſt quod primum obiectum contineat virtualiter cognitiones omnium. Diuini namque obiectum proprium eſt, & cognitiones, & naturas omnium continere. Ità Caietanus circà finem Comment. art. 4 cit.

Appendices ad Lectionem Secundam Metaphyſicalem in Tractatu Septimo de Potentijs Spiritualibus.

VT medullitùs defendatur doctrina D. Th. contrà Scotum de intellectu Angelico, quod ibi non detur nec intellectus agens, nec poſſibilis, plurimum facit art. 2. q. 55. in p. p. vbi D. Th. quærit an Angeli intelligant per ſpecies à rebus acceptas; vbi in Commentarijs, quærit Caietanus an eſſe imaginabile ſit medium intèr eſſe ſenſibile, & intelligibile reſpectu Animæ noſtræ; & dicit quod ſi ſenſibile ſumatur communitèr; eſſe imaginabile eſt eius ſpecies, & in tali caſu eſt medium, quoniam ſenſibile ſumitur ibi magis ſtrictè, & vſitatius pro ſenſibili exteriori.

Poteſt etiam legi art. 1. q. 58. vbi quærit S. Th. Vtrùm intellectus Angeli quandoque ſit in potentia, quandoque in actu, & art. 3. q. 79. vbi quæritur an neceſſe ſit ponere in Anima noſtra intellectum agentem, vbi quærit Caietanus an intelligibile in actu quod eſt effectus intellectus agentis, ſit priùs quàm ſpecies intelligibilis, vel ipſa ſpecies intelligibilis ſit ipſum intelligibile in actu, quod dicitur effectus intellectus agentis. Et opinatur ibi, quod lumen intellectus agentis facit intelligibile in actu in phantaſmate per modum abſtractionis prius natura, quàm fiat ſpecies intelligibilis in actu.

Poteſt etiam videri, ſi placet, art. 1. q. 85. vbi quæritur an intellectus noſter intelligat res corporeas, & materiales per abſtractionem à Phantaſmatibus, vbi in Reſp.

Digitized by Google

Reſp. ad quartùm quærit Caietanus an illuminatio intellectus agentis ſuper phantaſmata ponat in eis aliquid poſitiuum, & opinatur, quod illuminatio iſta, nihil eis addendo de reali, habilitet tantùm. Nec obſtat Regula de inſtrumentalibus agentibus, quoniàm de Secretis his, vt poſſumus, loquimur, non eſt enim ibi propriè inſtrumentum, cùm Phantaſma, non ſit tàm cauſa ſpeciei, quàm materiæ. Ità Caietanus in loc. cit. cùm Ven. Porrecta cuius formalitates, & Appendices omninò legendæ ſunt à Diſcipulo Metaphyſico Thomiſta in art. cit.

LECTIO III. METAPHYSICALIS

In Tractatu Septimo

DE POTENTIIS SPIRITVALIBVS.

Vtrùm intellectus ſubſtantiæ ſeparatæ ſit eiuſdem ſpeciei cum intellectu Animæ noſtræ.

Ex Caietano p. p. q. 75. art. 7. & quaſt. 79. art. 7. & alibi.

Declaratio Tituli, eiuſq; ſenſus facta à Caiet.

CAietanùs, pro claritate Tituli notat, quod præſens Lectio connexionem habet cum illa alia ex p. p. q. 79. art. 7. vbi quæritur an in anima noſtra alia, & alia ſit Potentia, Memoria, & Intellectus; in Concluſione infrà dicetur negatiuè, & ſic, ait Caietanus, occaſionaliter hic quæritur Metaphyſicè an intellectus hominis, & Angeli ſint eiuſdem ſpeciei, quod eſt idem quod quærit S. Doctor in p. p. q. 75. art. 7. Vtrùm anima, & Angelus ſint vnius ſpeciei; & cum duplex ſit radix diuerſitatis in intellectu Angeli, & animæ noſtræ, ſcilicet, ex parte obiecti, vt hanc aſſignauit in quæſt. 12. cùm poſuerit ibi triplicem intellectus gradum iuxtà triplicem modum eſſendi rei cognitæ, ſcilicet eſſe in materia; ſubſiſtere abſque materia; & eſſe abſque omni potentia. Et alia ſit radix ſecunda, ſcilicet per actum, & potentiam ſecundum quam diſtinguuntur ipſi intellectus ſpecificè, vel realitèr; & cum D. Th. neget primam in q. 77. art. 3. quærendo Vtrum potentiæ diſtinguantur per actus, & obiecta, & dicat nullam eſſe differentiam ex parte obiecti penes quam diuerſificari poſſit intellectiua vis; meritò dubitatur an ſint eiuſdem ſpeciei. Et, addit Caiet. in Reſp. ad tertium D. Th. q. 75. art. 7. quod Scotus in 2. ſent. diſt. 1. q. 6. non impugnat, quod differentia ſecundum eſſe vnibile, vel non vnibile materiæ infert diuerſitatem: ſed quod iſta ſit prima radix diſtinctionis ſpecificæ, quod S. Thomas non dixit, ideò non opportet reſpondere. Sed eſſet hic alia difficultas, quomodo vnibilitas, eſt de

 eſſen-

eſſentia animæ, vt S. Thomas hic dicit, & de hoc vide, quæ ſcripta ſunt in Commentarijs de Ente, & Eſſentia, in materia de indiuiduatione animæ ſeparatæ, & in q. de inhærentia accidentis. Iectioigitur præſens eſt; an anima, & Angelus ſint vnius ſpeciei, & per conſequens. an potentiæ earumdem ſubſtantiarum differant ſpecie, & ſint diuerſæ, & per quam radicem in via D. Th. diuerſificentur. Ità Caietanus loc. cit.

1. Notab. Caiet. in quo ponitur fundamentum cur intellectus Angeli, & Animæ noſtræ non diuerſificetur ex prima radice obiecti, ſed ex ſecunda actus, ſcilicet, & potentia.

Quo ad primum notat Caiet. ſundamentum, quod affert D. Th. in art. 7. quæſt. 75. & 79. quare intellectus Angeli, & animæ noſtræ ſint potentiæ omninò diuerſarum ſpecierum, & dicit, quod apud S. Th. & ſecundum rei veritatem diuerſitas intellectuum non ſumitur ex prima radice, ſcilicet, ex diuerſitate obiecti, quia cùm obiectum reſpectu alicuius intellectus ponatur dupliciter, ſcilicet terminatiuum, & motiuum, aut quaſi motiuum, diuerſitas non attenditur penès diuerſitatem obiecti motiui, quia iſtud non adæquatur potentiæ intellectiuæ, ſed quod æquatur, eſt ipſum terminatiuum, & è conuersò extenſiuè: opportet igitur de intellectu, ſicut & de potentijs loqui. Videmus autèm quod viſus hominis non diſtinguitur ſpecie à viſu noctuæ ex obiecto, quia vtriuſque obiectum terminatiuum eſt idem, puta lux, quamuis noctuæ viſus à tenebroſo tantùm lumine, hominis verò à claro moueatur. Vndè cum obiectum terminatiuum omnis intellectus ſit entis ratio, nulla ex parte obiecti diuerſitas, diuerſificat intellectus, eſto etiàm obiectum motiuum noſtri intellectus ſit aliud à motiuo obiecto Angelorùm, quia quod quid eſt rei ſenſibilis mouet noſtrum intellectum; quilibet autèm Angelus propriam habet ſubſtantiam, vt obiectum quaſi motiuum. Non ergo ex prima radice, ſcilicet ex diuerſitate obiecti ſumitur diuerſitas intellectuum, ſed ſumitur ex ſecunda radice, ſcilicet ex diuerſitate actus, & potentiæ, & ratio huius eſt, quia intelligere eſt actus perfecti, perfectum autèm conſequitur actus, & ideò ſicut ſubſtantia immaterialis ſe habet ſubſtantialitèr ad actum, & potentiam, ità ſe habet ad intelligere. Vndè primus intellectus vt patet in 12. Met. ſtabilitur puritate actus; alij vero à primo in tertio de Anima conſtituuntur pura potentia, & per conſequens intellectus medij permixtione diuerſa actus, & potentiæ conſurgunt, & hæc eſt illa met radix, qua intellectum poſſibilem diſtinguit S. Doctor, ab intellectu agente, ſcilicet quia hic actu, ille potentia. Ità Caiet. art. 7. q. 79. cit.

2. Declaratur, & recitatur cum alijs opinionibus opinio vera S. Thomæ à Caiet.

Quo ad ſecundum Caietanus in art. 7. q. 79. ait, triplex eſt de hac quæſtione opinio. Quidam enim tenent, intellectiuas potentias omnium Angelorum, & animæ eſſe omninò eiuſdem ſpeciei, & in hanc videtur Scotus declinare, relinquendo tamen hanc ſub dubio in 2. ſent. diſt. p. q. vltima. Alij tenent quod in ordine ad obiecta intellectiuæ potentiæ omnium Angelorum, & animæ noſtræ, vt potentiæ, ſunt eiuſdem ſpeciei; diuerſarum tamèn ſpecierum, vt proprietates ſunt diuerſarum naturarum, quemadmodum dicimus de potentijs ſenſitiuis exterioribus. Alij vero credunt prædictas potentias eſſe omninò diuerſarum ſpecierum. Et hæc eſt via peripatetica, & S. Thomæ. In quæſt. autèm 75. art. 7. refert ex D. Th. opinionem affirmatiuam Origenis, qui poſuit omnes animas humanas, & Angelos eſſe vnius ſpeciei: & hoc ideò, quia potuit diuerſitatem gradus in huiuſmodi ſubſtantijs inuentam, accidentalem, vtpotè ex libero arbitrio prouenientem, vt dicitur in quæſt. 47. p. p. art. 2. quod non poteſt eſſe, ait Sanctus Doctor, quia in ſubſtantijs incorporeis non poteſt eſſe diuerſitas ſecundum numerum abſque diuerſitate ſecundum ſpeciem, & abſque naturali inæqualitate. Ità Caietanus in loc. cit.

Opinio Origenis recitatur à Caiet. ex D. Th.

3. Concluſio præ-

Quo ad 3. prima Concluſio vt præambularis ad ſequentem ponitur à Caietano ex

Digitized by Google

ex D. Th. q. 79. a. 7. cit. ſic. Memoria intellectiua non eſt alia potentia ab intellectu poſſibili.

ambularis ad Reſponſiuum cum ſua probatione quod memoria intellectiua non eſt alia in homine ab intellectu.

Probatur ſic à Caietano ſub tali forma. In intellectu nulla poteſt eſſe diuerſitas potentiarum niſi agentis, & paſſibilis: ergo memoria non eſt alia potentia ab intellectu poſſibili. Antecedens quo ad vtramque partem probatur vigore talis diſtinctionis implicitè: Diuerſitas potentiarum, aut eſt ex diuerſitate obiecti formali, aut ex diuerſo genere attingendi idem obiectum formaliter: ſed intellectus diuerſitas non poteſt eſſe primo modo, & ſecundo modo ſolùm cauſatur diſtinctio intèr agentem, & poſſibilem. ergo in intellectu non poteſt eſſe alia diuerſitas potentiarum niſi agentis, & poſſibilis. Diſiunctiua quo ad diſiunctionis ſufficientiam per ſe nota relinquitur, quoniam non eſſet facile tertium modum fingere: Primus enim complectitur obiectum, ad quod eſt potentia; ſecundus verò complectitur genus ipſius potentiæ, præter quæ duo nihil eſt eſſentialiter. Quo ad verò membra diſtinctionis ſingillatim declaratur tali ordine. Primò probatur quo ad primam partem ſic. Potentia ſecundum id quod eſt, eſt ad obiectum: ergo ſecundum diuerſitatem formalem obiecti diuerſificatur. Secundò probatur Minor, etiàm quo ad primam partem ſic. Potentia reſpiciens rationem communem non diuerſificatur per inferiores differentias: ergo potentia reſpiciens rationem entis non diuerſificatur penes aliquas entis differentias: ergo intellectus nullam ex parte obiecti diuerſitatem ſortitur. Tertiò probatur ad ſecundam partem ſic. Quia ad idem obiectum alia eſt ratio agentis, alia patientis, quia illud vt actus ad potentiam, hoc vt potentia ad actum ſe habet. Conſequentia verò dicit duo, & quod memoria non eſt alia ab his, & quod coincidit cùm intellectu poſſibili, & quo ad primum quidem probatione non eget, quia ſi illæ ſunt ſolæ, non datur ergo tertia. Quo ad ſecundum verò probatur, quia conſeruare, quod eſt actus proprius materiæ, eſt actus potentiæ paſſiuæ, ſicut & recipere, & non potentiæ actiuæ: ergo non coincidit cum intellectu agente, ſed poſſibili. Ità Caietanus in principio Comment. art. 7. cit.

Secunda Concluſio ponitur à Caietano Reſponſiùa quæſiti ex D. Thom. p. p. quæſt. 75. art. 7. Angelus, & Anima ſunt diuerſarum ſpecierum, & naturalitèr inæquales.

2. Concluſio Caiet. ex D. Th. cum ſua probatione, quod Angelus, & Anima ſunt diuerſa ſpeciei.

Probatur ex D. Th. à Caietano licet concluſio inferatur ex probatione primæ Concluſionis prædictæ, ſub tali forma ex D. Th. ſubſtantiæ in corporeæ, aut ponuntur formæ, ſubſiſtentes, aut compoſitæ ex materia, & forma; ſed vtroque modo non poſſunt eſſe duæ eiuſdem ſpeciei, & naturaliter æquales: ergo &c. Maior patet. Minor probatur tali ordine. Primò dato quod ſint formæ ſubſiſtentes, quo ad primam partem prædicati, ſcilicet diuerſitatem ſpeciei, quia forma ſeparata à materia non multiplicatur, quod declaratur in albedine ſeparata; & quo ad inæqualitatem naturæ, quia diuerſitas ſpeciei patit inæqualitatem ſecundum perfectum, & imperfectum: quia differentiæ diuidentes idem genus ſunt contrariæ, cuius principium eſt priuatio, & habitus. Secundò dato, quod ſint compoſitæ ex materia, & forma, aut diuerſitas naſcitur ex forma, aut materia. Si ex forma: ergo ſpecifica, & inæqualis; ſi ex materia: ergo ex quantitate, quæ in incorporeis non eſt intelligibilis ergo &c. Hoc in loco, addit Caiet. eſſent diſcutiendæ propoſitiones iſtæ communes in via S. Thomæ, & in via peripatetica, niſi eſſent ſuperius, & inferius, & alibi diſcuſſæ. Ità Caietanus loc. cit.

Arguit Caiet. cōtrà efficaciam rationis prob. Concl.

Quo ad 4. Arguit Caietanus contrà primæ Concluſionis rationem ſic. Ex illa ratione videtur ſequi, quod nulla ſit diuerſitas ſpecifica intèr quoſcumque intellectus ſor-

formaliter ſumptos, niſi intèr agentem, & poſſibilem, ſic. Nulla differentia entis diuerſificat intellectum, ergo nullus intellectus diſtinguitur ab alio intellectu ex parte obiecti: ergo omnes intellectus ſunt eiuſdem ſpeciei obiectiuè, vt viſus hominis, & viſus Leonis, & ſic non differunt formaliter, vt intellectus ſunt, ſed vt proprietates ſunt naturarum diuerſarum. Antecedens eſt D. Thomæ qui dicit quod entis ratio eſt obiectum intellectus. Conſequentia eſt nota, quia non niſi penes entis differentias diuerſa obiecta ſumi poſſunt: nullus enim intellectus eſſe poteſt reſpectu non entis, vt proprij obiecti.

Reſp. Caiet. ad Argum contrà rationem probatiuam.

Reſp. Caietanus, concedendo, quod diuerſitas potentiarum intellectiuarum non ex obiectis prouenit, ſed neque ex agere, & pati: ſed ex radice, & fundamento vndè oritur diſtinctio intèr agentem, & poſſibilem, ſcilicet ex actu, & potentia. Vndè quando in antecedenti dicitur. In intellectu non eſt diſtinctio potentiarum niſi agentis, & poſſibilis, intelligetu, vel reſpectu intellectus noſtri, vel ſimpliciter gloſando exceptiuam niſi agentis, & poſſibilis, ideſt, niſi ſecundum radicem, qua diſtinguuntur agens, & poſſibilis, ſcilicet, actum, & potentiam. Et quando D. Th. in q. 12. vt diximus in explicatione tituli ſuprà graduat intellectus iuxtà triplicem modum eſſendi rei cognitæ, dicas quod S. Doctor non diſtinguit intellectus ſimplicitèr ibi, ſed id fecit ad oſtendendam efficaciam intenſiuam cuiuſque intellectus: quoniam ex illa prouenit, quod intellectus poſſit ex naturalibus quidditatiuè cognoſcere Dei ſubſtantiam; & ideò per obiecta quaſi motiua graduauit intellectus: Obiecta enim motiua ſunt adæquata intenſiuè potentijs: Diuerſitas enim potentiarum ex obiectis, attenditur potiùs penès terminatiua, & non motiua; efficacia tamèn attenditur penes motiua, & non terminatiua, & hic loquendo ex proprijs, quià concomitantèr etiàm penès motiua diſtinguuntur. Ità Caietanus in p. p. q. 79. a. 7. in Commentario art.

Tollitur à Caiet. contradictio in dictis D. Th. pro vt in declaratione Tituli refertur.

Arguit 2. Caiet. contrà 2. Concl. cũ ſua Reſp.

Arguitur à Caietano ex D. Th. p. p. q. 75. art. 7. contrà ſecundam Concluſionem. Vnumquodque ordinatur ad proprium finem per naturam ſuæ ſpeciei, per quam habet inclinationem ad finem: ſed idem eſt finis Animæ, & Angeli, ſcilicet Beatitudo æterna: ergo ſunt vnius ſpeciei.

Reſp. ex D. Th. diſtinguendo Maiorem vnumquodque &c. ad proprium finem proximum, & naturalem concedo, vltimum, & ſupernaturalem nego. Beatitudo enim, quæ eſt finis Angelo, hominique communis, eſt finis vltimus, & ſupernaturalis. Itaque ratio illa procedit de fine proximo, & naturali, Ità Caietanus ex D. Thmo. locis citatis.

Appendices ad Lectionem Tertiam Metaphyſicalem in Tractatu Septimo de Potentijs Spiritualibus.

CVm noſtri Doctores Thomiſtæ diſtinguant de obiecto motiuo, & terminatiuo; & de obiecto intenſiuo, & extenſiuo: noſtri Metaphyſici Iuuenes aduertant diligentèr hanc lectionem, vbi Caietanus cùm Doctrina D. Th. clarificat, cur diſtinctio ſpecifica intellectuum vt ſic non attendenda ſit ex prima radice obiecti motiui, ſiue terminatiui, vt habeant pleniorem lucem de obiecto adæquato noſtri intellectus. De huius fonte luminis Metaphyſicæ coruſcabunt faculæ, ſi etiàm attendantur formalitates, & Appendices Ven. Porrectæ ſuper art. 7. q. 75. & ſuper alios art. cit. in p. p. ſuprà.

Quod

Digitized by Google

Quod intellectus, & memoria intellectiua ſecundum Philoſophum ſint idem ſecundum rem, hoc colligit Caiet. ex Philoſopho cum D. Th. in 3. de Anima tex. 6. dùm dicit, quod Anima eſt locus ſpecierum, non tota, ſed intellectus, de ratione memoriæ intellectiuæ nil aliud eſt, niſi eſſe Theſaurum, ſeù locum conſeruatiuum ſpecierum; & quando D. Auguſt. cit. à D. Th. in Reſp. ad primum art. 7. cit. ait quod ſi accipiantur Memoria, intelligentia, & Voluntas ſecundum quod ſemper præſto ſunt Animæ, ad ſolam memoriam pertinere videntur, ibi, ſcilicet in 14. de Trin. c. 10. & 11. accipit memoriam pro habituali animæ retentione, intelligentiam autem pro actu intellectus, & voluntate.. pro actu voluntatis. Pro pleniori captu huius lectionis vide art. D. Th. cit. à Ven. Porrecta in Appendice &c.

LECTIO IV.

METAPHYSICALIS

In Tractatu Septimo

DE POTENTIIS SPIRITVALIBVS.

Vtrùm Liberum arbitrium, quod ſupponitur in Anima noſtra, & in Angelis ſit idem, quod Voluntas in ipſis.

Ex Caietano p. p. queſt. 59. art. 3. & q. 83. art. 1. 2. & 3.

Declaratio Tituli, eiuſque ſenſus facta à Caiet.

LEctio iſta, ait Caiet. in p. p. q. 59. a. 3. non eſt ſuperflua, cum ſecundum rei veritatem voluntas, & liberum arbitrium ſint vna met potentia; ex duobus autèm pendet neceſſitas inſtituendi illam in præſenti Metaphyſica. Primò quia cùm liberum arbitrium ſonet facultatem communem ipſi intellectui, & voluntati; vndè potiùs dicat, quid compoſitum ex libertate, & arbitrio, apud aliquos ideò redditur dubia iſta quæſtio an ſit idem quod voluntas, & tenent negatiuam: Secundo cùm voluntas nominet appetitum intellectiuum ipſius boni, & non explicet modum appetendi, ſcilicet liberè, vel non, reſtat neceſſitas quærendi de modo appetendi, Vtrùm liberè, vel non liberè, quod in præſenti attenditur ſub vocabulo liberi arbitrij, quod nil aliud ſignificat niſi actum liberum. Et nota pro notitia Tituli, vt tollatur omnis æquinocatio, ait Caiet. in p. p. q. 83. a. 1. 2. 3. & 4. quod non quæritur hic de libero arbitrio vt dicit actum, ſed vt dicit idem, quod principium illius actus an ſit idem, quod voluntas, ſeù potentia appetitiua: clarè enim conſtat, quod in primo ſenſu, non eſt habitus, nec potentia, quia ex art. 2. per liberum arbitrium indifferentèr nos habemus ad benè, vel malè eligendum, vndè impoſſibile eſt, quod liberum arbitrium ſit habitus, cùm habitus ſit, quo vel benè, vel malè inclinamur: Per temperantiam enim

nos

nos benè habemus ad concupiſcentias, per intemperantiam autèm malè: per ſcientiam benè nos habemus ad actum Intellectus, dùm verum cognoſcimus, per habitum autèm contrarium, malè &c. ſic diſcurras de alijs &c. Ità Caietanus a. 2. q. 83. citatæ, & alibi &c.

Primum Notabile Caiet. in quo explicatur quod radicalitèr liberum arbitrium, ſeù libertas eſt in intellectu, in voluntate primò formalitèr.

Quò ad primùm. Notat Caietanus ex D. Thom. p. p. q. 83. a. p. quod res graduantur in triplici ordine: Quædam enim operantur ſine iudicio, quædam cum iudicio noncollatiuo, ſed naturali, quædam cùm iudicio libero. In primo ordine ſunt inanimata, in ſecundo ſunt Bruta; in tertio ſunt rationalia, vt Angelus, & Homo. Vbi nota quod iudicium, ſeù arbitrium liberum diſtinguitur contrà naturale; Naturale eſt determinatum ad vnum, & agere iudicio naturali, nihil aliud eſt quàm agere iudicio non indifferenti, & hoc modo Bruta agunt. Agere autèm libero arbitrio eſt agere iudicio indeterminato ad hoc, & ad oppoſitum; eſſe tamèn indeterminatum, & eſſe determinatum non dicit veram differentiam, quia quandò exit in actum, oportet omne iudicium eſſe determinatum ad vnum, ſed differentia attenditur penès hoc quod iudicium Brutorum ſecundum ſe non eſt indifferens ad hoc, & oppoſitum, rationalium verò ſic: potentiæ enim rationales, vt dicitur 10. Met. ſe habent ad oppoſita: irrationales verò ad vnum tantùm oppoſitorum. Hinc habes quod prima radix libertatis eſt ratio, & ex hoc ineſt libertas alicui, quandò ratio indeterminata eſt, & indifferens ad hoc, & ad oppoſitum; & quoniam hoc eſt antè omnem actum voluntatis, minùs benè dixit Scotus in 1. ſent. diſt. 38. primò quærendam eſſe libertatem in voluntate, quamuis poſſit diſtingui, quod primò eſt in voluntate formalitèr, & primò in ratione radicalitèr. Ità Caiet. loc. cit.

Notabile ſecundum Caiet. in quo explicatur in quo ſenſu naturalitas opponatur libero arbitrio.

Notat ſecundò Caiet. ibidem a. 2. ex D. Th. quomodò rationi liberi arbitrij repugnet naturalitas, quod naturalitas poteſt cadere ſuprà duo, vel ſuprà rationem rei, de qua eſt ſermo, vel ſuprà inhæſionem illius rationis in ſubiecto. Si naturalitas determinat inhæſionem, omnia quæ congenerantur alicui naturalia ſunt, quia non liberè inſunt, ſed à natura determinantur ad habenda illa, & hoc modo liberum arbitrium eſt naturale, quia ineſt nobis à natura, vt dicit Auctor; & ex hac naturalitate inhæſionis infert Auctor, quod ſi eſſet habitus eſſet naturalis vt patet. Si verò determinat ipſam rationem rei, ſic non omnia congenita ſunt naturalia, ſed aliquid eſt naturale, & aliquid liberum, quia aliquid eſt determinatum ad vnum, aliquod indifferens ad hoc, & oppoſitum, & ſic naturalitas repugnat libero arbitrio. Et ideò notantèr dicit Auctor contrà rationem liberi arbitrij eſt naturalitas, determinando rationem, & non inhæſionem. Ità Caietanus a. 2. q. 83. cit.

Tertium Notabile Caiet. in quo explicatur illa maxima qualis vnuſquiſque eſt, talis ei finis videtur.

Notat tertiò Caietanus ex Reſp. ad 5. a. 1. q. 83. & ad 3. quod qualitas hominis eſt duplex, vna naturalis, & alia ſuperueniens; naturalis qualitas accipi poteſt, vel circà partem intellectiuam, vel circà corpus, & virtutes corpori annexas. Ex eo igitur quod homo eſt aliqualis qualitate naturali, quæ attenditur ſecundum partem intellectiuam naturalitèr homo appetit vltimum finem, ſcilicèt Beatitudinem, qui quidem appetitus naturalis eſt, & non ſubiacet libero arbitrio, vt dicitur in a. 2. q. 82. p. p. Ex parte verò corporis, & virtutum corpori annexarum, poteſt eſſe homo aliqualis qualitate naturali, ſecundum quod eſt talis complexionis, vel talis diſpoſitionis ex quacumque impreſſione corporearum cauſarum, quæ non poſſunt in intellectiuam partem imprimere, eò quod non eſt alicuius corporis actus. Sic igitur qualis vnuſquiſque eſt ſecundum corpoream qualitatem talis ei finis videtur ex 3. Eth. c. 5. quia ex huiuſmodi diſpoſitione homo inclinatur ad eligendum hoc, vel repudiandum: ſed iſtæ inclinationes ſubiacent iudicio rationis, cui obedit inferior appetitus, vt dictum eſt, vndè per iſta libertati arbitrij non præiudicatur,

Quali-

Digitized by Google

Qualitates autèm ſuperuenientes ſunt ſicùt habitus, & paſſiones ſecundum quàs aliquis magis inclinatur in vnum, quàm in alterum: iſtæ tamèn etiàm inclinationes ſubiacent iudicio rationis; & huiuſmodi etiàm qualitates ei ſubiacent in quantùm in nobis eſt tales qualitates acquirere, vel cauſalitèr, vel diſpoſitiuè, vel à nobis illas excludere. Et ſic nihil eſt, quod libertati arbitrij noſtri repugnet. Ità ex D. Thom. Caietanus in Reſp. ad 5.

Opinio S. Thom. explicatur de libero arbitrio in Angelis, & in Homine.

Quò ad ſecundùm. Caietanus in art. 2. quæſt. 83. refert opinionem S. Thom. diſtinguendo cum ipſo S. Doctore, quod ſi liberum arbitrium in nobis ſumatur propriè, ſignificat actum. Si autèm ſumatur vt principium actus, vt hic quærimus, impoſſibile eſt, quod liberum arbitrium quod eſt principium huius actus, ideſt liberè iudicandi ſit habitus, vndè opportet quod ſit potentia, quæ in art. 3. S. Doctor ait, opportet quod ſit potentia appetitiua, vt dicit Philoſophus in 3. Eth. cap. 2. quod electio eſt eorum deſiderium, quæ ſunt in nobis, & deſiderium eſt actus appetitiuæ virtutis. Hinc habetur quod electio, & liberum arbitrium, & voluntas non ſunt duæ potentiæ, ſed vna. Sic habet Capreolus cum Ægidio 2. diſt. 24. quæſt. 1. Concluſ. 3. & 4. Idem dicitur de Angelis in quæſt. 59. art. 3. quod eſt idem quod voluntas, excellentiùs tamèn, quàm in nobis, ſicuti & intellectus eorum. Ità Caietanus.

Concluſio vnicà Caiet. ex D. Thom. cum probatione primæ partis, ſcilicèt quod in Angelis liberum arbitrium eſt idem, quod eius voluntas.

Quò ad tertiùm eſt vnica Concluſio Caietani. In Angelis eſt liberum arbitrium idem quod eius voluntas ex 1. p. quæſt. 59. art. 3. ſicut & in nobis vt principium actus eſt etiàm idem quod voluntas, ſeù potentia appetitiua ex 1. p. quæſt. 83. art. 1. 2. 3. & 4.

Probatur prima pars à Caietano ex D. Thom. ſub tali forma. Ipſum intellectuale eſt liberi arbitrij: Sed Angelus eſt intellectualis: ergò &c. Maior probatur primò à poſteriori, quod manifeſtatur ex triplici ordine agentium, vt in prima adnotatione, ſcilicèt ſine arbitrio, vt naturalia, quaſi ab alijs mota, & acta, ſicut ſagitta à ſagittante mouetur ad finem; Alia cùm arbitrio, ſeù iudicio, ſinè tamèn libertate, vt ſenſitiua iudicantium ex inſtinctu naturæ, vt Animalia irrationalia: Ouis enim fugit Lupum ex quodam iudicio, quo exiſtimat eum nociuum ſibi; ſed hoc iudicium non eſt ſibi liberum, ſed à natura inditum. Alia cùm arbitrio, & libertate, vt habentia intellectum, intèr quæ ſunt Angelus, & Homo. Secundò probatur à priori, quia intellectuale apprehendit vniuerſalem rationem Boni: ſed hoc poteſt hoc proponere illi ad acceptandum, vel non acceptandum, & non proponere illi quod eſt liberè iudicare: ergò &c. ex eo enim, quod apprehendere non arctatur ad hanc, vel illam rationem Boni appetendam, & ad inuicem conferre ſibi poteſt, liberum ſibi eis relinquitur iudicium. Ità Caietanus ex D. Thom. 1. p. quæſt. 59. art. 3. in quo ſupponit, quod ſit idem quod voluntas.

Probatio ſecundæ partis ex D. Th. quod liberum arbitrium in homine eſt idem quod potentia appetitiua.

Probatur ſecunda pars ex D. Thom. à Caietano in 1. p. quæſt. 83. art. 3. & 4. ſub tali forma ſic. Sicuti ſe habet intellectus ad rationem, ità voluntas ad liberum arbitrium, ſeù quod idem eſt ad vim electiuam: ſed intellectus, & ratio ſunt vna potentia: ergò & voluntas, & liberum arbitrium erunt &c. Maior probatur primò ex communi ratione: quia opportet appetitiuas eſſe proportionatas apprehenſiuis, ac per hoc ſicuti in apprehenſiua ſunt duo, ità in appetitiua. Secundò probatur ex ſpecialibus rationibus horum ex parte obiectorum, & actuum; Actuum quidem, quia intelligere eſt ſimplex, & ratiocinari eſt diſcurrere, & ſimilitèr velle, & eligere. Obiectorum verò, quia exindè illorum primum eſt principij, ſecundum eſt concluſionis; horum quoque primum eſt finis,

Digitized by Google

ſecundum ad finem, & conſtat quod hæc proportionalitèr ſe habent. Minor verò non ſolùm probatur, quia eiuſdem eſt virtutis, quies, & motus, ſed idem medium intentam hic Concluſionem inferre videtur, & ſic duobus quodammodò medijs probauit Auctor intentam Concluſionem, ſeù proportionalitatem intèr apprehenſiuam, & appetitiuam virtutem, & ex habitudine intèr actum liberi arbitrij, & actum voluntatis, quia ſcilicèt ſe habent vt quies, & motus in appetitiua vi, & vt intellectus, & ratio in vi intellectiua. Ità Caietanus in art. 4. quæſt. 83. cit. Quod ſit potentia S. Doctor probat in art. 3. præcedenti. Videas ibi.

Argum. Caiet. contrà primã partem Concluſ. cum ſua Reſp.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus contrà primam partem Concluſionis ex D. Thom. 1. p. quæſt. 59. art. 3. Liberum arbitrium ſe habet ad vtrumlibet: Sed in Angelis ex parte intellectus non eſt aliquid ſe habens ad vtrumlibet, quia Intellectus eorum non fallitur in naturalibus intelligibilibus, vt dicitur in quæſt. 58. art. 5. ergò nec ex parte appetitus liberum arbitrium in eis eſſe poteſt.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. diſtinguendo conſequens: ergò nec ex parte appetitus reſpectu illius, quod eſt ſuprà Angelum concedo: reſpectu inferiorum, quæ ſunt infrà illos, nego. Angelus enim determinatè, reſpectu tamèn ſuperiorum, ſe habet; vndè ſua perfectio dependet.

Inſtantia prima contrà Reſp. D. Th. facta à Caiet.

Inſtat Caietanus contrà Reſponſionem D. Thom. ſic. Si intellectus eſt determinatus ad omnem naturalem veritatem; ergò voluntas non poteſt niſi vnam partem Contradictionis quo ad naturalia velle, ſicut & intellectus intelligere, quia volitum opportet eſſe cognitum.

Inſtantia ſecunda Caietani.

Inſupèr ſi voluntas eſt determinata quò ad ſuperiora, & non quò ad inferiora; cum ſolus Deus ſit ſuperior ipſa voluntate, reſpectu ergò aliorum Angelus ſe habet ad vtrumlibet, ſi ſic eſt: ergò poteſt odiſſe alium Angelum, & peccare in puris naturalibus.

Reſponſio ad 1. inſtantiam ex Caietano.

Reſp. Caietanus, quod Angelus habet intellectum determinatum ad verum tàm in ſpeculatiuis, quàm in practicis, ſiuè agibilibus, ſiuè factibilibus, ità quòd non poteſt naturalitèr errare ſi in puris naturalibus conſideretur, non ad hoc, vel illud verum indiuidualitèr conſideratum quo ad agibilia, neque ad hoc verum, vel illud ſpecificè conſideratum, quo ad factibilia, & hoc loquendo de cognitione imperatiua, ſeù effectiua: quoniam ſecundum cognitionem ſpeculatiuam indeterminatio nulla eſt naturalitèr, & per conſequens voluntas poteſt velle hoc, & oppoſitum, & intellectus intelligere imperatiuè hoc, & oppoſitum. Et ratio diuerſitatis eſt, quia cognitio vt imperatiua eſt, à voluntate pendet, vt ſpeculatiua verò, à natura tantùm. Nec hoc eſt contrà D. Thom. quoniam per veritatem, quam naturalitèr Angelus cognoſcere poteſt, intendit veritatem naturalitèr notam, vt diſtinguitur contrà ſupernaturalitèr, & contrà liberè notam, quoniam harum negatio non ponit imperfectionem in intellectu, vt patet, & etiàm eius intentio, quæ verſatur circà perfectum, & imperfectum naturalitèr in illo Argumento.

Reſp. Caiet. ad ſecundam inſtantiam.

Ad ſecundam obiectionem Reſp. Caietanus, quod quia omne peccatum in moralibus eſt per declinationem à ſummo Bono, & quicumque peccat, contrà Deum peccat, iuxtà illud, Tibi ſoli peccaui; conſequens eſt, vt omnia in quantùm referibilia in Deum ſunt ſuperiora Angelo, ac per hoc determinata voluntas quò ad ſuperiora ſit determinata; quò ad rectitudinem ſimplicitèr infrà tamèn naturalia: cùm hoc tamèn ſtat indeterminatio quò ad hoc, vel illud, nunc, vel tunc agere, & quò ad tale, vel tale facere, quæ ſunt inferiora rectitudine ſeruata, quia hæc reſpicit ſuperiùs. Ità Caietanus in fine Comment. art. 3. cit.

Arguit

Digitized by Google

Arguit Caiet. ex D. Thom. contrà ſecundam partem Concluſ. cum ſua Reſponſione.

Arguit Caietanus contrà liberum arbitrium hominis. Voluntas eſt appetitus intellectiuus: ſed ex parte intellectus ſunt duæ potentiæ, ſcilicèt agens, & poſſibilis: ergò etiàm ex parte intellectus appetitiui debet eſſe aliqua potentia prætèr voluntatem, & hæc non videtur eſſe niſi liberum arbitrium; ergò eſt aliud à voluntate, &c.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. Voluntas eſt appetitus intellectiuus, ideſt appetitus motus ab intellectu, concedo maiorem, alitèr negatur. Nàm ex eo quod immediatè voluntas mouetur ab intellectu non vendicat ſibi aliquod agens, conſequentèr nec poſſibile correſpondens agenti, & vt hic loquimur ſemper comparatur ad obiectum vt mota. Ità Caietanus loc. cit.

Appendices ad Lectionem 4. Metaphyſicalem in Tractatu ſeptimo de potentijs ſpiritualibus.

QVod Angeli quidam ſint facti mali non ex natura, ſed per ſe, ideſt ſua libera voluntate, ſeù ſuo libero arbitrio: Si enim non habuiſſent liberum arbitrium, non vtique malitia, aut bonitate morali à ſe diſcreti fuiſſent ad inuicem. Et quod Homo ſit etiàm liberi arbitrij eſt propoſitio de Fide, legas Ven. Porrectam in Appendicibus ſuper quæſt. 83. & quæſt. 82. art. 2. 4. Et quod ipſum liberum arbitrium ſit potencia appetitiua hoc ſupponit, & non probat D. Thom. in art. 3. quæſt. 59. vide & legas ipſum in Append. ſuper art. 3. & 4. quæſt. 83. Quæ enim de Angelis dicuntur, & ipſis attribuuntur pro vt ſpectantia ad voluntatem, ſeù liberum arbitrium, & intellectum, ſunt propriè interpretanda de ipſis vt dicitur in art. 4. quæſt. 59. quæ verò attribuuntur vt ſpectantia ad iraſcibilem, & concupiſcibilem, intelligenda ſunt metaphoricè, vt Angeli pacis amare flebant, & ſi attribuatur electio ipſis Angelis, non attribuitur cum inquiſitiua deliberatione conſilij, ſed per ſubitam acceptionem veritatis, vt ait D. Thom. in art. 3. quæſt. 59. in Reſponſione ad primum.

Et D. Thom. in Reſp. ad 3. quæſt. 83. dicit quod Homo per liberum arbitrium ſe mouet ad agendum, non tamèn hoc eſſe de neceſſitate libertatis quod ſit prima cauſa ſui, id quod liberum eſt; ſicuti nec ad hoc quod ſit cauſa alterius aliquid vnum, requiritur quod ſit prima cauſa eius. Deus igitur eſt prima cauſa mouens, & naturales cauſas, & voluntarias; & ſicut naturalibus cauſis, mouendo eas, non aufert, quin actus earum ſint naturales, ità mouendo cauſas voluntarias, non aufert, quin actiones earum ſint voluntariæ, ſed potiùs hoc in eis facit: operatur enim in vnoquoque ſecundum proprietatem. Ità D. Thom.

Digitized by Google

LECTIO V. METAPHYSICALIS

In Tractatu Septimo

DE PROPRIIS POTENTIIS SPIRITVALIBVS.

Vtrùm Angelus, & Anima cognoſcant omnia per ſuam ſubſtantiam.

Ex Caietano p. p. quaſt. 55. art. 1. quaſt. 84. art. 1. & 2. quaſt. 87. art. 1. & 2.

Declaratio Tituli eiuſque ſenſus data à Caietano.

CAIETANVS explicat Titulùm in locis citatis ſic. Et primò in 1. p. quæſt. 55. art. 1. ait; ly intelligunt ſtat pro cognitione diſtincta: ly omnia diſtribuit pro omnibus rebus, & rerum prædicatis, ac conditionibus naturalitèr cognoſcibilibus ab Angelo, & Anima. Et ly per denotat habitudinem cauſæ formalis, eo modo quo ratio intelligendi formalitèr ad intellectionem concurrere creditur. Et in quæſt. 84. art. 2. ait, ly per eſſentiam, vt rationem cognoſcendi omnia corpora. Et in quæſt. 87. art. 1. ait. Titulus ex ſæpè dictis claret, ly enim per, notat rationem intelligendi, qualem ponimus in ſpecie intelligibili, & ſic eſt ſenſus an ipſa eſſentia Animæ ſit ſibi ipſi, vt ſpecies intelligibilis reſpectu ſui vt cognitæ. Et quando quæritur per ſubſtantiam ſuam, intellige cum præciſione, ideſt per ſolam ſubſtantiam, ſed eſſentiam ſuam. Et ſic eſt ſenſus Tituli Vtrùm eſſentia Angeli, & Animæ noſtræ ſit ſufficiens ratio intelligendi omnia ab Angelo, & Anima, naturalitèr cognoſcibilia, tantùm quantùm poſſunt illa cognoſcere. Vndè ſupponitur hic, quod dentur ſpecies intelligibiles, quod cognitio fit per aſſimilationem: & quod cognitum opportet, quod ſit in cognoſcente immaterialitèr, vt probauimus cum D. Thom. quadruplici ratione in 1. p. quæſt. 84. art. 2. aſſignando in quæſt. 14. fundamentum iſtius maximæ ſuper duas propoſitiones; ſcilicèt prima, quia cognoſcens non eſt tantùm ipſum, ſed alia; & ſecunda quod per materiam res arctatur, & determinatur ad vnum; hinc plantæ quæ recipiunt formas tantùm materialitèr, nullo modo cognoſcunt. Et patet etiàm hoc ex gradibus cognoſcentium, quia quantò aliquid immaterialiùs habet formam rei cognitæ, tantò perfectiùs cognoſcit, vt patet de ſenſu, & intellectu, & de viſu reſpectu aliorum ſenſuum, & de vno intellectu reſpectu alterius intellectus. Hæc, inquàm, debent ſupponi in præſenti Lectione, & in proprio loco, ſcilicèt in libris de Anima examinauimus; ſicuti & in locis citatis 1. p. ſuprà. Età Caietanus loc. cit.

Primum Notabile Caiet. in quo explicatur conti-

Quo ad primùm. Caietanus notat in fine Comment. art. 2. quæſt. 55. in 1. p. de continentia formæ intelligibilis in ordine ad ea, ad quæ ſe extendit potentia intellectiua, ſiuè formalis, ſiuè virtualis, quod completa continentia dicitur, quando

quando aliquid continetur ſecundum omnes conditiones ipſius formalitèr, vt genus in ſpecie, vel virtualitèr vt Creaturæ ſunt in Creatoris potentia: ſi enim de huiuſmodi continentia non ſit ſermo, forma non adæquaret potentiam, quantumcumque eſſet continens alias. Et ſic propoſitio clara eſt, quoniam eſſentia Angeli ſola, & ſi ſit inferiorum, quaſi exemplar, & ſuperiorum quaſi effectus, & ex ea fluant ſpecies omnium, in ſe tamèn ſecundùm ſe ſolam non æquiualet ſpeciebus ex ea fluentibus, quoniam multa addunt in repreſentando, quæ ſola per ſe ipſam repreſentare nequit, quia ea quæ repreſentantur in ſolo Deo continentur ſecundum omnes eorum conditiones, quia addunt aliquid poſitiui, quod in Angelorum eſſentijs non continetur, quia ſunt finitæ. Et quando dicit Auctor, quod quo intellectus intelligit, eſt forma eius, quia quo agens agit eſt forma eius, tunc ſumitur agens, & agere communitèr, vt etiàm comprehendit actionem immanentem, quæ non eſt actio; ſed qualitas, & ſic ratio D. Thom. ibi magis firmatur, vt videbimus infrà in Concluſione. Quoniam ſi intelligere eſt tale agere, quod eſt eſſe tale, à fortiori ſequitur: ergò quo ſic agit eſt eius forma, quia eſt quo intelligens, habet eſſe tale. Ità Caietanus loc. cit.

nentia formalis, & virtualis ad intelligendum.

Notat ſecundò Caiet. in 1. p. quæſt. 87. art. 1. differentiam in cognoſcere ſe ipſum quæ eſt intèr Angelum, & Animam rationalem, dicens quod hoc manifeſtari meliùs non poteſt, quàm graduando intelligentias, penès actum, & potentiam. Prima enim intelligentia quia eſt actus purus, & completus ſecundum totam entis latitudinem, nulli omninò potentiæ admixtus continens omnia actu eminentiſſimo per ſuam actualitatem; hinc ſequitur quod ſicuti eſt in eſſendo, ità eſt in intelligendo, & ſic eſt intelligibilis per ſe ipſum continens omnia intelligibilia, cognoſcendo omnia alia, & non ſolum ſe per eſſentiam ſuam, ità quod nihil extrà ſe intelligere poteſt. Alterius verò intelligentiæ eſſentiæ, ſunt vtique actus, ſed non puri, nec completi; ex hoc quod ſunt actus in genere intelligibilium, ideò per ſe ipſas ſunt intelligibiles actu, ex hoc verò quod non ſunt puri, ſed potentiæ permixti, plus, & minus, ideò per ſe ipſas non ſufficientèr pariunt cognitionem aliorum, quia non continet omnia intelligibilia in ſe ipſis actu. Eſſentia autèm vltimæ intellectualis ſubſtantiæ, verè eſt pura potentia in genere intelligibili, ac per hoc nec ſui ipſius, nec aliorum per ſe ipſam cognitionem nata eſt facere. Ex hoc habetur quod ſi vnumquodque ſicut ſe habet ad actum ità ad intelligibilitatem, ſit conſequens, quod ſi illud nihil ex ſe habet actus, quod nihil ſecundum ſe habeat intelligibilitatis, ac per hoc ſi eſt pura potentia in genere intelligibilium non ſit per ſe ipſam intelligibilis. Hinc Ariſt. 3. de Anima tex. 5. à quid nominis potentiæ puræ, poſſibilem intellectum nominat. Vndè ſi intellectus intelligit ſe, opportet quod per ſuum actum ſe agnoſcat. Ità Caiet. a. 1, q. 87. cit.

Notabile ſecundum Caiet. in quo explicatur ex graduatione intelligentiæ quenam intelligat omnia per eſſentiam ſuam.

Notat ibidem Caiet. §. quò ad tertiùm, quod ſunt, duo modi, quibus intellectus per ſuum actum ſe nouit. Vno quidem modo particularitèr ſecundum quod Socrates, vel Plato percipit ſe habere Animam intellectiuam ex hoc quod percipit ſe intelligere. Alio modo in vniuerſali ſecundum quod naturam humanæ mentis ex actu intellectus conſideramus: iudicium tamèn, & efficacia huius cognitionis per quam naturam Animæ cognoſcimus competit nobis ſecundum deriuationem luminis intellectus noſtri à veritate Diuina, in qua rationes omnium rerum continentur, vt dicitur in quæſt. 84. art. 5. vndè Aug. dicit in 9. de Trin. Intuemur inuiolabilem veritatem, ex qua perfectè quantùm poſſumus diffinimus, non qualis ſit vniuſcuiuſque hominis mens, ſed qualis eſſe ſempiternis rationibus debeat; & ſic ex D. Aug. D. Thom. reſpondet tacitæ obiectioni, quod ſcilicèt nouimus, quid eſt Anima per veritatem Diuinam; Æquiuocatio enim eſt in ly

Notabile tertiù Caiet in quo explicantur duo modi, quibus Anima ſe nouit per ſuum actum.

per,

Digitized by Google

per, quoniam ly per actum ſuum denotat habitudinem medij termini; ly verò per veritatem primam, denotat habitudinem cauſæ primæ, à quo eſt omnis efficacia iudicij. Et ad primam cognitionem, addit Auctor, quod ſufficit quod ſit Anima præſens ſuo actui; ad ſecundam exigitur valdè diligens inquiſitio, quoniam vt in primo de Anima dicitur, omninò penitùs difficillimum eſt, aliquam de ea Fidem accipere. Ità Caietanus loc. cit.

Opiniones antiquorum de cognitione Animæ recitantur ex D. Tho. à Caietano.

Quò ad ſecundùm. Caietanus ex D. Thom. 1. p. quæſt. 84. art. 3. recitat opinionem antiquorum, ſcilicèt quod Anima cognoſcit omnia corpora per eſſentiam ſuam, & fundamentum commune eſt omnibus ſapientibus, & inſipientibus (quia in ſe verum) quod cognitio fit per aſſimilationem, ſed quia male intellectum fuit, ideò fuit occaſio erroris. Plato cum alijs intellexit de ſimilitudine, & in forma, & in modo formæ, & propterea errarunt, & in extremas inciderunt opiniones. Antiqui Philoſophi, quia exiſtimabant quod forma cogniti ſit in cognoſcente, eo modo quo eſt in re cognita, ideò poſuerunt, quod Anima per ſuam eſſentiam cognoſcit corpora. Plato tamèn è contrario, quia perſpexit intellectualem Animam immaterialem eſſe, & immaterialitèr cognoſcere, poſuit formas rerum cognitarum immaterialitèr ſubſiſtere. Alij verò primi naturales quia conſiderabant res cognitas eſſe corporeas, & materiales, poſuerunt, opportere res cognitas, etiàm in Anima cognoſcente materialitèr eſſe; & ideò vt Animæ attribuerent omnium cognitionem, poſuerunt eam habere communem cognitionem cum omnibus. Et quia natura principiatorum ex principijs conſtituitur, attribuerunt Animæ naturam principij; ità quod qui dixit principium omnium eſſe ignem, poſuit Animam eſſe de natura Ignis, & ſimilitèr de Aere, & Aqua. Empedocles autèm qui poſuit quatuor Elementa materialia, & duo mouentia, ex his etiàm dixit Animam eſſe conſtitutam; & ità cùm res materialitèr in Anima ponerent, poſuerunt omnem cognitionem Animæ eſſe materialem, non diſcernentes intèr intellectum, & ſenſum. Sed hæc opinio improbatur primò quidem, quia materiali principio de quo loquebantur non exiſtunt principiata niſi in potentia: non autèm cognoſcitur aliquid ſecundum quod eſt in potentia, ſed ſecundum quod eſt actu ex 9. Met. tex. 20. Vndè nec ipſa potentia cognoſcitur niſi per actum; ſic igitur non ſufficeret attribuere Animæ principiorum naturam ad hoc quod omnia cognoſceret niſi in eſſent ei naturæ, & formæ ſingulorum effectuum, putà oſſis, & carnis, & aliorum huiuſmodi, vt Ariſt. inuehit contrà Empedoclem in ſecundo de Anima. Secundò, quia ſi opporteret rem cognitam materialitèr in cognoſcente exiſtere nulla ratio eſſet, quare res, quæ materialitèr extrà Animam ſubſiſtunt, cognitione carent, puta ſi Anima igne cognoſcit ignem, & ignis etiàm, qui eſt extrà Animam, ignem cognoſceret. Relinquitur ergò quod opportet materialia cognita in cognoſcente exiſtere, non materialitèr, ſed magis immaterialitèr. Et ſic in concl. intrà probabitur quod Anima non omnia cognoſcit per ſuam ſubſtantiam, ad differentiam Angeli, qui per eſſentiam ſuam vtique omnia cognoſcit naturalia ſibi. Vide in 2. de Anima, vbi redditur à nobis ratio in Comment. cùm D. Thom. quare plantæ non cognoſcunt, quia ſcilicèt ſunt materiales. Ità Caietanus in Comment. art. 2. quæſt. 84. cit. ante Concluſiones.

Opinio Empedoclis de cognitione Animæ impugnata à Caiet. ex D. Thom.

Opinio vera D. Th. recit. à Caiet.

Concluſio vnica habens tres partes ponitur à Caiet. cũ probat. ex D. Tho. ſuæ primæ partis.

Quò ad tertiùm. Ponitur hæc Concluſio ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 55. art. 1. & quæſt. 84. cit. à Caietano ſic. Qui cognoſcit omnia per eſſentiam ſuam eſt ſolus Deus; Angelus cognoſcit omnia per ſuam eſſentiam naturalia ſibi, ſed alia cognoſcit per aliquas ſimilitudines ſuperadditas. Anima autèm rationalis nihil per eſſentiam ſuam cognoſcit.

Pro-

Probatur à Caietano prima pars ſub tali forma. Si aliquis intellectus cognoſcit omnia per eſſentiam ſuam, oportet quod eius eſſentia ſit immaterialitèr omnia: ſed ſola Diuina eſſentia eſt huiuſmodi: ergò vera prima pars. Probatur conditionalis duplicitèr. Primò infertur ex dictis. Secundò ex auctoritate antiquorum. Minor probatur, quia Dei proprium eſt eſſe omnia virtualitèr ex 5. Met. cap. de de perfecto. Et par eſt ratio de continentia virtuali omnium corporum, & omnium aliarum rerum, quia eſt eadem ratio repugnantiæ reſpectu vtriuſque, quia ſcilicèt actus limitatus non continet perfectè vltimas differentias extranearum ſpecierum, & dico extranearum, proptèr differentias proprietatum, & paſſionum, quas perfectè claudant forſitan in ſe quidditates, à quibus fluunt, ſed illæ non ſunt ſpecies extraneæ quamuis diſtinctæ. Si enim quidditas aliqua limitata contineret differentias vltimas corporum, nulla eſſet ratio, quare aliqua prohiberet limitatè continere differentias omnium rerum, ſaltèm inferiorum ſe, quoniam iàm ceſſaret ratio limitationis. Vndè proptèr identitatem rationis eleuatur ratio reſpectu omnium, & ſufficientèr ſatisfit reſpectu omnium corporum vtrobique. Ità Caietanus in fine Comment. art. 2. quæſt. 84. cit.

Probatio ſecundæ partis ex D. Thoma.

Probatur ſecunda pars à Caietano ſub tali forma ex D. Thom. 1. p. quæſt. 55. art. 1. Nulla forma completè perficit potentiam aliquam niſi contineat omnia, ad quæ ſe extendit potentia illa: Sed eſſentia Angeli ſe habet vt forma reſpectu ſuæ intellectiuæ potentiæ, & non continet omnia, quæ poteſt intellectus intelligere: ergò non eſt ei forma adæquata, & per conſequens non omnia per illam intellectus Angeli intelligit. Maior declaratur à poſteriori in forma, & materia ſenſibilium: in rebus enim corruptibilibus forma non perfectè complet potentiam materiæ quia potentia materiæ ad plura ſe extendit, quã fit continentia formæ huius, vel illius. Minor verò quo ad p. p. probatur, quia quo intellectus intelligit, ſe habet ad ipſum, vt forma eius: Prob. hoc, quia quo agens agit, eſt forma; ſecunda verò pars probatur, quia intellectus Angelicus ſe extendit ad omnia. Prob. hoc, quia ens, & verum eſt obiectum intellectus omnis: eſſentia autèm Angeli non continet in ſe omnia quod prob. Tùm quia eſt determinata ad genus, & ſpeciem; tùm quia continere in ſe omnia eſt proprium eſſentiæ Diuinæ, quæ eſt infinita ſimplicitèr. Ità Caiet. loc. cit.

Probatio tertiæ partis.

Probatur tertia pars à Caietano ex D. Thom. 1. p. quæſt. 87. art. 1. in principio Comment. ſub tali forma. Intellectus noſter eſt pura potentia in genere intelligibili: ergò non cognoſcit per propriam eſſentiam, ſed per actum ſuum. Ratio antecedentis, & conſequentiæ ſimul, eſt hæc propoſitio vnumquodque eſt cognoſcibile ſecundum quod eſt in actu, & non ſecundum quod in potentia: probatur ex ratione obiecti cognoſcibilis, ſcilicèt entis, & veri hoc modo. Nulla res habet rationem alicuius entis, aut veri, niſi ſecundum quod in actu rationem illius habet, vel participat: ergò nec rationem naturæ cognoſcibilis. Conſequentia patet, quia nihil cognoſcitur niſi Ens, & Verum. Antecedens eſt per ſe notum: non enim domus in potentia habet rationem domus, nec album in potentia habet rationem albi, vndè non poteſt cognoſci, & vt domus, & vt album, &c. Et hoc manifeſtat D. Thom. reſpondendo tacitæ obiectioni. Sic Platonici poſuerunt ordinem entium intelligibilium ſuprà ordinem intellectuum, quia intellectus non intelligit niſi per participationem intelligibilium, participans autèm eſt infrà participatum ſecundum eos. Si igitur intellectus humanus fieret actu per participationes formarum intelligibilium ſeparatarum, vt Platonici poſuerunt per huiuſmodi participationem rerum incorporeatum intellectus humanus ſe ipſum intelligeret; ſed quia connaturale eſt intellectui noſtro ſecundum ſtatum præſentis

Vitæ,

vitæ, quod ad materialia, & ſenſibilia reſpiciat, conſequens eſt, vt ſic ſe ipſum intelligat intellectus noſter ſecundum quod ſit actu per ſpecies à ſenſibilibus abſtractas per lumen intellectus agentis, quod lumen eſt actus ipſorum intelligibilium, & eis mediantibus intellectus intelligit poſſibilis: non ergò per eſſentiam ſuam, ſed per actum ſuum ſe cognoſcit intellectus noſter. Quos modis autem poſteà per actum ſuum ſe intelligat, iàm declarauimus ſuprà in Notabili noſtro tertio. Ità Caietanus ex D. Thom. in art. 1. quæſt. 87. cit.

Argum. Caiet. ex D. Th. contrà 3. partem Concluſionis cum ſua Reſp.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus ex D. Thom. contrà hanc tertiam partem Concluſionis ſic. Angelus intelligit ſe ipſum per eſſentiam ſuam: ergò & Anima humana. Patet hoc, quia ſunt ambo in genere intellectualis ſubſtantiæ.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. ad ſecundùm diſtinguendo ly conueniunt in genere intellectualis ſubſtantiæ. In genere rerum concedo; in genere intelligibili nego. Non enim ex eo quod aliquid eſt intellectuale, ſe ipſum per ſe ipſum intelligi, ſed ex eo quod intellectualis vigoris eſt actualis: vndè S. Thom. ait. Eſſentia Angeli eſt ſicut actus in genere intelligibilium, & ideò ſe habet, & vt intellectus, & vt intellectum, & ſic per eſſentiam ſuam per ſe ipſum apprehendit, non autèm intellectus humanus, qui vel eſt omninò in potentia reſpectu intelligibilium, ſicut intellectus poſſibilis, vel eſt actus intelligibilium, quæ abſtrahuntur à phantaſmatibus ſicut intellectus agens. Ità Caietanus ex D. Thom.

Inſtantia Caiet. contrà Reſponſionẽ D. Thomæ.

Inſtat Caietanus contrà hanc Reſponſionem. Impoſſibile eſt quod Anima ſecundum ſuam ſubſtantiam ſit pura potentia, & ſecundum vnam eius virtutem, ſcilicèt intellectum agentem ſit actus in eodem genere. Probatur, quia impoſſibile eſt vt vis alicuius naturæ excludat naturam à qua ſufficientèr fluit.

Reſponſio Caiet. ad inſtantiam.

Reſp. Caietanus ad inſtantiam, negando quod intellectus agens ſit actus in genere intelligibili, nec oppoſitum dicitur à D. Thom. nec in 3. de Anima. Scito tamèn, quod aliud eſt eſſe actum in genere intelligibili, & aliud eſt eſſe actum reſpectu intelligibilium materialium. Primum importat eſſe actum abſolutè, & ſimplicitèr: ſecundum verò per comparationem; à D. Thom. dicitur hoc ſecundum, & non primum. Scito tamèn ſecundò, quod cum intellectus agens ponatur vt lumen quoddam, duplicitèr imaginamur aliquid illuminare, vno modo ſic, quod in ſe ſit lux quædam, & ex ea emanet lumen diffuſum in alia, vt patet de luce ſolari &c. Alio modo vt in ſe non ſit lux, ſed ſic habeat tantùm naturam actumque luminis, ſcilicèt eſſe quo alia videntur, quod illuminat primo modo eſt viſibile duplicitèr, ſcilicèt per ſe, & vt aliorum lumen; quod vero ſecundo tantùm modo illuminat, non eſt viſibile in actu per ſe, ſed vt ratio aliorum. Ad propoſitum ergò ſi intellectus agens ponitur ſeparatus à poſſibili eſt lux primo modo, & eſt actus intelligibilis; ſi verò ponatur pars poteſtatiua Animæ ſic eſt lumen ſecundo modo tantùm; ex illuminare igitur ſecundo modo non poteſt inferri eſſe in ſe lucem, aut viſibilem actu ſinè alio viſibili, vt patet. Et quia hanc viam ſecundam ſequi, rationi congruit, & verbis Ariſtotelis, qui poſuit intellectum agentem actum vt lumen, & actum aliorum, & non lucidum in ſe, ideò dicitur, quod intellectus agens non eſt actus in genere intelligibilium, quia non eſt obiectiuè perfectio intellectus ſecundum ſe, ſed vt aliorum lumen, quamuis ſit actus horum, ſcilicèt intelligibilium materialium.

Inſtantia ſecunda cum ſua Reſp. Caiet. ex D. Thom.

Et quando inſtatur, aut eſt actus, aut potentia in genere intelligibili? reſpondeatur quod propriiſſimè loquendo, neque intelligibilis in potentia, neque in actu, ſed vt actus intelligibilium in actu. Quod non in potentia patet ex eo, quod non eget faciente ipſum de potentia intelligibili actu intelligibilem; quod etiàm

non

non in actu, patet ex eo quod experimur non eſſe ſufficiens perfectiuum intellectus noſtri obiectiuè, quod tamen exigitur ad intelligibile in actu. Quod autem vt actus aliorum, experientia docet; & ſic nihil obſtat naturæ ſubſtantiali ipſius animæ. Stat enim quod ipſa ſit pura potentia in genere intelligibili; & quod in genere intellectiuo, quia eſt infima intèr intellectuales ſubſtantias, habeat vim intellectiuam non vnitam, ſed partitam, ità quod ſecundũ vnam ſui partem, ſcilicet receptiuam, quæ eſt intellectus poſſibilis, eſt pura potentia in genere vtroq; Secundũ verò alterã partem, ſcilicet actiuam, ad actum ſimpliciter non aſcendit: ſed quia in ſupremo ſubſtantiali attingit infimum ſuperioris, ſcilicet intelligentiarum in ſua Summa actualitatis virtute, tantum actualitatis manifeſtat, vt non, vt lux, ſed vt aliorum lumen actus inueniatur: hæc enim omnia naturæ ipſius vniuerſi, & ordini conſonant. Vndè quando Auguſt. 9. de Trin. c. 3. ait, quod mens ſe ipſam nouit per ſe ipſam, quia eſt incorporea, ly per ſe intelligitur vt diſtinguitur contrà per accidens, & vt diſtinguitur contrà per aliud: cognoſcit enim ſe per aliud intellectus noſter, ideſt per actum ſuum, ſed non cognoſcit ſe per accidens, quaſi quod cognitio ſua non terminetur immediatè ad ſe ipſum, ſed primò ad aliquid aliud vt quod, & mediante illo ad ſe, vt eſt de colore, & ſubſtantia reſpectu videntis: Color enim eſt per ſe viſibilis, ſubſtantia autèm per accidens; Species intelligibilis vt dicitur in q. 85. art. 2. non eſt quod intelligitur primò, & ideò non obſtat, quin cognitum per ſpeciem illam ſit cognitum vt quod immediatè. Ità Caiet. Metaphyſicè diſcurrit cum D. Th. in fine Comment. art. 1. q. 87. cit.

Appendices ad Lectionem Quintam Metaphyſicalem in Tractatu Septimo de Potentijs Spiritualibus.

VT habeatur perfecta notitia de potentijs ſpiritualibus Angeli, & animæ noſtræ Caietanus mouet hoc dubium in p. p. q. 84. a. 2. Vtrùm ordo intelligibilium ſit ſuprà ordinem intellectuum, ſed de hoc infra in hoc eodem Tractatu. Interim pro pleniori notitia huius præſentis lectionis legas formalitates, & Appendices Ven. Porrectæ ſuper a. 2. q. 84. p. p. vbi explicat cum D. Th. in Reſp. ad ſecundum axioma illud Philoſophi ex 3. de Anima tex. 37. ſcilicet Anima eſt quodammodo omnia ideſt in potentia, & non in actu: Ariſtoteles enim non poſuit animam eſſe actu compoſitam ex omnibus, ſicuti Antiqui naturales, & ideò dixit eſſe quodammodo omnia in potentia, per ſenſum quidem ad ſenſibilia, per intellectùm verò ad intelligibilia. Et ſic Anima eſt in potentia ſimilis omnibus; Per id ergo per quod fiet in actu ſimilis illis cognoſcet ipſa: dicitur enim quod ſimile ſimili, ideſt ſimilitudine ſua cognoſcitur: per quid autèm fiat actu ſimilis illis Caietanus cum D. Th. explicat in art. 6. & 7. q. 84. p. p. & in 3. dè Anima.

De cognitione Angeli per ſuam eſſentiam legas etiàm formalitates, & Appendices Ven. Porrectæ ſuper art. 1. q. 55. in p. p. & in Reſp. ad 3. notat illam propoſitionem explicatam à D. Th. ſcilicet omne quod eſt in altero eſt in eo per modum eius, in quo eſt, & eſt applicata eſſentiæ Angeli, vbi D. Th. gloſat ſic vel perfectè, vel imperfectè: Ea enim quæ ſunt infrà Angelum, & ea, quæ ſunt ſuprà ſe ipſum, ſunt quodammodò in ſubſtantia eius, & non quidem perfectè neq; ſecundum propriam rationem, cum Angeli eſſentia finita exiſtens ſecundum propriam rationem ab alijs diſtinguatur, ſed ſecundum quamdam rationem communem illa cognoſcit per eſſentiam ſuam; & cùm in ſecunda parte Concluſionis ſuprà ſit ſermo de cognitione qua cognoſcit perfectè, ideò cum D. Th. dicitur in parte Concluſionis,

quod quia in eſſentia Dei ſunt omnia perfectè, & ſecundum propriam rationem ſicut in prima, & vniuerſali virtute operatiua, à qua procedit quidquid eſt in quacumque re proprium, vel commune, ideò Deus per eſſentiam ſuam habet propriam cognitionem de rebus omnibus perfectam, non autem Angelus, ſed imperfectè, quia habet ſolam communem. Articulos, qui deſeruiunt aliquali cognitioni huius præſentis lectionis legas citatos à Ven. Porrecta in fine Appendicis &c.

LECTIO VI.

METAPHYSICALIS

In Tractatu Septimo

DE POTENTIIS SPIRITVALIBVS.

Vtrùm ſit vnus intellectus agens, & poſſibilis omnium hominum.

Ex Caietano p. p. q. 79. a. 5. & q. 76. a. 2. & alibi.

Declaratio Tituli facta à Caietano, & de eius ſenſu.

CAietanus in p. p. q. 79. a. 4. diſtinguit cum D. Th. de intellectu agente, de ſupremo, & de per participationem. In præſenti lectione quæritur de intellectu agente, qui eſt aliquid animæ noſtræ, de quo etiàm Philoſophus loquitur, & non de illo ſeparato, & ſupremo, per quem multi in quæſt. diſp. intelligunt Deum glorioſum, qui quidem verè eſt intellectus ſimpliciter, & ſummè agens, in quo ſecundum fidei documenta dumtaxat, quis beatur, & à quo ſolo eſt ſignatum lumen in nobis, quod eſt tale per participationem mobile, & imperfectum deriuatum ab illo per eſſentiam ſuperiori, à quo habet vim intelligendi, vt potè ab immobili, & perfecto. De iſto igitur intellectu animæ noſtræ agente ſecundum quem dicitur anima intellectiua, & eſt mobilis, quia intelligit cùm diſcurſu: Diſcurſus enim in intellectualibus eſt vt motus in mobilibus ad acquiſitionem termini, & non omnia per proprias ſpecies intelligit, ſed procedit de potentia ad actum. De iſto, inquam, & agente, & poſſibili, quæritur an ſit vnus omnium in hominibus. In via Platonis eſt vnus, & ſic in via Platonis Socrates, & Plato ſunt vnus homo numero eſſentialiter, quia apud Platonem anima ipſa eſt homo. Quæritur ergo in via Ariſtotelis, an iſte intellectus agens, & poſſibilis qui eſt potentia animæ noſtræ, quæ apud ipſum Ariſtotelem eſt forma ſubſtantialis, ſit vnus numero in omnibus. Ità Caiet. loc. cit.

Notab. 1. Caiet. in quo oſtenditur conuenientia, &

Quo ad primum notat Caiet. in p. p. q. 79. a. 5. quod intellectus agens, & poſſibilis conueniunt ad inuicem, ſed aliqualiter differunt. Conueniunt vtique quia ambo ſunt, & dicuntur ſeparati, vt probat Philoſophus in 3. de Anima tex. 19.

Poſſi-

Poſſibilis dicitur ſeparatus, quia non eſt actus alicuius organi Corporalis, & ſic etiam agens dicitur ſeparatus, non quaſi ſit aliqua ſubſtantia ſeparata: Illa tamèn communicatio hominum in primis intelligibilibus, ait D. Th. in Reſp. ad tertium, quæ eſt actio conſequens ſpeciem humanam, ſcilicet cognoſcere prima intelligibilia demonſtrat vtique vnitatem intellectus ſeparati, quem Plato comparat Soli, non autem vnitatem intellectus agentis, quem Ariſt. in 3. de Anima tex. 108. comparat lumini. Et ſic differt intellectus agens ab intellectu poſſibili, quod cauſat vniuerſale abſtrahendo à materia, & ſic vt immaterialis eſt vnus in omnibus ſecundum habitudinem ad omnia, à quibus abſtrahit vniuerſale, reſpectu quorum vniuerſale eſt vnum, & omnis intellectus agens conuenit in hac virtute, quæ eſt principium huius actionis, ſcilicet cognoſcere prima intelligibilia, & re vera eſt magis immaterialis quam ipſum vniuerſale, quod ſit ab ipſo, quia immateriale ſecundum ſe eſt magis immateriale, quam immateriale per aliud, ideſt per abſtractionem vt patet. Ità Caietanus ex D. Th. in Reſp. ad 1. 2. & 3. a. 5. q. 79. cit. *aliqualis differentia inter intellectum agentem, & poſſibilem.*

Notat 2. Caiet. ex D. Th. in p. p. q. 76. a. 2. quod Phantaſia Auuerroiſtarum excluditur à D. Th. ſic, in hoc quod dixit, quod actio vnius agentis, non multiplicatur niſi duobus modis: Notantèr enim dixit actio, ideſt operatio ex parte operantis ideſt ſecundum quod exit ab operante: quoniam quamuis ab eadem forma numero, quæ eſt vna in ſe, & multiplex in reſpectu poſſunt inferri multæ paſſiones eiuſdem rationis, ſecundum diuerſitatem ſimul patientium, vt patet cùm multa calefiunt ſimul ab vno calido: non tamèn iſta multiplicitas reſpectuum in calore ſufficit ad hoc, quod ſint multæ calefactiones actiuæ, niſi fortè recurratur ad diuerſitatem partium caloris calefacientis, ſed hoc facile ſubtrahitur, ſi ponamus tale agens eſſe indiuiſibile. Tunc enim actio neceſſariò eſt vna, quamuis paſſiones ſint plures. Cùm ergo intellectus ſit impartibilis, ex hoc quod ſpecies intelligibilis eſt multiplex ſecundum reſpectum ad diuerſa Phantaſmata non poteſt ſaluari pluralitas intellectionis; Tum quoniam iſta pluralitas eſt pluralitas operationis ex parte operantis, cum ſit actio immanens, & non tranſiens in aliquid extra; Tùm quia Socrates intelligit vt operans, & habet ſe ad intellectionem, vt ex quo oritur intellectio, & non vt paſſum, ſeù materia, ad quam terminatur, vt experimur in nobis. Et propterea dixit D. Th. quod niſi ponatur quod Phantaſmata ſint formæ intellectus, non poteſt ex eorum diuerſitate inferri diuerſitas actionis. Sed quia iſti ſunt ſinè ratione loquentes, omittamus ipſos. Ità Caiet. art. 2. q. 76. cit. §. Circà hanc rationem Auuerroiſtæ &c. *Notab. 2. Caiet. in quo Phantaſia Auuerroiſtarū excluditur ex D. Th.*

Quo ad 2. Caiet. in 2. a. q. 76. oſtendit, quod ratio D. Th. probat intolerabilem eſſe errorem Auuerrois ponentis vnum intellectum omnium hominum, & quod in tantùm plurificentur intellectiones, in quantùm eſt pluralitas Phantaſmatum. Diuiſi tamèn ſunt Auuerroiſtæ: quia, addit Caietanus, ità inſaniunt quiddam, vt concedant Concluſionem D. Th. in re, & tamèn dicant, Socratem, & Platonem habere vnum intellectum, & vnam ſpeciem intelligibilem, ſi acceptatur ſpecies ab ipſis, & ſic eſſe vnum numero intelligere ſubiectiuè, plura verò obiectiuè ex parte Phantaſmatum. Alij verò ponùnt vnum intellectum, & vnam ſpeciem intelligibilem in Socrate, & Platone, aliam tamèn eſſe dicunt intellectionem Socratis, & aliam Platonis. Vnus intellectus in quantùm eſt in ſe ens; multiplex, in quantùm eſt rerum ſecùndum adæquationem, aut inadæquationem ad Phantaſmata, & hoc ſufficit, ad hoc quod intelligere Platonis, & Socratis ſit ſimpliciter diuerſum, vel ſecundum quid, quoniam id quod eſt intellectus continuatur Socrati, & Platoni ex hac parte qua eſt multiplex, & non ex illa parte, qua eſt vnum, Sed de hoc eſt *Caiet. refert ſententiam D. Th. impugnantem vnitatem intellectus Auuerroiſticam.*

 ſer-

ſermo latior in 3. de Anima, & tractatus ſpecialis de vnitate intellectus Auuerroiſtarum, Sanctus Doctor igitur tenet, quod ſi intellectus agens eſt aliquid animæ noſtræ, vt quædam virtus ipſius, neceſſe eſt dicere, quod ſint plures intellectus agentes ſecundum pluralitatem animarum quæ multiplicantur ſecundum multiplicationem hominum: non enim poteſt eſſe, quod vna, & eadem virtus ſit diuerſorum ſubiectorum. Er hoc probat Philoſophus in 3. de Anima, quia intellectus agens eſt ſicut lumen: non autèm eſt idem lumen in diuerſis illuminatis,& per conſequens non eſt idem intellectus agens in diuerſis hominibus. Ità Caiet. in art. 2. q. 76. & in art. 4. q. 79. vbi de intellectu ſeparato plura habet &c.

Concl. vnica Caiet. ex D. Th. cum probatione primæ, & ſecundæ partis, ſcilicet quod intellectus ſupremus eſt vnus non verò intellectus agens.

Quo ad 3. ponitur hæc Concluſio à Caiet. ex D. Th. p. p. q. 79. intellectus agens ſupremus qui eſt ſeparatus eſt vnus numero. Intellectus agens, qui eſt aliquid animæ noſtræ ſecundum pluralitatem animarum eſt multiplex; ſicuti, & poſſibilis, quo intelligimus.

Prima pars pro indubitata tenetur à Doctoribus Catholicis Metaphyſicis. Secunda probatur facillter à D. Th. Impoſſibile eſt, quod eadem numero virtus ſit diuerſorum ſubiectorum: ſed intellectus agens eſt virtus, ideſt accidentalis potentiá animæ tanquam ſui ſubiecti, quæ animæ multiplicantur ſecundum multiplicationem hominum, vt dicitur in p. p. q. 76. a. 4. ergo non eſt vnus numero, ſed plures.

Probatio tertiæ partis Caiet. ex D. Th. ſcilicet quod intellectus poſſibilis non eſt vnus &c.

Probatur 3. pars à Caietano ex D. Th. in p. p. q. 76. a. 2. ſub tali forma ſimpliciter, & ducente ad impoſſibile. Si intellectus eſſet vnus in omnibus, omnes homines eſſent vnum intelligens, & vnum numero haberent intelligere, reſpectu eiuſdem intelligibilis: ſed hoc eſt impoſſibile ergo &c. Conſequentia quo ad primam partem probatur, quia vnitas operationis attenditur penès vnitatem principaliter agentis, conſtat autèm quod intellectus, eſt quid principale intèr omnia, quæ ſunt in homine, & quæ faciunt ad intelligere, quia omnia ſibi obediunt. Aſſumptum manifeſtatur ex differentia intèr agens principale, & inſtrumentale, in hoc, quod eſt dare vnitatem, & pluralitatem operantis, quoniam vnitas, vel pluralitas operantis attenditur penès vnitatem, & pluralitatem agentis principalis. Quo ad ſecundam verò partem probatur ſic. Pluralitas operationis in eodem operante, reſpectu eiuſdem obiecti, aut eſt ratione pluralitatis organorum, aut ratione plurium formarum: ſed neutrum hic poteſt dici: ergo &c. Maior quo ad primam partem patet ex ſupradicta differentia, quia ſi ſit vnum principale agens, & duo inſtrumenta, dici poterit vnum agens ſimpliciter, ſed plures actiones ſicut ſi homo tangat diuerſa duabus manibus erit vnus tangens, ſed duo tactus; Si verò è conuerſò inſtrumentum ſit vnum, & principales agentes diuerſi, dicentur quidem plures agentes, ſed vna actio, ſicut ſi multi vno fune trahant Nauim, erunt multi trahentes, & vnus tractus; Si verò agens principale ſit vnum, & inſtrumentum vnum, dicetur vnum agens, & vna actio, ſicuti cum Faber vno Martello percutit, eſt vnus percutiens, & vna percuſſio. Et ſic quo ad ſecundam partem relinquitur illa maior manifeſtata, quia contingit idem pluribus formis plures actiones elicere.

Minor verò quo ad primam partem probatur, quia intelligere nullo exercetur organo; quo ad ſecundam verò, quia vnica tantùm in vno intellectu eſt forma vnius intelligibilis, ſcilicet ſpecies abſtracta à phantaſmatibus, non phantaſmata ipſa; quod probatur, quia ex Phantaſmatibus eiuſdem ſpeciei non abſtrahitur, niſi vna ſpecies, quod manifeſtatur in ſingulis hominibus, in vno, & eodé homine nullus ponit abſtrahi plures ſpecies à pluribus phantaſmatibus eiuſdem rationis. Intolerabilis eſt ergo error Auuerrois qui plurificat intellectiones per pluralitem phantaſmatum. Ità Caietanus ex D. Th. in p. p. q. 76. a. 2. in principio Comment.

Quo

Digitized by Google

Arg. Caiet ex D. Th contra vltimã partem Concl cum ſua Reſponſione.

Quo ad 4. Arguit Caietanus ex D. Th. in p. p. q. 76. a. 2. contrà Concl. ſic. Si intellectus meus eſt alius ab intellectu tuo, intellectus meus eſt quoddam indiuiduum, & ſimiliter intellectus tuus: particularia enim ſunt, quæ differunt numero, & conueniunt in vna ſpecie: ſed omne quod recipitur in alio eſt in eo per modum recipientis: ergo ſpecies rerum in intellectu meo, & tuo recipientur indiuidualiter quod eſt contrà rationem intellectus, qui eſt cognoſcitiuus vniuerſalium.

Reſp. ex D. Th. diſtinguendo conſequens: ergo recipientur indiuidualiter, immaterialiter concedo; materialiter nego: eſſet enim contrà rationem intelligendi vniuerſalia, ſi ſpecies intelligibiles reciperentur indiuidualiter materialiter, non autèm ſi recipiantur indiuidualiter immaterialiter.

Inſtantia Caiet. contra Reſp. D. Th. cum ſua Reſp.

Inſtat Caietanus. S. Th. docet quod ſpecies immaterialis eſt ſpecies quidditatis tantùm: ergo ſiuè materialiter, ſiuè immaterialiter ſemper ſpecies rerum in intellectu meo, & tuo recipientur indiuidualiter: ergo nulla Reſp.

Reſp. Caietanus ex Reſp. ad 3. negando quod S. Thomas doceat ibi, quod ſpecies immaterialis ſit tantùm ſpecies quidditatis, ſed docet quod ſpecies eſt immaterialis per abſtractionem à materialibus phantaſmatibus, & ſingularibus, vt patet diligentèr conſideranti textum litteræ D. Th. hoc autèm dico, ne quis putet D. Th. oblitum eſſe eorum quæ docuit in tractatu de Angelis; inchoat enim ab immaterialitate abſolutè, ſed poſt modum deſcendit ad immaterialitatem talem, ſcilicet per abſtractionem à materia: quia ex primo ſpecies intelligibilis habet quod ſit ratio intelligendi abſolutè; ex ſecundo verò, quod ſit ratio intelligendi vniuerſale tantùm, ideſt quod quid erat eſſe rei, ità quod non ſingularitatem eius, & hoc intelligitur ad minus directè. Ità Caietanus loc. cit.

Inſtat Caiet. ex Auuerroi contrà Reſponſionem.

Inſtant tamen Auuerroiſtæ contrà Reſp. Ratio Auerrois, ait Caiet. non intendit, quod ſingularitas impediat intellectionem, accipiendo ſingulare, vt diſtinguitur contrà vniuerſale in prædicando, quoniam optimè nouerat Auuerroes, omnes intelligentias eſſe iſto modo ſingulares: ſed intendit, quod ſingularitas vt diſtinguitur contrà vniuerſalitatem ſpeciei in eſſendo, ſic inueniretur vniuerſalis in eſſendo, vt Plato finxit. Et ratio huius eſt, quia quod eſt hoc modo particulare, non totam in ſe habet naturam, ſed partem tantùm; ac per hoc vniuerſalem cognitionem impedit, & ad hoc opportebat reſpondere, ait Auuerroes.

Reſp. Caiet. ad Inſtantiam Auuerrois.

Reſp. Caiet. Obiectio iſta ſupponit quoddam falſum, ſcilicet quod ſingulare inueniatur duobus modis tantum. Ad cuius euidentiam ſcito, quod ſecundum veritatem intentio Auuerrois eſt, non quod ſingularitas, ſed quod talis ſingularitas materialis impedit intellectionem, & in hoc conuenimus cum Auuerroi, ſed putat ipſe quod quæcumque ſingularia per diuiſionem naturæ ſpecificæ in eis, ſint ſingularia materialia, quia materialium proprietas eſt, eſſe multa vnius ſpeciei, ac per hoc ſi intellectus multiplicantur infert ipſe, ergo eſſent particulares, eo, ſcilicet, modo, quo iſta entia materialia ſunt particularia, & per conſequens impediatur intellectio. Ità Caietanus in 2. 2. q. 76. a. 2. q. 76. cit.

Arguit Caiet. contra idem.

Arguit 2. Caiet. ibidem ſic. Intellectum eſt in intellectu intelligente: ſi ergo intellectus meus eſt alius ab intellectu tuo, opportet quod aliud ſit intellectum à me, & aliud ſit intellectum à te, & ità erit indiuidualiter numeratum, & intellectum in potentia tantùm, & opportebit abſtrahere intentionem communem ab vtroq; quia à quibuslibet diuerſis contingit abſtrahere aliquod commune intelligibile, quod eſt contrà rationem intellectus, & ſic non videretur diſtingui intellectus à virtute imaginatiua: videtur ergo relinqui, quod ſit vnus intellectus omnium hominum.

Reſp. Caiet. ad 2. Argumentum.

Reſp. Caiet. ex D. Th. diſting. conſequens opportet, quod ſit aliud, & aliud ſecundum

Digitized by Google

dum ſuam ſimilitudinem concedo; ſecundum ſe ipſum nego: Vna enim eademq; res numero intelligitur à diuerſis intellectibus ſecundum diuerſas numero illius rei ſimilitudines informatis. Valeret vtique Argumentum, vel ſaltem maiorem apparentiam haberet, ſi res, quæ intelligitur, puta lapis, eſſet in intellectu ſecundum ſe ipſum.

Inſtantia Caiet. contrà Reſp. ex D. Th.

Inſtat Caiet. contrà hanc Reſp. ex D. Th. Reſp. hæc in æquiuoco laborat: ergo &c. probatur hoc. Auerroes in Argumento arguit de vnitate intellectus vt ſic, & S. Thomas reſpondet de vnitate rei intellectæ, dùm dicit, quod ſiuè intellectus ſit vnus, ſiuè multiplex, ſemper id quod intelligitur eſt vnum puta quidditas lapidis.

Reſp. Caiet. ad Inſtantiam.

Reſp. Caiet. quod quia in obiecto res ipſa eſt terminus cognitionis, eſſe vero obiectiuum eſt conditio ſine qua non, non inconuenit concedere quod intellectum ſit vnum, puta lapidis, apud diuerſos intellectus, & multiplex. Vnum ſecundum rem, quæ terminat cognitionem; multiplex ſecundum conditionem ſinè qua non: ex hoc enim non ſequitur, quod intellectum lapidis plurificetur numero in me, & in te, ſed quod conditio eius ſine qua non, multiplicetur, quia intellectum eſt vtiq; vnum per negationem omnis numeralis differentiæ, & tamen habet multos reſpectus eiuſdem rationis ad multos intellectus. Et ſic patet, quod ex vnitate intellecti vt intellectum, & obiectiuè, non ſequitur vnitas intellectus, ſed benè ſequeretur ex vnitate intellecti ſecundum eſſe ſubiectiuum in intellectu; & ſic neceſſariò eſſet vnum, & ſubiectiuè, & obiectiuè, cuius oppoſitum patuit in prædicta Reſponſione D. Thomæ. Ità Caietanus in fine Comment. a. 2. q. 76. cit.

Appendices ad Lectionem Sextam Metaphyſicalem in Tractatu Septimo de Potentijs Spiritualibus.

QVando D. Auguſtinus ait in lib. de qualitate Animæ c. 32. ſi plures tantùm Animas humanas dixerim, ipſe me ridebo; intellige tu ſpecie, & non numero tantùm, quia ad hoc ſignificandum, non dicit ſi plures dixerim, ſed addit ad ly plures, tantùm. Quæ ſunt namq; plura numero, dicit Ven. Porrecta (cuius Appendices legendæ ſunt ſuper art. 2. q. 76.) & vnum ſpecie, non dicuntur plura, tantùm: quæ autèm vtroque modo ſunt plura, dicuntur plura tantùm, vt patet de Angelis, qui plures tantum dicuntur, quià etiàm ſpecie multiplicantur, quandocumque numero multiplicantur, vt dicitur in q. 50. a. 4. in Tractatu de Angelis. Ven. Porrecta addit in Appendice, eſſe damnatam phantaſiam Auuerrois in Direct. Inq. p. 2. q. 4. & iterū n hic recitat præceptūm Leonis X. in Conc. Lateran. ſeſſ. 8. factum omnibus Lectoribus publicè legentibus. Videas ibi &c.

Et aduertas in hac lect. 6. quod Caietanus in hoc art. 2. q. 76. mouet difficultatem paruam. An in vno termino relatio eiuſdem rationis multiplicetur de qua in ſequenti Tractatu 8. de Relatiuis. Mouet etiàm in hoc art. quæſtionem Quomodò in vno homine ſint diuerſa phantaſmata eiuſdem ſpeciei, cùm duo accidentia eiuſdem ſpeciei non poſſint ſimul in eodem eſſe; Quæ difficultas eſt tractata à Caietano in ſua Phyſica in 2. Phyſ. q. 12. num. 210. & ideò in hac ſua Metaphyſica omittitur. Contrà Auuerroim igitur in hac lectione eſt dumtaxat deciſum, quod intellectus non eſt vnus in omnibus hominibus.

Digitized by Google

LECTIO VII. METAPHYSICALIS

In Tractatu Septimo

DE POTENTIIS SPIRITVALIBVS.

Vtrùm ordo intelligibilium, ſit ſuprà ordinem intellectuum.

Ex Caiet. p.p. q. 87. art. 1. §. circà illam propoſitionem.

Caietanus in p. p. q. 87. art. 1. cit. tangit radicem huius lectionis ex verbis D. Th. ſic. Intellectus humanus, ait D. Th. in ſua eſſentia conſideratus, ſe habet vt potentia intelligens, vndè ex ſe ipſo habet virtutem, vt intelligat, non autèm vt intelligatur, niſi ſecundum id, quod fit actu: ſic enim etiam Platonici poſuerunt intellectum infrà intelligibile, quia intellectus non intelligit niſi participatione intelligibilis: participans autèm conſtat eſſe infrà participatum. Ità D. Th. ex quibus verbis, explicat Caiet. ſenſum tituli huius lectionis ſic. Si enim perfectio intellectus noſtri, quam ex ſe habet ſufficit ad hoc, quod intelligat, & non ad hoc, quod intelligatur, neceſſariò ſequitur, quod plus perfectionis requiritur ad hoc quod aliquid intelligatur, quam ad hoc, quod aliquid intelligat, & quoniam hoc videbat D. Th. conſequi ex dictis, & prima facie ex alia parte non videtur eſſe verum, imò poterat ſibi obijci tanquàm inconueniens, ideò excludit hanc Phantaſiam, oſtendens hoc eſſe acceptandum vt conueniens non ſolùm peripateticis, ſecundum quorum documenta proceſſit, ſed etiàm Platonicis; ideò ſecundum omnem viam quærit an ordo intellectuum formaliter loquendo ſit dicendus ſimpliciter infrà ordinem intelligibilium, an potiùs intellectus, & intelligibile ſe habeant ſicut excedens, & exceſſum, quia ille eſt ſubſtantia, viuens, & finis cuius gratia &c. illud verò actus, & propria perfectio viuentis vt ſic &c. Ità Caiet. *Declaratio Tituli, eiuſq; ſenſus facta à Caiet. ex verbis D. Th.*

Quo ad 1. notat Caiet. in p. p. q. 87. a. 1. cit. quod cum duplex ordo rerum in vniuerſo inueniatur, ſcilicet, intelligibilis, & ſenſibilis, & ille immaterialitate, iſte materia conſtet, vterq; vt concludit Auerroes in 3. de Anima Comm. 5. dinidîtur in materiam, & formam, ità quod quemadmodum in genere ſenſibilium aliquid eſt vt pura potentia, & aliquid vt actus &c. ità in genere rerum immaterialium. Cùm autèm intelligere exigat intellectum, & intelligibile; & proportio intellectus vt ſic ad intelligibile ſit proportio perfectibilis ad propriam perfectionem, & ſic conſiſtat intellectus in actu, quod ſit intelligibile, vt diximus, conſequens eſt, vt entia immaterialia in duos diſtribuantur ordines, ſcilicet intelligibilium, & intellectuum. Et quoniam intelligibile conſtat ex immaterialitate perfectiua, conſequens eſt, vt ſicut res ſe habet ad hoc, quod ſit immaterialiter perfectiua, ita ſe habeant ad hoc, quod ſit intelligibilis; quod enim intelligibile exigat immaterialitatem, *Notab. 1. Caiet. in quo diſtinguitur ordo ſenſibilis, & intelligibilis in materiam, & formam.*

tatem,

Digitized by Google

tatem, patet ex eo, quod nullum materiale eſt intelligibile niſi per abſtractionem à materia; quod verò exigat perfectiuitatem patet ex eo, quod intellectus ex hoc conſtituitur in actu, quia habet ipſum intelligibile. Vndè ſub hoc genere quod eſt intelligibile, eſſentia Diuina eſt omnino actus purus, quia cum immaterialis omninò ſit, ità eſt perfectiuè intellectus reſpectu omnis intelligibilis, quod reſpectu nullius habere poteſt rationem perfectibilis. Eſſentia verò Angelica ſe habet vt actus quidam, ſed permixtus potentiæ, quia ſic perficit intellectum, vt ſit perfectibilis per alia intelligibilia; vnde quælibet intelligentia præter primam intelligit aliquid extra ſe. Eſſentia verò Animæ noſtræ ſe habet vt pura potentia; ex eo enim quod eſt immaterialis continetur intrà iſtud genus: ſed ex eo, quod nullam perfectiuitatem habet in actu ex ſe, quod quidem manifeſtat receptio omnium intelligibilium in ſe, puræ potentiæ locum tenet, ac per hoc infimo loco poſita terminat genus intelligibilium. Ità Caiet. loc. cit.

Notab. 2. Caiet. in quo declaratur ordo ſenſibilium quomodò dicantur intelligibilia.

Notat 2. Caietanus ibidem declarando ordinem ſenſibilium, quod ſenſibilia ſi quidem dicuntur intelligibilia in potentia æquiuocè ab Anima: Anima enim eſt intelligibilis in potentia, vt infrà genus intelligibilium contenta: res verò ſenſibilis dicitur intelligibilis in potentia, vt res extrà genus. Et rursùs Anima dicitur intelligibilis potentia propria, res verò ſenſibilis dicitur intellectualis potentia extrinſeca, imò alterius generis, ſcilicet ipſius Animæ, quæ poteſt facere eam intelligibilem. Vndè Auerr. in lib. de ſenſu, & ſenſato pulchrè dixit, quod res ſenſibilis transfertur de ordine in ordinem, cum ſit per intellectum agentem intelligibilis in actu. Quia verò intellectus conſtat immaterialitate perfecta, ſeu perfectibili per ipſum intelligibile, conſequens eſt vt vnumquodque, quemadmodum ſe habet ad hoc, quod ſit per intelligibile vt ſic perfectum, ità ſe habet quod intelligat. Quod enim ad intellectum exigatur, quod ſit immaterialis planum eſt; quod autem ſit perfectus, vel perfectibilis per intelligibile ex radice contigui gradus patet ex dictis; ſicuti quod eſſe alia intelligibilitèr, vt Diuinus intellectus, qui eſt ipſum ſuum totum intelligibile in actu ſecundo eſt actus purus. Angelicus verò, qui tantùm eſt ſuum naturale intelligibile in habitu, ſeu in actu primo, habet rationem actus permixti potentiæ, cùm non omnia ſimul actu intelligat, & in hoc eſt magna latitudo, cum hoc tamen quod quilibet intellectus Angelicus eſt ſemper ſuum primò intelligibile, quod eſt propria eſſentia, & ille qui eſt actualior, & vniuerſalior, eſt nobilior. Intellectus verò humanus, qui nullum actu intelligibile eſt, eſt pura potentia ſicut tabula raſa etiàm in ordine intellectuum; quod ſit intellectus, iàm diximus, quod hoc habet ex eo, quod perfectibilis eſt per intelligibile vt ſic; quod verò ſit in pura potentia, ex eo quod nullum actu, vel habitu intelligibile habet, hoc habet ex ſui natura. Ità Caiet. loc. cit.

Opinio propria Caiet.

Quo ad 2. Caiet. in art. 1. q. 87. §. cit. ad tertium quid ſentiat in hac re, ſic ſe explicat. Quamuis poſſit dici, quod intellectus, & intelligibile ſe habent ſicut excedentia, & exceſſa, videtur tamen mihi, quod formaliter loquendo de intellectu, & intelligibili vt ſic, ordo intelligibilium ſit ſimpliciter ſuperior. Ità Caietanus.

Concluſio Caiet. vnica cũ ſua probatione, ſcilicet quod ordo intelligibilium ſit ſuperior.

Quo ad 3. Caietanus ponit loc. cit. hanc Concluſionem ſuam. Ordo intelligibilium eſt ſuperior ſimpliciter ordine intellectuum.

Probatur à Caietano ſub tali forma. Proportio intellectus ad intelligibile eſt proportio vel perfecti, vel perfectibilis ad propriam perfectionem: ergo intelligibile erit ſimpliciter nobilior, & perfectior ipſo intellectu. Conſequentia hæc probatur, quia duarum rationum formalium, ſe habentium vt propria potentia, & vt proprius actus, illa quæ habet rationem actus eſt ſemper ſimpliciter nobilior;

ſed

Digitized by Google

ſed intelligibile ſe habet vt proprius actus reſpectu intellectus : ergò vera eſt illa conſequentia. Ità Caietanus.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus contrà Concluſionem ſic. Quando in Concluſione dicitur quod ordo intelligibilium eſt ſuperior, vel intelligitur ſimplicitèr, vel ſecundum quid. Non ſecundum quid, quia penès ordinem ſecundum quid non graduantur entia in vniuerſo; nec ſimplicitèr, quia conſtat, quod intellectus vt ſic nobilior eſt, quàm intelligibile, quoniam intellectus ſignificat aliquod viuens, cum intelligere ſit quoddam viuere; intelligibile verò abſtrahit à viuo, & non viuo. Inſupèr intelligibile eſt proptèr intellectum, ſicut accidens eſt proptèr ſubſtantiam, & non è contrà. Inſuper intelligibile poteſt eſſe accidens, vt patet de ſpeciebus intelligibilibus; intellectus autem eſt ſubſtantia.

Argum. Caiet. contrà propriam Concluſionem.

Confirmatur, quia ex hoc ſequitur, quòd quilibet intellectus vt ſic eſſet pura potentia, & concedendo latitudinem intèr eos, ſequitur, quod quantò intellectus eſt ſuperior, tantò magis eſt in potentia: Sed hoc eſt maniſeſtè falſum: ergò &c. Probatur ſequela, quia ſi intelligibile eſt ſuprà intellectum, hoc non eſt niſi ſicut actus eſt ſuprà potentiam, & cum quilibet intellectus ſe extendat ad ens ſecundum communem eius rationem, conſequens eſt, quod quilibet ſe habeat ad totum ens, vt potentia ad actum, ac per hoc quilibet ſit pura potentia; vel ſi aliqua datur latitudo cum conſtet, quod quantò intellectus eſt ſuperior, tantò plures, & magis entis differentias nouit, ſequitur quod altior intellectus habeat ampliorem potentiam, vtpotè reſpectu amplioris intelligibilis; & ſic intellectus Diuinus vt intellectus eſt, erit puriſſima potentia, quod nelas eſt cogitare.

Confir. Argum. Caietani.

Reſp. Caietanus ad Argum. duplicitèr. Et primo falſum eſſe, quod intelligibile abſtrahat à vita, imò eiuſdem vitæ cauſa nobilior eſt intelligibile quàm intellectus, quia hic vt materia illud vt forma.

Reſponſio Caiet. ad ſuum Argum.

Secundò Reſp. quod eſſe viuum, eſſe ſubſtantiam, & alia huiuſmodi accidunt intellectui, & intelligibili vt ſic; ſicut eſſe figuram accidit triangulo vt habenti tres, & vniuerſalitèr omne quod eſt extrà differentiam conceptum inferioris alicuius, ſiuè ſit ſuperius, ſiuè inferius accidens eſt, idest, contrà rationem formalem. Vndè penès iſta non eſt conſideranda rerum nobilitas, & ratio in promptu eſt, quia rationes rerum penſandæ ſunt ex proprijs tantùm, quæ conueniunt eis per ſe primò, & non ratione ſuperiorum, aut inferiorum; intellectui autèm, & intelligibili vt ſic, conuenit prædicta proportio, ſecundum quam maniſeſtè eſt inferior.

Ad Confirmationem Reſp. Caietanus negando ſequelam, & ad probationem admiſſa illa negatiua, ſcilicèt quod intelligibile non eſt ſuprà intellectum niſi ſicut actus, ſuprà potentiam. Reſp. quod cùm ordo ſuperioritatis ſupponat diſtinctionem intèr ſuperius, & inferius, conſequens eſt, quod vbi intellectus, & intelligibile ſunt idem, ibi ordo præuenitur ab identitate, nec poteſt eſſe ordo ſecundum rem, ſed ſecundum rationem tantùm; & quoniam identitas præuenit habitudinem potentiæ ad actum, quæ diſtinctionem exigit, reſtat quod ordo intellectuum, & intelligibilium non niſi vbi intelligibile diſtinguitur, aut diſtingueretur ab intellectu, propriè locum habet. Et ideò falſa eſt illa conſequentia, ergò quilibet intellectus ſe habet ad totum ens, vt potentia ad actum; imò intellectus Diuinus ſe habet ad totum ens, vt actus totius entis, vt dictum eſt. Et quantò intellectus eſt ſuperior, tantò eſt magis in actu reſpectu totius entis: Quælibet

Digitized by Google

libet enim intelligentia eſt totum ens partim in actu ſecundo, & partim in actu primo, & intèr eas, quantò ſuperior, plus eſt entis in actu ſecundo, & minùs entis in actu primo, quia tantò habet vniuerſaliorem eſſentiam; quam ſemper intuetur, & vniuerſaliores ſpecies concomitantur. Noſter autèm ſolus intellectus, eſt, qui eſt totum ens in potentia, ità quod nec in actu primo, nec ſecundo eſt aliquid eorum, quæ ſunt: vt dicitur in 3. de Anima, ſed poſſibilis tantùm vocatur intellectus. Ità Caiet. art. 1. quæſt. 87. §. cit. ſuprà.

Appendices ad Lectionem 5. Metaphyſicalem in Tractatu de Potentijs Spiritualibus.

DE hac curioſa difficultate, vcuſque non vidi alium Doctorem tractantem, niſi ſolum Caietanum, qui in 3. de Anima cap. 1. tex 15. §. circà Reſp. ad ſecundam quæſtionem pag. mihi 202. 204. & 205. principaliter de hac re agit; ibi docet, quod aliud refert dicere, quod intellectus ſit intelligibilis ſicut alia, & aliud eſt quod ſit intelligibilis ſicut intelligibilia: illud eſt falſum, hoc eſt verum; & eſt ſenſus, quod intellectus non eſt intelligibilis vt ſenſibilia per abſtractionem intentionis, ſed vt intelligibilia, quæ iàm ſunt in ipſo ordine intelligibilium: Differentia enim eſt intèr ſenſibilia, & intelligibilia: illa enim ſunt intelligibilia non vt incluſa in ordine intelligibilium, ſed vt transferri poſſibilia ad ordinem intelligibilium: proptèr enim hanc translationem oportet ponere intellectum agentem; intelligibilia autèm ſunt intelligibilia vt clauſa in ordine intelligibilium, & propterea non egent transferente ea de ordine in ordinem &c. vt ſenſibilia. Quomodò autèm intelligibile, quod eſt intelligibile, non quod poteſt eſſe, ſit intellectus, dicemus intrà, &c.

LECTIO VIII. METAPHYSICALIS

In Tractatu Septimo

DE POTENTIIS SPIRITVALIBVS.

Vtrùm ex intellectu, & re intellecta fiat magis vnum, quàm ex Materia, & Forma.

Ex Caiet. in p. p. quæſt. 14. art. 1. quæſt. 55. art. 3. & alibi, &c.

Declaratio Tituli eiuſque ſenſus ampla data à Caietano.

CAIETANVS explicando ſenſum Tituli vbicumque de hac celeberrima controuerſia ſermonem habet, dicit ſic. Tria ſunt conſideranda in intellectu Angelico, & humano, ſcilicèt intellectus, intellectio, & res intellecta, non pono in quæſtionem intellectum Diuinum, quia clarè conſtat, & eſt extrà controuerſiam quod Deus eſt ſuum intelligere, & eſt ipſa ſubſtantia Dei intellectus, intellectio, & res intellecta, vt habetur in 12. Met. tex. 51. vbi dicitur, cùm eſſentia Diuina ſit ſuum totum intelligibile Diuinum, quia omne intelligibile in Deo, vel eſt eſſentia Dei, vel contentum in eius eſſentia ſicuti in vniuerſaliſſimo perfecto, ſequitur, quod in ipſo ſolo hæc tria ſunt idem, & hoc ſupponendum eſt in præſenti Lectione; remanet igitur controuerſia de ſolo intellectu Angelico, & humano, & quærere pro vt in titulo eſt idem ac quærere an in his quæ ſunt ſine materia idem ſit intellectus, & quod intelligitur; vel cùm cognitio fiat per aſſimilationem, quæritur modus quo cognitum eſt in cognoſcente; & ſic eſt idem ac quærere an illud eſſe intentionale ſpeciei intelligibilis, quæ eſt ſimilitudo formalis rei cognitæ, & per quam informatur intellectus, & eſt iàm factus in actu, faciat vnum idem omninò intellectum, & rem intellectam, vel ſit tantùm ſenſus identicus, & non formalis, ſicuti eſt in compoſito materiali actuato per ſuam formam, & factum in actu. Et neceſſitas quærendi hoc, addit Caietanus, in 1. p. quæſt. 14. art. 1. naſcitur ex duabus poſitionibus. Prima eſt. Vnumquodque operatur ſecundum quod eſt actu ex 3. Phyſ. Altera eſt, Cognitum eſt principium ſpecificatiuum cognitionis ex 11. Met. vndè ſi cognoſcens debet eſſe ſufficiens principium ſuæ propriæ operationis (cum vnumquodque ſit proptèr ſuam operationem ex 2. Cœli comm. 17.) quæ eſt cognoſcere, & ſpecificatiuum principij illius ſit eſſe cognitum, fundamentum habetur, quod natura cognoſcitiua ſit talis ſecundum ſe, vt ſit actu, vel potentia ipſum cognitum quod eſt eſſe non ſolùm ipſa, ſed alia vt dicitur à D. Thom. loc. cit. Et ſic quæritur an fundamentum huius identitatis ſit in omnibus intellectibus creatis, ſeù naturis, cognoſcitiuis creatis, Ità Caietanus multis in loc. cit.

Digitized by Google

Primum Notabile Caiet. in quo declaratur radix, ſeu fundamentum quo cognoſcens eſt cognitum.

Quò ad primùm, Notat Caietanus, quod hæc propoſitio ex cognoſcente, & cognito fit magis vnum quàm ex materia, & forma, habet fundamentum arduum & difficile, & tangit magnam partem Metaphyſicæ, & Phyloſophiæ naturalis; & ideò radix omnium horum elucelcit, ſi intuemur per ſe differentiam intèr modum, quo cognoſcens eſt cognitum, & quomodò materia habeat formam. Sciendum eſt ergò quod differentia per ſe in hoc conſiſtit, quod cognoſcens eſt ipſum cognitum actu, vel potentia: materia autèm nunquàm eſt ipſa forma; ex hac differentia quo ad eſſe, ſequitur diff. entia quo ad vnitatem, quod ſcilicèt cognoſcens & cognitum ſunt magis vnum, quàm materia, & forma, vt egregiè dixit Auuerroes in 3. de Anima comm. 5. rationem hanc reddens, quia ſcilicèt ex intellecto, & intellectu non fit tertium ſicut ex materia, & forma, vndè aſſignat pro ratione maioris vnitatis ipſam excluſionem tertij; hinc apertè docuit vnitatem ideò conſiſtere in hoc, quia vnum eſt aliud; & hoc confirmauit Ariſt. in 3. de Anima dicens quod Anima eſt omnia ſenſibilia, & intelligibilia: & hæc vera eſt per ſe differentia ſecundum communem ſapientum cognitionem, quia accidit cognoſcitiuo, & cognito diuerſitas intèr ea, & ſimilitèr compoſitio eorum, & ſimilitèr quod cognitum habeat eſſe intentionale in cognoſcente, & quod ſimile ſimili cognoſcitur. Et iſtud eſſe intentionale, addit Caietanus in 1. p. quæſt. 14. art. 1. §. Radix autèm &c. & quæſt. 55. art. 5. §. Ad euidentiam huius &c. oportuit inſtitui à natura, quo cognoſcitiuum eſſet cognoſcibilium, cùm cognoſcitiuum non poſſit eſſe tantæ excellentiæ, vt habeat in ſe, vndè diſtinctè ſibi aſſimilentur naturæ rerum cognoſcibilium ſecundum proprias earum rationes, alitèr eſſe naturæ cognoſcitiui eſſet ratio cognoſcibilium, & eſſe naturale cognoſcibilium eſſet ſecundum ſe in cognoſcitiuo. Et ideò neceſſitas fuit ponendi illa duo genera rerum, ſcilicèt intentiones rerum, & ſpecies ſenſibiles, ſeù intelligibiles, quia, inquàm, oportet, quod cognoſcitiuum ſit non ſolùm ipſum, ſed alia, & intellectiuum eſſe omnia, vt toties diximus. Ità Caietanus in locis citatis, &c.

Secundum Notabile Caietani, in quo explicatur quod cognoſcitiuũ & ipſum intentionale non diſtinguũtur, ſicut duo rerum ordines.

Notat ſecundò Caietanus, quod cognoſcitiuum, & ipſum intentionale non diſtinguuntur ſicut duo ordines rerum, ſed potiùs vt concurrentia ad perfectionem vnius ordinis, ſcilicèt naturarum cognoſcitiuarum, quoniam intentionale eſt complementum intrinſecum ipſius cognoſcitiui. Complementum quidem, quia ad ſupplendum id quod ſubſtantiæ cognoſcitiuæ debetur, ſcilicèt eſſe cognoſcibilia inuentum eſt; intrinſecum verò quia ad perficiendum, & eliciendum intrinſecam eius operationem adiungitur; vndè ad hoc proportionalitèr ſe habent, & quo ad actum, & quo ad potentiam, & quo ad altitudinem gradus. Quo ad actum quidem, quia cognoſcitiuo in actu inditum eſt in actu eſſe intentionale, quo eſt ſua cognoſcibilia; cognoſcitiuo verò in potentia ineſt in potentia tale eſſe intentionale, vt patet in Anima intellectiua noſtra, & in ſenſitiua noſtra. Quo ad altitudinem verò gradus, quoniam quanto eſt vis cognoſcitiua altior, tanto magis vnitè ſe habet ad cognoſcibilia, vt patet aſcendendo à ſenſibus particularibus, ad ſenſum communem, & ſic deinceps. Quantò autèm magis virtus cognoſcitiua vnitur tantò minorem diuerſitatem exigit in eſſe intentionali quo eſt cognoſcibilia; ac per hoc quantò virtus cognoſcitiua eſt altioris ordinis, tantò altiùs, & conſequentèr minùs diſtinctum, & magis vniuerſale in repreſentando ſibi vendicat eſſe intentionale, quo cognoſcibilia eſt, quod nihil aliud eſt, quàm id, quod vocamus ſpeciem intelligibilem, & hoc modo gradus naturæ intellectiuæ mirabilis à primo intellectu ordinate proueniens, perpenditur: ipſe enim intellectus Diuinus eſt omnia per ſuam ſubſtantiam, & per eam ſolùm omnia nouit; & cum hoc alijs com-

Digitized by Google

communicare non potuerit, quia entia limitata ſunt, collatum eſt eis, vt tales eſſent ſubſtantiæ, ac tantæ perfectionis, vt quod ſecundum eſſe ſubſtantiale habere non poſſunt, ſecundum eſſe intentionale haberent, magis, & minus vniuerſalitèr iuxtà maiorem, & minorem perfectionem ſubſtantiæ cognoſcitiuæ; adeò quod Anima noſtra vltima in ordine intellectualium diuiſibilis ſi ſecundum eſſe intentionale tanta diuerſitate, quanta eſt materia ſecundum eſſe naturale. Ità Caietanus in 1. p. quæſt. 55. art. 3. in 1. p.

Notat tertiò Caietanus ibidem in fine Comm. art. 3. quod non eſt idem iudicium de eſſe ſubſtantiali Angeli, & eſſe intentionali apud ſe, ſed eſt proportionale. Quod non ſit idem; patet, quia impoſſibile communitèr fatemur eſſe, quod Angelus ſecundum ſuum eſſe ſubſtantiale repreſentet propriam differentiam lapidis, & paritèr concedimus quod ſecundum eſſe intentionale ſibi additum illa repreſentetur; vndè patet repugnare, eſſe ſubſtantiali finito, quod ſit ad certam naturam limitatum, & ſit alterius ſecundum propriam illius differentiam repreſentatiuum, & quod non repugnet hoc, ipſi eſſe intentionali; nàm ſpecies Bouis in Anima, ad certam entis naturam definitum eſt ens intèr accidentia, & tamèn Bouinæ differentiæ propriæ repreſentatiua eſt; & ratio huius diuerſitatis ea eſt, quàm ſuprà tetigimus, quia ſcilicèt ens intentionale eſt primò à natura inſtitutum ad repreſentandum pro complemento ſubſtantiæ cognoſcitiuæ; ipſæ verò res, quatum ſunt intentiones, ſunt primò inſtitutæ ad eſſendum. Proportionale autèm iudicium de ſubſtantia intellectiua, & eſſe intentionali eſt, quia quantò ſubſtantia eſt altior, tantò eſſe intentionale proprium illi eſt altiùs: imò ex altitudine ſubſtantiæ prouenit altitudo intentionis, maioremque perfectionem, æquiuocam tamèn, ponit in Angelo altitudo gradus ſubſtantialis, quàm altitudo intentionis: quoniam hæc nihil aliud ponit, niſi eminentèr æquiualere repreſentatiuis adæquatis rerum. Ità Caietanus art. 3. quæſt. 55. cit.

Tertium Notabile Caiet. in quo explicatur quod non eſt idem iudicium ferendum de eſſe ſubſtantiali Angeli, & eſſe intentionali apud ſe.

Quò ad ſecundùm Caietanus in 1. p. quæſt. 14. art. 1. & quæſt. 55. art. 3. fundat hanc ſuam ſententiam, quod cognoſcibile, & cognitum ſunt idem non eadem tamèn intentione, ſuper duas propoſitiones D. Thom. & dicit ſic. S. Thom. probat, quod in Deo eſt ſcientia, quia immaterialitas eſt ratio, quod ſit aliquid cognoſcitiuum; & hæc alia propoſitio probatur à D. Thom. ſcilicèt eſſe cognoſcens ad differentiam non cognoſcentis eſt, & ſit, ex habere formam ſuam, & alterius, & per conſequens ex amplitudine naturæ, quia, quod ſit ipſum, & alia eſt magis amplum, quàm quod ſit ipſum tantùm: Anima enim eſt quodammodò omnia, & hoc ſequitur ex immaterialitate, quia coarctatio formæ eſt ex materia, & amplitudo, & infinitas formarum per receſſum à materia. Hinc ex iſtis principijs, & ex differentia aſſignata intèr cognoſcentia, & non cognoſcentia ſtatuimus pro vero, quod cognoſcibile, & cognitum ſunt idem, in ſolo Deo omninò, in alijs magis, vel minus diminutæ. Et hoc deducitur ex Ariſt. & Auguſtino, & B. Alb. Magno in tractatu de intellectu, & intelligibili. Et hoc opportet, addit Caietanus notare diligentiſſimè pro fundamento, quoties de intellectu eſt ſermo, quoniam ex eo multarum quæſtionum Concluſiones pendent, puta de concurſu obiecti, & intellectus ad intellectionem; de concurſu ſpeciei intelligibilis &c. vndè ex hoc apparet, quàm rudes fuerint, qui de ſenſu, & ſenſibili, intellectu, & intelligibili; de ſentire, & intelligere tractantes, tanquàm de alijs rebus iudicant; & diſces eleuare ingenium, aliumque rerum ordinem ingredi. Ità Caietanus in fine Comment. art. 1. quæſt. 14. cit.

Caiet. explicat ſuam propriam ſententiam, ſcilicèt quod non eodem modo eſt idem in omnibus intellectus, & res intellecta.

Quò ad tertiùm, Caietanus vbique locorum in ſuis Comment. ponit hanc ſuam Con-

Concluſio vnica Caiet. reſponſiua

Digitized by Google

eſt falſa differentia, quia Aer, non eſt cognoſcens, & tamen recipit colores intentionalitèr, aut per formam naturalem, & tunc eſt falſiſſima; tùm quia lapis non eſt in Anima; tùm quia non cognoſcentia hoc modo ſunt alia. Inſupèr ly alia aut ſtat pro omnibus, & ſic eſt falſum, quia ſenſus non eſt natus eſſe omnia, ſed quædam; aut ſtat pro quibuſdam, & ſic differentia eſt nulla, quoniam commune eſt omnibus, quæ apud nos ſunt eſſe non ſolùm ipſa, ſed quædam alia aliquo modo, ſcilicèt per informationem: quoniam omnia non ſolùm ſunt ſubſtantiæ in ſe, ſed habent ad minus ſua accidentia conformia naturis proprijs: Ignis enim non ſolùm eſt Ignis, ſed leue, rarum, lucidum, calidum; & quemadmodum hæc habent ſua accidentia, ità cognoſcens habet ſua propria accidentia, ſcilicèt ſpecies intentionales, vndè in hoc nulla apparet differentia intèr cognoſcentia, & non cognoſcentia, & ſic ruit fundamentum identitatis intèr intellectum, & rem intellectam.

Reſp. Caietanus. Ad hæc obiecta facilè dicitur, quod ly eſſe abſtrahit à modis eſſendi per identitatem, aut informationem; & ſimilitèr ly alia abſtrahit ab omnibus, aùt quibuſdam. Sicut etiàm ly cognoſcitiuum abſtrahit à tali, & tali cognoſcitiuo. Aliquod enim cognoſcens eſt, quod eſt omnia per identitatem vt Deus; aliquod quod eſt aliqua per identitatem, & aliqua per informationem vt Angeli. Aliquod quod eſt omnia per informationem vt Anima noſtra; aliquod, quòd eſt aliqua per informationem, vt Anima purè ſenſitiua. Et proptereà differentia in communi poſita abſtrahit ab omnibus his modis, vt nullus excludatur, ſed omnes in confuſo contineantur. Ità Caietanus in art. 1. cit. §. Circà differentiam &c. *Reſponſio Caiet. ad Argum. 1.*

Arguit ſecundò Caietanus ſic. Proprium eſt ſolius Dei, quod intellectus, & res intellecta in ipſo ſit omnibus modis idem: ergò in Angelis, & in Anima noſtra axioma non erit verum. Probatur hoc de Angelis; quia conceptus quem format Angelus de ſe ipſo non eſt ſubſtantia ſua, quidquid ille ſit, eſto intelligendo ſe ipſum non ſit in potentia, nec ſpecies, qua ſe intelligit ſit aliud à ſubſtantia ſua. *Argum. Caiet. 2. contrà Axioma*

Reſp. Caietanus, quod licèt intellectus, & res intellecta ſit omnibus modis idem in Deo, ſcilicèt per excluſionem illorum duorum modorum, qui ſunt in intellectu Angeli, ſcilicèt ſtatus potentialitatis, & diuerſitatis intellectus à ſpecie intelligibili; excluſio tamèn horum duorum modorum adæquat omnimodam identitatem intellectus, & intellecti, ſed aduerte quod nomine ſpeciei non eſt intelligenda ſpecies impreſſa tantùm, ſed vniuerſalitèr tàm impreſſa, quàm expreſſa. Vbi enim intellectus, & ſpecies vniuerſalitèr non diſtinguitur, ibi intellectus, & intellectum eſt omninò idem. Et hoc in Doctrina S. Thomæ eſt indubitatè verum, quoniam conceptus ipſe eſt ſpecies expreſſa, quæ in ſolo Deo eſt ſubſtantia, & ſic in nullo alio ſaluatur integrè excluſio horum duorum modorum. Vtrùm autèm hoc ſufficiat ſecundum aliorum Philoſophorum dogmata dicitur in 3. de Anima, & dicemus infrà in 12. Met. (en quomodò Caietanus ſuam promittit Metaphyſicam.) Ità diſcurrit Caietanus in art. 2. in fine Comment. *Reſponſio Caiet. ad 2. Argum.* *Caiet. hoc in loco promittit Metaph.*

Arguit tertiò Caietanus contrà eſſentiam Angeli, quod non ſit ſimilitudo multorum ſub hac forma. Hoc dictum repugnat doctrinæ D. Thomæ: ergò &c. Probatur hoc, quia ſecundùm doctrinam communem D. Thomæ, ſicut communicari nequit ſubſtantiæ Angeli, vt ſit tantæ excellentiæ in eſſendo, quod ſit propria ſimilitudo multorum, ità nec tali ſpeciei, cum vtrumque creatum ſit, & determinatum ad genus, & ſpeciem: ergò non reperitur maior identitas intellectus, & rei intellectæ in Angelo, quam in Anima noſtra, & ſic æquè videtur eſſe diminuta vtraque eſſentia, & limitata &c. *Arg. 3. Caiet. contrà eſſentiam Angeli.*

Reſp.

Reſponſio Caiet. ad ſuum Arg. 3. Reſp. Caietanus, quod quandò dicitur, quod ſpecies intellectus Angelici propter ſui excellentiam eſt ratio &c. eſt ſermo de excellentia in eſſendo, quæ dupliciter intelligi poteſt, vel reſpectu eorum, quæ repreſentantur, vel reſpectu aliarum ſpecierum repreſentatiuarum eorumdem obiectorum. Si intelligatur excellentia reſpectu naturarum cognoſcibilium, non poteſt intelligi niſi in modo eſſendi, pro quanto ſpecies ſuperioris Angeli habet modum eſſendi altioris ordinis, quàm habeant non ſolùm ſenſibilia, ſed etiàm Angeli inferiores, & propter talem excellentiam poteſt eſſe plurium ratio diſtincta; ſi verò intelligatur reſpectu ſpecierum intelligibilium, tunc clariùs, & faciliùs, & abſque ambiguitate relucet intentum, & intelligitur de excellentia non ſolùm in modo eſſendi, ſed in ipſa perfectione eſſendi; ità quod imaginamur, quod cùm in Anima noſtra ſint diuerſæ ſpecies iuxtà diuerſitatem rerum repreſentatarum, puta ſpecies Bouis, ſpecies Leonis, ſpecies Aquilæ &c. aſcendendo erit dare vnam ſpeciem altioris ordinis, æquiualentem, excellenter, ſeù eminenter illis tribus, ſeù quatuor ſpeciebus; & conſequentèr repreſentantem diſtinctè altiori modo, & illam, quæ repreſentantur per quatuor ſpecies: hoc enim eſt cognoſcere per rationem vniuerſalem obiecta ſpecialia, quod eſt maximæ perfectionis; nec valet dicere, quod ſi ſic eſſet, ſpecies vniuerſalior eſſet perfectior naturis repreſentatis; imò eſt neceſſarium dicere, quod ſit perfectior repreſentatiuis adæquatis earum; & quod non ſit idem iudicium de eſſe ſubſtantiali Angeli, & eſſe intentionali apud ſe, ſed proportionale iàm dictum eſt ſuprà. Ità Caietanus in art. 3. cit. in fine Comment.

Appendices ad Lectionem 8. Metaphyſicalem in Tractatu ſeptimo de Potentijs ſpiritualibus.

QVæ dicuntur à Caietano in hac Lectione octaua de identitate intellectus, & rei intellectæ legas eumdem Caietanum in 1. p. quæſt. 85. art. 2. in Reſp. ad 2. vbi affert pulchrum exemplum de colore, & odore pomi: viſus enim percipit colorem pomi, & non odorem, quia non hùius, ſed illius eſt ſimilitudo; & intellectus percipit naturam ſpecificam, & non conditiones indiuiduales, quia non harum, ſed naturæ ſpeciei in intellectu eſt ſimilitudo. Legas etiàm ipſum in Comment. in fine ſuper art. 2. quæſt. 89. in 1. p. vbi dat pulcherrimam doctrinam quomodò intellectus, & res intellecta non eadem intentione ſint in omnibus vnum, & idem; cùm modus eſſendi, quo cognoſcens eſt cognitum multam habeat latitudinem, alio namque modo Angelus eſt lapis, & alio modo Deus eſt lapis, & alio modo Anima eſt lapis, & diuerſitas iſta non eſt ex parte rei cognitæ, quia vna & eadem eſt, ſed eſt ex parte cognoſcentis naturæ, quia modus quo cognoſcens eſt cognitum, commenſuratur ſubſtantiæ cognoſcentis. Legas etiàm ipſum in 3. de Anima cap. 1. pag. mihi 202. vbi cognoſces, quod ea quæ dicit Caietanus non ſunt noua. Quæ autèm de ſenſatione, & de ſpecie ſenſibili, & ſenſu dicuntur. Legas ipſum in 2. de Anima cap. 5. pag. mihi 112. vbi ait, putandum non eſſe, quod ſpecies ſenſibilis, & ſenſatio ſint duo entia, vt dent duo eſſe, ſed ſe habent vt forma, & eſſe formæ, vt albedo, & eſſe album; & in cap. 9 pag. mihi 163. dicit cum D. Thom. Ariſt. & Alb. Magno, quod cauſa eſſe intentionis eſt obiectum ſenſibile, ſed non in quantùm materiale, ſed in quantùm eius forma participat formas ſeparatas, vt in quæſtione de potentia quæſt. 5. art. 8. dicitur. Et pag. mihi 168. cap. 11. docet quomo-

Digitized by Google

quomodo anima ſenſitiua vt ſic, vt vltima intèr ſubſtantias cognoſcitiuas, ſit natā eſſe non ſolùm ipſa, ſed alia.

Et in Tabula B. Petri Bergomenſis, littera Intellectus num. 88. dub. 756. legas concordantiam dictorum D. Th. & in opuſc. 53. vbi dicit, quod de ratione eius, quod eſt intelligere, eſt quod ſit intelligens, & intellectum. Et in alijs locis dicit oppoſitum, ſcilicet quod aliud eſt intelligere, & aliud intellectum. Concordat, & ait quod licet intelligere ſit aliud, quàm intellectum ſecundum ſe, eſt tamèn vnum cum eo in ſpecie intelligibili, qua intellectum intelligitur, & illud aliud dictum D. Th. quod intellectus, & intellectum ſunt idem, cuius oppoſitum eſt alibi, concordat, & ait, quod intellectus in actu, & intellectum per vnionem ſunt idem ſecundum ſpeciem intelligibilem, vt habetur in multis locis in p. p. & alibi &c. Videas de hac difficultate Godoy in tractatu de Incarnatione in 3. p. Goudin, & Magiſtrum Arnù, & Sapientiſſimum Ioannem à S. Thoma, ventilantes illud axioma in ſenſu proprio Metaphyſico.

LECTIO IX.
METAPHYSICALIS
In Tractatu Septimo
DE POTENTIIS SPIRITVALIBVS.

Vtrùm Anima noſtra ſiuè coniuncta corpori, ſiuè ſeparata poſſit cognoſcere ſubſtantias immateriales.

Ex Caietano in c. 6. de ente, & eſſentia q. 14. & in p. p. q. 88. art. 1. & 89. art. 2.

Declaratio Tituli facta à Caiet. & de eius ſenſu vera explicatio.

QVæſtio iſta, ait Caietanus, eſt omnino Metaphyſicalis, eſto in 1. de Anima cap. 1. ſuſtinuerimus partem mediam, ſcilicet quod partim ſpectat ad Phyſicum, & partim ad Metaphyſicum, & quærimus in duplici ſenſu an poſſit cognoſcere vel quidditatiuè idest cognoſcere quidditatem ſubſtantiæ ſeparatæ ità quod ſit cognitio tãtum quidditatis ſubſtantiæ ſeparatę; vel poſſit cognoſcere non ſolùm quidditatiuè; ideſt non ſolùm aliquod eius prædicatum eſſentiale, ſed etiàm quidditatiuè cognoſcat illas penetrando vſque ad earum vltimas differentias, & hoc dupliciter vel in ſtatu coniunctionis, ſcilicet in hac vita, vel in ſtatu ſeparationis, ſcilicet vt ſeparata. In primo, & ſecundo ſenſu iàm diximus in q. 14. c. 6. de ente, & eſſentia cum D. Th. & in p. p. q. 88. a. 1. contrà Auerroiſtas. In ſecundo ſenſu redditur ex omni parte iſta Lectio Metaphyſicalis; vndè Ariſt. in tex. 2. lib. 1. de Anima dixit quod ſcientia

de anima eſt principium quoddam ad cognoſcendum ſubſtantias ſeparatās. Idem confirmat B. Alb. Magnus in proœmio de Anima, vbi ait quod liber de Anima eſt vtilis ad cognitionem ſubſtantiarum ſeparatarum, vndè In ſecundo ſenſu non niſi Dh. Th. rem habet Metaphyſicalem cum Auuerroi in q. 88. p. p. a. 1. & diffusè in 3. c. g. iu loco proprio de Felicitate, & in Commenr. noſtris de ente, & eſſentia, quæ hic non ſunt repetenda, addendo ſolùm pro declaratione Tituli, quod ſenſus eſt, An Anima noſtra poſſit per ſe ipſam deuenire &c. in ly per ſe ipſam, ſcilicet non per naturas ſenſibilium, aut ſpecies earum, ſiuè hoc contingat per proprias ſpecies, vt Plato dixit, ſiuè per continuationem quamdam, vt Auuerroes fingit, ſiuè quouis alio modo. Itā Caiet. loc. cit.

Notab. 1. Caiet. in quo declaratur quid habet Anima noſtra ſecundum propriā naturam, & quid pro vt participat de ſubſtantijs ſeparatis.

Quo ad 1. notat Caiet. in p. p. q. 89. a. 1 quod Anima noſtra habet in ſe propriam naturam vt ſic, & habet aliquid participatiuè de natura ſubſtantiarum immaterialium. Ex propria quidem natura cùm vendicet ſibi vnionem ad corpus, liquet, quod ſit infima intellectualis ſubſtantia, non ſolùm gradu, ſed in modo eſſendi, vt potè exigens modum eſſendi proprium formarum materialium, ſcilicet eſſe In corpore per informationem, & quia vniuſcuiuſque diſpoſitio in entitate, eſt etiām quantùm eſt ex ſe eius diſpoſitio in intelligibilitate, opportet quod ex hac eadem radice proueniat, quod anima ſit infima in modo intelligibilitatis, ac per hoc ſit intelligibilis in pura potentia. Et quia talem modum eſſendi exigit propter Bonum ſuum, ex eadem radice pullulat conuerſio ad phantaſmata, & ſecundum poſſibilem, & agentem intellectum, & conſequentèr quod intellectus agens non ſit actus ipſius Intellectus niſi mediantibus intelligibilibus ſenſibilium; & conſequentèr, quod Anima non cognoſcat ſe niſi per actum ſuum &c. Hæc enim omnia ex eadem radice oriuntur, ſcilicet ex propria natura Animæ vt ſic. Et quia ad propriam naturam Animæ ſpectat modus eſſendi in corpore, & intelligendi per phantaſmata, ideò hæc vbiq; ſolent tribui, modo eſſendi, vel intelligendi tanquām notioribus proprietatibus occultæ cauſæ. Ex eo verò quod participatiuè ſapit de natura ſubſtantiarum ſeparatarum non habet infimum modum eſſendi, & conſequentèr nec intelligibilitatis, ſed habet ſuperiorem modum eſſendi, ſcilicet ſeparata à corpore, & conſequentèr ſuperiorem modum intelligendi tàm actiuè, quàm paſſiuè, ita tamèn vt ſicut modum eſſendi ſimilem ſuperioribus non ab initio vendicat ſibi actu, ſed poteſtate tantùm, itā & modum intelligibilitatis ſimilem ſuperioribus non ſtatim, ſed ordinatè poſt modum eſſendi ordine naturæ ſortiatur. Et ideò notantèr dixi, quod ipſa eſt intelligibilis in pura potentia ex propria natura, & quod in ſeparatione eſt intelligibilis in actu. Itā Caietanus.

Notab. 2. Caiet. in quo explicatur quomodò Anima ſe ipſam intelligat.

Notat 2. ibidem Caietanus, quod hoc non videtur difficile, ſi aduertamus, quod quemadmodum ex natura propria Animæ fluit ſimpliciter conuerſio ad corpus, & phantaſmata, ſecundum omnes vires ſuas, itā ex participatione ſuperiorum, cùm incipit actu ſortiri modum eſſendi ſeparatum ex conſequenti ex eadem radice ſortitur conuerſionem omnium virium ſuarum ad ſe ipſam: principium enim aſpectus omnium ſubſtantiarum ſeparatarum eſt primò reſpectu ſui met; & proptereà in quantùm ipſa ſapit naturam earum, hanc conformitatem ſortitur, vt primò conuertatur ad ſe ipſam, ac per hoc intellectus agens ex eadem radice conuertitur ad illuſtrandum primò ſubſtantiam Animæ, & ſit actus illius vt obiecti, & intellectus poſſibilis vt potentiæ, & ſic ſubſtantia Animæ de ſe intelligibilis in pura potentia, ſit intelligibilis in actu per ſe ipſam ſinè alio obiecto, aut ſpecie per conuerſionem luminis intellectus agentis ſuper ipſam, quæ conuerſio conſequitur ſeparationem, quæ conſequitur non naturam Animæ propriam, ſed ſuperiorum participatam

in

ii Anima. Ità Caietanus articulo ſecundo, quæſtione 89. citata.

Notab. 3. Caiet. in quo explicatur differentia intèr coniunctionem Animæ coniunctæ, & ſeparatæ.

Notat 3. Caiet. ex doctrina D. Th. in p. p. q. 88. a. 1. & 89. contrà Henricum de Gandauo, differentiam intèr cognitionem Animæ coniunctæ, & ſeparatæ, quod coniuncta ſicut habet modum eſſendi concernendo corpus, ità habet modum intelligendi conuertendo ſe ad phantaſmata, adeò vt non niſi ab illis cum intellectu agente recipere poſſit ſpecies; ſeparata autèm à corpore, ſicut habet alium modum eſſendi abſq; corporis informatione ità habet, & alium modum intelligendi, & ſic ex conformitate modi operandi ad modum eſſendi, fiat vt conuertatur ad ſuperiora vt actiua, vt ab eis influxum recipiat ſpecierum, & corpore relicto, liberior quodammodo facta vtpotè ſimilis illis in modo eſſendi, non amplius phantaſmatibus ſic alligata. Et ex hoc oritur alia differentia, quod ſcilicet Anima non poteſt ſubſtantias immateriales cognoſcere niſi per ſpecies à ſenſibus acceptas, quia alligatus eſt eius intellectus phantaſmatibus, ſeparata verò poteſt illas per ſpecies proprias cognoſcere, cùm conuerſa iàm ſit ad ſuperiora. Ex hoc enim naſcitur tertia differentia apud ſubtilitèr ſpeculantes, quod cognitio quam habet Anima ex hoc quod eſt pars ſpeciei, & vnitur corpori propter melius, eſt cognitio per ſpecies acquiſitas diſtincta, & quidditatiua pertingens vſque ad vltimas rerum differentias; cognitio autèm, quam ſeparata ex ſpeciebus influxis ſortitur, confuſa eſt, & ſolum in confuſo, & in communi res notificat. Vndè ſicut intelligentiæ perfectam rerum notitiam per ſpecies influxas habent; ſic Anima per ſpecies acquiſitas de ſenſibilibus notitiam poteſt habere perfectam: ſpecies enim influxæ facultatem naturalem eius intellectus excedunt, eſt enim hic modus connaturalis, & proprius ordini ſuperiori, & animæ noſtræ non conuenit niſi per quamdam defectiuam participationem, quia eius vis intellectiua cum per ſpecies ſuperiores quales ſunt influxæ, intelligere tentat, opprimitur quodammodò, & confuſam tantùm notitiam habet, ſicut Diſcipulus vniuerſales conceptus Præceptoris apprehendere non valens, abſq; diſtincta cognitione remanet, huius autèm ſignum eſt, quod intèr homines, qui ſunt perſpicacis ingenij ſtatim propoſitis principijs ad Concluſiones ſe ſe conferunt, & ex eiuſdem principijs multas Concluſiones ſpeciales deducunt; hebetioris autèm ingenij non niſi principijs applicatis à Præceptore, ad ſingulas Concluſiones, & in forma ſylogiſtica, & cùm exemplis materialibus non niſi diſtinctè percipiunt veritatem. Ità Caietanus c. 6. de ente, & eſſentia q. 14. §. naſcitur quoque &c.

Caiet recitat ſententiam D. Th. contrà Henricũ, quod ſcilicet non cognoſcat corpori coniuncta ſubſtantias immateriales.

Et contrà Platonem quod ſci licet per ſe primo reſpiciat naturas ſenſibilium.

Quo ad 2. Caietanus in q. 14. c. 6. de ente, & eſſentia §. Quo ad quintum &c. de ſent. S. Th. ex p. p. q. 88. & ex 3. c. g. c. 45. & ex 2. Met. dicit ſic. S. Thomas tenet, quod anima humana corpori coniuncta non poteſt quidditatiuè cognoſcere ſubſtantias immateriales contrà Ioannem de Gandauo in 3. de Anima cuius Argumenta ſoluemus infrà. Et in q. 88. aſſerendo D. Th. intellectum noſtrum per ſe primò reſpicere naturas ſenſibilium, in ly per ſe primò remanet confutata opinio Platonis, & non ſimplicitèr, cum Plato aſſerat, vt refert D. Thomas ſubſtantias immateriales à nobis cognoſci, quia ideæ ſunt prima obiecta noſtri intellectus, & reddit Plato rationem, quare ſenſibilibus ſe immiſceat intellectus noſter, hoc eſt proptèr phantaſiam, & ſenſum, quæ immiſcentur intellectui, & intellectioni, & patet à ſigno, quia Intellectus quantò purior, tantò magis ſuperiora percipit, & ſic rectè dicit D. Thomas quod remanet confutata opinio Platonis in ly primò, quia experimur nos non poſſe intelligere aliquid ſinè phantaſmate, & non remanet confutata ſimplicitèr: hanc enim mouet Ariſt. in 3. de Anima tex. 36. illamque non ſoluit, ſed dixit poſterius eſſe perſcrutandum; ipſam tamèn Auuerroes in 3. de Anima Comm. 36. diffusè diſputat. Quod autèm non ſimplicitèr D. Th. in q. 88. a.

p. hanc difficultatem non ſoluat habetur ex hac Concluſione Ariſt. quam ponit ſic. Subſtantias immateriales non poſſumus per ſe primò intelligere, quia intellectus noſter primò reſpicit naturas ſenſibilium, cuius ſignum eſt, quia ſinè phantaſmate nihil intelligimus, & hoc eſt quod magis experimur. Ità Caietanus loc. cit.

Caiet. tenet quod conſideratio de Anima vt abſtrahit à materia ſenſibili ſecundum ſua prædicata ſpectat ad Metaphyſicum, & non aliter.

Caietanus tandèm poſt multa de conſideratione Animæ noſtræ in p. de Animâ cap. 1. circa opiniones antiquorum an ſpectet ad Phyſicum, vel ad Metaphyſicum determinat, quod res illa, quæ eſt Anima, ſi abſtrahat à materia ſenſibili ſecundum ſua prædicata eſt vtique de conſideratione Metaphyſici; ſecundum verò prædicata concernentia actus hominis, planum eſt quod eſt de conſideratione Phyſici; vndè ſi differentia vltima conſtitutiua illius rei à materia ſenſibili abſtrahat vtique conſideratio Animæ ſubſtantialis erit Metaphyſicalis; ſi non abſtrahit, erit naturalis: intelligere enim abſque phantaſmate eſt de conſideratione Metaphyſici, cum phantaſmate verò Phyſici. Et ſic S. Th. ait Caietanus, in 2. Phyſ. dixit, quod conſiderare de Anima noſtra, quatenus eſt ſeparata Metaphyſici negotij eſt, & hoc conſonat ijs, quæ de Anima intellectiua dicuntur, quod ſcilicet eſt vinculum intellectualis, & ſenſibilis ordinis, & quod eſt in Horizonte æternitatis, & ſimilibus. Stante

Opinio S. Th. quod Anima ſeparata intelligit imperfectè ſubſtantias ſeparatas.

igitur hac diſtinctione Caietanus in p. p. q. 89. a. 2. dicit ſic cum D. Th. Anima ſeparata intelligit alias Animas ſeparatas perfectè, ſed Angelos intelligit per ſimilitudines diuinitùs impreſſas, quæ tamèn quia deficiunt à perfecta repreſentatione eorum, proptèr hoc, quod Animæ natura eſt inferior, quam Angeli; ideò naturali cognitione non perfectè eos intelligit.

Caiet. recitat, & explicat opinionem Auuerrois contrà quem eſt ſua ſententia.

Auuerroes in 3. de Anima Comm. 36. ſuppoſita fictione ſua, addit Caietanus, quod intellectus agens ſit ſubſtantia ſeparata, opinatur, quod ſicut modo per intellectum poſſibilē intelligimus materialia, ità appropriatus nobis adeptis omnibus intellectis ſpeculatiuis, ac per hoc continuatus intellectui agenti vt formæ, per eumdem hunc intellectum agentem intelligimus ſubſtantias ſeparatas, & ſuper duas propoſitiones fundat Auuerroes ſuam ſententiam. Prima eſt: Intellectus, & prima intellecta ſe habent ſicut materia, & forma; Secunda eſt: Intellectus poſſibilis, & appropriatus nobis, quandoque recipit intellecta ſpeculatiua, & intellectum agentem in potentia tantùm, quandoq; partim in actu, & partim in potentia, quandoq; totaliter in actu, ſcilicet quando intellectus agens eſt in nobis perfectè vnitus, intelligimus perfectè quidquid ipſe intelligit, & in hoc Auuerroes poſuit noſtram fælicitatem, vt in 3. c. g. diffusè de Fælicitate differit D. Th. vt in loco proprio examinando propoſitiones Auuerrois. Ità Caietanus in loc. cit.

Concl. Caiet. ex D. Th. cū ſua probatione quod ſcilicet Anima ſeparata alias Animas perfectè cognoſcit imperfectè verò Angelos.

Quo ad 3. eſt Concluſio Caietani ex D. Th. in p. p. q. 89. a. 2. hoc modo; Anima ſeparata habet de animabus perfectam cognitionem naturalem: de Angelis verò imperfectam, & deficientem. Probatur à Caietano vnica ratione ex D. Th. ſub tali forma. Anima ſeparata ſe ipſam per ſe ipſam cognoſcit: ergo reliqua incorporea per modum quo ſunt in ipſa: ergo per modum ipſius Animæ: ergo alias animas perfectè, Angelos verò imperfectè. Antecedens probatur, quia non intelligit ſe conuertendo ad phantaſmata. Prima verò conſequentia probatur Auctoritate D. Auguſt. volentis quod mens noſtra rerum incorporearum notitiam per ſe ipſam accipiat, & debet intelligi de notitia in ſtatu ſeparationis, pro vt ſpectat ad Metaphyſicum ſic appropriata à D. Th. loc. cit. in Reſp. ad primum art. 2. q. 89. quia cum aliqua ordinatè ſe conſequantur, ſemper poſterius commenſuratur priori, vt vltimum commenſuretur primo. Vndè quia in præſenti ſtatu cognoſcimus animam per actum, & obiecta, deindè incorporea cognoſcimus per animam, oportet vt cognitio rerum ſuperiorum tanta ſit, quanta poteſt oriri ex prima cognitione,

quam

Digitized by Google

quam ſcilicet ex ſenſibilibus habemus: ſed ſi prima cognitio animæ eſſet cognitio ipſius animæ, cognitio ſuperiorum non commenſuraretur niſi ipſi Animæ; & id circò ex hoc quod anima per ſe ipſam, coaſſumpta illa propoſitione D. Aug. quod per ſe ipſam nouit incorporea, optimè infertur, quod nouit incorporea omnia ſecundum quod ſunt in ea: Ex eo enim, quod per ſe ipſam nouit, conſtat quod perfectè comprehendit ſe; ex eo verò, quod ex ſe ipſa alia nouit, ſequitur quod cognitio aliorum non arctatur niſi ad modum, quo in ipſa ſunt, & non ad aliquam priorem cognitionem, & ſic excluditur duplex arctatio, quam nunc patimur, ſcilicet ad imperfectam cognitionem animæ de ſe ipſa, & ad priorem cognitionem ſenſibilium. Ità Caiet. a. 2. cit. §. Circà primam conſequentiam. Secunda igitur conſequentia probatur, quia vnumquodque intelligibile eſt in intelligente per modum ipſius intelligentis, & conſtat quod intelligitur per modum quo in eo eſt; hinc emanauit illa maxima, quod commune eſt omni ſubſtantiæ ſeparatæ intelligere tàm ſuperiora, quàm inferiora per modum ſubſtantiæ ſuæ. Tertia verò conſequentia probatur quo ad vtramque partem, quia modus ſubſtantiæ animæ eſt conformis modo aliarum animarum ſeparatarum, & infrà modum ſubſtantiæ Angelicæ. Ità Caietanus ex D. Th. art. 2. cit.

2. Concl. Caiet. cùm ſua 1. probat. quod ſcilicet Anima coniuncta corpori non poteſt cognoſcere quidditatiuè ſubſtãtias immateriales.

Secunda Concluſio ponitur à Caietano in c. 6. de ente, & eſſentia q. 14. §. Quo ad 5. &c. Anima humana corpori coniuncta non poteſt quidditatiuè cognoſcere ſubſtantias immateriales.

Probatur primò à Caiet. ſic ſub tali forma. Intellectus exiſtens in potentia non niſi ad recipienda abſtracta ab intellectu agente non poteſt intelligere quidditatiuè ſubſtantias immateriales: intellectus humanus eſt huiuſmodi: ergo &c. Maior ex terminis patet, oppoſitum enim prædicati infert oppoſitum ſubiecti quod enim poteſt intelligere ſubſtantias ſeparatas quidditatiuè non eſt tantum in potentia ad recipienda abſtracta ab intellectu agente, quoniam ſubſtantiæ ſeparatæ non ſunt abſtractæ à materia per operationem intellectus agentis. Minor eſt ex 3. de Anima tex. Comm. 17. vbi dicitur quod intellectus agens poteſt omnia facere, quæ intellectus poſſibilis poteſt facere.

2. Probatio Caiet. pro eadem Concl.

Probatur 2. Nullus effectus ſenſibilis poteſt ducere in quidditatiuam cognitionem ſubſtantiarum ſeparatarum: ergo intellectus humanus coniunctus corpori non poteſt quidditatiuè illas cognoſcere; Conſequentia tenet, quia nihil eſt in intellectu quin fuerit in ſenſu. Antecedens verò probatur ex eo, quod effectus dupliciter poteſt in cognitionem quidditatiuam ſuæ cauſæ ducere; vel per modum ſimilitudinis ſicut effectu vniuoco cognoſcente, cognoſcimus eius cauſam quidditatiuè, propterea quià ſunt eiuſdem naturæ; & hoc modo clarum eſt nullum ſenſibile poſſe perducere ad ſubſtantiarum Immaterialium naturas, eo quod differunt non ſolùm ſpecie, ſed genere; Alio modo effectus ducit in quidditatiuam cognitionem ſuæ cauſæ non per modum ſimilitudinis, ſed per hoc, quod demonſtrat totam virtutem ſuæ cauſæ; ſicut intelligere oſtendit totam virtutem animæ intellectiuæ, & ideò ex tali operatione in eius quidditatiuam cognitionem procedimus; nec hoc modo ſenſibilia valent ad quidditatiuam cognitionem intelligentiarum nos perducere. Nullus enim effectus particularis adæquat totam virtutem cauſæ virtualis; quodlibet autem ſenſibile eſt effectus particularis, vt materiales conditiones earum cuiuſque oſtendunt; Igitur per nullum ſenſibile in quidditatiuam cognitionem ſubſtantiarum materialium, quæ cauſæ vniuerſaliſſimæ ſunt peruenire poſſumus &c. Ità Caietanus loc. cit.

3. Concl. Caiet.

Tertia Concluſio ponitur à Caiet. ibidem q. 14. cit. §. Quo ad tertium &c. Contrà

cum ſua prima probatione contrà poſitionem Auerrois.

trà Auerroim ſic. Talis illa continuatio poſita ab Auerroi non producit intellectum poſſibilem, vt nobis appropriatum ad intelligendas ſubſtantias ſeparatas: Probatur à Caietano primò ſub tali forma. Id quod continuatur intellectui agenti non niſi vt formæ intellectorum ſpeculatiuorum non poteſt per illum intelligere ſubſtantias ſeparatas quidditatiuè: ergo &c. Maior probatur ſupponendo quod intellectus agens habet proportiones diuerſorum ordinum ad ſuperiora, & inferiora, ſcilicet ad ſubſtantias immateriales, & intellecta ſpeculatiua; Ad ſuperiora enim comparatur vt contemplatiuus, & non vt eorū forma: ad inferiora verò vt factiuus, & forma: quandocumque enim aliquod vnum habet diuerſi ordinis proportionem ad diuerſa, id quod continuatur ei ſecundum quod habet proportionem ad inferiora, ex hoc non continuatur ſecundum quod habet proportionem ad ſuperiora: Committitur enim fallacia accidentis ex vno aliud concludendo. Id ergo quod continuatur intellectui agenti vt formæ intellectorum ſpeculatiuorum, non ex hoc continuatur ei vt contemplatiuo ſubſtantiarum immaterialium. Minor verò habetur ex dictis Commentatoris, nullum alium modum ponentis ad propoſitum, quo continuetur poſſibilis cum agente niſi per intellecta ſpeculatiua; vndè dicit, quod cùm eſt in potentia pura ad intellecta ſpeculatiua, eſt & in pura potentia ad intellectum agentem; Cùm verò partim eſt in actu, & partim in potentia reſpectu illorum, eſt etiàm ſicut reſpectu iſtius; & cum fuerit totaliter in actu ſecundum intellecta ſpeculatiua, erit totaliter copulatus intellectui agenti. Ità Caietanus.

2. Probatio Caiet. pro eadem concluſione contrà Auerroim.

Secundò probatur à Caietano ſub tali forma. Id quod continuatur intellectui agenti non niſi vt coloratum lumini, & intellectui poſſibili non niſi ſicut coloratum viſui non poteſt denominari operans propria operatione luminis vt viſus, ſeù intellectus agentis, aut poſſibilis: ſed homo phantaſians habet huiuſmodi continuationem cùm his intellectibus: ergo non poteſt denominari faciens intellecta, & intelligens ſubſtantias immateriales, quæ ſunt operationes intellectus agentis nec denominari intelligens res ſenſibiles, quæ eſt operatio intellectus poſſibilis. Maior ipſa eſt nota ex terminis, non enim poteſt verè dici, quod coloratum illuminet, aut videat. Minor autèm patet ex 3. de Anima tex. Comm. 18. & 30. Nec obſtat aliquo modo ſimilitudini datæ, quod Homo proprio actu cogitatiuæ ſpiritualizet phantaſmata, coloratum verò non ſpiritualizat colores; quoniam ſi fingamus coloratum in ſe ipſo non poſſe obijci oculo, neq; lumini, ſed ſpiritualizatum tantùm in ſpeculo, quod propria operatio ſpeciem in ſe colorati ſpiritualizaret, ſimilitudo curreret quatuor pedibus, & tamèn tale ſpeculum obiectum lumini, & viſui non verè poſſet denominari illuminans, neq; videns. Et hæc ratio apparet mihi demonſtratiua, & alijs, ſi Deus nobis conceſſerit vitam, eius efficaciam plenius oſtendemus. Ità Caiet. loc. cit.

1. Argum. Caiet. ex Auerroi pro ſua poſitione.

Quo ad 4. Arguit Caietanus ex Auerroi pro ſua poſitione ſic. Omne quod mouetur ad acquiſitionem alicuius vt formæ, illa perfectè acquiſita, poteſt operari operatione propria illius formæ: Sed intellectus poſſibilis vt appropriatus nobis mouetur ad acquiſitionem intellectus agentis vt formæ: ergo illo acquiſito poteſt operari operatione propria illius: ſed operatio propria intellectus agentis eſt intelligere ſubſtantias ſeparatas quidditatiuè: ergo intellectus poſſibilis poterit per illum intelligere ſubſtantias ſeparatas, & cum operatio noſtra intellectus poſſibilis nos denominet, conſequentèr nos per intellectum agentem intelligimus ſubſtantias ſeparatas. Maior patet exemplaritèr cùm aqua mouetur à caloris forma, acquiſito illo poteſt calefacere, & hoc ſimiliter apparet in omnibus. Minor probatur dupliciter; primò ex duabus illis propoſitionibus recitatis ſupra. Quandocumque aliquid

mo-

Digitized by Google

mouetur ad aliqua duo recipienda ordinata intèr ſe, ad id quod eſt formalius, & perfectius mouetur vt ad formam: ſed intellectus poſſibilis mouetur ad intellecta ſpeculatiua, & ad intellectum agentem, quia quandoq; eſt in pura potentia, quandoque partim in actu, & partim in potentia ordinem inter ſe habentia, quia mediantibus intellectibus ſpecula tiuis recipitur intellectus agens, & iſte eſt formalior, & perfectior: ergo intellectus poſſibilis mouetur ad intellectum acquirendum agentem vt formam. Secundò probatur eadem Minor. Intellectus poſſibilis mouetur ad acquiſitionem intellectus agentis vt finis, ergo vt formæ. Antecedens patet ex eo quod ipſe intellectus agens eſt efficiens illius motus, quo mouetur intellectus poſſibilis ad ipſum: in ſeparatis enim a materia idem eſt efficiens, & finis motus eius in 12. Met. tex. 36. Comm. Conſequentia verò patet ex 2. Phyſ. tex. Comment. 70. vbi dicitur quod finis, motus, & forma ſunt idem. Ità Auerroes 12. Met. in fine Comment. 38.

Reſp. Caiet. quod Maior eſt vniuerſaliter falſa ſi teneatur vt teneri debet, ad hoc quod intentum concludat: Debet enim vniuerſaliter teneri nedum ſubiectum, ſed etiàm prædicatum hoc modo. Omne quod mouetur ad acquirendam aliquam formam, illa perfectè acquiſita poteſt operari omni operatione propria illius formæ, alitèr non concluderet: patet autèm hanc eſſe falſam ex eo quod ſufficit, quod id quod acquiſiuit aliquam formam participet aliquam operationem illius formæ, ſcilicet illam, quæ conuenit formæ ſecundum id quo recipit receptiuum, & ratio huius aſſignata eſt ſupra in probatione Concluſionis, quia ſcilicet non opportet rem continuatam formæ habenti diuerſas proportiones ad inferiora, & ſuperiora, ex hoc quod perfectè continuatur ei ſecundum inferius, quod continuetur ei ſecundum ſuperius; vndè ex hoc quod intellectus poſſibilis acquiſiuit intellectum agentem vt formam, licet ſequatur, quod poſſit operari operatione intellectus agentis, vt eſt forma intellectorum ſpeculatorum, quia vt ſic acquiritur, ſcilicet formare intellecta in actu, & extendere ſe ad omnia intelligendo, ad quæ ſe extendit intellectus agens, vt factiuus, non tamèn ſequitur quod poſſit omnia intelligere, quæ reſpicit intellectus agens, vt contemplatiuus. Ità Caietanus q. 14. c. 6. §. Quoad quartum &c. de ente, & eſſentia. *Reſp. Caiet. ad primam rationem Auerrois.*

Arguit 2. Caietanus ex Auerroi in 2. Met. Comm. 1. Si intelligentiæ non eſſent à nobis cognoſcibiles, natura otioſè egiſſet: Conſequens eſt falſum: ergo &c. Probatur hoc, quia feciſſet id quod eſt in ſe naturalitèr intellectum non intellectum ab alio, ſicut ſi feciſſet ſolem non comprehenſum ab aliquo viſu. Et quoniàm hæc conſequentia cum ſua probatione deriſibilis à D. Th. iudicatur, propterea fruſtrà eſt, quod non poteſt conſequi ſuum finem, & intelligentiarum finis non eſt intelligi à nobis: dato enim quod intelligi eſſet finis earum, ſufficit earum intelligibilitati, vt à ſe ipſis intelligantur: non enim ſequitur ab intellectu humano non intelliguntur: ergo à nullo, ſicut non valet Sol non videtur à noctua: ergo à nullo. Et hoc confirmat Io: de Gandauo in 3. de Anima ibi dicens, quod & ſi intelligentiarum finis primarius non ſit intelligi ab intellectu noſtro, eſt tamèn earum finis ſecundarius: Agunt enim prima intentione proptèr ſe, ſecundariò autèm proptèr alia, vt dicitur in 2. Cæli Comm. 21. & ideò ſequitur quod intelligentiæ ſaltem quo ad finem ſecundarium eſſent fruſtrà, & ſic Natura feciſſet aliquid otioſè, propterea ſequela illa Commentatoris eſt vna ex propoſitionibus per ſe notis, & non eſt deriſibilis. Et inſuper Commentator in 3. de Anima Comm. 36. examinans rationem Themiſtij concludit quod ſi intellectus noſter intelligit res ſenſibiles factas immateriales; ergo intelliget res ſecundum ſe immateriales. *Argumentum 2. Caiet. ex Auerroi pro ſua poſitione.*

Con-

Confirmatio rationis Auuerrois pro vt ſupra.

Confirmatur hoc ex Ariſt. 3. de Anima tex. Comm. 7. vbi dicit, quod intellectus excellenti intelligibili apprehenſo vigoratur ad altius intelligendum; ex quo ad propoſitum poteſt deduci, ergo immaterialitas eſt ſufficiens cauſa virtuti cognoſcitiuæ, quod intelligere poſſit ſubſtantias ſeparatas.

Probatur conſequentia. Intelligentiæ per te non ſunt à noſtro intellectu cognoſcibiles: ergo à nullo alio ſunt cognoſcibiles: ergo fruſtrà ſunt cognoſcibiles, ſicut Sol eſſet fruſtrà viſibilis ſi à nullo alio poſſet videri. Prima conſequentia tenet ex eo, quod ſi immaterialitas non dat intellectui noſtro illas intelligere, nulli hoc dabit, quia iàm declaratum eſt immaterialitatem eſſe ſufficientem cauſam huius; ſicut quia ſenſitiuum eſt ſufficiens cauſa tactus ſenſus, ſi poſitum in vna ſpecie non daret Animali tactum, nulli alij hoc daret. Secunda conſequentia clara eſt exemplo. Quilibet ergo intellectus poteſt ſubſtantias ſeparatas cognoſcere ex ſua immaterialitate, plus tamen, & minus, ſecundum quod plus, & minus perfectionis habent. Ità Caiet. in loc. cit. ſuprà &c.

Reſp. Caiet. ad ſecundam rationem Auuerrois.

Reſp. Caietanus ad rationem Auuerrois negando conſequentiam, & ad probationem dicitur, quod committitur fallacia conſequentis à ſuperiori ad ſuum inferius affirmatiuè: conceſſo enim quod intelligentiæ ſunt intelligibiles ab intellectu noſtro, quia continentur ſub eius primo obiecto, non ſequitur: ergo ſunt à nobis intelligibiles quidditatiuè; non enim omne contentum ſub ente eſt quidditatiuè à nobis intelligibile, eo quod ens licet ſit obiectum adæquatum intellectui noſtro extenſiuè, non tamen eſt adæquatum adæquatione mutua intenſiuè quod eſt idem dicere, quod licet omne ens poſſit à nobis intelligi, non tamen omne ens poteſt à noſtro intellectu penetrari vſque ad vltimas differentias: hoc enim modo, quidditas rei materialis eſt obiectum adæquatum noſtri intellectus, ſcilicet adæquatione intenſiua: hanc enim ſolùm intellectus noſter natus eſt intelligere quidditatiuè.

Et ſic Reſp. ad Ioannem de Gandauo: licet enim detur, quod intelligi à nobis ſit finis ſecundarius intelligentiarum, non tamen valet: ergo intelligi à nobis quidditatiuè eſt finis ſecundarius, imò hoc eſt impoſſibile. Et ad illud de immaterialitate intellectus noſtri Reſp. ſimili modo, quod licet immaterialitas ſit ſufficiens cauſa virtuti cognoſcitiuæ, quod poſſit intelligere ſubſtantias ſeparatas, non tamen valet, ergo ex immaterialitate habet, quod poſſit eas cognoſcere quidditatiuè. Ità Caietanus.

Reſp. Caiet. ad Confirm. rationis Auuerrois.

Reſp. Caietanus ad Confirmationem ex Ariſtotele, nil obſtare, quia ſenſus reſpectu excellentis ſenſibilis duo ſortitur, & quod non perfectè cognoſcit illud, & quod patitur paſſione corruptiua ab illo. Intellectus autèm reſpectu intelligibilis excellentis primum dumtaxat habet, ſcilicet quod perfectè non intelligat illud: paſſionis enim expers eſt, & ratio eſt quià ſecundum ſequitur materiam, cuius actus eſt virtus ſenſitiua non autem intellectiua; primum verò ſequitur improportionem potentiæ ad obiectum, quæ ſaluatur, & in virtute immateriali, & materiali: ſicut enim noctua ex ſua ſpecie v ſum improportionatum claro lumini habet, ita homo ex ſua natura intellectum improportionatum claro intelligibili ſeparato, ſcilicet ſecundum rem à materia. Conueniunt ergo intellectus, & ſenſus in primo; ſed differunt in ſecundo, & quia differentia, ibi dicit Ariſtoteles, oritur, quod ſenſus poſt excellens ſenſibile ſenſatum debilitatur, intellectus autèm poſt excellens intelligibile intellectum non alteratur, magis poteſt intelligere alia, quod intelligendum eſt ſecundum modum ſibi poſſibilem. Ex hoc autèm non licet inferre: ergo poteſt quidditatiuè cognoſcere ſubſtantias immateriales; ſed ſequitur; ergo non procedit ex eius alteratione, quod illas non poſſit comprehendere, quod gratis conce-

di-

Digitized by Google

dimus, habet enim homo intellectum ratiocinatiuum, qui oritur in vmbra intelligentiæ apud Iſaac. Et ideò proportionatus naturaliter ad intuendum intelligibile non purum, & clarum, ſed obumbratum materiæ, quale eſt quidditas à ſenſibilibus abſtrahibilis. Ità Caiet.

Arguit Caiet. contrà 2. Concl.

Arguit Caietanus contrà Concluſionem ſecundam ſic ex Io: de Gandauo in 3. de Anima. Nulla forma impeditur ſua nobiliſsima operatione propter vnionem eius ad propriam materiam. Sed intelligere ſubſtantiarum ſeparatarum quidditates eſt nobiliſſima operatio Animæ humanæ, vt patet primo ex 10. eth. Corpus autèm humanum eſt eius propria materia: ergo Anima humana propter vnionem ad corpus non impeditur à ſpeculatione ſubſtantiarum immaterialium. Inſuper Anima humana aut nata eſt intelligere ſubſtantias ſeparatas per ſuam ſubſtantiam, aut per ſpeciem influxam, aut per ſpeciem cauſatam ex phantaſmate. Si per ſuam ſubſtantiam, cùm ſubſtantia eius per vnionem ad corpus non impediatur poterit eas intelligere; ſi per ſpeciem à phantaſmate ſumptam vnio ad corpus iuuabit; ſi per ſpeciem influxam, quæritur quomodò vnio ad corpus impedit, aut non permittit talem influxum fieri? hoc enim non videtur rationabile aliquo modo eſſe, quia generatio vnius ſpeciei non impeditur à corpore niſi corpus habeat contrariam diſpoſitionem diſpoſitioni requiſitæ ad eius generationem, v.g. quia Color exigit diaphaneitatẽ in aere, ad hoc vt recipiatur in eo, nullum corpus impediet generationem ſpeciei coloris, niſi habeat opacitatem, quæ contraria eſt diaphaneitati; modo corpus humanum nullam habet diſpoſitionem contrariam diſpoſitioni, quam exigit receptio ſpeciei intelligibilis influendæ, vt patet; ergo &c.

Confirmatio Argumenti Caiet.

Confirmatur. Bonum ſimpliciter alicuius naturæ non impeditur propter bonum ſimpliciter eiuſdem naturæ; quod enim impedit bonum ſimpliciter alicuius naturæ, eſt illi malum ſimpliciter: ſed intelligere ſubſtantiarum immaterialium quidditates eſt bonum ſimpliciter animæ humanæ: ergo non impeditur per vnionem ad corpus, cum hoc ſit ei bonum ſimpliciter &c.

Reſp. Caiet. ad Argum. contrà 2. Concluſionem.

Reſp. Caiet. ad Argum. quod licet intelligere ſubſtantias immateriales ſit nobiliſſima operatio animæ intellectiuæ, intelligere tamèn eas quidditatiuè eſt operatio ſibi impoſſibilis. Nec Ariſt. in 1. & 10. eth. dixit oppoſitum; imò quæſtio mota ab ipſo in 3. de Anima Comm. 36. nuſquam ſoluta reperitur: Poſuit enim fælicitatem humanam in contemplatione ſubſtantiarum ſeparatarum nobis poſſibili quæcumque ſit illa; ſimiliter dicitur ad ſecundam obiectionem quod vnio animæ ad corpus non impedit cognitionem quidditatiuam ſubſtantiarum immaterialium quandoquidem illa animæ ſecundum omnem naturæ ſtatum eſt impoſſibilis. Quod ſi hæ duæ rationes formentur ad concludendum animam poſſe habere talem notitiam ſubſtantiarum immaterialium, qualem per earum ſpecies vt ſeparata habet. Reſp. in tali caſu ad Argumentum negando quod intelligere ſubſtantias immateriales tali modo ſit nobiliſſima ſimpliciter operatio animæ, licet ſit nobiliſſima ſecundum quid: Maiorem enim perfectionem ſimpliciter ponit in anima intelligere ſubſtantias ſenſibiles diſtinctè, & quidditatiuè, & ſubſtantias immateriales per effectus ſenſibiles, & per communia, quàm intelligere eas in confuſo; eſto ſecundum quid ſit nobilior illa confuſa intellectio, ex hoc quod eſt per earum ſpecies, & immaterialiori modo. Vnde dico, quod non inconuenit animam noſtram impediri ab operatione nobiliſſima ſecundum quid propter perfectionem ſibi nobiliſſimam ſimpliciter acquirendam ex vnione ad propriam materiam; vnde non ſequitur vnionem eſſe præter naturalem, ſed naturaliſſimam vtpotè propter perfectionem ſuam ſimpliciter: & præſertim quia cognitio illa, quam habet ſeparata eſt ſibi quaſi præter naturalis, ſicut, & modus eſſendi quem habet &c.

Ad ſecundam obiectionem Reſp. Caietanus, quod impeditur Anima ex vnione ad corpus ad receptionem talis influxus, ex hoc quod modum eſſendi in corpore, ſequitur modus operandi non niſi per conuerſionem ad phantaſmata: naturalis enim conuerſio ad phantaſmata eſt impeditiua conuerſionis ad ſuperiora. Probatio autèm contrà hoc nihil facit: contingit enim alio modo impedimentum dari, vt iàm patet.

Reſponſio Caiet. ad Confirm. Arg. ſuprà.

Ad Confirmationem. Reſp. Caietanus, quod Minor eſt falſa: intelligere enim ſubſtantias immateriales tali modo eſt Bonum Animæ ſecundum quid, & non ſimpliciter; vnio verò ad corpus cùm concomitantibus ad ipſam, eſt Bonum eius ſimplicitèr. Ità Caietanus cap. 6. de ente, &c. quæſt. 14. cit. §. Ad rationem igitur primam, &c.

Arg. aliud Caiet. contrà eamdem ſecundam Concluſ.

Arguit Caiet. contrà idem. Dicendo nos quod cognoſcimus eſſe intelligentiarum, & non quidditates, aut eſſe eſt idem quod quidditas, aut diuerſum? ſi diuerſum, ergò vtrumque cadit ſub cognitione noſtra: quicumque enim cognoſcit diuerſitatem aliquorum cognoſcit extrema illius diuerſitatis, vt dicitur 2. de Anima comm. 146. Si eſt idem quod quidditas: ergò cognito vno cognoſcitur & reliquum. Si reſpondeatur, quod cognoſcimus illas quidditates, ſed non perfectè. Contrà iſta Reſponſio eſt falſa. Probatur hoc, ſi imperfectè cognoſcimus quidditates illas, aut hoc eſt, quia neſcimus ità perfectè ſicut à ſe ipſis cognoſcuntur? & hoc non eſt: eſt enim ridiculum dubitare; aut quia neſcimus eas perfectione debita nobis ſecundum noſtram naturam? & hoc eſt voluntarium: nulla enim ratione hoc conuinci poteſt, vnio namque ad corpus hoc impedire non poteſt, vt probatum eſt.

Reſponſio Caiet. ad Argum. contrà ſecundam Concluſ.

Reſp. Caietanus, quod ſiuè eſſe, & eſſentia diſtinguantur, ſiuè ſint idem; non variatur propoſitum: in Deo enim ſunt idem, & in alijs intelligentijs diſtinguuntur, & tamèn eamdem de vtriſque proferimus ſententiam dicentes, quod cognoſcimus eſſe, & non quidditatem: Reſponſio ergò ibi data eſt vera, quia dicitur quod cognoſcimus quidditatem imperfectè, & hoc non repugnat dictis Thomiſtarum, qui dicunt nos non intelligere quidditates ſubſtantiarum ſeparatarum, quia hoc debet intelligi de cognitione quidditatiua, & non de quacumque cognitione, vndè non valet: ergò nullo modo cognoſcimus, ſed valet iſta, ergò nullo modo cognoſcimus quidditatiuè. Nec obſtat etiàm alteri dicto, vbi dicitur, quod cognoſcimus eſſe illarum, & non quidditates, quia dicendo ſic nos aſſueti ſermonibus Peripateticis, intendimus, quod ſcimus de illis terminare quæſtionem an eſt, quæ de eſſe quærit, & neſcimus terminare quæſtionem quid eſt, quæ quidditatem ſcrutatur, ſequentes Ariſtotelis veſtigia, qui notitiam rei per communia, notitiam quia eſt in poſterioribus Analyticis appellat. Et proptèr hoc illa notitia proportionalitèr de quidditate, à Thomiſtis in propoſito, affirmatur de eſſe: quia notitia de propria quæſtione quidditatis haberi non dicitur: notitia verò de propria quæſtione ipſius eſſe non caremus. Itaque ad inſtantiam contrà Reſponſionem allatam dico, quod ideò intellectus noſter dicitur imperfectè cognoſcere ſubſtantias immateriales, quia quidditatiuè eas non poteſt apprehendere, & magis imperfectè in hac vita, quàm per ſpecies aliorum. Et licet primo modo eas cognoſcere ſibi ipſi conueniat, ridiculum eſſet dubitare an id quod conuenit ſolis intelligentijs conueniat alijs. Neceſſarium tamèn eſt dubitare an cognoſcere eas quidditatiuè ſibi ſolis, an etiàm Animæ noſtræ conueniat; & quod ſecundo modo eas cognoſcere ſit nobis in hac vita impoſſibile non voluntariè, ſed cogente ratione dicitur: corpus enim vnitum Animæ, Animam ad ſenſibilia conuer-

Digitized by Google

uerſit &c. vt ſuprà declaratum eſt, & toties dicimus. Ità Caietanus in fine quæſt. 14. cap. 6. cit. de ente, & eſſentia.

Appendices ad Lectionem 9. Metaphyſicalem in Tractatu ſeptimo de Potentiis ſpiritualibus.

SI vis penetrare à primis principiis vſque ad vltima Lectionem præſentem D. Thom. & Caietani de cognitione Animæ ſeparatæ, lege Magiſtrum noſtrum Ripam ſuper caput 6. de ente, & eſſentia à pag. 804. vſque ad pag. 832. ibi enim pag. 814. reiicitur ad mentem Caietani ex D. Thom. Auuerrois, & aliorum ſententia de cognitione entium abſtractorum, quorum quidam vt citantur à Bannezio tenent quod Anima ſeparata cognoſcat perfectè, & diſtinctè omnia entia naturalia, non tamèn entia Angelica. Lerma, & Bannez cum Ripa confutant ipſos cum D. Thom. qui expreſſe habet in quæſtione vnica de Anima art. 18. & 20. & in 1. p. quæſt. 89. art. 3. quod per illas ſpecies infuſas cognoſcant ſolùm imperfectè, & confusè, & in communi. Quæ ſententia D. Thomæ, & Caietani defenditur acerrimè à Ripa art. 4 pag. 824. vbi citat vniuerſam Scholam Thomiſticam. Vide Capr. in 1. ſent. diſt. 2. quæſt. 1. art. 2. ad Argumenta Scoti contrà quintam Concluſionem. Extrà Scholam Thomiſticam citat etiàm multos Modernos.

Contrà Auempacem ſtat D. Thom. & Caietanus in 1. p. quæſt. 88. art. 3. & in art. 1. Caietanus examinat ſolummodò duas primas rationes D. Thom. quæ ſunt contrà primam propoſitionem Auuerrois ſupponentis, quod intellectus agens ſit ſubſtantia ſeparata naturalitèr intelligens alias. Ratio quinta S. Thomæ militat contrà aliam propoſitionem Auuerrois dicentis, quod intellectus agens eſt perfectè nobis vnitus, & tunc per ipſum intelligimus quodquid ipſe intelligit. Quarta ratio S. Thomæ procedit contrà aliam propoſitionem Auuerrois dicentis, in hoc intelligere conſiſtere vltimam noſtram fælicitatem. Sexta ratio procedit ex ipſa ratione intellectus agentis. Legas, & ſtudioſè conſidera tu Thomiſta Diſcipule in proprio loco, cum Adnotationibus, & Formalitatibus Ven. Porrectæ ſuper illas quæſtiunc. & art. cit. ſuprà. Et nota quod illam quæſtionem, quàm diſcutit Caietanus in art. 2. quæſt. 88. p. 1. de primo cognito à noſtro intellectu, aſportauimus in Phyſica propria Caietani; ſicuti & etiam illam art. 3. eiuſdem quæſt. 88. ſcilicèt quod Deus non ſit primum quod à nobis cognoſcitur, ſed magis per Creaturas in Dei cognitionem venimus, imò primum cognitum a nobis ſecundum ſtatum præſentis vitæ, ibi determinatur eſſe quidditatem rei materialis vt obiectum proportionatum noſtri intellectus: ſuperfluè enim hic repeterentur, cùm de pura Metaphyſica ſit Tractatus de cognitione Animæ noſtræ quo ad ſtatum ſuum ſeparationis, &c.

LECTIO X. METAPHYSICALIS

In Tractatu ſeptimo

DE POTENTIIS SPIRITVALIBVS.

Quomodò Angelus, & Anima noſtra in ſtatu ſeparationis cognoſcant ſingularia.

Ex Caietano in p. p. quæſt. 89. art. 4. & quæſt. 57. art. 2.

Declaratio Tituli, eiuſque ſenſus quæſiti data à Caietano.

CAietanus in locis citatis declarat Titulum ſic. Hic eſt quæſtio de ſingularibus materialibus, ſeù ſenſibilibus, & de modo cognoſcendi iſta. De Anima noſtra vt eſt in ſtatu coniunctionis diximus iàm cum D. Thoma in 1. p. quæſt. 86. art. 1. ex quo loco deciſio quæſtionis fuit aſportata in lib. 1. Phyſ. quæſt. 1. num. 9. Concluſ. 1. ſcilicèt quod hæc ſingularia ſenſibilia, & materialia non directè primò, ſed indirectè cognoſcit; Quæ igitur ſunt Metaphyſicalia quo ad ſtatum ſeparationis ponenda ſunt in præſenti Lectione, an ſcilicèt in ſtatu illo ſit cognoſcitiua ſingularium, non per viam abſtractionis, ſed ſpecies influxas, directè, & determinatè cum quadruplici habitudine, ſiuè per Diuinam ordinationem, ſiuè per naturalem habitudinem, ſiuè per præcedentem cognitionem, ſiuè per aliquam affectionem, quia omne quod recipitur in aliquo, recipitur in eo per modum recipientis, de quo D. Thom. in art. 4. quæſt. 89. cit.

Et de ſpecie Angelica, addit Caietanus, in 1. p. quæſt. 57. §. Quò ad primum, &c. quæritur an in ipſa repreſentetur primò; & quidditas, & ſingularitas; & exiſtentia, ſeu coniunctio vnius cum alio in rerum natura; & duratio talis exiſtentiæ, ſeù coniunctionis, quæ quatuor requiruntur ad hoc vt intellectus dicatur habere perfectam notitiam de ſingularibus, quæ quidem cum ſint ſeparabilia ab inuicem in eſſe cognito, vnum poteſt cognoſci alio ignoto; & ſic quæritur, cum cognitio fiat per aſſimilationem, an indita ſit Angelo eorum ſimilitudo; ſcilicèt primò quidditatis, & ſingularitatis, de quibus duobus non eſt difficile concipere, quia vtrumque ſpectat ad quæſtionem quid eſt: per quidditatem enim ſcitur quid eſt Socrates vniuerſalitèr conceptus in quantùm eſt homo: per ſingularitatem ſcitur quid eſt Socrates in quantùm ſingularitèr apprehenſus, quod à nobis non eſt ſcibile. De alijs verò duobus, ſcilicèt de exiſtentia, ſeu coniunctione vnius cum alio in rerum natura, & de duratione talis exiſtentiæ, ſeù coniunctionis, difficile eſt videre, & præcipuè de quarto, quia hoc ad quæſtionem an eſt, & quando eſt ſpectat. Et ideò in præſenti Lectione difficultas eſt, an hæc duo vltima in ſpecie Angelica ſit ſimilitudo, &c. Ità Caietanus in locis citatis.

Quò

Digitized by Google

Primum Notabile Caiet. in quo explicatur quomodo in ſpecie Angelica repreſentetur coniunctio aliquorum, & duratio eius.

Quò ad primùm; Notat in 1. p. quæſt. 57. art. 2, §. Quo àd primùm ſciendùm eſt, &c. quod coniunctio aliquorum, & eius duratio multiplicitèr poteſt repreſentari intellectui, ſcilicèt in ſuis cauſis, vel in ſe ipſa. In ſuis cauſis quidem, quemadmodùm coniunctio humanitatis cùm riſibilitate præſentatur intellectui repreſentantis ſibi quodquid erat eſſe vtriuſque: ex his enim intellectus conſpicit coniunctionem, & coæuitatem eorum, hoc tamèn non habet locum in contingentibus vt de ſe patet. In ſe ipſa autèm poteſt repreſentari duplicitèr. Vno modo itá quod duratio illius coniunctionis ſit repreſentata ſicut qualitas aliqua rei repreſentatæ, quemadmodum albedo figuræ repreſentatur viſui; Alio modo vt ipſa ſola coniunctio ſit repreſentata, & eius duratio concurrat, vt conditio neceſſaria ad hoc quod repreſentetur, quemadmodum de facto ſe habet duratio, ſeù præſentia coloris ad colorem viſum oculo repreſentatum: non enim ſpecies viſibilis repreſentat durationem præſentiæ, ſed videri, ac repreſentari color non poteſt, niſi præſenti tempore menſuraretur. Et cùm itá ſit ſpecies Angelica apud S. Thomam, non ſolùm repreſentat humanitatem, & ſorteitatem, ſed etiàm in ſe ipſa coniunctionem eorum, cùm ipſo exiſtere in rerum natura, & inſupèr cum quocumq; alio eſſe accidentali, & naturali: non tamèn repreſentat durationem talium coniunctionum tanquàm rem repreſentatam, ſed tanquàm conditionem ſine qua coniunctio illa non repreſentatur. Et quod non repreſentetur duratio contingentis coniunctionis manifeſtatur primò ex eo, quod firmitèr credimus Angelos non cognoſcere futura contingentia: ſi enim in Angelo eſſet indita ſimilitudo ſeſſionis meæ craſtinæ, praſciret euidentèr ſeſſionem mihi coniungendam cras; repreſentat tamèn durationem vt conditionem ſine qua non ex hoc quod ſic ſufficit, quia conſtat ſufficientèr à nobis haberi cognitionem etiàm intuitiuam rei per talem ſpeciem, vt patet in viſu noſtro. Et hoc clariùs patet, ſi fingas viſum eſſe virtutem omnium cognoſcitiuam: tunc enim per talem ſpeciem, qua repreſentatur color ſibi præſens, vt modò repreſentatur, ſcilicèt quod præſentia concurrit vt conditio ſinè qua non cognoſceret non ſolùm hunc colorem exiſtentem in præſenti tempore, & quod repreſentat durationem ex eo quod duratio alicuius nullam habet repugnantiam, vt ſit talis conditio, ſine qua res non repreſentetur. Et inſuper hoc manifeſtatur, quia quemadmodum duratio coloris eſt eius conditio, ſine qua color nec immutat viſum, nec videtur, itá etiàm eſt conditio ſine qua non repreſentatur. Nec hoc repugnat, addit Caietanus in fine Comment. art. 2. contrá Scotum, nec inconuenit, imò eſt neceſſarium omnia naturalia cùm fiunt, ſtatim congenita eſſe Angelo habitualitèr, & diſtantia localis non impedit cognitionem Angeli. Itá Caiet. loc. cit.

Secundum Notabile Caiet. in quo explicatur modus quo repreſentantur omnes conditiones indiuiduales in ſpecie Angelica.

Secundò Caietanus notat ibidem modum quo repreſentantur prædicta. Et breuitèr dicitur quod apud S. Thomam ſpecies impreſſa à Deo ipſi Angelo in ordine ad prædicta ſe habet, ſicut ſi in oculo eſſet naturalitèr congenita ſpecies alicuiùs obiecti puta huius albi; Tunc enim per talem ſpeciem nec repreſentaretur, nec cognoſceretur hoc album niſi quando exiſteret, quoniam intèr repreſentans, & repreſentatum reperitur ſimilitudo. Nec hoc album ſimile eſt illi ſpeciei repreſentanti niſi hoc album exiſtat, quoniam ſpecies illa repreſentat hanc albedinem exiſtentem, & ſic per illam ſpeciem videret oculus hoc album, quando illud eſſet, & non videret illud, quando non eſſet, & ſic duratio huius albi in rerum natura ſe haberet vt conditio ſine qua hoc album nec repreſentaretur, nec videretur, non ex defectu ſpeciei viſibilis, ſed ex defectu ipſius obiecti; nec per mutationem ſpeciei, ſed per mutationem ipſius obiecti cognoſceret hoc album nunc eſſe, &

poſt-

poſtmodum perciperet illud non eſſe ex defectu aſſimilationis illius. Ex hoc patet, quomodò ſtet, quod ſpecies ſit indita, & non cauſata ab obiecto ſingulari; & quod naturalitèr repreſentat, & ſit ratio cognoſcendi rem per ſe primò, & directè quando eſt, ex conſequenti autèm quando non eſt. Et quoniam indiuiduum ſuperioris ordinis æquiualere poteſt multis non ſolùm indiuiduis, ſed ſpeciebus inferioris ordinis, eleuationem ipſam naturæ Angelicæ ſupra corpora intuitus S. Thomas poſuit quod vna ſpecies in Angelo ſit tantæ excellentiæ, vt diſtinctè quidem, excellenter tamen ſit ratio repreſentatiua multarum quidditatum, & ſingularium, & multarum coniunctionum contingentium in rerum natura; ità quod quandocumque coniunctio illa ponitur in rerum natura, ſtatim aſſimilatur illi ſpeciei, & ſic repreſentatur, & cognoſcitur: deſinente autèm deſinit repreſentari, quia deſinit aſſimilari. Ità Caietanus quæſt. 57. art. cit. §. Quò ad ſecundùm, &c.

Opinio Scoti, & D. Thom. de ſpecie Angelica recitata à Caietano.

Quò ad ſecundùm. Caietanus in 1. p. quæſt. 57. art. 2. refert opinionem S. Thomæ, & dicit ſic. S. Thomas tenet, quod vtique Angeli cognoſcunt ſingularia, ſed in modo cognoſcendi cognoſcunt illa per ſpecies influxas à Deo, contrà quam Scotus habet plurima Argumenta in 2. ſent. diſt. 3. quæſt. vltima, & contrà modum cognoſcendi, & contrà Concluſionem ipſam D. Thomæ; & in diſt. 9. habet Scotus multas alias rationes directè impugnantes Concluſionem D. Thom. quæ ſoluentur infrà.

Opinio S. Thom. & Scoti recitata à Caietano de cognitione Animæ ſeparata circa ſingularia.

Et de cognitioue Animæ ſeparatæ in ordine ad ſingularia refert ſententiam D. Thomæ in 1. p. quæſt. 89. art. 4. ſic. S. Thomas concedit vtique, quod cognoſcit ſingularia per ſpecies influxas, ſed non eo modo perfecto, quo Angelus, vndè ſic dicit, Anima ſeparata cognoſcit quædam ſingularia, ſed non omnia, etiàm præſentia, & hæc vltima particula ponitur ad differentiam Angelicæ cognitionis, quia de Angelis dicitur quod naturalitèr cognoſcunt omnia ſingularia præſentia, non omnia ſimpliciter. Et quia illæ ſpecies influxæ in Anima ſeparata recipiuntur in ipſa per modum ipſius (cum omne recipiatur in aliquo per modum recipientis) & modus tunc Animæ ſit imperfectus quodammodò, cùm ſit præter rationem Animæ, vt dicitur in art. 1. quæſt. 89. cit. à D. Thoma, ideò per huiuſmodi ſpecies Anima noſcit illa tantùm ſingularia, ad quæ quodammodò determinatur, vt habet S. Doctor in fine corporis per modum Corrollarij, vno ſcilicèt ex illis quatuor modis vel per præcedentem cognitionem, vel per aliquam affectionem, vel per naturalem habitudinem, vel per Diuinam ordinationem. Hinc addit Caietanus in quæſt. 79. art. 6. Anima ſeparata non recordatur commiſſorum criminum ſufficientèr per ſpecies hinc delatas. Quod cognoſcat, & recordetur certum eſt, ſed de modo ambiguitas eſt, quæ iudicio meo ſecundum S. Thomæ Doctrinam ſoluenda eſt infrà in Appendice. Ità Caietanus art. 4. quæſt. 89. cit. quo in loco Caietanus addit ex D. Thom. in corp. art. 4. cit. quod diſtinguitur modus intelligendi per abſtractionem à phantaſmate, & per influxum ſpecierum à Deo, inter quos eſt differentia, quod iuxtà primum modum impoſſibile eſt noſſe ſingularia niſi indirectè vt diximus in Phyſica; iuxtà verò ſecundum modum poſſunt cognoſci vt oſtendetur infrà. Et de Deo iàm patet, quia eſſentia Diuina eſt præhabens in ſe principia indiuiduantia, & conſequentèr ſpecies exemplatæ ab illa repreſentare poſſunt, vt dicemus infrà. Ità Caietanus loc. cit.

Concluſio reſponſiua Caietani ex D. Th. cum probatione

Quò ad tertiùm. Pro Concluſione Reſponſiua ponit Caietanus hanc pro prima parte ex D. Thom. 1. p. quæſt. 57. art. 2. Et pro ſecunda parte ex D. Thom. art. 4. quæſt. 89. ſic. Angeli per ſpecies influxas à Deo cognoſcunt ſingularia; Anima

Digitized by Google

ma autem ſeparata imperfectè, & non omnia licet præſentia, ſed tantùm quædam.

prima partis ſcilicet quod Angeli per ſpecies influxas cognoſcunt perfectè ſingularia.

Probatur prima pars à Caietano ex D. Thom. ſub tali forma. Res omnes cauſantur à Deo, & quantùm ad formalia, & quantùm ad materialia eorum in proprijs naturis: ergò quo ad eadem cauſantur à Deo in mentibus Angelorum: ergò per tales ſpecies Angeli cognoſcent ſingularia. Antecedens ſupponitur. Prima conſequentia etiàm ſupponitur ex D. Auguſtino volente res factas eſſe non ſolùm in ſe ipſis, ſed etiàm in mentibus Angelorum. Secunda conſequentia probatur ex proportionalitate, quia quemadmodum ſe habet eſſentia Dei per quam omnia cauſat ad eius cognitionem, ità ſimilitudines illius eſſentiæ, ſecundum quod eſt cauſa talium rerum ad intellectum, in quibus ſunt illæ ſimilitudines: ſed Deus ſcit omnia per illam, & quo ad vniuerſales, & quo ad particulares conditiones, quia illa eſt ſimilitudo omnium quo ad omnia, & quia ſcientia ſua eſt cauſa rerum: ergò Angelus per ſpecies exemplatas ab illa ſumma ſimilitudine, cognoſcet omnia facta, & quo ad conditiones vniuerſales, & ſingulares. Ità Caietanus, &c.

Probatur modò à Caietano quod cognoſcant ſingularia; ſub tali forma. Quæ ſunt diſperſa in inferioribus conueniunt vnitè in ſuperioribus: ergo quæ nos per diuerſas potentias cognoſcimus, Angelus vnica potentia cognoſcit. Vndè Ariſt. pro inconuenienti habet, vt litem, quam nos ſcimus, Deus ignoret, vt patet in 1. de Anima tex. 80. & in 3. Met. tex. 15. Antecedens declaratur à D. Thom. de ſenſibus particularibus reſpectu ſenſus communis, qui eſt ſuperior, quàm ſenſus proprius licet ſit vnica potentia: hæc enim omnia cognoſcit quæ quinque ſenſibus exterioribus cognoſcuntur, & quædam alia, quæ nullus ſenſus exterior, cognoſcit, ſcilicet differentiam albi, & dulcis; & ſimile eſt etiàm in alijs conſiderare: ergò cùm Angelus ordine naturæ ſit ſuprà hominem inconueniens eſt dicere, quod Homo quacumque ſua potentia cognoſcat aliquid, quod Angelus per vnam ſuam vim cognoſcitiuam, ſcilicèt intellectum non cognoſcat. Ità Caietanus ex D. Thom. quæſt. 57. art. 2.

Probatio ſecundæ partis Concluſ. facta à Caiet. ex D.Th ſcilicet quod Anima ſeparata non perfectè cognoſcit.

Probatur ſecunda pars ex D. Thom. à Caietano in 1. p. quæſt. 89. art. 4. ſub tali forma, de cognitione ſingularium Animæ ſeparatæ; imò potiùs declaratur ex differentia intèr Angelos, & Animam in modo cognoſcendi per huiuſmodi ſpecies influxas ſic. Angeli quia per huiuſmodi ſpecies perfectè cognoſcunt, ex eo quia iſte modus eſt ei naturalis ſequitur, quod per eas non ſolùm ſpecierum, ſed indiuiduorum participantium ipſas, notitiam habeant: ergò Animæ, quia per eas imperfectè cognoſcunt, nec ſpecies, nec indiuidua diſtinctè noſcent, niſi aliundè determinentur, quia omne quod recipitur in aliquo recipitur per modum recipientis: ſed illa ſingularia quæ cognoſcunt, non cognoſcunt, niſi determinantur vel per præuiam cognitionem, vel affectionem, vel naturalem ordinationem, vel Dei ordinem: ergò vera ſecunda pars Concluſionis. Et addit Caietanus, ad quæſitum de Anima, dic ergo, quod ſpecies repreſentant ſingulare, ſed non diſtinctæ huic Animæ; & cùm dicitur: ergò ordo iſte largitur vim perceptiuam, reſpondeas quod non dat vim perceptiuam, ſed reddit ipſam habilem, & proportionatam ſpeciei in quantùm repreſentat tale ſingulare, & ſic facit diſpoſitiuè ipſam, vt illud percipiat. Ità Caietanus loc. cit.

Arg. 1. Caiet. contrà rationem primæ partis Conl.

Quò ad quartùm. Arguit primò Caietanus contrà rationem Concluſionis primæ partis ſic. Conſtat quod intellectus noſter eſt virtus altior omnibus ſenſibus, & tamen in ipſo non adunantur cognitiones ſingularium, niſi fortè arguitiuè, & indi-

Digitized by Google

cluſionis cum ſua duplici Reſponſione.

indirectè ex admixtione ad ſenſus; ergò illa maxima non concludit vniuerſalitèr ſuprà quam ſe fundat probatio; ſcilicèt quæ ſunt diſpoſita &c. Probatur conſequentia, quia ſi valeret, concluderet etiàm de intellectu noſtro, &c.

Reſp. Caietanus negando primò quod intellectus noſter non cognoſcat ſingularia: quoniam in ſtatu ſeparationis ſaltèm cognoſcet ea; Secundò Reſp. & meliùs iudicio meo, quod intellectus humanus non conſtituit alium gradum in ordine rerum, ſed clauditur in illo rerum gradu in quo homo locatur; & propterea non oportet quod illa maxima habeat in ipſo locum ſimplicitèr, cum intelligenda ſit de natura rei ſuperioris completè in ſpecie: res enim incompletas non oportet ſimplicitèr præhabere inferiora: ſed magis conuenire, & adunari cùm eis ad integrandum vnum perfectum, vt contingit in homine. Dixi autèm ſimplicitèr, quia quodammodò quidquid poteſt virtus noſtra inferior, poteſt, & noſtra ſuperior, dum rem eamdem perfectiùs, vel nobiliùs attingit. Ità Caiet. quæſt. 57. cit. art 2. §. Circà rationem adductam, &c.

Arg. 2. Caiet. ex Scoto contrà idem ſuprà.

Arguit Caietanus contrà idem ex Scoto ſic in 2. ſent. diſt. 9. Iſta ſpecies quam ponis in Angelo aut repreſentat in ſimilitudine oppoſita pertinentia ad exiſtentias ſingularium, aut alteram partem contradictionis determinatè, aut modò vnam, modò aliam ſucceſſiuè? Non primùm, quia ſic nihil repreſentaret; non ſecundùm, quia ſic ſemper Angelus cognoſceret vnum tantùm oppoſitum, & nunquam reliquum; non tertiùm quia naturale repreſentatiuum, & vniforme in ſe, & in intellectu non repreſentat diffor mitèr aliquid.

Reſponſio Caiet. ad 2. Argumentum ex Scoto.

Reſp. Caietanus, quod Argumentum ſupponit vnum falſum, ſcilicèt quod ſpecies in mente Angelica repreſentet durationem coniunctionis contingentis, tanquàm rem repreſentatam, cuius oppoſitum diximus ſuprà; imò hoc proprium eſt eſſentiæ Diuinæ, & fortè non eſt communicabile alicui ſpeciei: quoniam hoc eſt repreſentare ea, quæ futura ſunt contingentèr in ſe ipſis determinatè. Et ideò cum dicitur, aut repreſentat vtrumque oppoſitorum, &c. Reſp. cum triplici diſtinctione, ſcilicèt de repreſentari tanquam rem repreſentatam, & conditionem ſine qua non, & de oppoſitis ſecundum differentias temporis abſolutè, & de oppoſitis poſitiuè, & contradictoriè. Et dicitur quod ſpecies in mente Angelica repreſentat tanquam rem repreſentatam alterum oppoſitorum poſitiuorum abſolutè, & non cùm aliqua differentia temporis: repreſentat enim coniunctionem Socratis cum ſeſſione, & non coniunctionem eius cum ſeſſione, & non ſeſſione contradictoriè; nec repreſentat coniunctionem Socratis cum ſeſſione duratura hodie, vel cras, ſed abſolutè coniunctionem eius cùm ſeſſione, & coniunctionem eius cum curſu. Et ſi dicas, quomodò ergò Angelus cognoſcet reliquum contradictorium? Et ſimilitèr, quomodò certitudinem habebit per talem ſpeciem de hodierna ſeſſione Socratis, & craſtino eius curſu? Iàm ex dictis patet, quod cum ponitur in effectu ſeſſio Socratis ſtatim fit aſſimilatio intèr Socratem ſedentem, & illam ſpeciem, & præſens differentia temporis repreſentatur per illam tanquàm conditio ſine qua non, & ſic cognoſcitur Socrates nunc ſedens; Cognoſcitur verò poſt horam per eamdem ſpeciem Socrates non ſedens, deſinente aſſimilatione intèr ipſum, & ſedentem, & illam ſpeciem. Et cras cognoſcetur currens facta aſſimilatione intèr illam, & Socratem vt currentem. Et ſic falſum eſt, quod ſi repreſentet alterum oppoſitorum determinatè, quod nunquam per ipſum cognoſcetur reliquum. Ità Caietanus loc. cit. §. ad ſecundam rationem &c.

3. Arg. Caiet. contrà eamdem 1. partem Concluſ.

Arguit tertiò Caietanus contrà eamdem primam partem Concluſionis ex Scoto in 2. ſent. diſt. 3. quæſt. vltima tripliciter, Primò ſic. Non valet iſta conſequentia.

Digitized by Google

tia. Res fluunt à Deo quo ad materiam, & formam: ergò fluunt in mente Angeli quo ad cognitionem ſingularitatis, præcipuè apud te, qui tenes contrà Commentatorem, quod materia ſit pars quidditatis, ſed ſufficit, quod fluant in mente Angeli vt partes quidditatis in eſſe cognito.

Secunda obiectio ex Scoto, & tertia.

Inſupèr ſecundò. Species influxa non eſt ratio cognoſcendi niſi quidditatem, vt alias probatum eſt.

Inſupèr tertiò. Quia cum dicis eſſentia Diuina eſt ratio cognoſcendi tàm ſingulare, quàm quidditatem: ergò & ſpecies in mente Angeli; dico quod ibi eſt ſophiſma procedendo à magis perfecto ad minus perfectum affirmatiuè.

Reſponſio Caiet. ad 2. Argum. ex Scoto,

Reſp. Caietanus ad primam obiectionem, quod per ſe primò, & directè intentum S. Thomæ eſt quod, quia à Deo effluit in Angelum ſimilitudo Socratis non ſolùm quo ad conditiones communes, ſed quo ad conditiones ſingulares, ideò Angelus intelligit ſe ipſum: ſed quia opinatur materiam eſſe principium ſingularitatis in rebus materialibus, & formam opinatur principium communitatis; ideò in quæſt. de ver. quæſt. 8. art. 2. inuenitur, quod ratio quam hic expreſſit per vniuerſale, & indiuiduale, expreſſit per formam, & materiam. Vndè dupliciter reſponderi poteſt. Primò quantùm ad præſens ſpectat propoſitum, per accidens ſe habet materia, & forma: quoniam vis rationis conſiſtit in hoc, quod in Angelo indita eſt ſimilitudo omnium tàm vniuerſalium, quàm indiuidualium conditionum, quæcumque ſint, & per quæcumque principia materialia habeantur. Secundò Reſp. quod de materia poſſumus loqui dupliciter. Vno modo ſecundum ſe ipſam, ideſt pro vt eſt in rerum natura; alio modo ſecundum quod ex ordine ad formam per intellectum abſtrahitur, & quod materia ſecundo modo cadit in quidditate rei materialis: Primo verò modo indiuiduè; & quod in propoſito eſt ſermo de materia non vno tantùm modo, ſed omnibus modis; ità quod intendit, quod in Angelo ſit ſimilitudo materiæ repreſentans eam ſecundum eſſe materiale, quod habet exiſtendo in rerum natura in rebùs, & non ſolùm ſimilitudo eius ſecundum quod eſt pars diffinitionis rerum naturalium. Quod breuius dici poſſet, quod in eo eſt ſimilitudo non materiæ, ſed materiæ ſignatæ, quam conſtat in diffinitione non poni.

Reſponſio Caiet ad 2. obiectionem Scoti, & tertiam.

Ad ſecundam obiectionem negatur, quod ſpecies influxa ſit ratio cognoſcendi tantùm quidditatem, nec aliquam vnquam adduxit Arguens rationem efficacem ad oppoſitum.

Ad tertiam obiectionem Reſp. quod nulla eſt fallacia arguendo à communi exemplari ad conſimilitudinem exemplatorum, imò eſt locus neceſſarius, & non tantùm rationabilis, quoniam quodquid quod conuenit vni ſimilium vt ſic, conuenit & alteri. Talis autèm eſt proceſſus iſte fundatus ſuper hoc quod à Deo fluxerunt res in duplici eſſe naturali, & intentionali in mentibus Angelorum: ex hoc enim manifeſtè ſequitur non ex ratione perfecti, aut imperfecti, ſed ex ratione ſimilium, quod ſimilitudo rei in eſſe naturali apud Deum exiſtens, effecerit eſſe intentionale ſimile ſibi in mente Angelica, ac per hoc illa ſpecies intentionalis repreſentet illam et, quæ repreſentat Diuina ſimilitudo à qua eſt exemplata, nil obſtante differentia ſecundum perfectum, & imperfectum. Ità Caietanus loc. cit.

4. & vltimum Argum. Caiet ex Scoto contrà idem vt ſuprà,

Arguit vltimò Caietanus contrà idem ex Scoto ſic dupliciter. Primò quia ſingulare puta Socrates cognoſcitur vt hoc, & non per ſpeciem quidditatis: ergò per propriam ſpeciem: ergò aut in Angelo ſunt inditæ omnium ſingularium propriæ ſpecies, quod non eſt rationabile, aut acquirit ſpecies ſingularium quando cognoſcit illa, quod eſt intentum. Antecedens pro prima parte ſupponitur; quo ad

ſecundam verò patet ex eo, quod ſingulare continetur determinatè ſub quidditate, vt hoc ſingulare eſt. Secundò probatur ſic. Singulare cognoſcitur ab Angelo, quo ad ſuam exiſtentiam actualem: ergò per ſpeciem acquiſitam; tenet conſequentia, quia nec ex notitia vniuerſalium, nec ex rationibus terminorum certificatur intellectus de complexo contingenti: quoniam illæ rationes aut repreſentant determinatè me ſedere, ſeù me eſſe cras; aut indeterminatè. Si determinatè, eſt impoſſibile ipſum per ipſos terminos habere notitiam, quod hoc ſit contingens. Si indeterminatè, ergò nunquam per hos terminos habebit, quod determinatè ſedeam: opportet igitur quod accipiat aliundè notitiam huius. Inſuper ſingulare cognoſcitur ab Angelo intuitivè; ergò accipit cognitionem ab ipſo. Tenet conſequentia, quia ad cognitionem intuitiuam neceſſariò concurrit ipſa res vt præſens. Et confirmatur, quia impoſſibile eſt cognitionem intuitiuam eſſe per ſpeciem eodem modo repreſentantem re manente, & non manente, vt de ſe patet.

Secunda obiectio Caiet. ex Scoto.

Tertia obiectio.

Confirmatio.

Reſponſio Caiet. ad Argum. vltimum Scoti.

Reſp. Caietanus ad primam obiectionem, quod cognoſci per propriam ſpeciem dupliciter contingit, ſcilicèt adæquatè, vel excellentèr. Et quod ſingulare ab Angelo non cognoſcitur per propriam ſpeciem adæquatè; quia ſic ſequeretur infinitas ſpecierum, ſed per ſpeciem excedentem, ideſt repreſentantem non ſolùm hoc, ſed multa alia. Rurſus cognoſci per ſpeciem quidditatis contingit duplicitèr, ſcilicèt adæquatè, & excedentèr. Et quod ſingulare non cognoſcitur per ſpeciem quidditatis adæquatè, quia ſic non cognoſceretur vt hoc niſi fortè arguitiuè, & valdè imperfectè, ſed per ſpeciem quidditatis exceſſiuè repreſentantem non ſolùm ipſam, ſed etiàm ſingulares eius conditiones, quas habet in rerum natura; Et hæc eſt via S. Thomæ, non enim putat ipſe, quod Angelus cognoſcendo quidditatem, puta æquinitatem ex vi talis obiecti cognoſcat ſingularia illius, imò hanc viam in quæſt. de ver. cit. reprobat, ſed opinatur quod cognoſcendo quidditatem cognoſcat induidua illius, ideſt per eamdem ſpeciem, per quam cognoſcit quidditatem cognoſcit induidua illius, quoniam ſpecies illa eſt diſtinctè repreſentans vtrumque excellentèr, &c.

Reſponſio Caiet. ad 2. & 3. obiectionem ſimul.

Ad ſecundam, & tertiam obiectionem Reſp. Caietanus, quod ſpecies Angelica repreſentat quidditatem rei puta humanitatem, & omnes veritates eius ſecundum omnes conditiones eius naturales, vt S. Thom. loco allegato dicit, vndè & repreſentat humanitatem exiſtere hic, & ibi, in hoc, & in illo, talem, & tantam, & ſic de alijs conditionibus, vt ex dictis ſuprà in Notabilibus conſtat. Et ſecunda obiectio ſupponit, quod conditio contingens repreſentetur non in ſe ipſa, ſed in rationibus terminorum tantùm; Et tertia obiectio ſupponit, quod præſentia temporalis non concurrat neceſſariò ad rem cognitam, niſi quia eſt cauſa cognitionis; cùm tamèn liquidò conſtare poſſit, quod hoc album duplicitèr concurrit ad viſionem, ſcilicèt vt cauſa immutans viſum, & vt obiectum terminans. Ità quod ſi terminaret, & non immutaret, nihilominus præſentiam temporalem exigeret, & ſic ſe habet in propoſito, vt patet ex dictis.

Reſponſio Caiet. ad Confirmat.

Ad Confirmationem Reſp. Caietanus, quod illa propoſitio ſuprà quàm ſæpiſſimè ſe fundat Scotus, ſcilicèt quod ſpecies repreſentans, abſente, & præſente re, non ſufficit ad cognitionem intuitiuam, non eſt vniuerſaliter vera, quoniam hoc duplicitèr contingit, ſcilicèt per hoc quod abſtrahit à præſentia, & abſentia rei, quemadmodum ſe habent ſpecies intelligibiles apud nos, & de talibus eſt vera propoſitio; Alio modo non per abſtractionem, ſed per excellentiam, ideſt quia tantæ excellentiæ eſt vt repreſentet rem, & ſecundum conditiones abſolutè,

& ſe-

& ſecundum conditiones præſentiæ, vel tanquam rem repreſentatam vt ſpecies Diuina, vel vt conditionem ſine qua non vt ſpecies Angelica, & de talibus non eſt vera propoſitio. Species ergò non per abſtractionem, ſed per excellentiam ſui eodem modo repreſentans ex parte ſui, ſiuè res ſit, ſiuè non, ſufficit ad cognitionem intuitiuam, quia poſita re aliquid noui repreſentat non per ſui, ſed per rei repreſentatæ mutationem, ſeù nouitatem. Et hoc benè nota addit ità Caietanus in 1. p. quæſt. 57. art. 2. §. Ad obiectiones, &c.

Appendices ad Lectionem 10. Metaphyſicalem in Tractatu de Potentijs Spiritualibus Subſtantiarum.

Caietanus in Comment. art. 2. quæſt. 57. in 1. p. notat illam rationem Scoti, ſcilicèt ſpecies vna repreſentat infinita ſingularia diſtinctè: ergò eſt infinitæ perfectionis; & admonet Diſcipulos Thomiſtas, quod ſæpè Scotus vtitur illa ad diuerſa propoſita, & in diuerſis materijs; vndè adnotanda ſunt, ait, quæ diximus, quod ratio illa ex duplici capite deficit: Primò, quia non ſequitur infinitas niſi ſub diſiunctione, ſcilicèt vel ſimplicitèr, vel in tali genere, aut ſpecie. Et ſecundò quod non oportet, quod illud quod eſt infinitum in tali genere, aut ſpecie, ſit infinitum ens ſimplicitèr: Albedo ſi eſſet infinita intenſiuè, eſſet infinitæ perfectionis infrà ſpeciem Albedinis, & non ſimplicitèr, nec perfectior quàm ſubſtantia; Et nos in propoſito ponimus ſpeciem altioris ordinis, & ſimilitèr actum intelligendi ſpeciei proportionatum &c.

Et in quæſt. 89. art. 4. in Reſp. ad primùm, notat quod cùm Anima ſeparata cognoſcat quæ commiſit in præſenti vita, illa cognitio eſt noua, quia non cognoſcit illa, vt cognoſcebat coniuncta, quia vnum de determinantibus ſpecies influxas ad cognitionem ſuam ſingularium in ſtatu ſeparationis, eſt præcedens cognitio; & illa non ſufficit proptèr variatum modum eſſendi ipſarum ſpecierum abſtractarum, vndè potiùs ſit preparatio, & diſpoſitio ſufficiens ad hoc, quod Anima per ſpeciem influxam cognoſcat, quæ nouerat ſingularia alio modo, ideſt eſt noua cognitio quo ad modum cognoſcendi, & ſpecies cognitorum, & recordatio ratione præcedentis cognitionis, quæ remanſit in ſuo effectu vt diſpoſitio, & præparatio ad cognoſcendum illa vt diximus in ſecundo loco huius Lectionis. Legas Comment. Reſponſionis D. Thom. ad primùm art. 4. in 1. p. ſicuti & etiàm legas formalitates, & Appendices ſupèr eundem Articulum quartum Vener. Porrectæ, vbi affertur dictum Euangelicum Patris Abrahæ ad diuitem Epulonem petentem vnam Aquæ guttam. Fili recordare, quod bona recepiſti in vita tua, &c. & eſt ſermo de cognitione Animæ ſeparatæ naturali, non verò gratuita, vel reuelata, velglorioſa. Habeo quinque Fratres, &c. Lucæ 16. Legas ibi omnia attentè, &c.

Sicuti & etiàm de cognitione ſingularium perfecta, quàm habent intelligentiæ, ſeù ſubſtantiæ ſeparatæ in 1. p. quæſt. 57. art. 2. vbi D. Thomas tractat opinionem Auerrois fortè dicentis, intelligentias cognoſcere ſingularia cognoſcendo vniuerſales cauſas, & poſt impugnationem adiungit D. Thomas quod cognoſcere ſingulare in cauſis vniuerſalibus non eſt cognoſcere ſingulare, vt ſingulare eſt, & declarat hoc exemplo cognitionis, quam habet Aſtrologus de hac Ecclipſi, quàm ſemper ignorat vt hanc, niſi ſenſu percipiat eam, Nec valet quod

Aſtrologus ſciens rectè computare motus Aſtrorum ſciet non ſolùm Ecclipſim quandoque eſſe, ſed etiàm tali tunc, ideſt tali hora, tali minuto, & in tali loco, & breuitèr ſciet nunc, & hic eſſe: quia huiuſmodi ſingularia etiàm in quantùm ſingularia, ſunt determinata in cauſis ſuis quo ad omnes conditiones, nec poſſunt alitèr ſe habere. Non obſtat hoc, ait Caietanus, quia nunquàm Aſtrologus habebit certam cognitionem de aliquo ſingulari, quantumcumq; neceſſario niſi per ſenſum, quia Concluſio ſingularis non poteſt ſciri ex maiori, & minori in vniuerſalibus, ſed opportet alteram præmiſſarum eſſe ſingularem. Singularem autèm propoſitionem format cogitatiua. Et decipiuntur in hoc, quia non aduertunt, quod ſcire nunc Solem eſſe in tali ſigno, & Lunam, non ſpectat ad ſcientiam, ſed ad ſenſum, & ſinè hoc non poteſt computari: ergò in tali Anno erit Ecclypſis: Ad ſcientiam enim hoc vniuerſale tantùm ſpectat, ſcilicèt quotieſcumque Sol, & Luna ſunt in talibus ſignis, &c. & quod à tali ſigno ad aliud ſignum tantùm temporis computatur, & ſimilia, ex quibus nunquam ſcit Aſtrologus aliquod ſingulare niſi ſubſumatur, ſed nunc eſt ſic, quod per ſenſum opportet haberi. Teneas igitur cùm D. Thoma, & Caietano, & ſapientiſſimis Thomiſtis Capreolo, Ioanne à S. Thoma, Godoy, Goudin, Arnù in proprijs locis, cùm Antiquioribus, & Modernis, quod vtique Angeli cognoſcunt ſingularia, ſed in modo cognoſcendi cognoſcunt per ſpecies influxas à Deo, quo ad principia indiuiduantia, ex quacumque radice iſta proueniant perfectè, vt declarauit Caietanus in præſenti Lectione; & Anima ſeparata non omnia, ſed aliqua licèt non ità perfectè per ſpecies influxas participatas &c.

Digitized by Google

LECTIO XI. METAPHYSICALIS

In Tractatu Septimo

DE POTENTIIS SPIRITVALIBVS.

Ex Caietano p. p. quaeſt. 89. art. 5. & 6. & p. 2. quaeſt. 67. art. 2.

An Actus ex quibus generantur habitus ſcientifici in ſtatu Animae coniunctae remaneant eodem modo cum habitibus in ſtatu ſeparationis.

Declaratio Tituli eiuſque ſenſus facta, & data à Caietano.

SI comparatur præſens Titulus cùm præcedenti, ait Caietanus in quæſt. 89. art. 5. in Reſp. ad 2. nullam inuoluit contradictionem, eſto ex dictis ſuprà conſtet quod Anima ſeparata intelligit per ſpecies influxas, & quod duæ formæ vnius ſpeciei non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto, ſcilicèt ſcientia per influentiam Diuini luminis,& ſcientia hic acquiſita, quia inuolueret ſi vtraque ſcientia eſſet vnius rationis, & vnius ſpeciei. Nulla igitur erit contradictio, quærere an illa ſcientia, quæ fuit hic acquiſita per conuerſionem ad phantaſmata, & pro vt eſt formaliter in intellectu, deſtruatur, corrumpatur, vel potiùs remaneat, & fit immarceſcibilis, iuxtà illud Sap. cap. 6. Clara eſt, & quæ nunquàm marceſcit ſapientia, & vt acquiſita remaneat in Anima ſeparata, & cùm generetur in hac vita ex actibus ſcientificis per conuerſionem ad phantaſmata, quæritur etiàm de ipſis actibus, an remaneant in Anima ſeparata nedùm ſecundum ſubſtantiam actus, ſed etiàm ſecundum modum, vel potiùs deſtruantur iuxtà illud Apoſtoli ad Cor. p. cap. 13. ſcientia deſtruetur. Ità Caiet. loc. cit. art. 5. & 6. quæſt. 89.

Primum Notabile Caiet. in quo explicatur, quod habitus, ſiù forma poteſt corrumpi dupliciter per ſe, & per accidens ad corruptionem ſubiecti.

Quo ad primùm. Notat Caietanus in corp. art. 5. quæſt. 89. cit. quod ſicuti habitus ſcientiæ, & ſpecies intelligibiles habent duplex ſubiectum; ità forma dupliciter poteſt corrumpi ad corruptionem ſubiecti, vt dicitur in libro de longitudine, & breuitate vitæ cap. 1. & 2. Primò poteſt dici, quod ſubiectum habitus ſcientiæ, & ſpecierum intelligibilium, ſit in viribus ſenſitiuis, id eſt in imaginatiua, cogitatiua, & memoratiua, & hoc habetur ex ipſis actibus, ex quibus habitus ſcientiæ acquiritur: habitus enim ſunt ſimiles actibus, ex quibus acquiruntur vt dicitur in 2. Eth. cap. 1. & 2. Actus autèm intellectus ex quibus in præſenti vita ſcientia acquiritur, ſunt per conuerſionem intellectus ad phantaſmata, quæ ſunt in prædictis viribus ſenſitiuis; vndè per tales actus, & ipſi intellectui poſſibili acquiritur facultas quædam ad conſiderandum per ſpecies ſuſceptas, & in prædictis inferioribus viribus acquiritur quædam habilitas, vt faciliùs per conuer-

uerſionem ad ipſas, poſſit intellectus intelligibilia ſpeculari, & ſic quantùm ad hoc de inferioribus viribus, non poteſt remanere habitus. Et ſic forma per ſe corrumpitur, quandò corrumpitur à contrario ſuo, vt calidum à frigido. Secundò poteſt conſiderari ſubiectum habitus ſcientiæ, pro vt eſt in intellectu, ſicut & ſpecies intelligibiles dicuntur conſeruari in intellectu poſſibili, qui eſt locus ſpecierum, vt dicitur in 3. de Anima tex. 6. & ſic forma poteſt, & dicitur corrumpi per accidens ad corruptionem, ſcilicèt ſubiecti. Secundum igitur hanc conſiderationem duplicem ipſius ſubiecti, & habitus, & ſpecierum intelligibilium, ſecundum quam poteſt euenire, & per ſe, & per accidens corruptio in habitu, opportet, quod habitus ſcientiæ hic acquiſitæ partim ſit in prædictis viribus ſenſitiuis, & partim in ipſo intellectu; ideò neceſſariò quæritur ex qua parte ſubiecti remaneat habitus ſcientiæ hic acquiſitus, & ex qua parte corrumpatur, & non remaneat in Anima ſeparata. Ità Caietanus loc. cit.

Secundum Notabile Caiet. in quo explicatur quod actus generantes habitū, & ab ipſo cauſati ſunt ſimiles quantùm ad ſpeciē, non quantùm ad modum agendi.

Notat ſecundò Caietanus ibidem art. 6. quomodò actus cauſantes habitum, & à cauſato habitu procedentes, ſint ſimiles, quantùm ad ſpeciem actus, non autèm quantùm ad modum agendi; v. g. actus logicæ acquiſitæ tunc erit actus Logicæ, & non Metaphyſicæ, quia per ſpecies hic Logicæ acquiſitæ exercebitur, non autèm per ſpecies Metaphyſicæ: modo tamèn illo per conuerſionem ad phantaſmata in Anima ſeparata non exercebitur. Et ex D. Thoma ſcito, quod actus cauſatiui habitum non neceſſariò debent delectabilitèr fieri, nec eſſe delectabilitèr facti, imò quandoque cum grandi violentia fiunt, cum tamèn actus ſoli delectabilitèr facti procedant ab habitu, & conſequentèr inferant habitum ineſſe operanti ſic, ideſt delectabilitèr. Et ex Reſponſione ad 1. art. 6. cit. nota quod quando Philoſophus ait in 1. de Anima tex. 66. quod corrupto corpore Anima neque reminiſcitur, neque amat, loquitur ibi de reminiſcentia, ſecundum quod memoria pertinet ad partem ſenſitiuam, non autèm ſecundum quod memoria eſt quodammodò in intellectu, vt dicitur à D. Thom. in quæſt. 79. 1. p. art. 6. Sermo igitur eſt in præſenti Lectione non de amore ſenſitiuo, ſed de Amore tantùm intellectiuo, & de reminiſcentia intellectiua, an remaneant habitus, & actus in Anima ſeparata. Ità Caietanus ex D. Thom. in art. 6. quæſt. 89. cit.

Triplex opinio recitatur ex D. Th. à Caietano.

Quò ad ſecundùm, Triplex opinio recitatur à Caietano in 1. p. quæſt. 89. art. 5. Et de prima ſic ait. Opinio prima ponit hanc poſitionem, ſcilicèt ſcientia non eſt in intellectu, ſed in viribus ſenſitiuis; & ſecundò aſſertur ratio huius poſitionis, quia ſcilicèt ſpecies intelligibiles non conſeruantur in intellectu poſſibili; & tertiò reſpondet quod ſcientia non remanet in intellectu. Si opinio hæc eſſet vera ſubiungit D. Thom. ſequeretur, quod deſtracto corpore, totalitèr habitus ſcientiæ hic acquiſitæ deſtrueretur. Vndè ſecunda opinio ponit primò aliam poſitionem, ſcilicèt quod partim ſcientia, ſcilicèt formalitèr eſt in intellectu, & partim, ſcilicèt materialitèr, & diſpoſitiuè eſt in viribus ſenſitiuis; ſecundò hæc opinio ponit eius rationem; & quo ad primam partem probatur, quia intellectus eſt locus ſpecierum; quo ad vtramque verò probatur, quia habitus ſunt ſimiles actibus intellectus ex quibus fiunt: at illi partim ſunt illic, & partim hic intellecta formalitèr, & in illis diſpoſitiuè, & materialitèr: ergò &c. Sententia tamen propria D. Thom. reſponſiua quæſiti refertur in ſequenti Concluſione à Caietano loc. cit.

Sententia propria D. Thom.

Concluſio vnica Caiet. ex D. Thom. cum probat. ſue

Quò ad tertiùm. Caietanus ponit hanc Concluſionem vnicam ex D.Thom. art. 5. cit. ſic. Habitus ſcientiæ ſecundum quod eſt in intellectu remanet in Anima ſeparata; actus verò ſcientiæ hic acquiſitæ manet, ſed non eodem modo.

Proba-

Digitized by Google

Probatur prima pars à Caietano ſub tali forma. Habitus ſcientiæ hic acquiſitæ non corrumpitur nec per ſe, nec per accidens: ergò remanet. Conſequentia probatur auctoritate Ariſt. vt dictum eſt; quia forma altero horum duorum modorum corrumpitur. Antecedens quo ad primam partem, probatur, quia ſubiectum eſt incorruptibile vt oſtenditur à D. Thom. in quæſt. 79. art. 2. quo ad ſecundam verò, quia eius ſcire caret contrario, quia primæ operationi intellectus nihil eſt contrarium.

primæ partis, ſcilicet quod habitus ſcientiæ ſecundum quod eſt in intellectu remanet, & in patria.

Et ſi quis, ait D. Thom. obijciet quod ſcire in 2. & 3. opere intellectus, habet contrarium à quo per ſe corrumpitur cum vero contrarietur falſum; & inſupèr ſi quis obijciet ex Ariſt. ponente duos modos corruptionis per ſe ipſius ſcientiæ, ſcilicèt per obliuionem ex parte memoratiuæ, & per deceptionem ex parte argumentationis falſæ, dùm ſcilicèt aliquis per falſam Argumentationem abducitur à ſcientia veritatis. Reſp. S. Doctor in eodem corp. art. 5. cit. quod hæc locum non habent in Anima ſeparata. Et vis probationis conſiſtit in ly carere contrario, quia primæ operationi nihil eſt contrarium; & ſecundò non habent locum in Anima ſeparata, quia Anima ſeparata intelligit per modum ſubſtantiarum immaterialium non componendo, aut diſcurrendo, ſed intuendo; vndè, addit Caietanus, ſi ſcientia noſtra dicitur per ſe corrumpi per deceptionem, hoc eſt quantùm ad id quod eſt in intellectu, & per obliuionem, hoc dicitur ſecundum quod eſt in partibus ſenſitiuis: iàm enim dictum eſt, quod eſt partim hic, & partim ibi; ità quod corruptio per obliuionem reſpicit per ſe ſcientiam pro vt eſt in parte ſenſitiua, & non vt in intellectu. Ità Caietanus loc. cit.

Soluitur obiectio contrà rationem à Caietano ex D. Thom.

Probatur à Caietano ſecunda pars ibidem ex D. Thom. ſub tali forma. Species intelligibiles remanent in Anima, ſtatus verò Animæ mutatur: ergò actus ſcientiæ remanet, & modus eius mutatur. Antecedens quo ad vtramque partem patet. Conſequentia verò probatur, quoad primam partem, quia ſpecies actus penſatur ex obiecto, cuius ſimilitudo, & vicaria eſt ſpecies intelligibilis; quo ad ſecundam verò partem probatur, quia modus actus ex virtute, ſeù diſpoſitione agentis penſatur. Declaratur probatio inductiuè: quod enim quis videat lapidem contingit ex ſpecie lapidis, quæ eſt in oculo: ſed quod acutè videat, contingit ex virtute viſiua oculi: Conſequens quoque declaratur, quo ad ſecundam partem, qui ſcilicèt ſint iſti modi, ſcilicèt per conuerſionem ad phantaſmata, & per modum ſubſtantiæ ſeparatæ: ab illo enim fit mutatio in hunc: Species enim intelligibiles, vt dictum eſt, manent in Anima ſeparata; ſtatus autèm Animæ ſeparatæ non eſt idem ſicut modo eſt, hinc ſequitur, quod ſecundum ſpecies intelligibiles hic acquiſitas Anima ſeparata intelligere poſſit, quæ priùs intellexit; non tamen eodem modo, ſcilicèt per conuerſionem ad phantaſmata, ſed per modum conuenientem Animæ ſeparatæ. Ità Caiet. loc. cit.

Probatio Caiet ex D. Thom. pro 2. parte Concl ſcilicèt quod actus ſcientificus hic acquiſiti remanet vtique, ſed non etiam modo;

Q ò ad quartùm. Arguit Caietanus contrà primam partem Concluſionis ex Scoto 4. ſent. diſt. 45 q. 2. Non poteſt fingi differentia ſpecifica intèr ſpeciem lapidis conſeruatam hic, & influxum ibi: ergo ſemper ſtat ſolida ratio D. Thom. quod non poſſunt conſeruari, quia duo accidentia eiuſdem ſpeciei non poſſunt eſſe in eodem. Probatur antec. quia non differunt niſi in modo fiendi, ſicut oculus à natura factus, & a Deo reſtitutus. Ità Scotus.

Arg. Caiet. 1. contra 1. partem Concluſ.

Reſp. Caietanus. Mirum eſt de iſta quæſtione Scoti: iàm millies dicitur à D. Thom. in litt. art. 5. & 6. cit. quod ſpecies influxæ ſunt vniuerſaliores, quàm acquiſitæ hic, & propterea manifeſtè diſtinguuntur ſpecifice. Putat Scotus, quod quemadmodum ſpecies acquiſita lapidis habet pro obiecto adæquato lapidem, ità

Reſp. Caiet. ad Arg. Scoti.

ſpecies

Digitized by Google

ſpecies influxa repreſentans lapidem. Nos autem dicimus, quod ſpeciei influxæ obiectum adæquatum eſt quid communiùs extendens ſe ad lapidem; & multa alia, & propterea ſunt diuerſorum ordinum. Qualitèr autem ex huiuſmodi ſpeciebus poſſit proportionatus ei intellectus ſingulorum repreſentatorum propriam, & perfectam cognitionem accipere, ſuperiùs dictum eſt, & ampliùs à D. Thom. explicatur in Tract. de Angelis. Ità Caietanus loc. cit.

Arg. 2. Caiet. contra Concluſ.

Arguit ſecundò Caietanus in p. 2. quæſt. 67. art. 2. vbi quæritur An virtutes intellectuales maneant poſt hanc vitam. Et primò ſic arguit. Ratio quare ſcientia nullo modo remaneret eſt, ſi ſpecies intelligibiles non conſeruarentur in intellectu poſſibili: at hoc non dicitur ſufficientèr: probatur hoc, quia Auicenna cuius eſt iſta poſitio dicit, quod remaneret habilitas intellectus ad recipiendum ab intelligentia agente, quæ priùs recepit, & per iſtam habilitatem dicitur quis ſciens.

Secunda obiectio pro eodem Arg.

Inſuper Auctor tractando de duratione virtutum intellectualium, tacere non debuerat earum eſſentias: & de principijs earum, quæ ſunt ſpecies intelligibiles, & phantaſmata tractat. Probatur hoc, quia iàm oſtenſum eſt quod virtutes intellectuales ſunt effectus ſpecierum intelligibilium, & non ſpecies ipſæ, &c.

Reſponſio Caiet. ad 2. Argum.

Reſp. Caietanus ad Argum. 2. quod Auctor vt apparet in 2. cont. gent. cap. 74. putat Auicennam male proſecutum poſitionem ſuam, & quod habilitas illa non eſt niſi adſint ſpecies; & propterea in p. 2. art. 2. cit. non ex intentione illius opinionis, ſed ex intentione Auctoris determinatur, quod ſcientia, & virtutes intellectuales nullo modo nec formalitèr, ideſt nec materialitèr remanerent actu

Reſponſio prima ad aliam obiectionem.

Reſp. Caietanus ad aliam obiectionem duplicitèr. Et primò, quia Doctrina tantò certior eſt, quantò vniuerſalior, & remotior ab opinionibus; ideò Auctor prætermiſſis opinionibus de eſſe habitus ad radicem acceſſit, ſcilicèt ad ſpecies intelligibiles, quæ ſunt prima entia in intellectu, vt ex illis remanentibus, virtutes intellectuales concluderet remanere formalitèr: ſunt enim principia formalia omnis intellectionis, cùm omnis intellectio fit ab intellectu in actu per ſpeciem intelligibilem.

Reſponſio ſecunda ad eamdem obiectionem.

Reſp. ſecundò, quod Auctor ibi minus dicit, & plus intendit; nàm per ſpecies intelligibiles intelligit ipſas, & quodquid ſe tenet ex parte ipſarum, ſiuè ſit ordinatio earum, ſiuè ſit habilitas ad vtendum eis, ſiuè quodcumque aliud: totum enim hoc in virtutibus intellectualibus ſe tenet ex parte formalis; & phantaſmata cum pertinentibus ad ea ſe tenent ex parte materialis.

Rationabile autem eſt exponere ſic hunc locum: quoniam quæſtio eſt de virtutibus in Anima, vt ſeparatur à corpore; ac per hoc quidquid ſe tenet ex parte Animæ computatur pro vno actu, & formali: quidquid autem ex parte corporis, computatur pro vno alio, & materiali; nominauit autem totum illud formale à ſpeciebus intelligibilibus, vtpotè certioribus, prioribus, & formalioribus ſecundum ſuum genus; Ità Caiet. in p. 2. quæſt. 67. art. 2. in Comment.

Appendices ad Lectionem 11. Metaphyſicalem in Tractatu ſeptimo de potentijs ſpiritualibus.

Caietanus in p. 2. quæſt. 67. art. 1. & 2. ſcito Nouitie, dicit, quod diſtinctio litteræ ibi de materiali, & formali, non eſt de ipſa eſſentia virtutis, tota enim remanet, ſed de actu eius, quia non remanet refrenans, aut impellens, vel firmans paſſiones, quæ ſunt materia eius, ſed perficiens appetitum ad ſequendam rationem rectam, propterea dicitur, quod erunt quidem in ſtatu ſepa-

ſeparationis ibi virtutes morales quatuor Cardinales, ſed alio modo. Et Ven. Porrecta, qui ibi omnino legendus eſt, dicit quod Virtutes Cardinales manebunt quantùm ad ſuum formale perfectiſſimè in Beatis, quia ibi erit ratio rectiſſima, & ipſe ordo rationis eſt formale in virtutibus, non autèm quantùm ad ſuum materiale vt, ait Caiet. cùm D. Thoma. Et de opinione Tullij recitata à D. Th. ex D. Auguſt. in 14. de Trin. c. 9. qui poſuit poſt hanc vitam non eſſe illas quatuor Virtutes Cardinales, ſed in alia vita homines eſſe Beatos ſola cognitione naturæ, in qua nihil eſt melius, & amabilius, ea, ſcilicet, natura quæ creauit omnes naturas, exclamat Ven. Porrecta, vide valde mirum, ad quantam cognitionis ſublimitatem peruenit iſte Ethnicus, vt dixerit in alia vita homines eſſe Beatos ſola cognitione naturæ quæ creauit omnes naturas &c.

Legas etiam attentè D. Th. in art. 2. q. 67. cit. qui confirmat hæc omnia prædicta; Et ad primum a. 2. q. 67. cit. ſicut ad 1. art. 5. q. 89. ad ly ſcientia deſtruetur, reſpondet, ſcilicet, quantùm ad id quod eſt materiale in ſcientia, & quantùm ad modum intelligendi, quia, ſcilicet neque phantaſmata manebunt corpore deſtructo, nec erit vſus ſcientiæ per conuerſionem ad phantaſmata. Et ſic concludit in a. 2. q. 67. quod virtutes intellectuales manebunt quantùm ad ſuum formale, ſcilicet quantùm ad ſpecies intelligibiles exiſtentes in intellectu poſſibili, cùm illæ ſpecies ſint immobiliter in intellectu per modum recipientis, & tales ſpecies ſe habent in Intellectu ſicut quid formale. *Legas* in p. 2. loc. cit. doctiſſimos primæ Claſſis Thomiſtas &c.

LECTIO XII. METAPHYSICALIS

In Tractatu

DE POTENTIIS SPIRITVALIBVS.

An ſit poſſibile dari in Mente creata repreſentatiuum Dei diſtinctè.

Ex Caiet. p. p. q. 56. art. 3. §. Ad euidentiam huius dubij &c.

CAietanus occaſione quæſtionis, quam facit D. Th. in p. p. q. 56. a. 3. Vtrum Angeli per ſua naturalia Deum poſſint cognoſcere; & ſupponendo, quod Angelus cognoſcat Deum per ſimilitudinem immediatè ab eo habitam, cùm in Angelo ſit impreſſa ſubſtantialiter ſimilitudo Diuina, quia eius ſubſtantia à ſolo Deo eſt, mouet hoc dubium pro vt in titulo. Et ly repreſentatiuum explicat ſic. Ex D. Thoma habemus, quod aliquid tripliciter

Declaratio terminorum qui ſunt in Titulo, ſenſuſque quæſiti facta à Caietano.

cognoſcitur. Vno modo per præſentiam ſuæ eſſentiæ in cognoſcente, ſicut ſi lux videatur in oculo, & hoc modo iàm dictum eſt, quod Angelus cognoſcit ſe ipſum, & huic primæ cognitioni aſſimilatur Diuina cognitio, qua per eſſentiam ſuam videtur, & nulli nec Angelo poteſt adeſſe per ſua naturalia iſta cognitio omnium rerum: Alio modo cognoſcitur aliquid per præſentiam ſuæ ſimilitudinis in potentia cognoſcitiua, ſicut lapis videtur ab oculo per hoc quod ſimilitudo eius reſultat in oculo; Tertio modo per hocquod ſimilitudo rei cognitæ, non accipitur immediatè ab ipſa re cognita, ſed à re aliqua in qua reſultat, ſicut videmus hominem in ſpeculo; hæc tertia cognitio, qua nos cognoſcimus Deum in via per ſimilitudinem eius in Creaturis reſultantem ſecundum illud Rom. 1. Inuiſibilia Dei &c. nec conuenientèr aſſignatur ipſi. Difficultas igitur eſt pro ſecundo loco ponendo modum quo Deus realiter cognoſcitur ab Angelo, & aſſimilatur cognitioni illi, qua videtur res per ſpeciem ab eo acceptam. Et ſic ſenſus quæſiti eſt in Titulo an ſit ponenda aliqua ſpecies Intelligibilis ipſius Dei in Angelo, quæ repreſentet Deum diſtinctè in eſſe ſiuè intentionali, ſiuè naturali, quod eſſe naturale etiàm ponitur, quia poteſt eſſe quod ipſa eſſentia ſubſtantiæ intellectualis locum ſpeciei intelligibilis habens, ſuppleat ſufficientèr ad hoc vt poſſit repreſentare Deum tali intellectu. Et in Titulo ponitur ly diſtinctè ad ſignificandum quod res non dicitur repreſentari diſtinctè, niſi repreſentetur illa conditio, qua formaliter conſtituitur in ſuo eſſe proprio, & eſſentiali, vt patet inductiuè: non enim homo diſtinctè repreſentatur, niſi rationali repreſentato, ſuppoſito, quod rationale ſit propria, & eſſentialis differentia hominis, & ſimiliter Albedo diſtinctè non repreſentatur, niſi vltima ſua differentia repreſentetur; & ſic Deus diſtinctè non repreſentabitur niſi repreſentetur id, quod ſe habet reſpectu ipſius, quaſi eſſentialis, & propria differentia conſtitutiua eius in hoc quod eſt eſſe Deum. Ità Caietanus in Comment. a. 3. q. 56. cit.

Notab. Caiet. in quo explicat quomodò Angelus ſe ipſum cognoſcat.

Quo ad 1. notat Caietanus in art. 1. q. 56. cit. modum, quo Angelus cognoſcit ſe ipſum, & dicit, quod Angelus intelligit ſe ipſum per ſuam ſubſtantiam; & quatuor, ait, ſunt conditiones obiecti intelligibilis, ſcilicet coniunctio, cauſalitas, motio, & inhæſio. Ad intelligibile in actu ab aliquo intellectu nil aliud requiritur niſi, quod ſit coniunctum, & ſit coniunctum intelligenti, vt ſit principium formale intellectionis in eo, ſiuè hoc moueat ſe ipſum, ſiuè non, ſiuè inhæreat ſibi, ſiuè non, ſed ſubſiſtat. Et ad euitandos errores opportet benè diſcernere intèr intelligibile extrinſecum, & intrinſecum; & qui non vult falli non debet conſiderare in Angelo intellectum eius, & ſubſtantiam eius, quaſi duas res ſeorſim, ſed qui non vult decipi non diſtinguat intèr intellectum, & intelligentem vt ſic, ſed vtatur eis vt vno, & quieſcat. Inſuper aduertè, quod de Diuinis balbutiendo, ſi loqui licet, irrepreſentabilitas alicuius relucet ex eo, quod infinitum entitatiuè vt ſic non eſt diſtinctè repreſentabile; Vndè quamuis Sapientia Diuina, poſſit repreſentari per aliquod creatum diſtinctè, non tamen diſtinctè repreſentetur in quantùm infinita, niſi quo ad quæſtionem An eſt; & non eſt imaginandum quod infinitas ſe habeat ad Deitatem, quemadmodum ſe habet ad rationes attributales: non enim quemadmodum Sapientia, & Bonitas ſunt quædam rationes formales, ſeù realitates ſecundum ſe, & infinitatem, vel finitatem ſortiantur, vt modum quantitatis perfectionalis ità Deitas ſortiatur infinitatem. Infinitas igitur eſt ipſum quod quid erat eſſe Deitatis, alioquin Deus non eſſet primò eſſentialitèr, & intrinſecè ens infinitum. Ità Caietanus q. 56. a. 3. cit. §. Quo ad ſecundum.

Opinio Caiet. contraria ipſi Scoto

Quo ad 2. Caietanus fundatus in doctrina D. Th. art. q. 56. cit. ponit ſuam propriam opinionem dicendo ſic ibi §. Quo ad ſecundum ex parte repreſentatiui &c.

nec

Digitized by Google

nec ex parte obiecti, nec ex parte repreſentatiui poteſt dari repreſentatiuum Dei diſtinctè, ſcilicet, & ex parte cognitionis naturalis Angelicæ, & ex parte obiecti, contrà dictum, qui in 2. ſent. diſt. 3. q. 9. arguens contrà D. Th. probat eſſe rationabile, & poſſibile ponere in mente Angelica ſpeciem intelligibilem repreſentantem vtique diſtinctè, ſed non adæquatè, & comprehenſiuè Deum, quemadmodum ponitur ſpecies intelligibilis alterius Angeli. Ità Caiet. in Comment. a. 3. cit.

recitata ab eodem Caietano.

Quo ad 3. Caietanus in art. 3. q. 56. in Comment. ponit hanc Concluſionem ſic. Impoſſibile eſt dari repreſentatiuum Dei diſtinctè, etiàm ex parte obiecti.

Vnica Concl. ponitur à Caiet. Reſponſiua quæſiti cũ probatione 1. p ſcilicet quod impoſſibile eſt dari iſtud repreſentatiuũ diſtinctè.

Probatur à Caiet. prima pars ſic. Tantam contingit eſſe cognitionem, quantùm contingit eſſe repreſentatiuum: ergo à deſtructione conſequentis arguendo, ſi non contingit tantam eſſe cognitionem, nec poſſibile erit eſſe tantum repreſentatiuum: ſed impoſſibile eſt naturalitèr tantam cognitionem Dei in Creatura, ſcilicet quod ſit talis cognitio diſtincta: ergo impoſſibile eſt dari repreſentatiuum Dei diſtinctè. Quod autèm talis cognitio ſit impoſſibilis probatur ex eo, quod cognoſcere diſtinctè eſt cognoſcere vltimam differentiam, vel id quod ſe habet vt vltima differentia incluſiuè, ideſt eſt cognoſcere non ſolùm ſecundum quod terminat quæſtionem an eſt, ſeù quia eſt, ſed quæſtionem quid eſt, quod eſt cognoſcere ſufficientèr ex natura rei à priori omnia conuenientia illi rei, quia ſermo definitiuus ſoluit omnes difficultates, & principium omnis demonſtrationis, eſt quod quid eſt: ſed hoc nulli creaturę naturaliter cõuenire poteſt reſpectu Dei de tali obiecto quod eſt Deus: ergo &c.

Probatur 2. pars à Caietano ex ſuo notabili ſuprà ſic. Conſtitutiuum proprium Dei, puta Deitas vt ſic eſt ens infinitum: ſed infinitas eſt ipſum quod quid erat eſſe Deitatis, & ipſum quod quid eſt eſſe Dei eſt irrepreſentabile, vt probatum eſt: ergo nec ex parte obiecti erit naturaliter repreſentatiuum Dei diſtinctè. Omnia patent ex dictis. Ità Caietanus in q. 56. a. 3. cit. §. Quo ad 2. &c.

Probatio 2. partis, quod etiam ex parte obiecti ſit impoſſibile.

Quo ad 4. Arguit Caietanus contrà Concluſionem ex Scoto ſic. Si vera eſſet ratio Concluſionis, Angelus non haberet niſi cognitionem confuſam de ipſo Deo, & cognoſcendo alios Angelos per ſolam ſubſtantiam ſuam non cognoſceret eos diſtinctè: hoc non eſt dicendum: ergo &c. Probatur ſequela, quia ſubſtantia Angeli non repreſentat id quo Deus conſtituitur in eſſe proprio, & diſtinguitur ab alijs, ſicuti nec repreſentat id, quo alius Angelus diſtinguitur ab eo: ergo &c.

Arguit 1. Caiet. contra Concl.

Secundò obijcit Scotus in 2. ſent. diſt. 3. q. 9 Si vera eſt Concluſio, opportet dare in Angelo cognitionem diſcurſiuam ergo &c. Probatur. Cognitio per ſimilitudinem repreſentantem vt cognitam eſt cognitio diſcurſiua: ſed cognitio Angeli de Deo per ſubſtantiam Angeli eſt per ſimilitudinem repreſentantem vt cognitam: ergo eſt diſcurſiua: hoc autèm eſt inconueniens apud te, qui negas diſcurſum eſſe in Angelis, & eſſet inconueniens ſimpliciter ponere, quod prima, & perfectiſſima cognitio naturalis, quàm habet Angelus de Deo ſit diſcurſiua, dato, quod Angelus poſſet diſcurrere. Maior propoſitio patet ex differentia inter ſpeciem repreſentantem, vt rationem cognoſcendi, qualis eſt ſpecies in oculo, & repreſentantem vt cognitam qualis eſt ſpecies in ſpeculo. Minor vero relinquitur per ſe nota, quoniam Angelus non niſi cognoſcendo ſe cognoſcit Deum, cùm cognoſcit ipſum per ſuam ſubſtantiam.

2. Obiectio ex Scoto.

Reſp. Caietanus ad primam obiectionem Scoti, quod vocando omnem cognitionem rei citrà cognitionem quidditatiuam conceditur quod omnis cognitio poſſibilis haberi, de Deo à Creatura, naturaliter eſt confuſa, quia non quidditatiua.

Reſp. Caiet. ad 1. & 2. obiectionem Scoti.

Reſp. ad ſecundam quod Maior eſt falſa ſimpliciter, vt patet de cognitione Socratis per ſpeciem eius in ſpeculo: Talis enim fit per ſimilitudinem repreſentantem

vt cognitam, & tamèn non eſt diſcurſiua. Nec obſtat ſi dicatur, quod Socrates tùnc non apprehenditur ab eadem potentia, ſcilicet viſiua, ſed per accidens ab altiori potentia: quemadmodum videntes Socratem, dicuntur videre viuum: hoc enim magis facit ad propoſitum quoniam ex hoc non impugnatur Reſp. data, quia ſiuè per ſe, ſiuè per accidens; ſiuè per eandem potentiam, ſiuè per diuerſam, ſatis eſt, quod cognoſcens per ſimilitudinem vt cognitam, non opportet, quod diſcurrat: hoc enim firmato faciliimè patet, quomodo Angelus abſque diſcurſu per eſſentiam ſuam poteſt cognoſcere Deum ex illo principio, quæ ſunt diſperſa, & diuerſa in inferioribus, vnitè præhabentur in vno ſuperioris ordinis. Et propterea quemadmodum Angelus per vnam virtutem cognoſcitiuam percipit nobiliori modo quidquid nos per tot virtutes cognoſcitiuas apprehendimus, & inueſtigamus; ità per vnam virtutem, & vnam ſpeciem eminentiùs poteſt habere, quod nobis conuenit per diuerſas potentias, ac ſpecies ſe conſequentes; ac per hoc poterit per ſpeciem repreſentantem vt cognitam eminentius repreſentari eiuſdem cognitionem elicere abſque diſcurſu per eandem virtutem, & abſq; alia ſpecie, ſicut nos abſq; diſcurſu per conſequentem tamen ſpeciem, & potentiam facimus.

Reſp. Caiet. ad 2. obiectionē Scoti.

Reſp. ſecundò Caietanus, quod ſimilitudo repreſentans vt cognita eſt duplex, quædam vt cognita tantùm, quædam vt cognita, & vt ratio cognoſcendi ſimul; vt patet de eſſentia Diuina reſpectu omnium ſimpliciter. Et tunc dico quidquid ſit de repreſentante primo modo, falſa eſt maior de repreſentante ſecundo modo, & quod eſſentia Angeli tali modo repreſentet ex ſua excellentia. Argumentum igitur peccat, & propter excellentiam intellectus Angelici, & propter excellentiam ſubſtantiæ, vt repreſentatiuæ. Nec obſtat quod eſſentia Angeli non contineat Deum virtualiter, ſufficit enim quod contineat ipſum participatiuè. Hinc S. Th. in corp. ait quod cognitio iſta aſſimilatur cognitioni per ſpeciem ab obiecto impreſſam immediatè repreſentantem tamèn imperfectè. Ità Caiet. a. 3. cit. §. Ad ſecundam obiectionem &c.

Argum. 2 Caiet. contrà 2. p. Concl. prima obiectio Scoti.

Arguit 2. Caiet. ex Scoto in p. p. q. 56. a. 3. contrà Concluſionis ſecundam partem, quæ primò impugnatur ſic. Homo in ſtatu innocentiæ habebat cognitionem de vltimo fine in ſpeciali, & non ſolùm in communi, vt modò habet: ergo Angelus ſecundum naturam ſuam habet de illo cognitionem in ſpeciali maiorem, quod eſt cognoſcere diſtinctè: tenet conſequentia quia Beatitudo naturalis Angeli eſt maior naturali Beatitudine hominis in ſtatu naturæ conditæ. Secundò Paulus raptus ad videndum Deum potuit meminiſſe eius, quod vidit: ergo imprimi potuit in eo ſpecies obiecti, quod viderat; tenet conſequentia quia alitèr non meminiſſet. Antecedens patet ex ipſo Apoſtolo, qui recordabatur ſe audiſſe arcana verba quæ non licet homini loqui. Tertiò Cognitio matutina apud Aug. eſt cognitio rerum in verbo, & prior cognitione veſpertina, & competens Angelis ante Beatitudinem: ergò in eis erat cognitio diſtincta Dei per aliquam ſpeciem intentionalem, vt rationem cognoſcendi: Tenet Conſequentia quia cognitio matutina eſt diſtincta cognitio rerum in Verbo. Impoſſibile eſt autèm, quod in cauſa confusè cognita cognoſcantur effectus diſtincti, & ordinati.

2. Obiectio Scoti.

3. Obiectio Scoti.

Reſp. Caiet. ad 1. obiectionem Scoti.

Reſp. Caietanus ad primam obiectionem Scoti, & dicit, quod nec Homo, nec Angelus in quocumque ſtatu naturæ potuit habere cognitionem diſtinctam, ideſt quidditatiuam ipſius Dei quamuis infrà latitùdinem cognitionis non quidditatiuæ, perfectius homo cognouerit in ſtatu innocentiæ, quàm nunc, & perfectius Angeli quàm Homo, & intèr eos vnus perfectior altero; ſed arguens decipitur in hoc, quia ſupponit, quod cognitio Dei non in communi, ſed in ſpeciali ſit cognitio quid-

Digitized by Google

quidditatiuâ, quam negamus ab Angelis, cùm tamen conſtet, quod ſtat cognoſcere aliquid in ſpeciali, & non quidditatiuè. Ad ſecundam obiectionem dicitur, à D. Thoma expreſsè, quod non potuit remanere ſpecies obiecti, quamuis potuerit accipere ſpecies rerum viſarum in obiecto proptèr quod loquitur in numero plurali ly arcana verba, quæ non licet &c. Ad tertiam obiectionem Reſp. Caietanus negando, quod cognitio matutina fuerit in Angelis antè Beatitudinem. Quamuis etiàm Conſequentia non videtur neceſſaria, quia non eſt remotum, quod in cauſa non quidditatiuè cognita, aliqui effectus ordinati agnoſcantur diſtinctè, quamuis impoſſibile ſit in tali cognitione cognoſcere omnes effectus. Ità Caiet. in fine Comment. a. 3. q. 56. cit. *Reſp. ad 2. obiectionem* *Reſp. ad 3. obiectionem.*

Appendices ad Lectionem 12. Metaphyſicalem in Tractatu Septimo de Potentijs Spiritualibus.

CApreolus in p. ſent. diſt. 3. q. 2. a. 2. Ferr. c. g. c. 49. cum alijs antiquioribus, & modernis Thomiſtis Sapientioribus. Et. D. Bonau. in 2. ſent. diſt. 3. q. 2. a. 2. declarant quomodo cognitio, quam naturaliter habet Angelus de Deo eſt media intèr cognitionem, qua videtur per ſui eſſentiam, ſcilicet facie ad faciem, & intèr cognitionem ſecundum quod videtur in ſpeculo creaturarum magis tamen ſe tenens cum vna; Pro cuius faciliori intelligentia, nec non pleniori, legas Commentaria Caietani ſuper art. 5. q. 14. vbi quæritur vtrum Deus intelligat alia à ſe, & art. 2. q. 12. Vtrum ea quæ videntur in Deo à videntibus Diuinam eſſentiam per aliquas ſimilitudines videantur, & art. 7. eiuſdem q. 12. Vtrùm aliquis intellectus creatus per ſua naturalia videre poſſit Deum per eſſentiam, & Vtrùm eſſentia Dei ab intellectu creato per aliquam ſimilitudinem videatur.

Inſuper legas ſuper art. cit. formalitates Ven. Porrectæ vbi in Append. art. 3. q. 56. refert propoſitionem illam lib. de Cauſis, ſcilicet quod omnis intelligentia ſit, quod eſt ſuprà ſe in quantùm eſt cauſata ab eo, hoc eſt in propoſito loquendo, quod Angelus naturali cognitione intelligit Deum, in quantùm ſua ipſius Angeli eſſentia, eſt quoddam quaſi ſpeculum Dei ſimilitudinem repreſentans, vtpotè à Deo ipſo cauſata &c.

Digitized by Google

LECTIO XIII. METAPHYSICALIS

In Tractatu Septimo

DE POTENTIIS SPIRITVALIBVS, EORVMQVE HABITIBVS.

Vtrùm in intellectu, & voluntate Animæ, & Angeli ſint ponendi habitus.

Ex Caietano in p. 2. q. 50. a. 4. 5. & 6.

Explicatio neceſſaria data pro Titulo, eiuſq; ſenſu à Caiet.

IN hoc loco vbi tantùm de puris Metaphyſicalibus eſt ſermo, non præmittitur quæſtio. An habitus, & diſpoſitio ſint vna, vel duæ ſpecies qualitatis: in proprio loco, ait Cietanuss, de hac re egimus, ſcilicet, in Logica in prædicamento qualitatis, vbi omnia bona, quæ ibi ſcripſimus ex p. 2. q. 49. a. 1. vbi quæritur Vtrum habitus ſit determinata ſpecies qualitatis, & ex art. 2. ad 3. & ex q. 50. nos deſumpſimus. Supponenda igitur ſunt hæc quæ dicuntur ibi, & in p. 2. q. 49. a. 3. quod neceſſe eſt habitus eſſe, ſed non in Deo, neq; in determinatis ad vnum, vt in Cælo. Quod ergo quærimus in præſenti lectione eſt; an in intellectu, & voluntate Angeli, & Animæ noſtræ ſit aliquis habitus. Et pro titulo caueas tu diſputator, addit Caiet. in p. 2. q. 50. a. 4. ne confundas rationem habitus, qui eſt in intellectu, & habitus ſcientifici, & ne præcipiti ſententia teneas, quod quæ dicuntur in hac lectione, ſcilicet, quod ſpecies intelligibiles ſunt habitus intellectus, præcipitantèr, inquam, ne teneas ſcientiæ habitum eſſe ſpecies intelligibiles ordinatas; hoc enim, hic non habetur, niſi fiat ſophiſma conſequentis ab habitu ad talem habitum deſcendendo: ſat enim eſt hoc in loco monſtrare eſſe ſpecies intelligibiles in intellectu noſtro, & Angelico veluti habitus, quæ verè vt habitus determinant potentiam intellectus ad ſingula intelligibilia. Cæterum an præter ſpecies, ſit aliquis alius habitus, hoc tractatur in p. 2. ſingillatim de ſingulis. Et de intellectu Angelico eſt præcipua quæſtio contra Auuerroim in 12. Met. Comm. 25. & contrà illos, qui negant habitus, & quæcumq; accidentia in ſubſtantijs ſeparatis, apud quos non inconuenit intelligentias contentas eſſe, cognitione illa interiorum ſaltèm, quam ſecundum propriam eſſentiam ſortiuntur. D. Thomas quia ampliori cognitione intelligentias donauit, præter illam per eſſentiam, appoſuit illam in Tractatu de Angelis inditam ſibi per ſpecies quæ hic in præſenti habitus vocantur. Ità Caietanus art. 4. & 6. q. 50. cit.

1. Notab. Caiet. vbi ponitur neceſſitas, & diuerſitas

Quo ad 1. Caiet. notat ex D. Th. in p. 2. q. 50. art. 5. ad 1. & ad 3. quod ſicut in intellectu eſt aliqua ſpecies, quæ eſt ſimilitudo obiecti, ità oportet in voluntate, & in qualibet vi appetitiua eſſe aliquid, quo inclinetur in ſuum obiectum, cùm

nihil

Digitized by Google

nihil aliud ſit actus appetitiuæ virtutis quàm inclinatio quædam vt dicitur in p. p. q. 22. a. 2. & q. 6. a. 4. Adea ergo, ad quæ ſufficienter inclinatur per naturam ipſius potentiæ non indiget aliqua qualitate inclinante, ſed quia neceſſarium eſt ad finem humanæ vitæ, quod vis appetitiua inclinetur ad aliquid determinatum, ad quod non inclinatur ex natura potentiæ, quæ ſe habet ad multa, & diuerſa, ideò neceſſe eſt quod in voluntate, & in alijs viribus appetitiuis ſint quædam qualitates inclinantes quæ dicuntur habitus voluntatis; & eſto voluntas ex ipſa natura potentiæ, ait D. Th. ad tertium inclinetur in bonum rationis, ſed quia hoc Bonum multipliciter, diuerſificatur, ideò neceſſarium eſt vt ad aliquod Bonum determinatum rationis voluntas per aliquem habitum inclinetur ad hoc quod ſequatur promptior operatio, & non eſt ſic de illo bono, ad quod ex natura ſua tendunt potentiæ naturales ex quibus vltimis verbis D. Th. colligit Caiet. ſic. Videas diuerſam rationem neceſſitatis habitus in intellectu, & voluntate reſpectu naturalium: nàm in intellectu eſt neceſſitas ſimpliciter, quoniam niſi determinetur per aliquam ſpeciem intelligibilem, nihil intelligere poteſt; In voluntate verò eſt neceſſitas ad benè eſſe, quoniam nullum eſt bonum infrà naturale obiectum voluntatis, quod voluntas non poſſit velle, licet non ità promptè abſque quacumq; qualitate ſuperaddita, & ideò dicit D. Th. ly ad hoc quod ſequatur promptior operatio. De neceſſitate habituum ſupernaturalium nil dicitur cum hoc non ſit proprius locus, ſat ſcire quod quilibet appetitus eſt mouens, & motus in genere cauſæ efficientis. Ità Caietanus in Comment. art. 5. cit. *habitus in intellectu, & voluntate.*

Notat 2. Caietanus ibidem 2. 6. q. 50. circà habitus intellectus Angeli, quod ſicut eſſentiæ, & potentiæ Angelicæ ſunt alterius rationis à noſtris, ità & habitus; & propterea non quæras in eorum habitibus omnes illas conditiones, quæ in noſtris enumerantur in p. 2. q. 49. a. 1. prout elucelcunt in definitione habitus, ſcilicet quod ſit diſpoſitio ſecundum quam benè, vel malè diſponitur diſpoſitum ſecundum ſe, vel ad alterum, quam definitionem ex 5. Met. deſumptam mandabis memoriæ, & figes in ea aciem intelligentiæ, quoniam ex ea videbis tot habitus conditiones, quot natura illius eluceſcet. Non ſunt igitur eiuſdem rationis habitus Angelici, ſed ſicut eorum naturæ ſunt magis vnitæ, ità & etiàm habitus; nec opportet quod potentia in eis ſit diſponibilis per plura diuerſimodè commēſurabilia niſi ratione plurium ſpecierũ quoad intellectum, quamuis quoad voluntatē multiformitas inueniatur ſecundum bonum, & malum, & concurrentes actus ad benè, vel malè, & ſaluantur ibi partes, ideſt partialia, ait D. Th. ad 3. Et vt dicitur ad 2. art. 6. cit. quod quantum ad id quod conuenit Angelis per ſuam eſſentiam non eſt habitus neceſſitas, ſed quia non ſunt ità per ſe exiſtentes quin participent ſapientiam, & bonitatem Diuinam, ideò in quantùm indigent participare aliquid ab exteriori, in tantùm neceſſe eſt in eis ponere habitus; & participare ab exteriori contingit dupliciter. Primò quaſi aduentitiam qualitatem ab extrà ſuſcipiendo, & hoc modo neceſſe eſt ponere in Angelo habitus ſupernaturales; Secundò quaſi congenitam à datore naturæ, ſicut grauia, & leuia habent motum à generante, & hoc modo neceſſe eſt ponere in Angelo habitus naturales ſpecierum intelligibilium. D. Th. igitur non ſolùm reſpectu aliorum intelligibilium, ſed etiàm reſpectu Dei neceſſarium habitum ponit in Angelis vt manifeſtè apparet exercitatis in Doctrina Auctoris, qui communitèr in p. 2. tam de habitu naturali, quàm de habitu ſupernaturali loquitur: quoniam apud ipſum conſtat Angelos per nullum habitum intelligere Deum naturaliter, ſed benè lumine ſuperaddito egent ad ſupernaturalem cognitionem, & ſic illa Reſp. D. Thomæ de vtroque participationis modo ab extraneo intelligi poteſt. *Notab. 2. Caiet. vbi declaratur diuerſitas habitus in Angelis à noſtris habitibus.*

Digitized by Google

teſt. Ità Caietanus in Comment. art. 6. quæſt. 50. p. p.

Sententia D. Th. relata à Caiet. de habitibus in intellectu Animæ noſtræ, & in intellectu Angelico.

Quo ad 2. Caiet. refert ſententiam S. Th. de habitu Animæ noſtræ in q. 50. a. 4. 5. & 6. in p. p. ſcilicet, quia intellectus eſt forma ſinè materia, non tamèn ſine potentia ad eſſe intelligibile, ideſt ad intelligendum, ideò hoc eſſe in potentia tali ſufficit, vt in intellectu ponatur habitus conformis ſibi, vtpotè exiſtens medius intèr actum, & potentiam, & ſic eſt in aliquo per modum eius in quo eſt, & eſt ſermo de intellectu poſſibili noſtro, qui eſt medius intèr puram potentiam, & actum perfectum; hinc apparet falſa phantaſia Auuerrois ponentis ſubiectum habitus, vires ſenſitiuas interiores, ex eo quia ponebat vnum intellectum omnium vt refert D. Th. in c. art. 4. q. 50. cit. Hoc confirmat Philoſophus in 6. eth. c. 1. 3. & 6. & 7. ponens Scientiam, Sapientiam, & Intellectum qui eſt habitus principiorum in ipſa intellectiua parte Animæ. De intellectu Angeli circa habitus eſt alia ratio opinandi, quia D. Th. in a. 6. in p. 2. q. 50. tenet, quod inquantùm inuenitur in Angelo de potentia, in tantùm in eis poſſunt habitus inueniri, ſed alia ratione ab habitibus hominum: intellectus enim Angelicus non indiget habitu ad omnia intelligibilia, ſicut humanus, ſed ſolùm ad aliqua. Et D. Dyon. c. 7. Cæl. Hyerarch. ait, quod Angeli primæ Hyerarchiæ nominantur calefacientes, & Trhoni, & effuſio ſapientiæ, manifeſtatio deiformis ipſorum habituum, vt refert D. Th. in argumento, ſed Contrà a. 6.

De habitibus in voluntate ſpectat ad partem appetitiuam, ſeù moralem.

De habitibus voluntatis cum potiùs ſpectent ad partem Moralem in p. 2. ſatis ſit ſcire hoc in loco, quod opportet aliquem habitum ponere in voluntate, quo voluntas benè diſponatur ad ſuum actum, & quomodò ſit differens neceſſitas hæc ab illa, quæ eſt de intellectu, iam dictum eſt ſuprà in Adnotationibus. Ità Caietanus ex p. 2. q. 50. a. 4. 5. & 6.

Concl. Caiet. ex D. Th. cum probatione p. p. ſcilicet quod habitus propriè eſt in intellectu Animæ noſtræ.

Quo ad 3. Concluſio vnica ponitur à Caietano ex D. Th. p. 2. q. 50. a. 4. & 6. ſic. Habitus quo conſideratur eſt propriè in intellectu Animæ noſtræ; in intellectu verò Angeli inuenitur non eiuſdem rationis cum noſtro, & non ad omnia intelligibilia, ſed ad aliqua tantùm.

Probatur à Caiet. 1. pars ex D. Th. ſub tali forma. Eius eſt habitus ſicut, & potentia cuius eſt actus: ſed actus iſte, ſcilicet intelligere eſt proprius actus intellectus, ergo, & habitus quo conſideratur erit propriè in ipſo intellectu. Propoſitiones ſunt expreſſæ ab Ariſtotile in 3. de Anima tex. 18. quod intellectus poſſibilis, eſt in quo eſt habitus ſcientiæ, quo ſcilicet poteſt conſiderare, etiàm cum non conſiderat, quia intellectus poſſibilis ſit ſingula, ideſt reducitur in actum ſingulorum per ſpecies intelligibiles, & tunc ſit ſecundum actum eo modo, quo ſciens dicitur eſſe in actu, quod quidem accidit, cùm aliquis poſſit operari per ſe ipſum, ſcilicet conſiderando: eſt quidem in potentia tunc quodammodò non tamèn ſimpliciter, vt antè addiſcere, aut inuenire. Ità Caietanus ex D. Th. art. 4. q. 50. cit. in p. 2.

Probatio 2. p. ſcilicet quod in intellectu Angeli ſunt vtiq; habitus, ſed non eiuſdem rationis cum noſtris.

Probatur 2. pars à Caietano ex D. Th. a. 6. intellectus Angelicus non ſe habet ſicut pura potentia in genere intelligibilium ſicut humanus, ſed ſolùm cum permixtione alicuius potentiæ: ergo vera ſecunda pars. Probatur antecedens, quia ſicut materia prima reſpectu omnium formarum ſenſibilium eſt potentia pura, ità intellectus humanus qui eſt infimus in ordine intellectum eſt in potentia reſpectu omnium intelligibilium, & ideò ad omnia intelligenda indiget aliquo habitu: ſed intellectus Angelicus non ſe habet ſicut pura potentia in genere intelligibilium, ſed ſe habet ſicut actus quiddam, cum permixtione tamen potentiæ, ergo &c. Probatur hoc quia non ſe habet ſicut actus purus, hoc enim ſolius Dei eſt, & tanto minus habet de potentia, quanto eſt ſuperior, & ideò in p. p. q. 55. a. 3. dicitur à D.

Th.

Digitized by Google

Th. quod in quantùm eſt in potentia indiget perfici habitualiter per aliquas ſpecies intelligibiles ad operationem propriam, ſed in quantùm eſt actu per eſſentiam ſuam poteſt aliqua intelligere ad minus ſe ipſum, & alia ſecundum modum ſuæ ſubſtantiæ vt dicitur in lib. de Cauſis, & tantò perfectius, quantò eſt perfectior. Ex dictis igitur concluditur, quod nullus Angelus pertingit ad perfectionem Dei, ſed in infinitum diſtat, & per hoc ad attingendum Deum per intellectum, & voluntatem indiget aliquibus habitibus tanquàm in potentia exiſtens reſpectu illius actus puri, & ſic D. Dyon. dicebat c. 7. Cæl. Hyerarch. quod habitus eorùm ſunt Deiformes, quibus, ſcilicet Deo conformantur; habitus autèm qui ſunt diſpoſitiones ad eſſe naturale non ſunt in Angelis cùm ſint immateriales. Et ſubiectum habitus non eſt niſi ens in potentia, & potentia intellectualis ſubſtantiæ non eſt eiuſdem rationis cùm potentia materiæ. Ità Caiet. in p. 2. q. 56. & 57.

Arguit 1. Caietanus ex D. Tho. contrà Concluſ.

Quo ad 4. Arguit Caietanus ex D. Th. a. 5. q. 56. cit. contrà Concluſionem ſic. In intellectu agente non ponitur aliquis habitus, ſicut in intellectu poſſibili, quia eſt potentia actiua: ſed voluntas eſt maximè potentia actiua, quia mouet omnes potentias ad ſuos actus, vt dicitur in p. 2. q. 9. a. 1. ergo in ipſa non eſt aliquis habitus; Sicuti etiam in Angelis non videntur eſſe habitus, quia in eis non ſunt diſpoſitiones, & habitus. Et habitus eſt diſpoſitio quædam vt dicitur in 5. Met. tex. 25. Angeli autèm ſunt ſimplices ſubſtantiæ, & diſpoſitio, vt ibidem dicitur, eſt ordo habentis partes.

Reſponſio Caiet. ex D. Thom. ad 1. Argum.

Reſp. Caiet. ex D. Th. concedendo quod voluntas eſt maximè potentia actiua, ſed non tantùm, cùm ſit etiàm paſſiua, imò quatenus paſſiua dicitur eſſe ſuſceptiuam habitus, quia ſic eſt in potentia; vnde non eſt ſimilis ratio de voluntate, & intellectu agente, vt putat obiectio arguentis. Ad aliam de Angelis dicitur, quod in ipſis licet non ſint partes eſſentiæ, ſunt tamèn partes ſecundum potentiam, in quantùm intellectus eorum per plures ſpecies perficitur, & voluntas eorum ſe habet ad plura. Ità Caiet. ex D. Th. loc. cit.

Arguit 2. Caiet. ex D. Tho. contrà pro vt ſuprà.

Arguit 2. ex D. Th. ibidem. Habitus eſt diſpoſitio ſecundum quam aliquis benè, vel malè diſponitur ad aliquid vt dicitur in 5. Met. tex. 25. ſed quod aliquis benè, vel male ſit diſpoſitus ad actum intellectus prouenit ex corporis aliqua diſpoſitione vt dicitur in 2. de Anima tex. 44. quod molles carne benè aptos mente vid´emus: Ergo habitus cognoſcitiui non ſunt in intellectu, qui eſt ſeparatus, ſed in aliqua potentia, quæ eſt actus alicuius partis corporis. Ità D. Th. art. 4. q. 50. cit.

Reſponſio Caiet. ex D. Thom. ad 2. Arg.

Reſp. concedendo quod aliquis benè, vel male, &c. proueniat ex aliqua corporis diſpoſitione, vt aliqualitèr preparante obiectum intellectui, & non aliter; non tamèn per hoc concedendum eſt, quod illa diſpoſitio corporis concurrat ad intelligere tànquàm ſubiectum intelligendi, vt dicitur in Reſponſione ad 1. art. 4. & per conſequens non ſequitur quod in viribus ſenſitiuis, quarum eſt talis diſpoſitio, ſit primò habitus intellectiuus, quia in illo eſt primò habitus in quo eſt tanquàm in ſuo ſubiecto. Hinc dicit D. Thom. in Reſp. ad 3. art. 4. quod vires apprehenſiuæ interiùs preparant intellectui poſſibili proprium obiectum, ideò ex bona diſpoſitione virium harum, ad quam cooperatur bona diſpoſitio corporis, redditur homo magis habilis ad intelligendum; & ſic habitus intellectiuus ſecundariò poteſt eſſe in iſtis viribus, principalitèr autèm eſt in intellectu poſſibili. Ità D. Thom.

Digitized by Google

Appendices ad Lectionem 13. Metaphyſicalem in Tractatu ſeptimo de Potentijs ſpiritualibus eorumque habitibus:

NOta Doctrinam Caietani, & aliorum Thomiſtarum. In 1. 2. quæſt. 55. art. 2. dicitur à Caietano quod habitus exiſtentes in hominibus naturales, partim à natura, & partim ab exteriori principio ſunt in potentijs appreheniuis, alitèr quàm in potentijs appetitiuis. Et Caietans format dubium circà differentiam intèr inchoationem appetitus ex parte Animæ in parte apprehenſiua, & appetitiua, cur in intellectu ponatur inchoatio, quantum ad ipſam ſubſtantiam habitus, in voluntate autèm non, ſed ſolùm quantùm ad quædam principia ipſius, ſicut principia Iuris communis dicuntur eſſe ſeminalia virtutum. Locus autèm proprius reſoluendi hoc Dubium eſt in ſcientia morali ſpectante ad partem appetitiuam, ſcilicèt in p. 2. quæſt. 51. art. 1. per totam quæſtionem: Quæ enim ſpectant ad partem intellectiuam proprius eſt locus in præſenti Metaphyſica; ſufficiat ſcire pro nunc differentiam intèr intellectum, & voluntatem ex Caietano ibi, quod in intellectu fluit naturalitèr habitus quidam, præſentibus ab extrà terminis principiorum; in voluntate autèm non, ſed ſola promptitudo ipſius ad principia, ſcilicèt ad bonum proſequendum, & malum fugiendum, & hoc inuenitur à natura; vndè D. Thom. in calce corp. art. 1. cit. ait, ex parte corporis ſecundum naturam indiuidui ſunt aliqui habitus in appetitu ſecundum inchoationes naturales: ſunt enim quidam diſpoſiti ex propria corporis complexione ad caſtitatem, vel ma nſuetudinem, vel ad aliquid huiuſmodi.

De huiuſmodi igitur habitibus intellectus vide in p. 2. quæſt. 51. art. 3. quæſt. 63. art. 1. quæſt. 56. art. 5. quæſt. 67. art. 2. Et de habitibus in Angelis vide quæſt. 51. & nota quod quandocumq; D. Th. citat Maximum in maiori parte quæſtionum moralium in p. 2. in tract. de habitibus, iſte Auctor, & Doctor nomine Maximus, fuit quidam Commentator D. Dyoniſij de Cœleſti Hierarchia. Cæterum legas formalitates Ven. Porrectæ ſuper art. cit. & Paludanum 2. ſent. diſt. 23. q. 3. Medinam, Io: à S. Thom. alioſque Doctores Salmaticenſes, Toloſanos, & Sorbonenſes noſtros.

De habitibus in voluntate legas D. Thom. Caietanum, Porrectam in p. 2. quæſt. 49. art. 4. ſi placet.

LECTIO XIV. METAPHYSICALIS

In Tractatu Septimo

DE POTENTIIS SPIRITVALIBVS EORVMQVE HABITIBVS.

Vtrùm Habitus importet ordinem ad naturam rei, & ad actum.

Ex Caiet. in Comment. art. 3. quaſt. 49. in p. 2. & alibi.

S. THOMAS in p. 2. quæſt. 49. art. 3. dubitat an habitus importet ordinem ad Actum. Caietanus mouet dubium præcipuè contrà Durandum, & Scotum. Durandus in 3. ſent. diſt. 23. quæſt. 1. ſimpliciter tenet, quod habitus non facit aliquid ad ſubſtantiam, aut modum actus. Scotus, ait Caietanus, in 1. ſent. diſt. 7. quæſt. 2. nititur probabiliter tantum ſuſtinere, quod habitus nullam habeat rationem principij actiui ex ratione, qu a non eſt neceſſe tribuere hoc habitui, nec eſt rationabile auferre à potentia completam cauſalitatem actiuam reſpectu actus, vt adiuuetur habitu ad agendum: quoniam omnia quæ attribuuntur habitui ſaluantur ſine hac cauſalitate, & ideò contrà Scotum non habemus quæſtionem ſimpliciter, ſed in linea probabilitatis quæritur, an hoc poſſit probabilius ſuſtineri, quod habitus nullam habeat rationem principij actiui. Motiua Durandi partim ſunt aſportata in noſtra Phyſica in 2. Phyſ. quæſt. 4. num. 35. 36. & 37. & p. 2. quæſt. 49. art. 3. vbi quæritur an præter quatuor genera in Phyſicis; debeat dari quintum genus, ſcilicet habitus, diſtinctum à genere cauſæ efficientis: partim dicentur in præſenti Lectione. *Declaratio Tituli facta à Caietano.*

Et quando quæritur in Titulo an Habitus importet ordinem ad actum, addit Caietanus, non intelligitur de actu ſecundo, qui eſt operatio, ſed intelligitur ly actus vt exiſtens in potentia ad vlteriorem actum, vt dicit S. Doctor in Reſp. ad 1. art. 3. cit. Habitus, inquit, eſt actus quidam in quantùm eſt qualitas, & ſecundum hoc poteſt eſſe principium operationis, ſed eſt in potentia per reſpectum ad operationem, vndè habitus dicitur actus primus, & operatio actus ſecundus, vt dicitur in 2. de Anima tex. 5. & quia de ratione habitus, eſt quod non reſpiciat potentiam, vt dicit in Reſp. ad 2. ſed quod reſpiciat naturam, & quia natura præcedit actionem, quam reſpicit potentia, ideò prior ſpecies qualitatis ponitur habitus, quàm potentia, & hoc ſufficit ad præſtandum, quod habitus, etiàm quod habeat ordinem ad actum ſit in prima ſpecie qualitatis. Cæterùm ſi potentia, cui per ſe conuenit eſſe principium actus, non eſſet fundata in aliqua natura (quod eſt impoſſibile in Creatis) tunc non eſſet difficultas, quod potentia *Einſque ſenſus profunda explicatio einſdem Caietani.*

Digitized by Google

eſſet prima ſpecies qualitatis; quia in tali caſu eſſe principium actus per ſe conueniret potentiæ, vt primum in vnoquoque generum, & ſic habitus vt principium actus eſſet poſterior, ſed quia per ſe conuenit potentiæ fundatæ in natura, vt patet in 5. Met. tex. 8. ideò ſtante hac doctrina vera, ratio quæſiti in præſenti Lectione ſtat in hoc. An habitus pro vt eius ratio habet reſpicere naturam, & non potentiam dicat ordinem ad naturam tantùm, vel etiàm ad actum. Et vt communicemus in vocabulis cum his, qui aduerſantur nobis, reſtringendum eſt pro nunc nomen habitus ad eas qualitates, quas Aduerſarij confitentur eſſe habitus, vt ſunt virtutes morales, intellectuales, & huiuſmodi, & de his oſtendendum eſt, quid rei veritas habeat, quæ meliùs penetrabitur, ſi perſpiciemus, quod cauſa huius difficultatis eſt, quod potentiæ operatiuæ, quarum ſunt iſti habitus, antè iſtos habitus eliciunt ſuos actus eiuſdem ſpeciei cum actibus, qui ſunt poſt adeptum habitum; & memento quod intellectus noſter antè adeptam ſpeciem intelligibilem nihil poteſt intelligere. Ità Caietanus loc. cit.

Notabile Caiet. quod natura habitus, non eſt extranea à natura potentia operatiua.

Quò ad primùm. Notat Caietanus in p. 2. quæſt. 49. art. 3. contrà Durandum, quòd ſi quis perſpexerit, quod ſubiectum habitus opportet eſſe aliquo modo in actu, & aliquo modo in potentia, quia vtitur ipſo cum vult, & perficitur per ipſum; & ſimilitèr opportet habitum ipſum eſſe aliquo modo in actu, & aliquo modo in potentia, quoniam perficit, & actum potentialem ad actum ſecundum conſtituit, ex his videbit naturam habitus non eſſe extraneam à natura potentiæ operatiuæ, ſed quemadmodum conueniunt in natura actus, & potentiæ proportionalitèr, vt patet, ità conueniunt in natura principij reſpectu actus. Cùm enim agere ſequatur actum, & pati potentiam, & potentia operatiua ſecundum id quod habet de actu eſt principium actiuum ſuæ operationis; ſecundum id verò quod habet de potentia eſt principium paſſiuum eiuſdem, conſentaneum eſt, vt habitus perficiens potentiam, vt eius propria perfectio, ſecundum id quod habet de actu perficiat, & compleat actiuitatem potentiæ, & ſecundum id quod eſt in potentia approprict potentiam ad ſuſceptionem vltimæ perfectionis, ideſt operationis perfectæ: putandum eſt enim, quod Animæ potentia operatina eſt in potentia ad ſuam conſumatam perfectionem ordine quodam: eſt namque in potentia per operationes imperfectas ad habitum, & per habitum ad operationem perfectam, in qua conſumatur perfectio potentiæ operatiuæ, niſi quis diceret, quod potentia operatiua Animæ eſt per ſe in potentia per actus imperfectos ad actum perfectum, ſed per accidens interponitur habitus, quod quam ſit irrationabile patet ex doct. in 2. Phyſ. Vnumquodque enim ſicut agitur, ità natum eſt actum agi, & è contrà; conſtat autèm potentiæ Animæ operatiuæ perfectionem ſic agi, vt per actus imperfectos acquirat habitum, & per habitum perfectam operationem aſſequatur. Ex natura igitur huiuſmodi potentiarum eſt, quod ipſæ tali ordine, & talibus medijs ad conſumatam perfectionem perueniant, ac per hoc habitus ipſi per ſe mediant intèr potentias, & operationes perfectas. Ità Caietanus in 2.3. 5. Quo ad ſecundùm ſcito.

Opinio S. Thom. contra Durandum & Scotum refertur à Caietano,

Quò ad ſecundùm. Caietanus in quæſt. 49. art. 3. ait quod ſecundùm doctrinàm Auctoris, nec ſimplicitèr, nec probabilitèr ſuſtineri poteſt Durandus, & Scotus quod ſcilicèt habitus nihil faciat ad ſubſtantiam actus, nec ad modum habitus. Imò, addit Caietanus, opportet habitui actiuitatem tribuere; & quod ea quæ dicuntur de habitu aliquo non poſſunt ſaluari abſque actiuitate, vt patet de Arte; hinc Auguſt. dicebat in libro de bono coniugali cap. 21. quod Habitus eſt, quo aliquid agitur, cum opus eſt, Et Commentator in tertiò de Anima Comm. 3. ait,

Digitized by Google

ait, quod Habitus eſt, quo quis agit cum voluerit. Ità Caietanus, &c.

Concluſio Caiet. contrà Durandum, & Scotum cum ſua probatione, ſcilicèt quod habitui conuenit actiuitas.

Quò ad tertium. Caietanus ponit hanc Concluſionem reſponſiuam contrà Durandum, & Scotum, ſic. Quæ dicuntur de aliquo habitu non poſſunt ſaluari abſque actiuitate, & per conſequens opportet, quod habitui actiuitas attribuatur.

Probatur à Caietano ſub tali forma ex notioribus nobis. Ars eſt habitus, vt patet in 6. Eth. & eſt factiuus: ergò &c. probatur hoc in genere cauſæ effectiuæ, vt omnis cauillatio excludatur ex 9. Met. vbi Ars ponitur intèr potentias actiuas, & diſtinguitur potentia rationalis contrà potentiam naturalem, quod illa eſt, actiua vtriuſque contrarij, & propterea non agit niſi determinata à prohæreſi, & tunc agit vnum. Domus enim, quæ fit in materia eſt à Domo, quæ eſt in Anima effectiuè, & ſanitas à ſanitate, & vniuerſalitèr quodlibet artificiale à ſua forma in mente: ſed hoc nihil aliud eſt, quàm eſſe ab Arte. Nihil enim aliud eſt ſanitas in mente Medici, quàm Ars ſanandi, & ſimilitèr Domus, quàm Ars domificandi, vndè ad vtrumque contrariorum ſe habet.

Probatio ſecunda eiuſdem Concluſ.

Probatur ſecundò ex 5. Met. probatione maiori declaratiua. Artifex ponitur cauſa efficiens per ſe, Policletus autèm, ſeù ſubiectum, in quo eſt Ars, per accidens: ergò Ars ipſa eſt per ſe principium actiuum actus, & ex ſapientibus pluribus ex communi hominum conſenſu patet, quod homines vtendo ſuis artibus ſint cauſæ operum, adeò quòd carentes artibus, carent facultate faciendi, nedùm expeditione, declaratione, promptitudine, & facilitate. Teneamus igitur, quod quemadmodum Ars, cum ſit recta factibilium ratio, actiua eſt eorum; ità Prudentia, quæ eſt recta ratio agibilium, actiua eſt eorum; & ſimilitèr quilibet habitus exiſtens in aliqua potentia Animæ, vim actiuam habet, ſicut potentia cuius eſt, vt in corp. art. 3. cit. dicitur. Nec hoc eſt derogare actiuitati ipſius potentiæ, ſed eſt declarare naturas potentiarum ſuſceptibilium ipſorum habituum. Ad quæ natura non ſufficientèr determinauit potentiam per ſe ipſam, determinabilem facit per habitum, vt determinata per illum agat, quod per ſe ipſam plenè agere non poterat; ergò de primo ad vltimum conſtat de ipſa Arte, quod opportet habitui actiuitatem tribuere, & quod non poſſunt quæ de habitu dicuntur, ſaluari abſque actiuitate. Ità Caiet. in art. 3. §. Quò ad ſecundùm, &c.

Concluſio ſecunda Caiet. ex D. Th. cum probatione 1. partis, ſcilicèt quod habitus primò importat ordinem ad naturam rei.

Caietanus ponit aliam Concluſionem Reſponſiuam ex D. Thom. art. 3. quæſt. 49. in p. 2. ſic. Habitus ſecundum rationem habitus importat primum ordinem ad naturam rei, & conſequentèr ad operationem in quantùm eſt finis naturæ, ſeù perducens ad finem. Secundum rationem tamèn ſubiecti omnis habitus, qui ſcilicèt eſt alicuius potentiæ vt ſubiecti importat principalitèr ordinem ad actum.

Probatur prima pars à Caietano ex D. Thom. ſub tali forma. De ratione habitus eſt vt importet habitudinem ad naturam rei ſecundum quod ei conuenit, vel non conuenit: ſed natura rei, quæ eſt finis generationis, vlterius etiàm ordinatur ad alium finem, qui vel eſt operatio, vel aliquid operatum ad quodquis peruenit per operationem: ergò importat habitus non ſolùm principalitèr ordinem ad ipſam naturam rei, ſed etiàm conſequentèr ad operationem, in quantùm eſt finis naturæ, vel perducens ad finem; vndè & in 5. Met. tex. 24. dicitur in diffinitione habitus, quod eſt diſpoſitio ſecundum quàm benè, vel malè diſponitur diſpoſitum, aut ſecundum ſe, ideſt ſecundum ſuam naturam, aut ad aliud, ideſt in ordine ad finem. Ità Caietanus ex D. Thom.

Probatio ſecundæ partis, ſcilicèt

Probatur ſecunda pars ex D. Thom. Habitus primò importat habitudinem ad naturam rei, vt diximus modò; Sed natura rei in qua eſt habitus conſiſtit quandoque

Digitized by Google

quod habitus ratione ſubiecti alicuius potentiæ importat principaliter ordinem ad actum.

doque, puta quando eſt potentia, in ipſo ordine ad actum: ergò vera ſecunda pars. Manifeſtum hinc fit, quod natura, & ratio potentiæ eſt, vt ſit principium actus; vndè ſequitur quod omnis habitus, qui eſt alicuius potentiæ, vt ſubiecti, principaliter importet ordinem ad actum. Ità ex D. Thom. Caietanus in 1. p. quæſt. 49. art. 3. cit.

Arg. 1. Caiet. ex Durando contrà 1. Concluſ.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus ex Durando contrà primam Concluſionem primo ſic. Habitus, qui per ſe eſt principium modi actus, qui eſt intenſio, aut ſit intenſior, & perfectior, quia potentia, & habitus concurrunt vt duo agentia partialia, aut quia potentia per habitum eſſet interior actus, & ſic actum intenſiorem produceret: Non hoc ſecundum quia potentia non ſuſpicit magis, aut minùs. Non primùm, quia aut eſſent vniuocè principia, ſicut trahentes nauim, aut vtrumque requireretur ſemper ad actum eiuſdem ſpeciei; & tenet ſequela, quia principia per ſe requiſita ad actum perfectum in aliqua ſpecie requiruntur ad omnem ſpeciei actum, vt patet inductiuè.

Confirm. Arg.

Confirmatur; quia effectuum differentiam ſolùm ſecundum magis, & minus, non oportet plus cauſas differre, quàm ſecundùm magis, & minus.

Reſp. Caiet. ad 1. Durandi.

Reſp. Caietanus, quod potentia, & habitus concurrunt ad effectiuè cauſandum actum, non ſicut cauſæ partiales vniuocè, vt trahentes nauim: neque ſicut remiſſum, & intenſum, vt maius, & minus lumen in eodem medio, neque ſicut ſuperius, & inferius, vt Sol, & Homo generant hominem, ſed ſicut imperfectum differt à ſe ipſo perfecto: Potentia enim Animæ operatiua non eſt ità determinata ad eliciendum operationem talis ſpeciei, quod egeat habitu determinante ipſam, quoniam ipſa abſque habitu cùm obiecto ad actum præuenientem habitum, ſufficit: ſed determinatio quàm ante habitum habet, eſt ita remota, & imperfecta, vt egeat habitu ad hoc, quod propinqua, & perfecta ſit ad operandum perfectè in tali ſpecie: habet ſe namque potentia ad habitum reſpectu operationis, ſicut homo in principio adoleſcentiæ ad hominem perfectum reſpectu generationis, vt declaratur in Phyſica lib. 2. Phyſ. quæſt 4. ad Argumenta. Et quando Argumentum dicit quod principia, quæ exiguntur ad operationem perfectam in aliqua ſpecie, requiruntur ad quamlibet illius ſpeciei, eſt vera de his principijs, quæ concurrunt vt diuerſa, vt Pater, & Mater reſpectu Filij; & Sol, & Homo reſpectu hominis, & huiuſmodi; non tamèn eſt vera de his principijs, quæ concurrunt vt vnum perfectum principium, ità quod ambo ſimul non differunt ab vno niſi ſicut imperfectum à perfecto; & ſimile omninò eſſet, ſi adoleſcens fieret perfectus Vir per aliquod diſtinctum ſuperadditum.

Reſp. ad Confirmationem.

Ad Confirmationem Reſp. quod illa propoſitio non tenet in principijs, quorum vnum ſubalternatur reliquo: quoniam principijs ſic ſe habentibus ſtat ad actum perfectum vtrumque requiri, & ad imperfectum alterum tantùm: quia talia non ſunt duo diſparata principia, ſed ſubſequens eſt perfectio primi; ſic autèm conſtat ſe habere potentiam, & habitum, quoniam habitus ſubalternatur quodammodo potentiæ, dum potentia ad multarum ſpecierum actus ſe extendens per habitum determinatur vt ſit in tali ſpecie perfecti operis perfectum principium. Ità Caiet. in p. 2. loc. cit. & in quæſt. 4. 2. Phyſ. art. 3.

Arg. 2. Caiet. ex Durando.

Arguit ſecundò Caietanus ex Durando contrà idem. Habitus non eſt principium per ſe ſingularitatis actus: per eſſe enim ſingulare determinatur actus ad eſſe in rerum natura: ergò habitus non eſt per ſe principium modi actus, qui eſt determinatio actus in eſſe naturæ. Probatur, quod non fiat ſingularis ab habitu, quia eſſe ſingulare eſt effectus communis omnibus actibus, & præueniens habitum.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Caietanus primò, quod eſt ſophiſma conſequentis : Cauſa enim determinans effectum ſecundum eſſe naturæ, non opportet, quod reſpiciat ſingularitatem vt proprium effectum, ſed ſat eſt quod cauſet illud in eſſe naturæ ſecundum aliquid, vndè habitus, qui perfectionem dicit in eſſe naturæ, determinat operationem ad eſſe perfectum, & hoc ſufficit. *Reſp. 1. Caiet. ad Argum. 2. Durandi.*

Reſp. ſecundò, quod quia ſingularitas eſt effectus communis, & præueniens multas cauſas, ideò rectè concluditur, quod non eſt proprius effectus huius, vel illius cauſæ, ſed male concluditur : ergò non eſt effectus huius cauſæ. Aliud eſt enim effici ab A, & aliud eſſe proprium effectum, A, vndè ſicut Homo generat hominem, & hic Homo hunc hominem, ità habitus facit operationem perfectam, & hic habitus hanc operationem perfectam. Ità Caiet. ad obiectionem ſecundam Durandi in art. 3. cit. *Reſp. 2. ad idem Argum. Durandi.*

Arguit tertiò ibidem ex Durando Caietanus ſic. Eſſe morale eſt eſſe relatiuum, cuius nulla per ſe eſt actio, niſi ratione fundamenti : ergò habitus non eſt principium per ſe actus moralis, ſcilicèt modi actus, qui eſt determinatio ad bonum, & malum moralitèr. Antecedens conſtat, quod actus in eſſe naturæ, qui eſt fundamentum eſſe moralis non eſt ab habitu, quia actus ſimilis præueniens habitum, ab habitu non eſt. *Arg. 3. Caiet. ex Durando contrà idem.*

Reſp. primò Caietanus negando, quod illud eſſe in actu elicito ſit relatiuum; quamuis relatiuum ſit in actu imperato : quoniam quemadmodum intèr actus morales eſt contrarietas ſecundum eſſe abſolutum, vt intèr fortitudinem, & timiditatem, liberalitatem, & auaritiam, &c. ità intèr actus elicitos, quæ enim eſt maior ibi ratio? in Phyſica, ſcilicèt in 2. Phyſ. quæſt. 4, num. 35. 36. & 37. explicauimus in quo ſenſu eſſe relatiuum careat actiuo per ſe, & ex alia parte habeat cauſam actiuam per ſe, & quod ad Relationem non eſt motus. Legas ibi &c. *Reſp. 1. Caiet. ad 3. Argum. ex Durando.*

Reſp. ſecundò Caietanus, quod habitus cauſat ſubſtantiam actus perfecti, quàm conſequitur eſſe relatiuum, & ſic poteſt per ſe cauſare eſſe relatiuum; & cum dicitur, quia ſubſtantia actus poteſt cauſari ante habitum, Reſp. quod in hoc videntur iſti errare in fundamento, quaſi determinatio vno modo tantùm inueniretur : Falluntur enim in hoc. Potentia Animæ operatiuæ non eget habitu determinante ad producendum actum : ergò ex ſe ſufficientèr eſt determinata ad producendum actum perfectum eiuſdem ſpeciei; determinatione ſiquidem egere cauſam aliquam actiuam ad agendum multiplicitèr contingit, ſed ad propoſitum ſufficit duplicitèr. Primò vt contrahatur ad ſpeciem talem, ſicut actio ſolis determinatur ad producendum hominem per hominem, & bouem per bouem, & ſic potentia non eget habitu, quia ante habitum poteſt in actum illius ſpeciei. Alio modo, vt vis ſua ad talem ſpeciem perficiatur, vt iàm non ſolùm poſſit in actum illius ſpeciei; ſed actus perfecti in illa ſpecie proprium principium ſit, & hoc modo potentia eget habitu determinante ipſam. An verò potentia ſine habitu poſſit ex toto conatu in actum perfectum, hoc explicatur in Phyſica in 2. Phyſ. quæſt. 4. cit. Ex dictis igitur patet, quod Habitus eſt cauſa actiua per ſe ſubſtantiæ, & modi actus triplicitèr, ſcilicèt perfectionis, determinationis in eſſe naturæ, & determinationis in eſſe morali, quamuis facilitatem ex parte operantis tantùm, præbere videatur; & ſic actus ex habituato, quod ſit facilis ex redundantia facilitatis operantis hoc prouenit. Ità Caietanus in fine Comment. art. 3. cit. *Reſp. 2. Caiet. ad idem Argum. ex Durando.*

Appe.

Appendices ad Lectionem 14. Metaphyſicalem in Tractatu ſeptimo de Potentijs operatiuis eorumque habitibus.

VT faciliùs capiatur præſens Lectio legendus eſt omninò àrt. 4. in p. 2. quæſt. 49. ſequens ad Articulum tertium, vbi quæritur An ſit neceſſarium eſſe habitum, cùm Formalitatibus Ven. Porrectæ. Legenda eſt etiàm Reſponſio D. Thom. ad tertiùm art. 2. quæſt. 50. in p. 2. vbi dicit S. Doctor, quod habitus præmittitur potentiæ ſecundum quod importat diſpoſitionem ad naturam; potentia autèm ſemper importat ordinem ad operationem, quæ eſt poſterior, cum natura ſit principium operationis: ſed habitus cuius potentia eſt ſubiectum non importat ordinem ad naturam, ſed ad operationem, vndè eſt poſterior potentia. Vel poteſt dici quod habitus præponitur potentiæ, ſicut completum incompleto, & actus potentiæ: actus enim naturalitèr eſt prior, quamuis potentia ſit prior ordine generationis, & temporis, vt dicitur in 7. & 9. Met. à tex. 13. vſque ad 19. & in lib. 7. tex. 17. Et Vener. Porrecta addit ſuprà hoc Reſponſum, quod Habitus eſt ſecundum ordinem perfectionis prior, quàm potentia, ſecundum quamcumque expoſitionem textualem datam, & hoc ſufficit ad faciendum, quod habitus ſic ad operationem dictus reponatur in prima ſpecie qualitatis, & de hac Reſponſione legas Caietanum in Comment. ſuper art. 3. quæſt. 50. in p. 2.

LECTIO XV. METAPHYSICALIS

In Tractatu

DE POTENTIIS OPERATIVIS, EORVMQVE HABITIBVS.

Vtrùm ſint tantùm tres habitus intellectuales ſpeculatiui, & inter ſe diſtincti, vel ad inuicem incluſi.

Ex Caietano in p. 2. q. 54. a. 4. & q. 57. a. 2. & alibi.

Declaratio Tituli, eiuſq; ſenſus data à Caiet.

CAietanus in p. 2. q. 54. a. 4. quærit cùm D. Thoma an habitus ſit ſimplex qualitas de qua quæſtione, ait, in p. 2. q. 57. a. 2. quæremus in ſequenti lectione, pro nunc ſupponendum eſt habitum eſſe qualitatem ſimplicem non conſtitutam ex pluribus habitibus, etiàm ſi ad multa ſe extendat. Quod enim quæritur hic, eſt, an ſint tantùm tres habitus intellectuales ſpeculatiui, ſcilicet Sapientia, Scientia, & Intellectus, & in ſenſu formali quæritur in eo ſenſu, quo dixerunt B. Alb. Magnus, & S. Th. in fine cap. 2. poſt. cum Ariſtotele, vtpotè maximo pollentes ingenio, quorum ſemper ſermo eſt formalis, quod intelligens eſt meliùs diſpoſitus, quàm ſciens: eſt enim diſpoſitus formaliter ad cognoſcendum habitu principiorum, qui eſt nobilior habitu ſcientifico, ipſe ſciens vt ſic ad Concluſiones intuendas formaliter; & ſic non quæritur de eis, vt vnus includit alterum. Ità Caietanus in p. poſt. cap. 2. pag. mihi 295.

1. Notab Caiet. in quo ponitur vniuſcuiuſque habitus formalitas ſufficiens ad diſtinguendos ipſos.

Quo ad 1. Notat Caietanus, quod licet ſciens, & intelligens ſint idem ſuppoſitalitèr, proptèr tamèn diſtinctionem realem, quæ eſt intèr Scientiam, & intellectum non inconuenit, quod idem ſecundum diuerſa ſit ſciens, & melius quàm intelligens; & ſimiliter licet ſciens vt includ t intelligentem non exigat additionem intelligentis, ſciens tamen formaliter exigit, quod ſibi addatur intelligens; & quia Ariſt. formaliter de illis loquebatur in p. poſt. c. 2. ideò dixit neque ſciens, neque melius diſpoſitus quàm ſciens, ideſt neque intelligens. Et comparatio aliquorum ſimpliciter non fit penès ea, quæ continentur in eis in potentia, ſed penès ea, quæ actualiter ſibi, & per ſe inſunt; ideò habitus principiorum non eſt comparandus habitui ſcientifico ſecundum notitiam Concluſionum, quæ virtualiter continentur in eo, actualiter autèm in habitu ſcientifico, ſed exercenda eſt comparatio ſecundum notitias actualiter in eis contentas. Vndè licet habitus ſcientificus ſit nobilior habitu principiorum quo ad hoc quod eſt cognoſcere Concluſiones, quia ille actu, iſte in potentia cognoſcit eas: habitus tamèn principiorum ſimpliciter eſt nobilior habitu ſcientifico, quia notitia actualiter elicita ex illo, eſt nobilior ſimpliciter notitia actualiter elicita ex iſto. Nec obſtat quod habens habitum principiorum ſit in po-

tentia ad ſcientiam, quia hoc non ineſt ex ipſo hàbitu principiorùm, alitèr ſtante habitû nunquàm ſciretur, ſed ex natura ipſius intellectus, qui eget continuo, & tempore, & exercitio ad diſcurrendum ex noto ad ignotum. Ità Caietanus in fine cap. 2. 1. poſt.

2. Notab. Caiet. in quo ponitur diſtinctio à D. Th. inter illos tres habitus, non ex æquo ſed ordine quodam.

Notat 2. Caietanus in p. 2. q. 57. a. 2. in Reſp. ad ſecundum verba D. Th. Si quis rectè conſideret, iſtæ tres virtutes non ex æquo diſtinguuntur ab inuicem, ſed ordine quodam; ſicut accidit in totis potentialibus, quorum vna pars eſt perfectior altera, ſicut Anima rationalis eſt perfectior quàm ſenſibilis, & ſenſibilis, quàm vegetabilis: hoc enim modo ſcientia dependet ab intellectu, ſicut à principaliori, & vtrumque dependet à ſapientia ſicut à principaliſſimo, quæ ſub ſe continet, & intellectum, & ſcientiam, vt de Concluſionibus ſcientiarum diiudicans, & de principijs earumdem. Ad quæ Caietanus in Comment. addit, nota hic quomodo Sapientia continet intellectum, & ſcientiam, non enim continet vt partes integrales; cùm iàm ſupponatur quod habitus non integratur ex pluribus habitibus; ſed continet quaſi partes potentiales, habet enim ſe ſapientia ad intellectum, & ſcientiam, quod ipſa continet quidquid ille, & eminentiori modo: vtitur enim principijs per ſe notis deducendo Concluſiones, quod eſt ſcire, & ipſa per ſe nota principia vera eſſe ex terminis iudicat defendit; & inchoat, quæ intellectus tantummodò videt abſolutè, & vtrumq; habet reſoluendo in altiſſimam cauſam, quod eſt eminentius continere; & propterea in 6. eth. dicitur quod continet ſcientiam, & intellectum. Et in 4. Met. dicitur, quod defendit principia ex terminis. Ità Caiet. loc. cit.

3. Notab Caiet. ex D. Th. diſtinguens per verum habitus.

Notat 3. Caiet. in c. art. 2. ex D. Th. quod virtus intellectualis ſpeculatiua eſt, per quam intellectus ſpeculatiuus perficitur ad conſiderandû verum, hoc enim eſt bonum opus eius. Verum autem eſt dupliciter conſiderabile. Vno modo ſicut per ſe notum, alio modo ſicut per aliud notum. Quod autèm eſt per ſe notum, ſe habet vt principium, & percipitur ſtatim ab intellectu: per aliud autem notum non ſtatim percipitur ab intellectu, ſed per inquiſitionem rationis. Ità ex D. Th Caietanus &c.

Opinio D. Th. recitatur à Caiet. circa diſtinctionem prædictarum habituum.

Quo ad ſecundum ſtante pro nunc ſuppoſitione vera, quod habitus non conſtituatur ex multis habitibus, ait Caiet. D. Th. in p. 2. q. 57. a. 2. ex Philoſoph. 6. eth. c. 3. 6. & 7. vt citatur in Argumento, ſed contrà, tenet has ſolùm tres Virtutes intellectuales ſpeculatiuas, ſcilicet Sapientiam, Scientiam, & Intellectum. Et in Reſponſione ad ſecundum teſtatur, quod conuenientèr diſtinguuntur ſecundum rationem formalem obiectorum relatam ſub vno actu ad potentiam, vel habitum. Et in tali caſu non poteſt dici, quod diſtinguantur habitus, vel potentiæ penès obiectum materiale, ſeù penès rationem obiecti materialis; Vndè in noſtro propoſito ratio formalis, ideſt principium demonſtrationis ſub diuerſo actu refertur ad habitum, ſcilicet ad ſcientiam, & intellectum: ideoq; iſti habitus debuerunt diſtingui penes obiectum formale, ideſt ſecundum Concluſiones, & ſecundum principia: ait enim D. Th. in illa Reſp. ad ſecundum quando ratio obiecti ſub vno actu refertur ad potentiam, vel habitum, tunc non diſtinguuntur habitus, vel potentiæ penes rationem obiecti, ſeù penès obiectum materiale; ſicut ad eandem potentiam viſiuam pertinet videre colorem, & lumen, quod eſt ratio videndi colorem, & ſimul cum ipſo videtur. Principia verò demonſtrationis poſſunt ſeorſim conſiderari abſque hoc quod conſiderentur Concluſiones: Poſſunt etiàm conſiderari ſimul cum Concluſionibus pro vt principia in Concluſiones deducuntur; Conſiderare ergo hoc ſecundo modo ipſa principia, pertinet ad ſcientiam, quæ conſiderat etiàm Concluſiones: ſed conſiderare principia ſecundum ſe ipſa pertinet ad intellectum. Iſtæ igitur tres virtutes ſecundum D. Thomam non ex æquo diſtinguuntur

Digitized by Google

tur ab inuicem, ſed ordine quodam, vt accidit in totis poten ialibus. Ità Caietanus in art. 2. q. 57. cit. qui legendus eſt etiam in 2. poſt. c. 13. §. Circà Concluſionem Reſponſiuam &c. vbi mouet duo dubia. Primum an ad generationem habitus principiorum præexigatur neceſſariò experimentum, vel non, ſed ſufficiat ſenſitiua cognitio interior? Et dubium 2. eſt An habitus principiorum præexigat experimentum ratione cognitionis terminorum, an ratione complexionis eorumdem? Ex his Caietanus colligit plura ad diſtinguendum habitum principiorum ab habitu ſcientifico ordine quodam, & non ex æquo vt exponit cùm D. Th. in p. 2. q. 57. a. 2.

Quo ad 3. ponit hanc vnicam Concluſionem ex D. Th. in p. 2. q. 57. a. 2. iſtæ tres virtutes intellectuales, ſeù iſti tres habitus intellectus ſpeculatiui, ſcilicet Sapientia, Intellectus, & Scientia conuenientèr ſunt diſtincti intèr ſe ordine quodam, & non ex æquo.

Vnica Concluſio ponitur à Caiet. ex D. Th. cum ſua vnica probatione, ſcilicet quod tres illi habitus diſtinguuntur ordine quodam ex æquo.

Probatur à Caietano vnica ratione ex D. Th. Iſti tres habitus ſecundum ſe præciſè formaliter ſumpti habent ſuas definitiones proprias, ſiuè deſcriptiones: ergo ordine quodam conuenientèr ponuntur vt diſtincti in parte intellectiua ſpeculatiua. Conſequentia patet. Antecedens manifeſtatur ex ſingulis ſuis definitionibus, ſeù deſcriptionibus. Et primò de habitu perficiente intellectum ad conſiderationem Veri per ſe noti, qui vocatur intellectus, ſeù habitus principiorum, ſic deſcribitur ex ly Veri per ſe noti, vbi importatur, & eſſe principium, & in percipi ſtatim ab intellectu. Habitus verò, qui Sapientia dicitur, deſcribitur per hoc, quod perficit intellectum ad conſiderationem cauſarum altiſſimarum, & conſequentèr minùs cognoſcibilium quo ad nos, maximéq; cognoſcibilium ſecundùm naturam; & hæc deſcriptio innuitur à Philoſopho in p. Met. c. 1. vndè conuenientèr iudicat, & ordinat de omnibus, quia Iudicium perfectum, & vniuerſale, ait D. Th. haberi non poteſt niſi per reſolutionem ad primas cauſas, quod eſt vltimum reſpectu totius cognitionis humanæ, & de minus cognoſcibilibus quo ad nos ex 1. Phyſ. tex. 3. quia ea, quæ ſunt poſterius nota quo ad nos ſunt priora, & magis nota ſecundum naturam: quapropter quod eſt primum, & maximè cognoſcibile ſecundum naturam ſpectat ad Sapientiam. Habitus verò qui dicitur ſcientia deſcribitur per hoc, quod perficit, intellectum ad conſiderationem vltimò cognoſcibilium non reſpectu totius cognitionis humanæ, ſed vltimò cognoſcibilium in hoc, vel illo genere; & ponitur ly vltimò cognoſcibilium ad diſtinguendam ſcientiam, à ſapientia, quaſi dicatur, ſcientia differt à ſapientia, prima ſcientia eſt vltimò cognoſcibilium in hoc vel illo genere, ſapientia verò eſt vltimò cognoſcibilium abſolutè; & ly vltimò cognoſcibilium abſolutè; ideſt Concluſionum: Concluſio enim habet rationem termini, quia ſecundum diuerſa genera cognoſcibilium ſunt diuerſi habitus ſcientiarum, cùm tamèn ſapientia non ſit niſi vna ait D. Th. a. 2. cit.

Quod verò habitus principiorum non ſit ſcientia, ſed intellectus, iàm probauimus, addit Caiet. in 2. poſt. in principio c. 13. ex Ariſt. ibi, quia habitus principiorum cauſat ſcientiam, ſcientia autèm non eſt principium ſcientiæ, ſicuti nec demonſtratio demonſtrationis, & quia nullus verus habitus reſtat niſi intellectus, intellectus ergo erit habitus principiorum, & principium ſcientiæ, & principium principij. Ità Caietanus in 2. poſt. c. 13. cit.

Quo ad 4. Arguit primò Caietanus ex D. Th. in p. 2. q. 57. a. 2. Species non debet condiuidi generi, ſed ſapientia eſt quædam ſcientia vt dicitur in 6. eth. c. 7. ergo Sapientia non debet condiuidi ſcientiæ in numero virtutum intellectualium.

Argum. 1. Caiet. ex D. Th. cum ſua Reſp. ex eodem D. Thoma.

Reſp. Caiet. ex D. Th. quod Argumentum eſt ex quatuor terminis; & ideò non attingit propoſitum, diſtinguitur ergo Maior in ly non debet condiuidi generi vt

Digitized by Google

genus eſt, concedo; alitèr, nego; ſapientia enim non condiuiditur ſcientiæ tanquàm ſpecies generi ſuo, ſed tanquàm ſpecies alteri ſpeciei eiuſdem generis. Nàm ſcientia eſt genus in vno ſenſu, ſcilicet pro vt ex principijs demonſtrat Concluſiones: & eſt ſpecies in alio ſenſu, ſcilicet pro vt demonſtrat Concluſiones minùs altas, & minùs communes. In præſenti ſcientia ſumitur pro ſpecie, vt definiuimus ſuprà; in 6. eth. autèm ſumitur pro genere. Hinc D. Th. ad primum ait. Sapientia eſt quædam ſcientia in quantùm habet id, quod eſt commune omnibus ſcientijs, vt ſcilicet ex principijs demonſtret Concluſiones: ſed quia habet aliquid proprium ſuprà alias ſcientias, in quantùm, ſcilicet de omnibus iudicat, & non ſolùm quantùm ad Concluſiones, ſed etiàm quàntùm ad prima principia, ideò habet rationem perfectioris virtutis, quàm ſcientia. Ità Caietanus ex D. Th.

Argum. 2. Caiet. ex D. Th.

Arguit 2. Caietanus ex D. Th. virtus intellectualis, dicitur, quæ eſt in ipſo rationali per eſſentiam: ſed ratio etiàm ſpeculatiua, ſicut ratiocinatur ſyllogizando demonſtratiuè, ità etiam ratiocinatur ſyllogizando Dialecticè: ergo ſicut ſcientia, quæ cauſatur ex ſyllogiſmo demonſtratiuo ponitur virtus intellectualis ſpeculatiua, ità etiàm, & opinio.

Reſp. Caiet. ex D. Th. ad Arg. 2.

Reſp. Caiet. ex D. Th. diſtinguendo ly virtus intellectualis dicitur, quæ eſt in ipſo rationali per eſſentiam, & qua ſemper dicitur ſolummodo verum, concedo; alitèr, nego; quia opinione dicitur etiàm falſum. Vndè D. Th. ait quod habitus virtutis determinatè ſe habet ad Bonum, nullo autèm modo ad malum, vt dicitur in p. 2. q. 53. a. 3. & 4. Bonum autèm intellectum eſt verum, malum autèm eius, eſt falſum. Vndè ſoli illi habitus, virtutes intellectuales dicuntur, quibus ſemper dicitur verùm, & nunquàm falſum. Opinio verò, & ſuſpicio poſſunt eſſe veri, & falſi, & ideò non ſunt virtutes intellectuales vt dicitur in 6. eth. c. 3. Ità Caietanus ex D. Th. in p. 2. q. 57. a. 2. in Reſp. ad 3.

Appendices ad Lectionem 15. Metaphyſicalem in Tractatu Septimo de Potentijs Spiritualibus operatiuis eorumq; habitibus.

VEnerabilis Porrecta in formalitatibus, & Append. ſuper art. 2. q. 57. in p. 2. dat motiuum pulcherrimum Theologis Scholaſticis Catholicis omnibus inferendi prædictos tres habitus intellectus ſpeculatiuos intèr ſe diſtinctos, ex eo quia Sacra Scriptura, cùm nihil ſuperflui reperiatur in ipſa forma, & inſuper Philoſophi pro magno inconuenienti admittunt ſuperfluitatem in Philoſophia, diuiſim nominat, & diſtinctim prædictos tres habitus. In cap. 9. Eccl. dicitur. Nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos. Et Eccl. 1. In Theſauris Sapientiæ, Intellectus, & Scientiæ Religioſitas. Legas ipſum, ò Diſcipule Thomiſta, & D. Thomam in p. 2. art. 7. q. 68. vbi fit comparatio Donorum Spiritus Sancti intèr ſe, ſicut & fit intèr ſe de Virtutis Intellectualibus. Legas etiàm ipſum in art. 8. 2. 2. q. 4. (& art. 5. q. 47.) & 3. c. g. c. 44. cum Ferrarienſi ibi. Et de Verit. q. 1. a. 12, & a. 13.

Digitized by Google

LECTIO XVI. METAPHYSICALIS

In Tractatu Septimo

DE POTENTIIS SPIRITVALIBVS, EORVMQVE HABITIBVS.

Vtrùm Habitus ſcientificus ſit eſſentialitèr plures ſpecies intelligibiles ordinatæ, vel vna ſimplex Qualitas.

Caietanus in p. 2. q. 54. a. 4. § Ad euidentiam huius &c. & alibi.

Intelligentia cõtrouerſiæ data à Caiet.

CAietanùs ſic exorditur quæſtionem in p. 2. loc. cit. ex Reſponſione ad 3. S. Doctor quærit in art. 4. q. 54. Vtrum vnus habitus ex multis habitibus conſtituatur Controuerſia eſt, & apud exteros, & intèr nos Thomiſtas, vbi in Reſp. ad 3. quidam Thomiſtæ ſumunt occaſionem ex verbis D. Thomæ dicentes quod S. Thomas inclinauerit in hanc ſententiam, quod habitus ſcientiæ ſit illæ ordinatæ ſpecies intelligibiles ad vnam formalem rationem obiecti ſcibilis; & motiua ſic ſentiendi accipiunt iſti Thomiſtæ ex pluribus locis D. Thomæ, quæ videbimus, & gloſabimus in ſecundo loco præſentis lectionis. Alij verò Thomiſtæ cum alijs exteris, dicunt eſſe ſimplicem qualitatem quæ conſiſtit in quadam habilitate ad vſum illarum ſpecierum. Secunda pars lectionis eſt omninò contrà ſolos exteros, qui negant habitum ſcientificum eſſe vnum, & ſimplicem ſe extendentem ad tot rerum naturas, quot in vna ſcientia tractari contingit. Motiua eorum ſoluentur infrà in 4. loco. Ità Caietanus loc. cit.

1. Notab. Caiet. in quo explicatur quomodo habitus ſcientificus ponat in intellectu hæc duo, ſcilicet ſpecies intelligibiles, & habilitatem ad promptè conſiderandum Concluſiones ſcitas.

Quo ad primum Caiet. tenens ad mentem D. Thomæ eſſe ſimplicem qualitatem, & non eſſentialiter plures ſpecies ordinatas, docet a. 4. cit. ſic. Suppoſito pro nunc dari, & conſeruari ſpecies intelligibiles in intellectu ſecundum doctrinam Auctoris, & vnitatem ſpecificam ſcientiæ attendi penes vnitatem ſpecificam ſcibilis non in quantùm eſt in hoc, vel in illo genere ſubſtantiæ, vel quantitatis, ſed in quantùm eſt in genere ſcibilis, quorum vtrumque apud Auctorem eſt indubitatum, oportet ſtante hoc concedere, quod aliqua vna habitualis ſcientia ſecundum ſpeciem, puta Geometria, duas res ponat in intellectu noſtro. Prima eſt ſpecies intelligibiles linearum, angulorum, figuratum &c. Secunda eſt habilitas ad promptè, facilitèr, delectabiliterque conſiderandum Concluſiones ſcitas in Geometria. Primum patet ex eo, quod plura ſecundum ſpeciem non concurrunt ad vnum ſecundum ſpeciem niſi aliquo modo ordinata ad vnum illud, vt patet in pluralitate hethereogeneorum tàm in naturalibus, quàm in artificialibus. Quomodò enim ſpecies intelligibiles ſubiecti puta Lunæ, & ſpeciès accidentis puta ecclipſis, & ſpecies cauſæ mediæ puta interpoſitæ terræ &c. in vnum ſecundum ſpeciem actum ſciendi conue-

nient

Digitized by Google

nient niſi aliquo modo ordinatæ? & rurſus quomodò tot ſpecies rerum contentarum ſub vna ſpecie ſcibilis vt ſic conuenient niſi ordinatæ? vbi enim pluralitas ſine ordine ibi confuſio. Secundum exponit ſic Caier. Intellectus cum ſit ſecundum ſe tabula raſa, non eſt ſecundum ſe ordinatus ad vſum talium ſic coordinatorum ad ſcibile vnum, ſed opportet per aliquam ſibi ſuperadditam qualitatem reſpicientem per ſe primò illud ſcibile determinari ad promptè, faciliter, & delectabiliter vtendum quibuſcumque ſpeciebus, & actibus in ordine ad illud; hanc autèm qualitatem habilitatem, conſtat eſſe vnam iuxtà vnitatem ſui obiecti, ac per hoc vnius ſpeciei ſpecialiſſimæ, & conſequentèr qualitatem ſimplicem, cùm ſpecies ſit qualitatis his autèm duobus concurrentibus in intellectu profectò ſecundum aliquam ſcientiam, quid horum non habitus, ſed habitus talis, ſcilicet ſcientiæ humanæ, rationem habitus eſſentialiter habeat. Notantèr dixi non habitus, quia conſtat quod ſpecies intelligibiles apud S. Thomam ſunt habitus intellectuales; & ſimiliter dixi ſcientiæ humanæ, quia conſtat in Angelis habitus ſcientiæ non eſſe niſi ſpecies intelligibiles. Et non aduertere ad hæc duo fuit fortè occaſio erroris aliquibus. Ex his pro nunc accipito hoc ſolum, quod habitus ſcientiæ comparatur ad diuerſa ſcire diuerſarum Concluſionum, vt ad partes in potentia quidem, quando eſt imperfectus: in actu verò, quando eſt perfectus. Ità Caiet. p. 2. q. 54. a. 4. §. Quo ad primum, & quo ad ſecundum.

Notab. 2. Caiet. in quo declarantur quatuor habitudines ad ſpecies intelligibiles ordinatas, & diuerſitatem earum, quas vt qualitas ſimplex ponit in intellectu habitus ſcientiæ.

Notat 2. Caietanus ibidem quod habitus ſcientiæ vt ſimplex qualitas quatuor habet habitudines ad ſpecies intelligibiles vt ordinatas, & ad diuerſitatem earum. Prima eſt effectus ad cauſam; ſecunda cauſæ ad effectum: quia ſicut in ſcientia duplex eſt ordo, primus eſt partium vnius, & eiuſdem demonſtrationis; Secundus diuerſarum demonſtrationum intèr ſe; ità eſt duplex collectio ordinata ſpecierum intelligibilium. Prima eſt ſpecierum, facientium vnam demonſtrationem; ſecunda eſt ſpecierum facientium ſecundam demonſtrationem cum ſpeciebus facientibus primam, & ſic deinceps. Prima collectio eſt cauſa habitus ſcientifici, quia eſt cauſa actualis ipſius ſcire, ideſt effectus demonſtrationis, quod eſt cauſa ipſius habitus ſcientifici: habitus enim ſciendi ex actu ſciendi generatur. Et ſcito, quod non ſolum collectio ſpecierum pro prima demonſtratione eſt cauſa habitus ſcientifici, ſed ſingulæ collectiones pro ſingulis ſuccedentibus demonſtrationibus ſunt cauſæ ipſius habitus diuerſimodè tamèn, quia prima eſt cauſa generatiua, aliæ verò ſunt cauſæ augmentatiuæ augmento extenſiuo, ſicut prima demonſtratio facit habitum, ſubſequentes autèm extendunt illum. Secunda autèm collectio quo ad vnitatem ordinis eſt effectus ipſius habitus, quia intellectus adepto iàm habitu, & determinatus iàm ad obiectum ſcibile tale, efficitur potens ad ordinandum alias ſpecies ad acquiſitam rationem talis obiecti. Et ſicut prima demonſtratio in ſcientia vna, eſt principium ſecundæ, ità proportionaliter habitus acquiſitus prima demonſtratione inchoat ſcire actuale ſecundæ Concluſionis adiuuando ad adunandum, & ordinandum ſpecies pro ſecunda demonſtratione, & ſic deinceps, & hoc quia per ſe primò, vt dictum eſt, reſpicit formale obiectum.

Tertia habitudo complementi quo ad inchoationem declaratur.

Tertia habitudo quæ eſt complementi quo ad inchoationem patet ex eo, quod cum obiectum proprium habitus, ſit etiam obiectum licet partiale potentiæ, & ſcibile, puta vnitas, & numerus in Arithmetica obijcitur prius ordine generationis intellectui primam demonſtrationem formanti per ordinatas illius demonſtrationis ſpecies quàm habitui, qui requiritur in intellectu ex ſcire facto per demonſtrationem, ſed potentia intellectus ad tale obiectum, vt ſcibile non niſi inchoatiuè determinatur per huiuſmodi ſpecies ordinatas, quia non niſi vt ordinantur ad ſcientiam illius obiecti, vndè completiuè determina-

tur

tur per habitum, quo iàm intellectus non vt in via quemadmodum per ſpecies ordinatas, ſed vt in termino; nec per modum paſſionis tranſeuntis, quemadmodum per actum ſciendi, ſed firmitèr, & quaſi immobilitèr p ter obiectum illud ſcibile vt ſic. Quarta habitudo, quæ eſt totius ad partes non eſſentiales, nec integrales, ſed poſſibiles, patet ex hac præcedenti, & ex repreſentatione ſpecierum, & ex potentijs antedictis, & ex actibus ſciendi diuerſas Concluſiones, & retrogrado ordine procedendo, ſi actus diuerſi ſciendi diuerſas Concluſiones in vna ſcientia veluti partes habentis habitus, & diuerſæ ſpecies diuerſos huiuſmodi actus habentes, ordinantur, conſequens eſt, vt ipſæ quoque ſpecies in partium coordinationem cadant. Et idem ſequitur de potentijs;& cùm noſtra ſciẽtia duo exigat, aſſimilationem intellectus ad res, de quibus eſt ſcientia, & determinationem intellectus ad cõponendum, & diuidendum, & diſcurrendũ intèr huiuſmodi res. Et cùm primum fiat per ſpecies intelligibiles, ſecundum autem per illam qualitatem habilitantem intellectum ad tale ſcibile. Et conſtet quod primum ordinetur ad ſecundum in quo conſumatur ſcientia; conſequens eſt quod ſpecies intelligibiles repreſentando ea, de quibus eſt ſcientia, claudantur ſub ſcientia tanquàm ſecundaria ſub principali, ac per hoc ſcientia habet per ſe ipſam actum componendi &c. per ſpecies verò habet actum repreſentandi; ſicut prudentia per ſe ipſam præcipit, & per Eubuliam conſiliatur. Cùm igitur determinatio intellectus ad ſcibile plura exigat, & in ſpeciebus intelligibilibus ordinatis inchoatiuè ſit, & in qualitate illa ſimplici conſumetur, conſequens eſt, quod ſpecies intelligibiles tanquàm partes potentiales ſcientiæ ſint, vigilandumq; ſit, cùm de attributis, conditionibus, ſeù actibus ſcientiæ eſt ſermo, quid ei conueniat immediatè, & quid mediante parte potentiali, quid ſimplicitèr, & quid ſecundùm partem. Ità Caietanus art. 4. cit. §. Quo ad tertium ſcito &c.

Quarta habitudo totius ad partes poſſibiles declaratur à Caiet.

Notat 3. Caietanus ibidem quod Terminus augmenti habitus ſcientifici non eſt omninò noua entitas. Et oportet ad hoc præmittere duo. Primum eſt quod actus ſciendi habitus ſcientifici ſunt duplices, quidam ſecundum vnam, & eandem demonſtrationem, quidam ſecundum aliam demonſtrationem, ac Concluſionem. Et hi actus ſic ſe habent, quod primi ſunt omnino eiuſdem rationis, vt patet; ſecundi autèm aliquo modo ſunt eiuſdem rationis, & aliquo modo diuerſæ; ſi enim ſumantur in ordine ad diuerſas ſpecies intelligibiles, à quibus fiunt, ſic cum ſpecies tertiæ demonſtrationis diſtinguantur ſpecie à ſpeciebus ſecundæ, etiàm ipſi actus erunt diuerſarum rationum; ſi verò ſumantur in ordine ad habitum ſcientificum, & eius formale obiectum, ſic ſunt vnius rationis, ſicut, & habitus, & obiectum ſunt vnius ſpeciei ſpecialiſſimæ. Et licet ad habitum pertineant iſti actus vtroq; modo, quia tamèn principaliter pertinent ad ipſum ſecundo modo, ideò licet tolerari poſſit ſermo dicens, actus ipſos eſſe diuerſarum rationum; formaliùs tamèn dicuntur eiuſdem rationis quando de vnitate habitus eſt ſermo. Secundo præmittendum eſt, quod habitus ſcientificus habet duas latitudines diuerſarum rationum, intenſiuam, ſcilicet, & extenſiuam reſpondentes duplicibus ſupradictis actibus, ità quod quantitas intellectiua eius angetur ex actibus frequentibus circà idem; Identitas verò extenſiua augetur ex aduenientibus actibus demonſtratiuis circà diuerſa; & ſicut in formis materialibus calor, & latitudo eius intenſiua, & extenſiua non ſunt tres entitates, ſed vna habens duas conditiones ità in habitu. Sic Caietanus art. 4. in Reſp. ad tertiam rationem Gregorij, & Aureoli.

Notab. 3. Caiet. in quo dicitur quod terminus augmenti habitus ſcientifici non eſt omnino noua entitas.

Quo ad ſecundùm Caietanus de mente D. Thomæ dicit ſic. Tria dicit D. Th. primò quod habitus ſcientiæ eſt ſimplex Qualitas; ſecundò quod ſe habet ad ſcire diuerſas Concluſiones; & tertiò quod ſe habet ad ſpecies intelligibiles, & diuerſi

Opinionem propriam Caiet. ponit de mente D. Th.

tatem

Digitized by Google

quod habitus ſcientiæ ſit ſimplex qualitas. & omnia loca quæ videntur ſonare oppoſitum trahit, & declarat in proprio ſenſu.

tatem earum per quatuor habitudines explicatas in ſecundo Notabili. Et in p. 2. quando D. Thomas dicit in p. 2. quæſt. 52. art. 2. quod ſcientia augetur ſecundum ſe per additionem, ly augetur ſe habet extenſiuè, vt ſemet declarat infrà in p. 2. quæſt. 66. art. 1. vbi repetita diſtinctione de augmento formæ ſecundum ſe ipſam, & ex parte ſubiecti participantis, dicit, quod magnitudo, vel paruitas formæ ſecundum ſe ipſam attenditur ſecundum ea ad quæ ſe extendit; & quia ſcientia modò ad pauciora, modò ad plura ſe extendit, ideò ſic ſuſcipit augmentum. Virtus autèm Moralis, quia ad omnia opportet quod ſe extendat, ideò non ſic augetur; vndè ex hoc quod Auctor dicit ipſam augeri per additionem, nil aliud habetur, niſi quod augetur extenſiuè, quia ad plura continuè ſe extendit, ex hoc verò, quod dicit ſecundum ſe ipſam ſic augeri, non habetur, quod in ipſa eſſentia fiat additio; ſed quod ex ipſa eius ſpecifica ratione, habet quod ſic augeatur, vt in quæſt. 52. cit. declaratur, & declaratio eſt aſportata in Phyſica 5. Phyl. quæſt. 2. & 3.

Quandò autèm Auctor in quæſt. 65. art. 1. ad 1. inductiuè inducit Geometram modico ſtudio acquirere ſcientiam Concluſionis, quam nunquam conſiderauit: ex hac auctoritate non debet inferri; ergò aliquid nouum acquiritur modico ſtudio, quia hoc intelligendum eſt iuxtà ſenſum à ſe illi datum, vt declarauit in quæſt. 54. art. 4. cit. ad 3. quia intendit de acquiſitione non terminante generationem ſcientiæ, ſed terminante augmentationem eiuſdem, ità quod Geometria modico ſtudio acquirit demonſtratione augmentante ſcientiam, notitiam Concluſionis, quam nunquàm conſiderauit: hoc eſt enim acquirere ſcientiam nouæ Concluſionis, quamuis non ſit acquirere ſcientiam illam ſimplicitèr ideſt acquirit illam in quantùm eſt ſcientia illius Concluſionis, quam nunquàm conſiderauit, quamuis non acquirat illam ſcientiam ſimplicitèr.

Nec etiàm obſtat id quod dicit in quæſt. 67. art. 2. ſcilicet quod ſpecies Intelligibiles ſe habent ad ſcientiam, vt formales, phantaſmata autèm vt materialia, quia ſpecies intelligibiles ſunt principia actuum, ex quibus fiunt virtutes intellectuales, ac per hoc dicuntur formales in virtutibus intellectualibus, cum quo ſtat, quod non ſunt eſſentiæ ipſæ virtutum intellectualium. Et ſic ex his patet quod Auctor in p. 2. non declinat modo in hanc, modo in illam viam, ſed firmitèr tenet, eſſe ſimplicem qualitatem.

Ad illam ex 3. p. a. 2. q. 12. vbi Auctor videtur velle expreſsè ſcientiam augeri per ſucceſſiuam generationem ſpecierum intelligibilium, & dicit hoc augmentum eſſe ſecundum eſſentiam ipſius habitus ſcientiæ Reſp. Caiet quod labor eſt in æquiuoco, quoniam ſcientia ſumitur ibi pro notitia intellectuali habituali, qua cognoſcuntur omnia quæ poſſunt lumine intellectus agentis cognoſci, talem autèm notitiam acquiſitam conſtat eſſe vnum aggregatione, & non ſimplicitate, in præſenti loquimur de aliqua vna ſcientia ſecundum ſpeciem. Et verè Auctor nihil aliud intendit, niſi quod in Chriſto fuit augmentatio habitualis notitiæ ſecundum eſſentiam, ideſt quod ipſa eſſentia habitualis notitiæ augebatur, & hoc probat, quia per additionem formæ ad formam. Et licet hæc expoſitio litteralis, ſit ſufficiens ad propoſitum, poteſt tamén alitèr dici, quod quia augmentum ſcientiæ intenſiuum occultum eſt, extenſiuum verò etiàm occultum, niſi ſecundum annexam generationem ſpecierum intelligibilium, ſic Auctor ſcientiæ profectum ſecundum eſſentiam diſtinguebat contrà profectum quo ad effectum; ideò ex vna, & eadem parte locans habitum ſcientiæ ſecundum ſe cum ſpeciebus intelligibilibus, & ex alia effectum à notioribus, ſcilicet ſpeciebus intelligibilibus, declarauit profectum ſcientiæ in Chri-

ſto,

ſto, & vocauit augmentum ſecundum eſſentiam, vt diſtinguitur contrà effectum: & hoc ſufficiebat propoſito ſuo. Prima tamèn expoſitio omninò amplectenda eſt. Ità Caietanus in loc. cit.

Ad auctoritates autèm ex quæſt. de ver. & 3. ſent. quamuis poſſet dici, quod Auctor vſus eſt opinione illa, antequàm componeret ſuam ſummam; & quod in hac propriam ſententiam explicauerit; attamèn ſingulæ poſſunt ſano modo intelligi: quia in quæſt. 8. loquitur de particularibus ſcientijs actualibus, id eſt de diuerſis demonſtrationibus diuerſarum Concluſionum, ad quas ſecundum ſpecies intelligibiles earum ſe habet habitus ſcientiæ, vt totum ad partes potentiales. In quæſtione verò 10. non dicit quod ordinatio ſpecierum ſit habitus, ſed quod efficiat habitum, quod concedimus vt patet ex dictis. In quæſt. autèm 24. expreſsè patet, quod ibi recitatiuè loquitur opinionem illam, & nihil illius opinionis approbat, niſi quod ſpecies conſeruentur, & quod vis conſeruatiua eſt memoria intellectiua.

Ad illam ex 3. ſent. diſt. 14. quantæ ſit auctoritatis illud dictum manifeſtat ipſe Auctor in 3. p. quæſt. 11. art. vlt. vbi iterum tractans eandem quæſtionem, oppoſitum determinat; vndè tu Thomiſta aduerte, addit Caietanus, quod ex quod intellectus habet ſingulas ſpecies ſecundum ſingulas naturas, ſolùm ſequitur quod habet diuerſos habitus ordinantes illas ad diuerſa ſubiecta ſcibilia; non tamèn ſequitur, quod ipſæ ſpecies ordinatæ ſint habitus ſcientificus, ſed ſunt habitus intellectus inchoantes habitum ſcientiæ, & partes eius potentiales vt dictum eſt: ſi enim in intellectu noſtro eſſent vniuerſales formæ, vt ſunt in Angelis non opporteret iuxtà ſcibilium ſpecies ordinare, ſed vna ſpecie in totam vnam ſcibilis ſpeciem ſe haberet vnico etiàm actu ſciendi. Hæc de auctoritatibus D. Thomæ, ex quibus cum Doctrina data in notabilibus, poſſunt aliæ, ſi quæ ſunt, facilè interpretari. Ità Caietanus in p. 2. quæſt. 34. art. 4. in §. quo ad 4.

Quòad tertiùm. Vnica Concluſio ponitur à Caietano de mente D. Thom. in 1. 2. quæſt. 54. art. 4. §. Ad euidentiam huius difficultatis &c. tali pacto. Scientia de qua loquimur, non eſſentialitèr eſt, vt volunt quidam ex noſtra Schola plures ſpecies intelligibiles ordinatæ, ſed contrà exteros, dicenda eſt ſimplex qualitas. *Concluſio vnica Caietani reſponſiua quæſiti de mente D. Th. cum ſua 1. probatione, ſcilicèt quod habitus ſcientificus ſit ſimplex Qualitas.*

Probatur Concluſio à Caietano tali forma. Nulla ſpecies qualitatis eſt compoſita ex pluribus qualitatibus diuerſarum ſpecierum, quales ſunt ſpecies intelligibiles. Hoc antecedens ſupponit, quod habitus ſcientificus ſit eſſentialitèr in prima ſpecie qualitatis, vt vna eius ſpecies ſpecialiſſima: ergò ex antecedenti hoc ſuppoſito, ſequitur, quod ab illis vel negandum eſt ſcientiam eſſe habituum ſpeciem eſſentialitèr in genere qualitatis; vel concedendum eſt ab ipſis non eſſe formalitèr ſpecies ordinatas, ſed qualitatem ſimplicem ad vtendum illis: hæc ſecunda pars ſequelæ de ſe eſt manifeſta. Prima pars ſequelæ probatur, quia opportet ponere ipſam eſſe vnam ordine, ſicut ponunt exercitum eſſe vnum ordine, & ſic quantùm ad ipſum formale in genere qualitatis, & quantùm ad materiale ſolùm in genere qualitatis, quod repugnat doctrinæ datæ in Tract. de habitibus.

Manifeſtatur hoc: putandum eſt enim, ait Caietanus, quod in vna Scientia puta Metaphyſica, inuenitur in illa intellectus perfectus ſic diſpoſitus, quod habet ſpecies intelligibiles Elementorum, Mixtorum, Plantarum, Animalium, hominum, quanti, qualis, relationis, motus, &c. benè diſpoſitas, quatenus repreſentant gradus Metaphyſicales, id eſt ſpectantes ad Ens in quantùm Ens, & quod habet qualitatem quamdam determinantem ipſum non ſolùm ad vtendum, ſeu ponendum, & ordinandum ſpecies in tali ordine; & ſic putandum eſt, quod *Manifeſtatio 1. data à Caietano pro Concluſione.*

Digitized by Google

hæc qualitas eſt habitus ſcientiæ, qui dat formalitèr intellectui facultatem faciendi huiuſmodi diſpoſitionem in ſpeciebus, & vtendi illis promptè, facilitèr, & delectabilitèr. Et hoc habet ex hoc quod per ſe primò reſpicit rationem formalem obiecti ſcibilis ſpecificantem, & vnitatem ſpecificam præbentem ipſi: Primum enim in vnoquoque eſt cauſa cæterorum. Et ſic quod illæ ſpecies ad illud vnum ordinentur, ex habitu habent, cui per ſe primò conuenit ordinari, & non è conuersò. Ità Caietanus loc. cit.

Manifeſtatio, & probatio 2. Concluſionis ſuprà.

Manifeſtantur ſecundò à Caietano prædicta: Cogita, vt plenius intelligas, quod in intellectu in quo oritur Geometria, eſt potentia ad ſcire primam Concluſionem, & potentia ad ſcire ſecundam, & tertiam, & ſic de alijs; & quod habitus ſcientiæ incipiens perficit intellectum ſecundum primam potentiam, deindè per ſecundam extenditur per demonſtrationem ad perficiendum intellectum in ſecunda potentia; & per tertium extenditur ad perficiendum ſecundum tertiam, & ſic deinceps: Nec refert ſi omnes iſtæ potentiæ ſint multæ partiales potentiæ, aut ſint vna; quoniam ſi ponatur vna ſola potentia ad ſcire omnes Concluſiones, illa potentia vna formalitèr, & multæ æquiualentèr, eidem habitui ſubijcitur paulatim, ac ſi eſſent multæ potentiæ, quibus æquiualet; ſi verò ponantur multæ partiales, tunc habitus ſcientiæ habebit pro partibus ſubiecti non ſolum multos actus ſciendi, ſed potentias ad illos. Quomodolibet ergò ponatur, referendum eſt ad habitus ſcientiæ comparatæ ad ſcire diuerſarum Concluſionum, & potentias, ſiuè diſtinctas, ſiuè non ad illa ſcire, vt ad partes habentis ipſum. Ex hoc manifeſtatur augmentum ſcientiæ extenſiuum, quod Auctor vocat per additionem: Ex hoc enim quod intellectus vt eſt in potentia ad ſecundam Concluſionem non remanet interminatus, ſed ſubijcitur illi qualitati ſimplicitèr reſpicienti obiectum primum: extenditur habitus ad occupandum non partem loci, ſed partem potentiæ, quam priùs non actuabat. Et hoc benè nota, quoniam his ſoluentur obiecta. Ità Caietanus in art. 4. cit. §. Quo ad 2. &c.

Arg. 1. Caiet. ex Aureolo, & Gregorio contrà Concl. quod non ſit ſimplex qualitas probans oppoſitum ex parte operationis.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus quod ſcientia non ſit ſimplex Qualitas in 1. 2. quæſt. 54. art. 4. §. Aliorum autem, &c. ex Aureolo, & Gregorio. Et primò ſic. Si Habitus eſſet ſimplex Qualitas, ſequeretur quod habens habitum ſcientificum primæ Concluſionis in Geometria, poſſet exire in actum ſciendi cæteras Geometriæ Concluſiones, quas nunquàm conſiderauit: Sed hoc eſt falſum: ergò, &c. probatur ſequela, quia habitus ſcientiæ primæ Concluſionis per te, & habitus omnium reliquarum ſunt eiuſdem rationis ſpecialiſſimæ, licèt differant ſecundum perfectum, & imperfectum; conſtat autèm quod in quemcumque actum poteſt aliqua forma, poteſt quælibet eiuſdem rationis ſpecialiſſimæ. Nec valet, ait Gregorius, ſi dicatur quod iſta maxima tenet ſolùm in formis eiuſdem rationis, & æquè perfectis: quia differentia ſecundum perfectum, & imperfectum non tollit, aut dat ſubſtantiam Actionis, ſed variat actionem etiàm ſecundum perfectum, & imperfectum: Minimus enim Calor poteſt calefacere, & exſicare, quamuis non ità perfectè, ſicut intenſus Calor. Vndè Auuerroes in primo Cœli Comm. 19. & in 3. Cœli Comm. 92. expreſsè dicit, quod vbi eſt eadem forma, eſt eadem actio ſecundum ſpeciem, licet magis, vel minus perfecta.

Reſponſio Caiet. ad 1. rationem Aureoli, & Gregorij.

Reſp. Caietanus primò, quod illa maxima in quemcumque poteſt &c. non eſt vera, nec probata, nec aſſumpta ab Auuerr. niſi in formis ſimplicibus ſecundum eſſentiam, & potentias, quales ſunt formæ homogeneorum. In formis autèm hæterogeneorum, quæ ſunt ſimplices ſecundum eſſentiam, multiplices autèm ſe-

Digitized by Google

ſecundum potentiam eſt falſa illa maxima : Manifeſtum eſt enim, quod animal modo genitum, & poſteà perfectum, ſunt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ, & tamen Animal perfectum poteſt in actum generationis : Imperfectum verò non; vndè propoſitio ſic vniuerſalitèr prolata eſt contrà Ariſt. 4. Methe. ponentem differentiam intèr perfectum, & imperfectum in hoc, quod perfectum vnumquodque eſt, cum poteſt generare ſibi ſimile; vndè cum habitus ſit forma ſimplex in eſſentia, & multiplex in potentia, quia habet & ſpecies intelligibiles, & potentiam ſubiecti ad diuerſas Concluſiones vt partes, illas ex parte ſui, iſtas ex parte ſubiecti ſui, conſequens eſt vt ipſo ſcientifico habitu locum non habeat propoſitio illa, ſed in aliquid poteſt perfectus, in quod non poteſt imperfectus.

Reſp. ſecundò Caietanus ad Maiorem Argumenti quod ibi eſt ſophiſma figuræ dictionis, quia mutatur quid in quantùm. Cùm enim demonſtrationes, & Concluſiones eiuſdem ſcientiæ ſint ordinatæ, & vna oriatur ex alia actus ſciendi ſequentis, includit in ſe perfectionem præcedentis, & addit : Non enim ſcit, qui neſcit reſoluere Concluſionem quintam in primam : & ſic poſſe in ſcire quintam Concluſionem, eſt poſſe in maius ſcire, quàm poſſe in ſcire primam Concluſionem, ac per hoc patet mutari quid in quantùm, dum ſub ly in quemcumq; actum, ſubſumitur tantus actus. Ità Caietanus loc. cit.

Reſp. 2. Caiet. ad idem Argum.

Arguit ſecundò ibidem Caietanus ex prædictis. Habitus habentes diuerſas generationes, corruptiones, intenſiones, & remiſſiones ſunt diuerſi : ſed reſpectu primæ, & centeſimæ Concluſionis habitus ſcientifici Geometriæ ſunt huiuſmodi : ergò &c Minor quò ad intenſionem, & remiſſionem eſt clara; quò ad corruptionem patet ex obliuione centeſimæ demonſtrationis, ſeù medij ſtante prima : & tunc patet, quod opportebit aliam generationem fieri; ergò ſicut probatum eſt ſuprà ex parte operationis, ſic probatur modo ex parte generationis habitus, habitum ſcientiæ non eſſe ſimplicem qualitatem.

Arg. 2. Caiet. ex Aureolo contrà idem quod ſuprà ex parte generationis habitus.

Reſp. Caietanus, quod habere diuerſas generationes, corruptiones, & intenſiones, contingit duplicitèr primò vt ſic, ſit vnius, quod nullo modo mutetur alterum, & ſic tranſeat diſtinctio realis talium. Alio modo vt non poſſit vnius eſſe, niſi in vno alterum redundet, & ſic non infert diſtinctionem talem illorum : Cùm enim Animal aliquod augetur, ſic generatur noua quantitas, vt antiqua nouo modo ſe habeat, & ſimilitèr minuitur. Et proptereà non ſequitur : ergò eſt alia realitèr quantitas noua ab antiqua. Et ſimile eſt in motu intenſionis, & remiſſionis. Sic in habitu ſcientifico, cum generatur ſcire ſecundæ Concluſionis, habitus præcedens extenditur; & è contrà, minuitur obliuione. Et de augmento intenſionis, perindè eſt, ac ſi albedo intenderetur in vna parte ſubiecti, & non in alia, vt ſuprà magis patebit. Ità Caiet. loc. cit.

Reſp. Caietani ad ſecundam rationem Aureoli.

Arguit tertiò Caietanus. Habitus Geometriæ per vos duplicitèr augetur, ſcilicèt per actus frequentatos circà eamdem Concluſionem, & per actus circà diuerſas ſucceſſiuè Concluſiones. Aut ergò hoc augmento duplici acquiritur diuerſa ſecundum ſpeciem entitas abſoluta in illo habitu, aut eadem; ſi diuerſa, ergò habitus ille non eſt ſimplex qualitas; ſi eadem, ergò ſiue hoc, ſiuè illo modo generetur ad idem inclinabit; ſicut quia Calor eiuſdem rationis rem ſuſcipit quomodocumque intendatur, ideò ſiuè à Sole, ſiuè ab Igne intendatur, in id poteſt eſſe intenſus; & tunc ſequitur, & quod frequentans actum circà primam Concluſionem, acquirat, ſeù formet notitiam Centeſimæ, & quod demonſtrans centeſimam Concluſionem intendat notitiam primæ.

Arg. 3. Caiet. ex Aureolo ſeſumptum ex augmento habitus.

Reſp. Caietanus, quod habitus ſcientiæ augetur per vtroſque actus, ſcilicèt

Reſp. Caiet ad 3. rationem Aureoli.

Digitized by Google

circà eamdem, & circà diuerſas Concluſiones, & quod neutrius augmentationis terminus eſt noua entitas omninò, & conſequentèr nec eiuſdem, nec diuerſæ rationis, ſed antiqua nouo modo ſe habens ſecundum latitudines diuerſarum rationum. Nàm augmentum per actus circà idem, terminat habitus ſecundum latitudinem intenſiuam; Augmentum verò habitus per actus circà aliud terminat idem habitus ſecundum latitudinem extenſiuam, quam conſtat eſſe conditionem alterius rationis; ex hoc autèm quod idem habitus habet vtramque quantitatem non ſequitur quod ſit compoſitus ex duabus rebus diuerſarum rationum, ſed ſolùm quod habeat duas quantitates non molis, ſed perfectionis diuerſarum rationum identificatas realitèr ſibi, vt diximus in vltima Adnotatione Ità Caietanus loc. cit.

Arg. Caiet. 4. ex Aureolo ſumptum ex parte oppoſitionis.

Arguit Caietanus ex parte oppoſitorum. Scientia primæ Concluſionis non opponitur ignorantiæ etiàm prauæ diſpoſitionis tàm actualis, quàm habitualis Centeſimæ, quia ſtant ſimul in eodem vt patet: ergò non eſt eadem ſimplex qualitas habitus vtriuſque. Patet ſequela, quia eædem qualitates ſecundum ſpeciem, habent eamdem qualitatem ſecundum ſpeciem contrariam.

Reſp. Caiet. ad 4. rationem Aureoli.

Reſp. Caietanus, quod quia habitus ſcientificus comparatur ad potentias intellectus reſpectu diuerſarum Concluſionum, vt partes ſubiecti vt ex 5. Met. eſt deductum ſuprà, conſequens eſt quod habitui perficienti intellectum ſecundum potentiam ad primam Concluſionem, non contrarietur etiàm habitus prauæ diſpoſitionis in eodem intellectu ſecundum potentiam reſpectu ſecundæ Concluſionis; ſicut albo ſecundum vnam partem non contrariatur nigredo eiuſdem, vt eſt in parte propinqua; Nec ſuſpiceris voluntariam, aut chimericam eſſe hanc partium potentiæ ſubiecti habitûs adinuentionem, quia ſi notaueris, quæ ſcripta ſunt in 1. 2. ab Auctore, inuenies intèr alia in quæſt. 50. art. vltimo, quod etiàm in Angelis ſunt partes potentiæ, in quantùm intellectus eorum per plures ſpecies perficitur, & voluntas eorum ſe habet ad plura. Quid clariùs? Hoc eſt quod diximus, nàm conſtat, quod in quantùm intellectus noſter eſt in potentia ad aliam, & ad aliam Concluſionem, & demonſtrationem, eſt in potentia ad diuerſas ſpecies, & ad proportionalitèr plura, ſicut voluntas. Et hoc, vt diximus, fit manifeſtum ex ipſo motu augmenti extenſiui: proportionalitèr namque hæc ſe habent in indiuiſibilibus ſecundum quantitatem molis partes potentiæ, ſicut in rebus materialitèr quantitatis partis quantitatiuæ, quando augmentatio extenſiua ad occupandam nouam loci partem terminatur in materialibus formis. Et hæc ſufficiant de tota materia præſentis Lectionis. Ità Caietanus in p. 2. quæſt. 54. art. 4.

Appendices ad Lectionem 16. Metaphyſicalem in Tractatu ſeptimo de Potentijs ſpiritualibus eorumque habitibus:

DIv. Thom. in art. 2. quæſt. 53. in p. 2. ait, Habitus ſecundùm ſe conſideratus eſt forma ſimplex, & ſecundum hoc non accidit ei diminutio, ſed ſecundum diuerſum modum participandi, qui prouenit ex indeterminatione potentiæ ipſius participantis, quæ ſcilicèt diuerſimodè poteſt vnam formam participare, vel quæ poteſt ad plura, vel ad pauciora ſe extendi. Et in Reſp. ad 3. ait, quod eadem ratio eſt in habitibus, & alijs qualitatibus, niſi quod quidam habitus augentur, vel diminuuntur per quamdam additionem, vt in quæſt. 52. art. 1. dicitur, & diffusè explicatur ibi à Caietano de qua additione fit ſermo, & in ſua Phyſica quæſt. 2. 5. Phyſ. & in quæſt. 3. vbi quæritur an motus augmenti ſit propriè circà quantitatem. Et in 2. 2. quæſt. 24. art. 4. & in ſua Logica cap. de quali

habet

Digitized by Google

habet plura de hoc augmento. Legas etiàm Venet. Porrectam ſuper omnes hos art. cit. Et quod habitus ſcientificus non ſit illa ordinatio ſpecierum, legas Caietanum in ſua Phyſica lib. 1. Phyſic. quæſt. 26. & vltima de augmento Gratiæ Chriſti Domini Viatoris, & 3. p. quæſt. 7. art. 11. & 12. Legas etiàm Magiſtrum Goudin in 3. parte ſuæ Phyloſophiæ Metaphyſicalis in art. 3. quæſt. 5. vbi quærit an quælibet ſcientia ſit vna ſimplex Qualitas; & probat ibi cum D. Thom. p. 2. quæſt. 54. art. 4. cum Caietano eſſe ſimplicem qualitatem. Vide alios ſapientiſſimos Thomiſtas Godoy, Arnù, & Io: à S. Thoma.

LECTIO XVII.
METAPHYSICALIS
In Tractatu Septimo
DE POTENTIIS SPIRITVALIBVS EORVMQVE HABITIBVS.

Vtrùm certitudo Sapientiæ, Scientiæ, & Intellectus, ſit maior certitudine Fidei.

Ex Caiet. in 2. 2. quæſt. 4. art. 8. & quæſt. 1. art. 4. & 5. & quæſt. 2. art. 1. & 3. & alibi.

CERTITVDO, ait Caietanus in loc. cit., nihil aliud eſt quàm determinatio intellectus ad verum; vndè quærere, Vtrùm Fides ſit certior Sapientia &c. eſt quærere Vtrùm intellectus hominis ſit magis determinatus ad ea quæ ſunt ſapientiæ, ſcientiæ &c. ideſt magis firmitèr ea teneat, quàm illa quæ ſunt Fidei, ideſt illa quæ humana ratione ſapit, ſcit, & intelligit ſint certiora illis, quæ credit Fide Diuina; & hoc duplicitèr, vel ſint certiora ex cauſa, vel certiora ex parte obiecti, ideſt an ſint certiores habitus prædicti intellectuales, ſecundum quod ponuntur virtutes intellectuales à Philoſopho in 6. Eth. cap. 3. 6. & 7. & non ſecundum quod ponuntur dona Spiritus Sancti in præſenti vita, ipſo habitu Fidei, vel quia habent certiorem cauſam, vel quia obiectum pleniùs conſequuntur intellectus hominis. Et eſt ſermo de certitudine, vel ſimplicitèr, vel quo ad nos, an ita ſint certiores prædicti tres habitus, quàm habitus Fidei, ità quod intellectus per ipſos ſit magis terminatus in viſione ſui intelligibilis, quàm quod ſit in Fide, ità vt nullus motus dubitationis accidat credenti, ſed potiùs accidat ſcienti, ſapienti, vel intelligenti. Ità Caiet. ex D. Thom. in 2. 2. quæſt. 4. art. 8. & in corp. art. & in Reſp. ad 1.

Declaratio Tituli eiuſque ſenſus data à Caietano.

Quò

Primum Notabile Caiet. in quo explicatur quomodo ex illis tribus quæ habent virtutes illæ tres intellectuales, vndè certiores, vel minus certæ reddantur habitus Fidei.

Quò ad primùm. Caietanus in 2. 2. quæſt. 4. art. 8. ex Reſp. ad 3. notat, quod Sapientia, Scientia, & Intellectus, ex eo quod ſint virtutes intellectuales, quia innituntur lumini naturalis rationis habent tria. Primum eſt affirmatiuum, ſcilicèt quod ſint euidentiores, quia perfectio intellectus, & ſcientiæ excedit cognitionem Fidei, quantùm ad maiorem manifeſtationem; Alia duo ſunt negatiua, ſcilicèt & quod non ſint certiora, & perfectiora quàm Fides; non ſunt certiores illi tres habitus, quia lumen naturale cui innituntur deficiunt à certitudine Fidei, ideſt non ſunt tàm certi vt Fides; non ſunt etiàm Fide perfectiores, ideſt non ità perfecti ſicut Fides, quia lumen illud deficit à Verbo Dei, cui innititur Fides; Habent igitur hoc vnum dumtaxat, quod ſunt euidentiores Fide, non quòd Fides ſit euidens, ſed quia Fide exiſtente ineuidente, illi ſunt multum euidentes. Et per hæc voluit S. Doctor, ſubinferre hoc mirabile in Metaphyſica hominis fidelis, quod ſcilicèt certitudo illarum virtutum intellectualium ſimul cum euidentia non attingit ad æqualitatem certitudinis, quæ eſt in Fide, ideſt non eſt tanta, quanta eſt ſola certitudo Fidei; Hinc redditur clarum illud dictum Theologorum, quod Fides eſt certitudo de abſentibus infrà ſcientiam, & ſuprà opinionem, hoc eſt, certitudo Fidei, eſt media intèr certitudinem ſcientiæ, & opinionis. Certitudo ſcientiæ conſiſtit in duobus, ſcilicèt in euidentia, & firmitate adhæſionis: & certitudo Fidei conſiſtit in vno tantùm, ſcilicèt in adhæſionis firmitate; & certitudo opinionis in neutro (en quomodo certitudo Fidei eſt medium per modum numeri) Verumtamèn certitudo Fidei Catholicæ, quantùm ad illud vnum eſt vehementior, ideſt maior quàm certitudo ſcientiæ quantùm ad illa duo (en quomodo certitudo Fidei non eſt media per modum quantitatis continuæ) Vndè fit, quod credens quantùm ad firmitatem adhæſionis diſtat magis à dubietate, ideſt ab hoc, quod motus dubitationis circà credibilia in ipſo inſurgat, quam ſciens ſecundum illa duo; licet credens quantùm ad euidentiam cum ipſum non habeat, minùs diſtet à dubietate, quàm ſciens. Ità Caietanus loc. cit.

Secundum Notabile Caiet. in quo aſſignatur differentia intèr videre aliquid eſſe ſcibile, & videre aliquid eſſe credibile.

Notat ſecundò Caietanus in 2. 2. quæſt. 1. art. 4. differentiam intèr videre aliquid eſſe ſcibile, & videre aliquid eſſe credibile, quod ſcibile eſt aliquid ex ſe credibile autèm non ex ſe, ſed ex teſtimonio; ac per hoc ſi conſtat aliquid eſſe ſcibile, conſtat illud eſſe verum, neceſſarium, &c. Si autèm conſtat aliquid eſſe credibile, non conſtat propterea eſſe verum, ſed teſtimonia eſſe talia, vt illud ſit credibile, vt quotidiana experientia in Iudicium ſententijs per Teſtes, & per propriam Confeſſionem manifeſtatur. Et videre pro vt ſpectat ad propoſitum de habitu Fidei ſumitur pro tota latitudine viſionis: dicimus enim, quod videtur non ſolùm ſenſibile proprium, ſed commune, & per accidens. Et Aug. in vlt. lib. de Ciu. Dei cap. 38. aſſerit, corporali oculo nos viſuros Deum, vbique præſentem credit, ſicut homines mox vt aſpicimus, non credimus viuere, ſed videmus.

Et extendendo credibilitatem ad certitudinem ex veritate conſtante ex Teſte vero clarè, negatur hæc ſequela, Ioannes habet certitudinem, quod ea quæ ſunt Fidei, vt atteſtata ſunt vera. ergò non habet Fidem de his, quæ ſunt Fidei. Negatur, inquam, quia ſtant hæc duo ſimul, quod intellectus ſit certus ex euidentia ſignorum, vel Dei atteſtantis, quod Trinitas atteſtata, eſt vera Trinitas perſonarum, & ſimul credatur; quia non videt ſecundum ſe eſſe Trinitatem, ac per hoc verum eſſe. Et in hoc falluntur minus perſpicaces, quod non diſcernunt, quid interſit inter videre propoſita in Fide eſſe vera, & videre propoſita in Fide vt atteſtata; Multum enim intereſt cognitio certa ex euidentia rei cogni-

Digitized by Google

cognitæ, & certa ex euidentia teſtimoniorum eius. Prima cognitio repugnat Fidei; ſecunda repugnat Fidei teſtimonijs, ſed non Fidei rerum, quæ ſunt atteſtatæ. Hæc eluceſcunt, in quæſtione de Fide Angelorum in 2. 2. quæſt. 5. art. 1. Et hoc ſufficit ad diſcernendum intèr ea, quæ ſunt Fidei in ſeipſis, & in ratione credibilis: quia ſcilicèt ſimul poſſunt eſſe ab eodem credita ſecũndum ſe, & viſa in ratione credibilis. Euidentia igitur ex dictis de credibilitate credibilium infert neceſſariò euidentiam, quod aſſentiendum eſt illis, non vt veris abſolutè (quia hoc eſſet ſcire) ſed vt veris credibilitèr abſque formidine alterius partis in voluntate, non in intellectu; & conſtare aliquid eſſe verum vt credibile diminuit de ratione veri conſtantis abſolutè vt patet. Et propterea videntes Lazarum reſurgere, non habebant certitudinem euidentiæ, quod Ieſus erat Filius Dei: Sed quod ipſe eſſet Filius Dei, vt ſe prædicabat eſſe, erat credibile. Et ſic ex ſignorum euidentia non habebant euidentiam eorum, quæ ſunt Fidei, ſed credibilitatis eorum. Et hæc tria (addit Caietanus in eadem 2. 2. quæſt. 2. art. 9. in Reſp. ad 3.) ſcilicèt Doctrina Diuina, quæ in Sacra Scriptura eſt Eccleſia; Miracula; & tertiò inſtinctu Spiritus Sancti quem Auctor in cæteris præponit, quia ſolius Dei eſt agere in cor, ſunt ſufficientèr inductiua ad credendum, hoc eſt ad voluntariè aſſentiendum, & ideò non tollunt ex hac ſua ſufficientia meritum credentis, ſicut nec tollunt voluntarium in actu credendi. Ità Caietanus in locis citatis.

Opinio Durandi contraria ſententiæ S. Thomæ.

Quò ad ſecundùm. Durandus, ait Caietanus, conatur in 3. ſent. diſt. 23. quæſt. 4. probare, quod certiùs eſt ſcire Deum, quàm credere Deum, quod expreſsè opponitur ſententiæ D. Thom. in art. 8. quæſt. 4. in 2. 2. vbi probatur expreſsè, quod multò magis homo eſt certior de eo, quod audit à Deo, qui falli non poteſt, quàm de eo quod videt propria ratione, quæ falli poteſt. Et Durandus noluit intelligere rationes in litt. art. 8. cit. & propterea errat in fundamento, & ex toto fallitur. Ità Caietanus.

Concluſio vnica D. Th. & Caie. anè cum probatione .. partis quod ſcilicèt habitus intellectuales ſunt certiores habitu Fidei ex parte obiecti, ſeù ſubiecti.

Quo ad tertiùm. Vnica Concluſio reſponſiua ponitur à Caietano ex D. Thom. in 2. 2. quæſt. 4. art. 8. & alibi. Prædicti tres habitus, ſeù virtutes intellectuales, ſcilicèt Sapientia, Scientia, & Intellectus ſunt certiores quàm habitus Fidei ex ipſo ſubiecto. Fides tamèn eſt certior ſimplicitèr ex cauſa.

Probatur prima pars à Caietano ſub tali forma ſic. Illud dicitur certiùs ex parte ſubiecti, quod intellectus hominis pleniùs conſequitur: ſed ea quæ pertinent ad Sapientiam, Scientiam, & Intellectum, ſecundum quod ſunt virtutes intellectuales non ſunt ſuprà intellectum hominis, benè tamèn ea quæ ſunt Fidei: ergò ex hac parte Fides eſt minus certa, & illi tres habitus ſunt certiores Fide. Minor conſtat ex ijs, quæ docet Auctor in quæſt. 1. art. 4. & 5. in 2. 2. & quæſt. 2. art. 1. & 3. ſcilicèt quod aliquis motus dubitationis accidit credenti ex hoc quod intellectus illius non eſt ſecundum ſe terminatus in viſione ſui intelligibilis, ſicut eſt in ſcientia, & in intellectu, ſed ſolùm ex imperio voluntatis à Deo motæ; igitur ſi attendamus id quod eſt ex parte obiecti, ſeù ſubiecti ſunt illa tria certiora Fide; vndè ait D. Thom. in Reſp. ad 1. art. 8. aliquando credens poteſt pati motum dubitationis, & dubitare de his, quæ ſunt Fidei, quod non contingit in habente intellectum, vel ſcientiam, vel ſapientiam circà ea quorum ſunt, illa dubitatio non eſt ex parte cauſæ Fidei, ſcilicèt ex imperio voluntatis à Deo motæ. Ità Caietanus ex D. Thom.

Probatio 2. partis, ſcilicet quod ha-

Probatur ſecunda pars à Caietano ſub tali forma. Illud eſt certiùs ſimplicitèr ex cauſa, quod habet certiorem cauſam: ſed Fides innititur certiori cauſæ, quia

Fides

bitus Fidei eſt certior ex parte cauſæ prædictis habitibus ſimpliciter,

Fides innititur Diuinæ Veritati, & illæ tres Virtutes rationi humanæ: ergò vera ſecunda pars. Patet conſequentia, quia quid certiùs veritate Diuina? Et quod ſit ſimpliciter certior, ait D. Thom. hoc patet, quia vnumquodque iudicatur ſimpliciter ſecundum cauſam, quod verò eſt ſecundum diſpoſitionem exiſtentem ex parte ſubiecti iudicatur ſecundum quid: ergò dicendum eſt omninò quod ſi Fides eſt certior ex cauſa cæteris habitibus, erit ſimpliciter certior, aliæ verò tres virtutes erunt certiores ſecundum quid, ſcilicet quo ad nos in quantum non plenè aſſequimur per intellectum ea, quæ ſunt Fidei, vt ait D. Thom. in Reſp. ad 1. Attendendo igitur cauſam certitudinis cui opponitur Dubitatio, ſimpliciter erit certior Fides. Ità Caietanus ex D. Thom. loc. cit.

Arguit primò Caiet. ex Durando contrà Concluſ.

Quò ad quartum. Arguit primò Caietanus in 2. 2. quæſt. 4. art. 8. ex Durando, Certitudo ſecundum ſe, & quo ad nos habet locum in obiectis, vt patet ex 2. Met. & non in habitibus, & in actibus: ergò non affertur ad propoſitum à D. Thom. in ſubiecta materia. Probatur hoc, quia habitus eſt diſpoſitio habentis, & actus eſt perfectio eius in ordine ad obiectum: non eſt ergò certior habitus, aut actus niſi per quem, certius fit obiectum ipſi habenti, quamuis poſſit dici nobilior ex ſolo obiecto: Probatur hæc ſequela, quia certitudo habitus, vel actus, penes modum, quem ponit circà habentem attenditur non penès obiectum vt patet ex proœmio de Anima, vbi certitudo diſtinguitur contrà nobilitatem obiecti, alioquin coinciderent, & omnis ſcientia nobilior, eſſet certior.

Arguit ſecundò Caietanus ex eodem Durando.

Arguit ſecundò Caietanus ex eodem Durando. Certiùs eſt illud, quod eſt Dubio impermixtiùs: ſed ſcientia, &c. eſt Dubio impermixtior: ergò &c. Inſupèr ſcientia Beatorum certior eſt Fide noſtra: Sed non ex parte obiecti, quia idem eſt: ergò ex parte modi, quo intellectus attingit Deum: ergò certiùs eſt ſcire Deum, quàm credere Deum, quod eſt contrà D. Thom. in Concluſione ſuprà.

Reſp. Caiet. ad 1. Durandi.

Reſp. Caietanus ad primùm, quod Certitudinem ſecundum ſe non diffiniuit Auctor penès obiectum, ſed penès cauſam; Et ideò dixit optimè quod commune eſt omni certiori ſecundum ſe ex ſua cauſa eſſe certiùs; ſeparata namque à ſua materia ex ſua cauſa formali, vel quaſi cauſa formali certiſſima dicuntur ſecundum ſe: Habitus autem, & actus certitudinem habent ex ſuis cauſis: ex certitudine enim obiectiua Fides non dicitur ſecundum ſe certior, ſed ex certitudine medij, quod cauſat Fidem, & actus eius.

Reſp. igitur ad Argumentum, quod hæc diſtinctio non ſolùm in obiectis, ſed in habitibus, & actibus locum habet. Ad probationem in contrarium dicitur, quod certitudo habitus, & actus attenditur quandoque penès obiectum: Ars enim, & Prudentia quæ ſunt circa poſſibile aliter ſe habere, ſunt minus certæ, ſcientia, & intellectu, qui ſunt habitus circà neceſſaria, vt docet S. Thom. in litt. art. 8. cit. quandoque autem attenditur penès cauſam, & non opportet quod attendatur ſemper penes modum cognitionis, quem de facto habet cognoſcens; penès modum ſiquidem iſtum attenditur Certitudo quo ad nos; vndè Fides infuſa ex meritis proprij medij, ſic licet Veritatis Diuinæ nata eſt certificare magis, quàm lumen naturale: ſed proptèr excellentiam credibilium nos non ità certificamur. Per habitum ergò, vel actum certiorem fit obiectum certiùs eo modo, quo habitus, vel actus eſt certior. Si ſecundum ſe, fit ſecundum ſe certiùs; ſi quo ad nos, fit quo ad nos certior. Ità Caiet. loc. cit.

Reſp. Caiet. ad 2. Durandi.

Reſp. Caietanus ad ſecundum Durandi ex D. Thom. in Reſponſione ad primùm art. 8. hic habetur, quod certiùs ſecundum ſe, eſt ſecundum ſe dubio impermiſtius;

Digitized by Google

tius; & certius quo ad nos, eſt dubio quo ad nos impermixtius; cum his tamen ſtat, quod certius ſecundum ſe ſit permixtius dubio quo ad nos, vt in propoſito accidit. Ad aliam probationem Reſp. Caietanus, quod ſcire Deum certius eſt, quam credere Deum cæteris paribus; in propoſito cætera non ſunt paria: quià ſcire Deum eſt ex lumine naturali, credere autèm Deum eſt ex veritate Diuina, vt proprio medio: propterea credere Deum eſt certius ſecundum ſe, quàm ſcire Deum per Metaphyſicales demonſtrationes; In Patria autèm conſtat quod ſcire Deum eſt per eſſentiam Diuinam immediatè, & propterea eſt certiſſimum ſecundum ſe, & quo ad nos. Ità Caietanus in fine Comment. art. 8. q. 4. in 2. 2.

Appendices ad Lectionem 17. Metaphyſicalem in Tractatu Septimo de Potentijs Spiritualibus, eorumq; habitibus.

PRo plena intelligentia certitudinis Fidei, quæ detur maior, & in atteſtatis ad credenda, & in ipſis credibilibus ſecundum ſe legas D. Th. in 2. 2. art. 4. q. 1. cùm Comment. Caiet. & formalitatibus Ven. Porrectæ. Et in 3. ſent. diſt. 23. & 25. cum Capreolo ibi, & de Ver. q. 10. a. 12. ad 15. (& lect. 5. D. Th. ſuper Ioannem. Videas Ferrar. 3. c. gent. cap. 154. Sapientiſſimum Ioannis à Sancto Thoma in 2. 2.) & nota etiàm propoſitionem D Thom. in 2. 2. quæſt. quarta, art. octauo in Reſponſione ad ſecundum quod multò magis Homo certior eſt de eo, quod audit à Deo, qui falli non poteſt, quàm de eo quod videt propria ratione quæ falli poteſt: quia in his quæ Homo credit per Fidem cauſa, ſeù motiuum, ſeù ratio inclinans Voluntatem ad amplectendam credulitatem illorum eſt Veritas prima, ideſt Deus cui creditur, quæ vtique cauſa maiorem habet firmitatem quam viſus, ſiuè ſit lumen intellectus humani, in quo principia videntur, ſiuè ſit ratio humana per quam Concluſiones reſolutæ in ſua principia apparent. Et certitudo tantò eſt maior, quantò illa cauſa, quæ determinationem intellectus cauſat eſt fortior. Et quid fortius Veritate prima in cauſando ipſam determinationem? Idem confirmat D. Thomas in lib. 1. c. gent. c. 6. legas ipſum &c.

LECTIO XVIII.
METAPHYSICALIS
In Tractatu
DE POTENTIIS SPIRITVALIBVS, EORVMQVE HABITIBVS.

Vtrùm ea, quæ ſunt ſcita poſſint etiam eſſe Fidei.

Ex Caietano in p. 2. q. 67. art. 3. (& in 2. 2. q. 1. art. 5.) & in p. poſt. cap. 25.

Vera intelligentia Tituli, eiuſq; ſenſus data à Caietano.

IN p. 2. q. 67. art. 3. vbi quærit S. Th. An Fides maneat poſt hanc vitam, Caiet. ait, hic oritur dubium an Fides, & Scientia de eodem ſtent ſimul in eodem, ſed quoniam hoc ex propoſito, quæritur in 2. 2. q. 1. a. 5. ſub hac formalitate An ea quæ ſunt Fidei poſſint eſſe ſcita ideo in hoc art. 3. cit. pertranſeo, & ſolùm fundamenta iaciuntur pro intellectu terminorum; de Fide enim ibi directè loquimur, de actibus Fidei, & non de habitu, de cuius habitus duratione determinat quid ſentiendum ſit Auctor in q. 67. art. 5. Quæ igitur de Fide in art. 3. q. 67. legis, ad actus Fidei refert Auctor: Nos tamen in præſenti lectione non ſolùm de cognitione actuali, ſed de habituali inueſtigabimus. Et de habituali, addit Caiet. potes videre ea quæ diximus in principio cap. 2c. p. poſt. aſſignando veram diſtinctionem ſcientiæ ab opinione, & quid tenendum ſit abſolute cum Ariſt. & D. Th. circa differentiam opinionis à vera ſcientia, ibi determinauimus, ſicuti, & etiàm an eiuſdem obiecti omninò poſſit eſſe ſcientia, & opinio. Et in fine eiuſdem cap. 25. lib. 1. poſt. diximus etiàm quantùm ad actus an verum ſit vniuerſaliter quod impoſſibile ſit idem omninò enunciabile opinari, & ſciri ab eodem. In præſenti etenim lectione, & in art. 3. q. 67. in p. 2. & in 2. 2. q. 1. a. 5. determinamus quæ omninò Metaphyſicalia ſunt de Scientia, Fide, & Opinione. Et ſic ſit ſenſus. Vtrùm ſcientia, & opinio, ſiuè quantùm ad actum, ſiuè quantùm ad habitum poſſit eſſe cum Fide: ità vt eadem veritas ab eodem intellectu poſſit eſſe ſimul ſcita præcipuè, & credita. Ità Caietanus in loc. cit.

1. Notab. Caiet. in quo explicatur incompoſſibilitas Fidei, & ſcientiæ ex parte ſubiecti ſimpliciter, & non ſecundùm quid.

Quo ad 1. Notat Caietanus in 2. 2. q. 1. a. 1. incompoſſibilitatem Fidei, Scientiæ, & Opinionis ſe tenentem ex parte ſubiecti ſimpliciter, & non ſecundùm quid, quia ſic diſtinguuntur, & opponuntur, & propterea incompoſſibilia ſunt in eodem ſubiecto ſimpliciter: Sciens enim videt, A, eſſe ſic, quod exiſtimat impoſſibile alitèr ſe habere. Opinans aliqualiter videt A eſſe, ſed non ità, vt exiſtimet impoſſibile aliter ſe habere. Credens autèm licet exiſtimet impoſſibile aliter ſe habere, hoc tamen non habet ex euidentia nec videt, A eſſe. Excluditur ſubiectum ſecundum quid, puta ſortem vt geometram vt ſic diſpoſitum vt credentem, & opinantem,

& ſic

Digitized by Google

& ſic de alijs: Non enim diſtinctio horum in hoc conſiſtit, quod credens vt ſic non videat &c. Sed conſiſtit in hoc, quod ſubiectum de quo ſimpliciter, & abſolutè verificatur credere, A eſſe, de eodem non poteſt verificari ſimul ſcire, A eſſe, & ſimiliter eſt de opinione, & ſcientia. At ſi quis alitèr definire voluerit hos terminos non erit quæſtio cum eo de re, ſed de vocabulis, quam quæſtionem, ait Caietanus, eis relinquo. Cùm autèm audis differentiam intèr opinantem, & ſcientem in exiſtimando, vel non exiſtimando impoſſibile alitèr rem ſe habere: memento, quod quià Bonum conſurgit ex integra cauſa, malum autèm ex particularibus defectibus; ideò ad hoc, quod aliquis ſit ſciens, exigitur quod impoſſibile ſit alitèr ſe habere, & ſecundum exiſtimationem noſtram, ſed ad hoc quod ſit opinans, quidquid horum deficiat, ſufficit: Si enim Concluſio, vel ratio ſecundum ſe eſt impoſſibilis aliter ſe habere, & ab ipſo non penetratur, quod ſit talis, eſt vtique opinans. Et ſimiliter ſi ratio, aut Concluſio poſſibilis eſt alitèr ſe habere, & iſte putat, quod impoſſibile ſit aliter ſe habere, opinans eſt ſecundum naturam ſui ſtatus, aliundè illud met neſciens. quia non ex meritis notitiæ, ſed propriæ phantaſiæ exiſtimat impoſſibile eſſe alitèr ſe habere, & reuera ſubiectum talis notitiæ deberet æſtimare eſſe poſſibile alitèr ſe habere. Ità Caiet. in 2. 2. a. 5. q. 1. in fine Commenr.

Notab 2. Caiet. in quo explicatur quomodò actus Fidei, Scientiæ, & Opinionis ſint perfecti, & imperfecti priuatiuè ex parte ſubiecti ſimpliciter.

Notat 2. Caietanus in p. 2. q. 67. a. 3. quod actus Fidei, Scientiæ, & Opinionis ſunt perfecti, & imperfecti ſimpliciter ex parte ſubiecti: Sed errat quis ſi intelligat eam dicere imperfectionem ex parte ſubiecti, quia ponit actum imperfectum, ſeù diminutum in ſubiecto: quia cognitio per medium probabile alicuius Concluſionis demonſtrabilis ponit etiam actum imperfectum, ſeù diminutum in ſubiecto, & tamen non eſt fides, nec incompoſſibilis ſcientiæ: Stat enim cum ſcientia eiuſdem in eodem ſubiecto vt loc. cit. dicitur. Non eſt igitur ſermo quod habitus fidei inclinet ſubiectum in actum imperfectum vt multi videntur intelligere: quamuis enim ſit verum hoc de actu, & habitu fidei, non tamèn hoc eſt intentum: hæc enim imperfecto eſt communis ſibi, & opinioni, & cognitioni probabili: ſermo autèm præſens eſt de imperfectione propria fidei, qua diſtinguitur ab alijs, & dicitur quod ſe tenet ex parte ſubiecti; & rurſus dicitur quod penes hoc differentia ſecundum perfectum, & imperfectum ex parte ſubiecti eſſet ſecundum quid, & non ſimpliciter: quoniam ex hoc non habetur, quod ſubiectum abſolutè non videat illud creditum, ſed quod ſubiectum in quantùm eſt ſub illo habitu, vel actu non videt illud creditum, vt patet; in arr. autem 3. cit. dicitur quod Fides, Scientia, & Opinio differunt ſecundum perfectum, & imperfectum ex parte ſubiecti; ità quod credens non videt id quod creditur, quod idem eſt, ac ſi diceret ex parte ſubiecti ſimpliciter, & abſolutè, & fides dicitur imperfecta ex parte ſubiecti, quia conſtituit ſubiectum abſolutè in eſſe imperfecto, ſeù quod in idem redit exigit ſubiectum abſolutè imperfectum, & eſt ſermo de imperfecto priuatiuè, ità quod ponit ſubiectum in abſolutè priuatum viſione illius, quod creditur; & eſt ſimile de iſtis actibus, ſicuti, & de motu: Motus enim ex hoc ipſo quod ineſt alicui conſtituit ipſum in eſſe potentiali reſpectu termini, ac per hoc in priuatione actuali termini, ità credere conſtituit ſubiectum in priuatione crediti, & ſic motus eſt actus entis in potentia vt ſic. Ità Fides eſt aſſenſus determinatus non videntis vt ſic, & propterea importat imperfectionem ſubiecti non ſecundum quid, ſed ſimpliciter, non per accidens, ſed per ſe; & propterea ſicut motus non ſtat cum termino excludente priuationem eius, ità nec fides ſtat cum eius termino, vt etiam dicitur de ſpe in art. 4. q. 67. cit. Dicitur ergo à D. Th. in a. 3. quod fides non ſtat cum viſione, quia ibi excluditur priuatiua imperfectio ſubiecti, quam actus fidei ſubſtantialiter ſibi ven-

Digitized by Google

dicabat. Idem atteſtatur D. Th. quod ſicut perfectio, vel imperfectio proprij obiecti conſtituit cognitionem perfectam, vel imperfectam obiectiuè, & ſicut perfectio, vel imperfectio ex parte proprij medij conſtituit perfectam, vel imperfectam cognitionem ſecundum medium, ità perfectio, vel imperfectio proprij ſubiecti abſolutè conſtituit cognitionem perfectam, vel imperfectam ex parte ſubiecti.

Nec mireris ſi dico, ſubiectum imperfectum conſtituere cognitionem imperfectam cum prius dixerim cognitionem imperfectam huiuſmodi conſtituere ſubiectum in eſſe imperfecto; memento, quod cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ, & quod ſicuti motus conſtituit formale ſubiectum in eſſe ſic actu, & ſic in potentia; ità è contrà ſubiectum ſic actu, & ſic in potentia conſtituit ſubiectiuè, ſeù materialiter motum in eſſe imperfecto, ſimile enim accidit in propoſito. Et hanc doctrinam bene nota, addit Caietanus, quoniam ex ea habes ſolutionem ad oppoſita omnia, & habes ex quod quid eſt eorum cùr Fides, Opinio, & Scientia de eodem ſint impoſſibiles in eodem. Ità Caiet. in p. 2. q. 67. a. 3.

Opinio Caiet. de mente Ariſt. & D. Th. circa habitum, & actum opinionis, & ſcientiæ.

Quoad ſecundum. Si conſideremus, ait Caietanus, quæ cognouit Ariſt. de Scientia, & Opinione lumine naturali, pro vt ſunt ſubiectiuè in intellectu noſtro, tenendum eſt cum ipſo in p. poſt. c. 25. quod ſcientia, & opinio ſimpliciter loquendo poſſunt eſſe eiuſdem omninò obiecti, non tamen eodem modo conſtat poſſe eſſe, vt diximus ibi in 3. & 4. Reſponſione; loquendo autèm de Opinione, & Scientia ex meritis obiecti, ſic eſt impoſſibile eſſe eiuſdem, & ſimiliter loquendo de eiſdem in eodem ſimul, vt habet prima Reſponſio. Ità Caietanus loc. cit.

Opinio D. Th. recitata à Caiet. de Fide infuſa, & ſcientia quod ſunt incõpoſſibiles actus, & habitus ſimul.

Quæ autem ſpectant ad habitum fidei infuſum, quem in ſua Metaphyſica Ariſt. non cognouit D. Thomas in c. art. 3. q. 67. in p. 2. duo dicit. Primò quod Fides eadem numero manens non poteſt eſſe perfecta cognitio, quia cognitio ſine apparitione, quæ eſt de ratione Fidei ad imperfectionem cognitionis pertinet; ſecundò dicit quod cognitio perfecta, & imperfecta ex parte obiecti poſſunt conuenire de eodem medio, & in eodem ſubiecto, nullo autem modo poſſunt eſſe de eodem obiecto quia idem homo ſimul, ac ſemel per idem medium poteſt habere cognitionem de duobus obiectis quorum vnum eſt perfectum, & aliud imperfectum, ſicuti de ſanitate, & egritudine, de bono, & malo; quod autem non de eodem obiecto, patet ex terminis. Inſuper dicit quod cognitio perfecta, & imperfecta ex parte medij poſſunt conuenire in vno obiecto, & in vno ſubiecto, quià vnus homo poteſt cognoſcere eandem Concluſionem per medium probabile, & per medium demonſtratiuum: non tamen poſſunt conuenire in vno medio, quod patet ex terminis. Hinc D. Th. in art. 3. q. 67. cit. concludit, impoſſibile eſſe quod fides maneat ſimul cum Beatitudine in eodem ſubiecto, & nos dicimus, addit Caietanus in Comment. eiuſdem art. 3. impoſſibile eſſe, quod cognitio perfecta, & imperfecta ex parte ſubiecti ſint ſimul in eodem ſubiecto, & intelligimus de ſubiecto ſimpliciter, & abſolutè. Ità Caietanus, qui addit in 2. 2. q. 1. a. 4. Scotum in 3. ſent. diſt. 23. impugnare D. Thomam quaſi quod poſuerit duo contradictoria, ſcilicet quod Theologia noſtra ſit verè ſcientia ſubalternata, & ex alia parte poſuerit, quod Fides, & Scientia non poſſint eſſe de eodem. Et in art. 5. q. 1. cit. Durandus occurrit in 3. ſent. diſt. 23. quod in Angelis, & in homine cum gratia viæ non fuerit Fides, ſed Viſio, & Scientia, quorum Argumenta ſoluemus infrà, pro vt ſunt contrà Concluſionem D. Thomæ, qui in illa q. 1. cit. expreſsè ait, quod impoſſibile eſt, quod ab eodem idem ſit ſcitum, & creditum: poteſt tamèn contingere, vt id quod eſt ſcitum, vel viſum ab vno, ſit creditum ab alio, ſiuè in Beata Vita, ſiuè in ſtatu Viæ exiſtente, cum hoc tamen ſtat, quod id quod communitèr proponitur ad credendum

Opinio Scoti, & Durandi contrà D. Th recitata à Caietano.

omni-

Digitized by Google

omnibus hóminibus, ſit communitèr non ſcitum. Ità Caietanus in loc. cit.

Motiua D. Th. inclinantia in cõtrariam partē gloſantur à Caiet.

Ad motiua D. Th. quæ videntur dicere oppoſitum, & maximè ad illud recitatum à B. Petro Bergomenſi in ſua Tabula aurea dubio 110. ſcilicet quod Fides eſt cognitio, & ſcientia, & viſio Reſp. Caietanus, quod intelligitur quo ad certitudinem, & non quo ad euidentiam vt habetur in q. de Verit. 14. a. 2. ad 15. & art. 4. in principio corp.

Et ad illud de ſcientia, & opinione per Ariſt. in p. poſt. cap. 25. quod videtur opponi D. Thomæ in p. 2. q. 67. a. 3. vbi determinat, quod ſcientia, & opinio non differunt ex parte obiecti, nec ex parte medij, ſed ex parte ſubiecti, & Ariſt. dicit quod differunt ex parte obiecti, & ex parte medij, concordat Caiet. dicendo quod S. Th. loc. cit. locutus eſt de opinione vniuerſalitèr ſiuè ex parte obiecti, ſiuè ex parte cognoſcentis, ſiuè aliundè contingat, & dicit quod non diſtinguitur à ſcientia ex parte obiecti ſecundum ſe ſumpti, quia ſcientia eſt de neceſſarijs, & opinio etiam de neceſſarijs eſſe poteſt; Nec ex parte medij ſecundum ſe ſumpti, quia quandoq; idem medium ſi clarè videatur connexum Concluſioni, facit ſcientiam, ſi autèm non ità clarè, facit opinionem; at ex parte ſubiecti, quia ſcientia includit euidentiam abſq; formidine, opinio autèm claritatem quamdam cum formidine alterius partis, quod eſt idem, ac dicere, quod differunt ex hoc, quod obiectum ſcientiæ neceſſarium eſt in ſe non ſolum, ſed in ſua apparentia; obiectum verò opinionis eſt contingens vel in ſe, vel in ſua apparentia, vt dixit Ariſt. appellauit autèm D. Th. differentiam hanc ex parte ſubiecti, & non ex parte obiecti, nec medij, quià nec ex diuerſitate obiecti, nec ex diuerſitate medij vniuerſalitèr prouenit, ſed ſemper eſt ex diuerſitate talis modi cognoſcendi, quæ ex parte ſubiecti ſe tenet. Et quia formale eſt in opinione, quod contingentèr, ſeù cum formidine cognitio habeatur, ideo &c. Ità Caietanus in p. poſt. c. 25. in fine p. quæſtionis.

Concluſio vnica ponitur à Caiet. cum ſua probatione, ſcilicet quod ea, quæ ſunt Fidei non poſſunt eſſe ſcita, ex D. Th.

Quo ad 3. eſt Vnica Concluſio Reſp. quæſiti poſita à Caiet. ex D. Th. in 2. 2. q. 1. art. 5 Impoſſibile eſt, quod ab eodem ſit ſcitum, & creditum, quod eſt illud idem quod perpetuò docet D. Thomas, quod, ſcilicet, ea quæ ſunt fidei non poſſunt eſſe ſcita; vel vt alij ſub alia formalitate Thomiſtæ, dicunt quod habitus, & actus fidei, & quod habitus, & actus ſcientiæ non poſſunt eſſe ſimul in eodem intellectu de eodem obiecto.

Probatur à Caietano ex D. Th. loc. cit. ratione ſub tali forma. Impoſſibile eſt quod idem ab eodem ſit viſum, & non viſum, ideſt creditum: ſed quæcumque ſunt ſcita ſunt aliquo modo viſa, & quæcumque ſunt credita ſunt nullo modo viſa: ergo vera Concluſio. Maior probatur à Caiet. ſic in p. 2. q. 67. a. 3. Viſum, & non viſum opponuntur ex parte ſubiecti, & oppoſitio eſt cauſa incompoſſibilitatis: ergo impoſſibile eſt, quod poſſint compati in eo in quo opponuntur, quia ſubiectum videns, & non videns opponuntur, quia videre, & non videre, manifeſtè opponuntur. Minor probatur ab eodem Caietaño ex D. Th. in art. 4. & 5. q. 1. in 2. 2. repetendo in primis quod ſubiectum ſcientiæ ſit videns ea, quæ tenet per ſcientiam, quæ habetur per principia per ſe nota, ideſt viſa, & ideò dicitur, quod ſciẽtia eſt euidens rei cognitio. Quod verò ſubiectum fidei debeat eſſe non videns, ideſt ea quæ ſunt fidei non viſa, & non euidentia patet ex definitione fidei, quæ eſt Argumentum non apparentium, vndè dicebat Aug. cit. à D. Th. Quid eſt Fides? Credere quod non vides: ergo ea quæ ſunt credita ſunt nullo modo viſa, imò obſcura credenti, quæ eſt Minor &c. & hoc fides eſſentialiter exigit: obſcuritas enim, & ineuidentia, eſt mera priuatio, & per conſequens, vt aliqua res dicatur obſcura, debet eſſe ei ineuidens ex omni capite. Nota tamen ex D. Th. addit Caiet. quod poteſt contingere,

gere, vt id quod eſt viſum, vel ſcitum ab vno, vt diximus ſuprà in ſecundo loco, ſi creditum ab alio: etenim, quæ de Trinitate credimus, nos viſuros ſperamus, & iſtam quidèm viſionem iàm Angeli habent, & ſic quod nos credimus, illi vident. Et hoc etiam contingit in homine in ſtatu viæ, quod aliquid ſit ab alio creditum, qui hoc demonſtratiuè non nouit: remanet ergo in ſua veritate Concluſio, quod fides, & ſcientia non ſunt de eodem, & quantùm ad actus; & quantùm ad habitus eadem ratione, quia non eſt poſſibile vt idem ſubiectum ſit habitualiter inclinatum ad actus oppoſitos fidei, & ſcientiæ, quia pari paſſu habitus fidei exigit vt intellectus non ſit habitualitèr videns id quod credit, ſicut habitus ſcientiæ exigit, vt intellectus ſit habitu aliter videns, vndè cum habitu ſcientiæ, nec etiàm poteſt ſtare habitus fidei; Benè tamèn habitus fidei poterit eſſe cum actu ſcientiæ, modò talis actus nullum producat habitum, vt probat D. Th. in 2. 2. q. 175. a. 3. ad 3. Et D. Paulus non fuit Beatus habitualiter, ſed ſolùm habuit actum ſcientiæ Beatificæ, & ſic in eo non fuit ſimul actus fidei, fuit tamen ſimul in eo habitus fidei, & addit Caietanus exemplum de igne: Ignis enim introducit calorem in ferro per modum tranſeuntis, remanente habitualiter diſpoſito ad frigiditatem. Et manus ſurſum proijcit lapidem manente &c. Ità Caiet. ex D. Th. in loc. cit.

Arguit 1. Caiet. ex D. Th. Quo ad 4. Arguit Caietanus ex D. Th. in 2. 2. q. 1. a. 1. ſic. Ea quæ non ſciuntur, videntur eſſe ignorata, quia ignorantia opponitur ſcientiæ: ſed ea quæ ſunt fidei non ſunt ignorata: horum enim ignorantia ad infidelitatem pertinet, iuxtà illud ad Tim. Ignorâs feci in incredulitate mea: ergo ea quæ ſunt fidei poſſunt eſſe ſcita.

Reſp. Caietanus ex D. Th. diſtinguendo minorem, in ly non ſunt ignorata in generali concedo, in ſpeciali nego: ſcire enim credibilia in generali eſt cognoſcere quod debent ea credi; ſcire autèm ea in ſpeciali, eſt videre ea in ſe ipſis; vndè ad illud Tim. Apoſtolus loquitur de ignorantia in generali, non autèm in ſpeciali; & ignorantia habita in generali eorum quæ ſunt fidei pertinet ad infidelitatem, non autèm habita in ſpeciali: Imò hæc in ſpeciali ſtat neceſſariò cum fide vt dicitur in art. 4. q. 1. cit. vndè, ait D. Th. quod infideles eorum quæ ſunt fidei ignorantiam habent, quia nec vident, nec ſciunt ea eſſe credibilia: at fideles per hunc modum habent eorum notitiam non quaſi demonſtratiuè, ſed in quantùm per lumen fidei vident eſſe credenda. Et Caietanus addit, Auctor non dicit abſolutè in Reſponſione ad primum quod fideles in hoc differant ab infidelibus, quia vident, ſed quia habent notitiam, in quantùm per lumen fidei videntur eſſe credenda, hoc eſt, habent notitiam quantùm eſt ex parte luminis fidei, quod eſt natum facere, quod videantur credenda. Et ſic non oportet dicere, quod quilibet fidelis habet de facto huiuſmodi euidentiam ex lumine fidei, ſed quod habet illam, quantùm eſt ex parte luminis fidei, hoc eſt, habet lumen, vndè poteſt habere huiuſmodi notitiam, & euidentiam. Ità Caietanus in Reſp. ad 1.

Arguit Caiet. ex D. Th. 2 contrà vt ſuprà cum ſua Reſponſione. Arguit 2. Caietanus ex D. Th. ibidem a. 5. q. 1. cit. Scientia per rationes acquiritur, ſed ad ea, quæ ſunt fidei à Sacris Auctoribus rationes inducuntur: ergo ea quæ ſunt fidei poſſunt eſſe ſcita.

Reſp. Caiet. ex D. Th. ad Maiorem. Scientia per rationes acquiritur demonſtratiuas, concedo; per rationes perſuaſiuas non impoſſibilitatis rei propoſitæ, nego. Rationes, quæ inducuntur à Sanctis ad probandum ea quæ ſunt fidei non ſunt demonſtratiuæ, ſed perſuaſiones quædam manifeſtantes non eſſe impoſſibile quod in fide proponitur; vel procedunt ex principijs fidei, ſcilicet ex Auctoritatibus Scripturæ Sacræ vt dicit D. Dyon. c. 2. de Diuin. Nom. Ex his autèm principijs ſic probatur aliquid apud fideles, ſicuti etiàm ex principijs naturaliter notis probatur

ali-

aliquid apud omnes. Et ſecundum hæc Theologia noſtra eſt ſcientia, vt in principio operis dicitur.

Inſtat Caietanus contrà hoc vltimum dictum ex Scoto ſic. Credita cum ſciamus per Theologiam, & Theologia ſit verè ſcientia ſubalternata ſecundum D. Th. ſequitur quod idem ſit ſcitum, & creditum ab eodem ſimul: ergo D. Th. ait Scotus, duo contradictoria tenuit; nec valet dicere pro hac contradictione, quod in hoc loco Auctor loquitur de ſcientia ſubalternante, & non ſubalternata. *Inſtantia Caiet. contrà Reſponſionē ex Scoto.*

Reſp. Caiet. quod Auctor loquitur de ſcientia vniuerſalitèr, & non ſubalternante tantùm; & ideò in nullo ſibi contradicit propter duo. Primò, quia non ſunt de eâdem, quia fides eſt de principijs Theologiæ, ipſa vero Theologia eſt de Concluſionibus ex ipſis principijs. Secundò quia Theologia noſtra eſto ſecundum ſuam ſpeciem ſit ſcientia, non tamèn eſt in ſtatu ſcientiæ: habet enim imperfectum ſtatum. ſicut Perſpectiua, quæ Geometriæ ſecundum ſuam ſpeciem eſt ſcientia ſubalternata, ſed non peruenit adhuc ad perfectū ſtatum ſcientiæ, & propterea non facit ſcire niſi inchoatiuè, & imperfectè, quia vt dicitur in p. poſt. non ſcit ille, qui caret reſolutione vſque ad principia euidentia ſibi. Theologia ergo in nobis Viatoribus eſt ſecundum ſe verè ſcientia ſubalternata non tamen in ſtatu ſcientiæ, quouſque continuetur cum euidentia principiorum illius; & propterea dato, quod ſit de creditis non ſequitur aliqua contradictio, nec quod fides, & ſcientia ſint de eodem, quia quod ſcientia, & fides non poſſint eſſe de eodem, intelligitur de ſcientia in ſtatu ſcientiæ, & non de ſcientia in ſtatu imperfecto. Ità Caietanus in Comment. art. 5. cit. in Reſp. ad 2. D. Thomæ. *Reſp. Caiet. ad Inſtantiam.*

Appendices ad Lectionem 18. Metaphyſicalem in Tractatu de Potentijs Spiritualibus, eorumque habitibus.

CVm in lectione præſenti inueſtigata ſit cùm Caietano ex D. Th. incompoſſibilitas habitus, & actus fidei infuſæ, ſiuè humanæ, cùm habitu, & actu ſcientiæ naturalis, & Theologiæ, vt eſt ſcientia ſubalternata, vanum eſt laborare de opinionis incompoſſibilitate cùm ſcientia, prout ſpectat ad lumen naturale, cum de hac te ſatis ſuperq; dictum ſit, à Caietano cum Ariſtotele in p. poſt. c. 25. qui legendus eſt omninò ibi. Et de opinione legendus eſt D. Th. in 2. p. q. 9. a. 3. & eſt maximè adnotanda illa doctrina pulcherrima quam habet D. Th. in p. p. q. 79. art. 9. circà ſcientificum, & opinatiuum, ſcilicet quod ſcientificus non eſt idem quod ratio ſuperior, ſicut nec opinatiuum, & ratiocinatiuum eſt ſimpliciter idem quod ratio inferior; & legas etiam ibi formalitates cum Append. Ven. Porrectæ cum eius explicationibus.

Quod verò ea quæ ſunt fidei non poſſint eſſe ſcita legas, præter loca citata ſuprà, D. Thomam in 3. p. q. 7. a. 3. & p. c. g. c. 8. cum Ferr. ibi, & de Verit. q. 4. & Capreolum in 3. ſent. diſt. 25. Conci. 2. q. 1. & diſt. 24. q. 3. a. 2. Ioannem à S. Thoma, Godoy, in 2. 2. q. p. ſuper art. 5. Mag. Goudin q. 5. a. 5. de Vnitate ſcientiæ, fidei, & opinionis. Legas etiam formalitates Ven. Porr. ſuper art. 5. in 2. 2. & præcipuè declarationes Reſp. D. Th. ad ſecundum, & Magiſtrum Arnù in ſua Philoſophia, & Logica.

Videnda ſunt, & legenda omninò quæ habet D. Thomas, & Caietanus in 2. 2. q. p. a. 5. vbi quæritur Vtrùm Angelus, aut homo in prima ſui conditione habuerit fidem excludentem ſcientiam: concludit ibi D. Th. cùm Caietano quòd neceſſe eſt dicere Angelum ante Confirmationem habuiſſe fidem circa credibilia, & non ſcien-

ſcientiam de ipſis, ſicuti etiam de homine idem dicendum eſt antè peccatum in ſtatu innocentiæ. Et circa hoc legenda eſt Adnotatio Ven. Porrectæ in Reſp. ad 1. verè digna tanto viro ſuper illa verba D. Aug. cit. à D. Th. & ſuper dictum Hugonis de S. Victore, quæ licet magiſtralia ſint, & robur auctoritatis habeant, ſunt tamen gloſanda cum alijs dictis, quando in apparentia videntur ſonare oppoſitum de eo quod determinatur quia Angelus videbat res in verbo per altam contemplationem viſas non tamen per eſſentiam Verbi, & ſic illa viſio erat citrà eſſentiam Verbi quamuis eſſet rerum in Verbo vt dicitur in p. p. q. 62. a. 1. ad 3. ab initio ſuæ conditionis Angelus naturaliter cognouit per ſimilitudinem ſibi præſentem, ideſt per ſuam met eſſentiam quæ eſt imago Dei imperfecta ex q. 66. a. 3. & ſic ex tali cognitione potuit Creaturas cognoſcere, & hoc eſt, Angelum res vidiſſe in Verbo; ſimili modo gloſandus eſt Hugo in ordine ad hominem ante peccatum; altiſſima igitur cõtemplatio illa Angeli potuit ſtare cum Fide de Trinitatis *Myſterio &c.*

LECTIO XIX.
METAPHYSICALIS
In Tractatu Septimo
DE POTENTIIS SPIRITVALIBVS, EORVMQVE HABITIBVS.

Ex Caiet. in p. p. q. 1. a. 2. & in 2. poſt. c. 13. pag. 427.

Vtrùm Metaphyſica, & Theologia noſtra ſit ſcientia ſubalternans, vel ſubalternata.

Declaratio terminorum in Titulo eiuſq; ſenſus facta à Caietano.

HÆc Lectio, ait Caietanus, eſt vniuerſalis ad omnes ſcientias, quæ poſſunt dici propriè ſubalternantes, & ſubalternatæ, an habeant omnia, quæ concurrunt ad conſtituendum propriè ſcientiam ſubalternantem, & ſubalternatam; extenditur tamèn peculiari modo ad Metaphyſicam, & Theologiam noſtram an hæc ſit propriè ſubalternata Theologiæ Dei, & Beatorum in p.p. q. 1. a. 2. & ly ſcientia ſumitur propriè vt eſt virtus intellectualis, & habitus Concluſionum per demonſtrationem acquiſitus, vel acquiſibilis ex principijs; & de ſubalternatione loquimur propriè, vt loquuti ſumus in c. 13. poſt. in fine cap. lib. 5. & non loquimur extenſo vocabulo ad omnem modum, quo vna ſcientia ab altera mendicat, quomodò dicitur à quibuſdam, quod Chirurgia ſubalternatur Geometriæ quoad illam Concluſionem Vulnera circularia tardiùs ſanantur, & diſtinguitur ab eis ſubalternatio quo ad modum ſciendi, vel quo ad ſubiectum,

ctum, vel quo ad principia. De alijs ſcientijs naturalibus diſcuſſum eſt peculia-ritèr in 1. poſt. cit. vt de perſpectiua reſpectu Geometriæ, de Muſica reſpectu Arithmeticæ, de Medicina ad Geometriam; Medicinæ proprium eſt ſcire, quia vulnera circularia tardiùs ſanentur; ſed Perſpectiui propter quid ſcire eſt pro-prium. In noſtra Phyſica quæſt. 2. proœmiali num. 50. & 51. determinauimus, quod Phyloſofia naturalis non poteſt eſſe ſubalternata ipſi Metaphyſicæ, quia ac-cidentalem conditionem entis mobilitatem eſſe, vt ſubalternatio requirit, nullo modo eſt poſſibile: accidentalitas enim illa mobilitatis extrà genus ſcibile Meta-phyſici eſt, & nil extraneum eſt ab ente, vt dicitur in 5. Met. tex. 11. De Metaphy-ſica verò an ſit propriè ſubalternans, vel ſubalternata dicemus infrà. De Theolo-gia autem noſtra, addit Caietanus, Tu Nouitie cum diſputas, caue ne fallaris pro eodem accipiens Theologiam ſecundum ſe, & Theologiam noſtram ſecundum ſe: hæc enim valdè differunt; quoniam Theologia ſecundum ſe eſt ſcientia, quam nata eſt parere Deitas ſecundum ſe, & hæc eſt Theologia, quam Deus de ſe ipſo habet: Sed Theologia noſtra diſtinguitur, ſi ly noſtra demonſtret huma-nam naturam ſimplicitèr, in Theologiam Beatorum, & Viatorum; non autèm oportet diſtinguere, ſi ly noſtra demonſtret Viatores, vt accipitur in propoſito: hæc tamèn poteſt iterum accipi ſecundum ſe, & vt in nobis Viatoribus, quorum eſt credere principia vt loquitur D. Thom. in Corrolario, ſed in Concluſione reſ-ponſiua loquitur de eadem ſecundum ſe, conuenit ſiquidem ei oriri ex principijs notis ſecundum ſe lumine ſuperioris ſcientiæ. Obiectiones Scoti infringentes Theologiam noſtram in nobis non eſſe ſcientiam, & aliæ obiectiones non eſſe ſu-balternatam totalitèr, ſoluentur infrà in quarto loco. Ità Caietanus in loci ci-tatis.

Quò ad primum. Suppoſita diſtinctione data à D. Thom. in 1. p. quæſt. 1. art. 2. de ſcientia in ſubalternantem, & ſubalternatam, & quod ſcientiæ ſubalternantes vt Arithmetica, Geometria, & huiuſmodi, procedunt ex principijs per ſe notis lumine naturalis intellectus. Et quod ſubalternatæ procedunt ex principijs notis non per ſe, ſed lumine ſuperioris ſcientiæ, vt Perſpectiua procedit ex principijs notificatis per Geometriam, & Muſica ex principijs notificatis per Arithmeti-cam. Et Sacra Doctrina, quæ procedit ex principijs notis lumine ſuperioris ſcien-tiæ, quæ eſt ſcientia Dei, & Beatorum, & credit principia reuelata ſibi à Deo, & Muſica credit principia tradita ſibi ab Arithmetico. Notat, his ſuppoſitis, & ex 1. poſt. & ex 1. p. quæſt. 1. Caietanus, differentiam eſſentialem, & per ſe intèr ſcientiam ſubalternantem, & ſubalternatam diſcurſiuam, quod eſto omnis ſcientia propriè dicta ſiuè ſubalternans, ſiuè diſcurſiua ſic habere Concluſiones vi-ſibiles non in, & ex ſe, ſed in & ex alio, ſed ſi habent in ſe ipſis, hoc habent, vt adiutæ habitu principiorum: attamèn in hoc differunt, quod Concluſiones ſu-balternantis viſibiles fiunt in & ex principijs immediatè, ideſt abſque alio medio habentur: Concluſiones verò ſcientiæ ſubalternatæ ſunt viſibiles ex, & ex prin-cipijs per ſe notis mediatè; mediante ſcilicèt habitu ſcientifico ſubalternantis, & hæc eſt eſſentialis differentia per ſe intèr ſubalternantem, & ſubalternatam. Cæ-teræ conditiones, ſi quæ ſunt, ſunt talis ſubalternæ, & non ſubalternæ vt ſic, ſcilicèt quod vna dicat quia, & altera proptèr quid, aut quod obiectum addat differentiam accidentalem extraneam, hæc vocatur conditio ſubalternationis quo ad obiectum, illa verò vocatur ſubalternationis quo ad principia gratia ma-teriæ, vt patebit infrà. Ità Caietanus art. 1. cit. §. circà hanc diſtinctio-nem.

Primum Notabile Caiet. in quo, explicatur differentia eſſentialis ſcientiæ ſubalternantis, & ſubalternatæ.

Notabile ſecundum Caiet. in quo declaratur eſſentialis conditio ſcientiæ ſubalternatæ.

Notat ſecundò Caietanus ibidem, quod in prima, & eſſentiali conditione ſubalternatæ ſcientiæ concurrunt duo, Primùm eſt inevidentia in ſe cùm euidentia ex, & in alio; ſecundùm eſt mediatio principiorum proximorum quæ eſt cauſa illius ineuidentiæ in ſe; ſed primum horum eſt formale, & conſequentèr omninò ſemper requiſitum; ſecundùm autèm eſt materiale, ſi enim poſſit ſaluari illa ineuidentia cum viſibilitate in alio abſque mediatione, nihilominus ſubalternaretur illi, quia vt iàm patet ex dictis penès illum modum euidentiæ eſt eſſentialis, & per ſe differentia inter ſubalternantem, & ſubalternatam; Et hinc ſequitur, quod non opportet principia ſubalternata ex formali ratione ſubalternationis habere propter quid, ſed ſat eſſe illo modo propoſitiones ineuidentes, & viſibiles: Hoc patet in Theologia noſtra, cuius concluſiones Theologales, quia procedunt ex Articulis Fidei, vt principijs non in ſe euidentibus, ſed in ſcientia Dei, & Beatorum, conſequens eſt quod habeat eſſentialem conditionem conſtitutiuam ſcientiæ ſubalternatæ, & quod eſt ſcientia ex continuatione ad ſcientiam Dei, & Beatorum, & quod habitus per ſe principiorum eius eſt ſcientia Diuina, habitus verò accidens eorum eſt Fides, & quod non opponitur ſcientiæ Beatæ ex parte obiecti, nec ſubiecti. Sed ſecundum euidentiam, & ineuidentiam negatiuam, & quod ſint compoſſibiles in eodem ſubiecto ſimul. Nec eſt idem iudicium de ſcientia ſubalternata, & Fide, quoniam lumen Diuinum abſolutè eſt per ſe ratio huius formalis notitiæ, in quantùm ſcientifica eſt; lumen autèm Diuinum obumbratum eſt per ſe ratio aſſenſus Fidei, quæ per accidens, vt dictum eſt, eſt habitus horum principiorum, & ideò hic non remanebit in Patria; ſcientia autem ex his acquiſita remanebit, iuxtà illud Hyeron. Diſcamus in terris, &c. Ità Caietanus art. 2. cit. §. circà hanc diſtinctionem, &c. & ibidem §. quo ad ſecundum verò &c. in fine Comment.

Notabile tertiò Caiet. in quo declarantur 5. conditiones ſcientiæ ſubalternatæ.

Notat tertiò Caietanus, quod ex dictis deducuntur quinque conditiones. Primò, quod omnis ſcientia eſt ſcientia ex ſua continuatione ad habitum ſuperiorem, quoniam non niſi ex illa continuatione euidentiam habet Concluſionum. Et vt dicitur 1. poſt. non habens demonſtrationem demonſtrabilium, nunquàm ſciet; Demonſtratio enim eſt quam continuat, non curando modo an continuet actu, vel potentia. Secunda, quod ſcientia ſubalternata eſt ſcientia ex continuatione, ſeù continuabilitate ad ſcientiam ſuperiorem, eadem ratione. Tertia, quod per ſe habitus principiorum proximorum ſubalternatæ eſt habitus ſcientificus ſubalternans. Quarta, quod ſcientia ſubalternans, & ſubalternata non neceſſariò opponuntur ex parte obiecti, nec ex parte ſubiecti, ſed potiùs ex parte conditionum medij, quia ſcilicèt medium in ſubalternante immediatè iungitur principijs per ſe notis: ſubalternatæ verò mediatè, mediante ſcilicèt habitu alterius ſpeciei. Quinta, quod ſubalternans, & ſubalternata ſunt compoſſibiles in eodem ſubiecto, quia non opponuntur ex parte ſubiecti. Et ex his deducitur ſexta, quod principia proxima ſubalternatæ ſunt in duplici habitu, vel poſſunt eſſe ex duplici habitu, ſcilicèt, ſcientia ſuperiori, & Fide. In Corrolario art. 2. cit. dicitur à D. Thom. quod Fides de principijs; & in diſtinctione ponitur lumen ſuperioris ſcientiæ; ſed ſcientia ſuperior eſt eorum habitus per ſe, quia ex eſſentiali comparatione, ex qua ſubalternata habet, quod ſit ſcientia; Fides verò eſt eorum habitus per accidens, quia ratione ſubiecti, in quo eſt, puta ipſius Perſpectiui, & non Geometræ. Ità Caiet.

Quò ad ſecundùm. Caietanus in 1. poſt. cap. 13. in fine recitat modos loquendi diuerſorum, & conditiones requiſitas ad ſcientiam ſubalternatam, & antiquorum,

Digitized by Google

rum, & tres B. Alberti Magni. Et poſteà addit ſic. Ex dictis ergò patet, quod ad ſubalternationem ſcientiarum poſt tres conditiones ab antiquis poſitas, oportet addere quartam, quæ eſt fundamentum eius, quàm addit S. Thomas, & non differt ab ea, niſi ſicut fundamentum à fundato. Quæ autèm ſit connexio intèr ſubalternans, & ſubalternatum, & quomodo ſubalternatæ ſubiectum ſit vnum, & quid ſit vnam ſcientiam ſubalternari alteri, in Notabilibus noſtris ſuprà ex D. Thom. 1. p. quæſt. 1. art. 2. iàm diximus. Et quia difficultas eſt de Theologia noſtra an ſit verè, & propriè ſubalternata, quidam putant, quod apud S. Thomam, quod Theologia noſtra ſic accepta pro vt in nobis Viatoribus, non ſit ſcientia niſi æquiuocè, nec ſit ſubalterna niſi ſecundum quid, ſcilicèt quo ad euidentiam; ſed, ait Caietanus, mihi videtur alitèr eſſe interpretandum S. Thomam. Et quo ad primum punctum, quod non ſit, aut ſit ſcientia, vtraque pars poteſt ſanè intellecta ſuſtineri; & quod non ſit ſcientia poteſt dici quod non habet veræ ſcientiæ rationem perfectam, quia ille verè non ſcit, qui non poteſt reſoluere in principia euidentia, & hoc intendit S. Doctor vbicumque hoc innuit. Et quod ſit ſcientia, poteſt dici, ſcilicèt quod ſit ſcientià imperfecta ratione ſtatus præſentis: ſcientia enim imperfecta non eſt extrà latitudinem ſcientiæ, & hoc affirmat S. Doctor in litt. art. 2. cit. Ex hoc quod probat tantùm, quod eſt ſcientia ſubalternata, & non probat abſolutè quod ſit ſcientia, vt ex illa qualitate adiuncta intelligeres imperfectionem ſcientiæ, quàm habet in hoc ſtatu. Et Argumenta Scoti in 1. ſent. quæſt. 3. Prologi, quia probant non eſſe ſcientiam perfectam omittuntur, ſoluemus infra illa tantùm quæ impugnant non eſſe ſcientiam ſubalternatam ſimplicitèr. Et verè, addit Caietanus, D. Thomas tenet ſubalternationem ſimplicitèr, vt vidimus in primo noſtro Notabili; tùm quia etiàm, vt vidimus, ſubalternatio quo ad euidentiam oritur ex ratione ſcientiæ; & propterea tenendum arbitror quod Theologia noſtra ſecundum ſe eſt verè ſimplicitèr ſcientia ſubalterna, ideſt in nobis Viatoribus eſt ſcientia imperfectè, ſimpliciter tamèn ſubalterna. Ità Caietanus art. 2. cit.

Opiniones aliquorum, & pro D. Tho. & contrà ipſum apparentes concordat Caiet. concludendo, quod D. Th. tenuit Theologiam noſtram eſſe propriè ſcientiam ſubalternatam ſimplicitèr; eſto ſit ſcientia imperfecta

Quo ad tertiùm. Ponitur à Caietano Concluſio reſponſiua quæſiti tali pacto ex D. Thom. Metaphyſica non eſt ſcientia ſubalternans, nec ſubalternata: benè tamèn Theologia noſtra eſt ſimplicitèr ſcientia ſubalternata.

Concluſio unica Caiet. ex D Tho. reſponſiua quæſiti cũ ſua unica probatione, ſcilicet quod non Metaphyſica, ſed Theologia noſtra ſit quidẽ ſcientia imperfectè; ſimplicitèr tamèn, & propriè ſit ſubalterna.

Probatur à Caietano vnica ratione ſimul ipſa Concluſio habens duas partes ſub tali forma. Quod non habet eſſentialem, & per ſe differentiam conſtitutiuam ſcientiæ ſubalternantis, & ſubalternatæ, non poteſt eſſe ſcientia ſubalternans, nec ſubalternata: at ſic eſt quod ſola Theologia noſtra, & non Metaphyſica habet illam differentiam eſſentialem &c. cum conditionibus conſequentibus ad talem ſcientiam ſubalternatam: ergò vera Concluſio &c. Maior conſtat ex dictis. Minor probatur de Metaphyſica, quod non ſit ſubalternans alias ſcientias naturales, quia principia propria, & proxima ſcientiarum ſunt per ſe nota illis, nec mutuata ſunt à Metaphyſica, quæ licèt probet principia aliarum ſcientiarum, vt dicitur in 2. Met. hoc non facit à priori per cauſam proximam, ità vt euadant Concluſiones Metaphyſicæ, ſed probat per cauſam remotam deducendo ad impoſſibile, quod non ſufficit ad veram dependentiam principiorum quod quidem requiritur ad veram ſubalternationem, ſed ſi probat illa, probat, vt ità dicam, per accidens, ſi negentur; vndè Phyloſophus in 4. Met. tex. 7. ait, Metaphyſica ſpeculatur ens vt ens, & quæ ei per ſe inſunt, & D. Thom. in opuſc. 70. quæſt. 5. art. 4. ad 6. Metaphyſica conſiderat etiàm de ſingulis entibus, non ſecundum proprias rationes, ideſt proximas à priori, per quas ſunt tale, vel tale ens, ſed ſecundum quod par-

ticipant communem entis rationem, ex quo multò magis deducitur, quod non ſit ſubalternata vllo modo. Hoc etiàm probatum eſt in Phyſica loc. cit. in tit. Probatur modò ipſa. Minor de Theologia noſtra quod ſit ſimpliciter ſubalternata ex Notabili ſuprà, quia ſcilicèt Concluſiones Theologales procedunt ex articulis Fidei, vt principijs non in ſe euidentibus, ſed in ſcientia Dei, & Beatorum; & inſuper habet alias conditiones ſubalternatæ vt talis; in primis eſt ſcientia ex continuatione ad ſcientiam Dei, & Beatorum; & habitus per ſe principiorum eius eſt ſcientia Diuina, habitus verò per accidens eorum; eſt Fides; inſuper non opponitur ſcientiæ Beatæ ex parte obiecti, nec ex parte ſubiecti; ſed ſecundum euidentiam, & ineuidentiam negatiuè; & inſuper ſunt compoſſibiles in eodem ſubiecto ſimul: ergò cum hæc omnia habeat, ſequitur quod ſimpliciter, & omnibus modis ſit ſcientia ſubalternata. Ità Caietanus loc. cit.

Corrolarium D. Thom. probatum à Caiet. ſcilicèt quod ſcientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis ſit verè ſcientia.

Corrolarium poſteà deducit Caietanus pro omnibus ſcientijs ſubalternatis; ſcilicèt quod ſcientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis, eſt verè ſcientia; quamuis non in ſtatu perfecto donec coniungatur ſuæ ſuperiori, in qua habet euidentiam ſuorum principiorum: & hoc probatur à Caietano ſub tali forma ex D. Thom. quæſt. 14. de verit. art. 9. Ille habitus eſt verè ſcientia, qui probat euidentèr ſuas Concluſiones ex principijs certiſſimis, & euidentibus: Sed ſcientia ſubalternata, vt Muſica, probat ſuas Concluſiones per principia certiſſima, & euidentia, & licet non ſint euidentia formalitèr reſpectu eius qui eſt Muſicus, & non Arithmeticus, ſunt ipſi tamèn euidentia præſuppoſitiuè, in quantùm ſcilicèt præſupponit ipſa, vt euidentèr demonſtrata ab Arithmetico. Et hoc ſufficit ad ſcientiam, quod ſint tradita ab aliquo, qui ea euidentèr cognoſcat, vt diximus in Theologia noſtra, quæ eſt verè ſcientia, ſcilicèt inchoatio ſcientiæ ad habendam eam in ſtatu perfecto, quamuis eius principia, pro vt in via ſecundum ſe non ſint euidentia, ipſis Theologis, ſed tradantur à Deo, cui ſunt euidentia. Et Muſicus habet certitudinem infallibilem ſuorum principiorum, quia non tenet illa ſolùm per Fidem humanam, ſed per quamdam notitiam certiſſimam innixam communi, & indubitato Doctorum omnium conſenſui, ex quo conuincitur principia illa eſſe euidentia in ſe ipſis, ità vt ſtultus eſſet, qui illa negaret; vndè adhæret illis tanquàm certiſſimis aſſentiturus Arithmetico, non vt homini, ſed vt demonſtratori. Ità Caiet. ex D. Thom. loc. cit.

Arguit 1. Caiet. triplicitèr ex Scoto & Aureolo, quod Theologia noſtra non ſit ſubalternata.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus quod Theologia noſtra non ſit ſimplicitèr ſubalternata ex Scoto, & Aureolo ſic. Subiectum ſubalternatæ addit ad ſubiectum ſubalternantis: ſed ſubiectum Theologiæ noſtræ non addit; ergò &c. Inſuper ſcientia ſubalternata dependet à ſubalternante vt à cauſa: iſta non dependet ſic, à ſcientia Beatorum, ergò &c. Minor probatur, Cauſa ſcientiæ non eſt niſi obiectum, potentia, ſubiectum, vel lumen, quorum nullum eſt ſcientia illorum. Inſuper ſubalternata, & ſubalternans ſunt compoſſibiles in eodem ſubiecto: iſtæ non ſunt compoſſibiles, ergò &c. Probatur Minor, quia ſequeretur, quod idem eſſet ſimul comprehenſor, & viator.

Reſp. Caiet. ad primam obiectionem Scoti.

Reſp. Caietans ad primam obiectionem Scoti, & Aureoli, quod Theologia noſtra, & Beatorum non ſunt de eiſdem Veritatibus, pro vt patet manifeſtè de veritatibus Articulorum Fidei, de quibus eſt Theologia Beatorum, & non noſtra; concedi ſiquidem poteſt Aureolo, quod ſubiectum Theologiæ noſtræ addit aliquo modo ad ſubiectum Theologiæ Beatoram, accipiendo ſubiectum Theologiæ noſtræ pro toto aggregato ex ſubiecto, vt re, & vt obiecto, ſic enim ſubiectum eſt Deus reuelatus: reuelationem autèm conſtat addere differentiam

acci-

Digitized by Google

accidentalem. At ſi pertinacitèr ex parte obiecti vt res eſt additionem talem quis exiget in ſubiecto ſubalternantis, negatur aſſumptum vniuerſalitèr, licet in quibuſdam verificetur. Nec oppoſitum dicitur in 1. poſt. cap. 13. ſed docetur ibidem, quod vna ſcientia non deſcendit in aliam niſi ſubiectum ſit ſubiecto ſimplicitèr vel ſic, quod concedimus, dum dicimus ſcientiam Beatorum deſcendere in noſtram, quia formale ſubiectum vt res, omninò eſt idem vtrobique, & vt obiectum huius eſt obiectum illius.

Reſp. ad 2. & 3. obiectionem Scoti, Aureoli.

Ad ſecundam, & tertiam obiectionem dicitur à Caietano, quod iſta ſcientia dependet à Theologia Beatorum, vt à lumine, & quod ſunt compoſſibiles ſimul in eodem; Nec ſequitur, quod idem ſit ſimul Viator, & Comprehenſor, ſed ſit ſimul comprehenſor, & habens ſcientiã, quàm acquiſiuit in via alio modo tamen non ſolùm propter excluſionem diſcurſus, ſed propter perfectionem quàm ex continuatione ad ſcientiam Beatorum ſortitur. Ità Caiet.

Arguit Caiet. ex Durando.

Arguit Caietanus ex Durando. Subalternans dicit propter quid, & ſubalternata dicit quia: iſtæ non ſic ſe habent: ergò &c. Probatur Minor, quia Theologalia non habent propter quid, & ſimul habent, idem dicimus nos. & Beati, puta propter quid Chriſtus eſt incarnatus, ſcilicet propter ſalutem humanam. Ità Durandus.

Reſp. Caiet. ad Arg. Durandi.

Reſp. Caietanus negando quod Theologales Concluſiones non habeant propter quid, quidquid eſt de principijs; & licet nos, & Beati idem propter quid dicamus, non tamèn eodem modo, quia illi euidentèr, nos autèm abſque euidentia. At ſi principia dicantur habere proptèr quid, reſponſum eſt quod ſufficit, quod non ſit euidentia in ſubalternata, ſed in ſubalternante, & hoc loquendo de propter quid propriè: nulla namque eſt propoſitio purè Theologalis, quæ non habeat aliquo modo propter quid. Ità Caietanus in Comment. art. 2. cit.

Appendices ad Lectionem 19. Metaphyſicalem in Tractatu ſeptimo de Potentijs ſpiritualibus eorumque habitibus.

EX antiquis Thomiſtis pro Caietano legas de hac re Capreolum in 1. ſent. quæſt. 3. Concl. 4. art. 3. Concl. 3. Albertum Magnum ibi, Ægidium, Bannezium, &c. qui de mente D. Thomæ tenent vt tenet Caietanus, Theologiam noſtram eſſe veram ſcientiam quamuis non in ſtatu perfecto, vt Muſicus non eſt perfectè ſciens donec didicerit Arithmeticam; in qua probantur, & manifeſta fiunt principia Muſicæ, & per conſequens tenent quod ſit propriè ſimplicitèr ſcientia ſubalternata.

Ex Modernis Thomiſtis legas noſtrum Magiſtrum Goudin Lemouicenſem in ſua Metaphy. qu. 5. art. 2. vbi quærit Vtrùm ſcientia ſubalternata ſit vera ſcientia in abſentia ſubalternantis. Ex iſtis Modernis ſunt aliqui qui negant ſcientiam ſubalternatam eſſe veram ſcientiam, ab eo, qui ignorat ſubalternantem, & ſic quamdiù non eſt Arithmeticus ipſe Muſicus neſcit ſua principia reſoluere, ſed ſolùm ea credit; ab hoc tamen excipiunt Theologiam noſtram; quia licet clarè non videat ſua principia, attamèn certificatur de illis per Fidem Diuinam infallibilem.

Legas inſuper Vener. Porrectam in Reſponſione ad Argumenta D. Thomæ art. 2. quæſt. 1. In prima parte cum Notabilibus ibi poſitis, cum Doctrina, & Regula, quam tradit immediatè in Reſp. ad 2. art. 4. Legas etiàm ex antiquis Thomiſtis Petrum de Palude, cùm ſapientiſſimo Io: à S. Thoma in multis locis ſui curſus Philoſophici & in 1. p. art. 2. q. 1. vbi de Theologia noſtra nil conformiùs menti D. Th. legi poteſt.

I.E.

LECTIO XX. METAPHYSICALIS

In Tractatu ſeptimo

DE POTENTIIS SPIRITVALIBVS EORVMQVE HABITIBVS.

Vtrùm omnis Scientia ſit vel ſpeculatiua ſimplicitèr, vel practica.

Ex Caietano in p. p. quæſt. 1. art. 4. & quæſt. 14. art. 16. & in p. 2. ſæpiùs.

Declaratio Tituli eiuſque ſenſus data à Caietano.

IN 1. p. quæſt. 1. art. 4. pro intelligentia terminorum in titulo, ait Caietanus, eſſet inſtituenda quæſtio ſpecialis de praxi, & ſeorſim alia de practico, ſed ex dicendis aliqualem ſi non exactam cognitionem habebimus. Interim nota quod ſcientia ſpeculatiua vt ſic vocatur, cuius finis pro prius non eſt niſi ſcire; ſcientia autèm practica eſt, cuius proprius Finis eſt operari, vel opere appetitus, vel potentiæ executiuæ, vndè Ariſt. in 2. Eth. ait, Inſtituitur hic ſermo, non vt ſcientes ſcimus, ſed vt operantes. Motiua huius difficultatis Vtrùm omnis ſcientia ſit purè ſpeculatiua, cuius finis proprius ſit ſcire tantùm; vel purè practica cuius proprius ſit operari, vel detur ſcientia, quæ non ſit purè ſpeculatiua, nec purè practica, ſed habens vtrumque, ſcilicèt & rationem ſpeculatiui, & practici, plura dantur à D. Thoma, & in ſua Summa, & extrà Summam. In 6. Met. lect. 1. ait, ſcientia ſpeculatiua eſt triplex, ſcilicèt naturalis, Mathematica, & Metaphyſica ſecundum triplicem abſtractionem à materia, & ſecundum eſſe tantùm, & ſecundum rationem tantùm, & ſecundum eſſe, & rationem ſimul. In 2. 2. quæſt. 47. art. 11. & 48. ad ſecundum, ait quod ſcientia practica eſt triplex, ſcilicèt Monaſtica, Ethica, Æconomica, ſeù Politica. In 1. Met. lect. 2. ait, quod ſcientiæ operatiuæ ſunt incertiſſimæ, quia oportet quod conſiderent multas ſingularium circumſtantias. Et in 3. ſent. diſt. 33. & 35. ait, quod ſcientia ſpeculatiua nihil facit ad virtutes morales; parum autèm quæ eſt ſcientia practica in vniuerſali; multum autèm, quæ eſt practica in particulari, ideſt Prudentia (& in poſt. lect. 41. fatetur, quod Finis ſcientiæ ſpeculatiuæ eſt cognitio ſui ſubiecti, Practicæ verò eius conſtructio. Et in 1. 2. quæſt. 1. art 6. ait quod Appetitus eſt ad res, & cognitio eſt à rebus. Et in 3. ſent. diſt. 33. quæſt. 1. art. 1. ait, quod Ratio practica dicitur recta ſecundum quod conformitèr ſe habet ad rectos fines, & ad appetitum rectum, ſed ſpeculatiua ad prima principia. Et tamdèm in 7. Met. lect. 14. ait, quod ſcientiæ ſpeculatiuæ non ſunt de eſſentijs ſubſtantiarum ſeparatarum, quia omne ſcitum eſt compoſi-

Digitized by Google

rum ex prioribus ſecundum naturam, & quo ad nos. Stantibus his, addit Caiet. quærimus cum D. Thom. an Diuiſio ſcientiæ in ſpeculatiuam, & practicam ſit firma, & ſtabilis. Ità Caietanus.

Primum Notabile Caiet. in quo explicatur quot modis ſcientia dicitur ſpeculatiua, & practica ſimpliciter & ſecundum quid.

Quò ad primùm. Notat Caietanus ex D. Thoma in 1. p. quæſt. 14. art. 16. quod ſcientia quædam eſt ſpeculatiua tantùm, quædam practica tantùm; quædam ſecundum quid practica, & ſecundum quid ſpeculatiua. Et ſcientia poteſt dici ſpeculatiua tripliciter; primò ex parte rerum ſcitarum, quæ non ſunt operabiles à ſciente, ſicuti eſt ſcientia hominis de rebus naturalibus, vel Diuinis; ſecundò quantùm ad modum ſciendi, vt puta ſi Ædificator conſideret Domum diffiniendo, & diuidendo, & conſiderando vniuerſalia prædicata ipſius: hoc enim eſt conſiderare operabilia modo ſpeculatiuo, & non ſecundum quod operabilia ſunt: Operabile dicitur illud quod eſt per applicationem formæ ad materiam, non per reſolutionem compoſiti in principia vniuerſalia formalia; tertiò quantùm ad finem, nàm intellectus practicus differt à fine ſpeculatiuo, vt dicitur in 3. de Anima tex. 49. quia ille ordinatur ad finem operationis, iſtius eſt conſideratio veritatis. Scientia igitur quæ eſt ſpeculatiua ratione ipſius rei ſcitæ, eſt ſpeculatiua tantum; quæ verò ſpeculatiua eſt ſecundum modum, vel finem eſt ſecundum quid ſpeculatiua, & ſecundum quid practica; cùm verò ordinatur ad finem operationis, eſt ſimpliciter practica. Et D. Thom. in hoc loco ſumit practicum, & ſpeculatiuum, ait Caietanus in principio Comment. non ſolùm vt ſunt conditiones ſcientiæ ſecundum ſe, ſed etiàm ex parte ſcientis, & propterea dicitur quod Ars domificatiua non intendentis domificare eſt ſpeculatiua ex fine, & practica ex modo, & obiecto, & tu gloſa de fine ex parte ſcientis, & non ipſius ſcientiæ, quia ſi loquimur de hoc, ipſa eſt etiàm practica ex fine, quoniam finis eius eſt domificatio. Et hoc ſi aduerteris, deludes aduerſarios D. Thomæ. Et inſuper aduerte quod ſicut ſpeculatiua eſt tripliciter, ità practica, ſcilicet ex obiecto, modo, & fine etiàm ſcientis. Practica ex obiecto, modo, & fine non ſcientis; ſed ſcientiæ, eſt verè practica; à D. Thom. autem dicitur ſecundum quid ſpeculatiua ex parte finis ſcientis. Quæ autem eſt ex obiecto, ſed non modo, nec ex fine ſcientiæ, eſt etiàm ſecundum quid practica, ſcilicet ex parte obiecti, & ſecundum quid ſpeculatiua, ſcilicet ex modo, & fine ſcientiæ, quia ſe concomitantur.

Cum enim aliquid practicè ſcitur, iàm ex ſe ad opus ordinatur, & è conuerſo. Inſuper aduerte, quod per ſpeculatiuam ex modo tantùm, ideſt de obiecto operabili modo ſpeculatiuo non intelligitur ſcientia de operabili in vniuerſali, quoniam ſcientia de operabili, ſiuè ſit per principia proxima operationis, ſiuè per principia remota, & vniuerſalia operationis, ſub eodem membro cadit: Sed intelligitur ſcientia de operabili, ſcrutans non quomodò res fiat, ſed quid eſt, vt dicitur à D. Thoma: Talis enim cognitio non ſpectat ad Artifices, ſed ad Philoſophos, qui cum ſciant, quid eſt Cythara, aut Domus, non habent tamèn ſcientiam faciendi illam. Ità Caietanus p. 1. quæſt. 14. art. 16. §. Circà hanc partem Aduerte, &c.

Notabile ſecundum Caiet. ex D. Th in quo explicatur quomodo Anima Chriſti habuerit & ſcientiã practicã, & ſpeculatiuã.

Notat ſecundò Caietanus ex D. Thom. in 3. p. quæſt. 13. ad tertiùm, quod Anima Chriſti habuit & ſcientiam practicam, & ſpeculatiuam: Non tamèn oportet, quod omnium illorum habeat ſcientiam practicam, quorum habuit ſcientiam ſpeculatiuam: Ad ſcientiam enim ſpeculatiuam habendam, ſufficit ſola conformitas, vel aſſimilatio ſcientis ad rem ſcitam; Ad ſcientiam autèm practicam requiritur, quod formæ rerum, quæ ſunt in intellectu ſint factiuæ. Plus au-

Digitized by Google

autèm eſt habere formam, & imprimere formam habitam in alterum, quàm ſolùm habere formam; ſicut plus eſt lucere, & illuminare, quàm ſolùm lucere. Et indè eſt quod Anima Chriſti habet quidem ſpeculatiuam ſcientiam creandi: ſcit enim qualitèr Deus creat, ſed non habet huius rei ſcientiam practicam, quia non habet ſcientiam creationis factiuam. Ad quæ D. Thomæ, addit Caietanus, ſic in Reſponſione ad ſecundùm; Aduerte quod Auctor hic corrigit loquendi modum de Scientia Animæ Chriſti, reſpectu omnium quæ fiunt à Deo; in tertio namque ſent. diſt. 14. art. vltimo ad ſecundùm vocauerat ſcientiam practicam, quam hic probat non eſſe practicam; quia non eſt factiua. Et tu hanc doctrinam ſequere. Ità Caietanus ex D. Thom. art. 1. in quo quærit S. Thom. An Anima Chriſti habuerit omnipotentiam ſimplicitèr.

Notabile tertiũ Caiet. ex D Tho. in quo explicatur quo modo Theologia noſtra eſt ſcientia altioris ordinis nō ſpeculatiua præciſe, nec practica præciſe, ſed continens vtrumq. eminenter.

Notat 3. Caietanus ex D. Th. p. p. q. 1. a. 4. quod Theologia non eſt purè practica nec purè ſpeculatiua, quia practicum, & ſpeculatiuum neq; ſunt differentiæ eſſentiales, neque quaſi paſſiones conſequentes differentias eſſentiales primò diuidentes ſcientiam in communi; ſicut nec viſiuum, & auditiuum ſunt differentiæ primò diuidentes ſenſum in communi, ſed quemadmodum ſenſus primò diuiditur in communem, & proprium, & deindè ſenſus proprius diuiditur in ipſum auditum &c. Ità ſcientia priùs diuiditur in ſcientiam infinitam, & finitam, & deindè ſcientia finita diuiditur in ſpeculatiuam, & practicam. Et ratio huius eſt quia vna ratio formalis obiecti finita non poteſt habere vtramq; conditionem, & quod ſit ex qua ſumatur regula operandi, & quod ſit in ſe ſcibilis, etiàm ſi nulla poſſet ex ea regula operis ſumi: ſed opportet has duas conditiones in duabus fundari rationibus formalibus finitis, vt patet inductiuè; ſed ſi ratio formalis alicuius obiecti ſcibilis eſt infinita, iàm ex ſua infinitate vtramq; in ſe conditionem comprehendit, altiori modo quam ſint in rebus finitis, eo quod diſperſa in inferioribus vnitè præueniuntur in ſuperiori. Et propterea ſicuti præter ſenſus proprios datur ſenſus altioris ordinis, qui non eſt viſus, nec auditus &c. ità prætèr ſcientias ſpeculatiuas, & practicas datur ſcientia altioris ordinis non ſpeculatiua, nec practica, ſed eminentèr continens vtrumque, & propterea in littera art. 18. dicitur à D. Th. quod licet in ſcientijs Phyſicis alia ſit ſpeculatiua, & alia practica; ideſt practicum, & ſpeculatiuum faciunt alietatem, quæ eſt differentia ſubſtantialis; attamèn Sacra Doctrina vna exiſtens comprehendit vtrumque vtpote ſcientia altioris ordinis. Ità Caiet. loc. cit. §. Antequam Concluſio &c.

Notabile quartum Caiet. in quo idem declaratur quod ſuprà.

Notat 4. ibidèm Caietanus preſequendo doctrinam datam de Theologia, quod ex hoc quod conditiones ſcientiæ practicæ, & ſcientiæ ſpeculatiuæ conueniunt huic ſcientiæ poteſt inferri néquaquam, ergò Theologia eſt ſpeculatiua, aut ſic ergo eſt practica vt vna diſtinguit contrà aliam, ſed ſequitur vel ergo eſt ſpeculatiua, vel eminentèr continens rationem practicæ; & ſimiliter non poteſt inferri ergo eſt affectiua, vel eminentèr continens rationem. Et ſic rationes affectiuæ Scoti in prologo q. 4. quia, ſcilicet ex obiecto ſumuntur principia regulantia praxim, & huiuſmodi, non concludunt, eam eſſe practicam; ſed ſi valent, concludunt, vt dictum eſt, eam eſſe practicam, vel eminentèr continere rationem practicæ. Et propterea tu qui diſputationibus vacas vtere hac diſtinctione in ly præciſè, & non præciſè tali, puta regula operis, ſeu peculiari &c. quod enim eſt præciſè tale, eſt aut practicum, aut ſpeculatiuum; quod autem eſt tale, ſed non præciſè, eſt quid altius, vt patet ex dictis. Comparatio igitur ſubiuncta non obſtat, quoniam cum hoc, quod eſt eminentèr vtrumq; ſtat quod ſit formalitèr vtrumque ſicut Sol eſt eminentèr calefactiuus, & exſiccatiuus; & tamen formalitèr; Et Deus eſt eminentèr intelligens,

gens, & volens, & exequens, & tamen formaliter. Ità Caietanus a. 4. cit. §. Circa prædicta aduertenda ſunt duo.

Propoſitio Ariſt. ſcilicet quod omnis notitia eſt de numero honorabiliũ, explicatur à Caiet.

Et notanda etiàm ſunt illa cum applicatione debita; quæ habet in c. 1. de Anima in principio, quod omnis ſcientia in quantùm ſcire facit, eſt honorabilis, ſed in hoc differt practica à ſpeculatiua, quod ſpeculatiua in quantũ huiuſmodi eſt propter ſcire tantùm, & ideò ſimpliciter honorabilis. Practica autèm claudit in ſe duo, ſcilicet ſcire, & operari, ità quod operari eſt naturalis finis ipſius ſcire, & ideò practica ſimpliciter eſt de numero laudabilium; in quantùm autèm facit ſcire ſecundum quid eſt de numero honorabilium; in cuius ſignum miramur, & honoramus ingenioſos, qui ſubtiliter adinueniunt, aut ſciunt rationes operum reddere. Verificatur ergo propoſitio Ariſt. quod omnis notitia eſt de numero honorabilium, quia omnis intellectualis habitus in quantùm noſſe facit eſt honorabilis. Hæc pro ſcientia ſpeculatiua, & practica. Ità Caietanus in loc. cit.

Opinio S. Th. de ſcientia Theologiæ noſtræ recitatur, & explicatur à Caiet.

Quo ad 2. Caietanus in p. p. q. 14. a. 16. & q. p. a. 4. explicat quid ſentiat D. Th. circà ſpeculatiuum, & practicum non ſolum vt conſiderantur in ſe, ſed etiam vt applicantur ſcientijs particularibus, & ſubalternanti, & ſubalternatæ. Et relinquendo Lectori, quæ dicit de ſcientia Dei D. Th. applicando practicum, & ſpeculatiuum ſcientiæ Theologiæ, ait Caietanus ar. 4. cit. D. Th. expreſsè habet, quod Sacra Doctrina vna exiſtens extendit ſe ad ea, quæ ſpectant ad ſcientias ſpeculatiuas, & practicas; & vult, quod ipſa ſit altior, & comprehendens vtrumq; Et hæc interpretatio mentis D. Th. non eſt noua, & ficta, ſed in littera art. 4. cit. expreſſa; & hoc patet conſideranti, quod loquitur de Vnitate ſpecifica, quam conſtat per ſe vnam conſtituere. Et per hoc manifeſtè excludit rudem interpretationem eorum, qui intelligunt Thelogiam comprehendere in ſe practicum, & ſpeculatiuum per modum aggregationis: iam enim non eſſet vna, niſi per aggregationem, & non ſub vna ratione formali, ſed duabus: & propriè non comprehenderet ſub ſe vtrumque, ſed componeretur ſub vtroque, & vt omnis horum euacuetur phantaſia videant S. Th. in 2. 2. q. 5. a. 3. vbi expreſsè ponit Sapientiam infuſam eſſe altioris ordinis, quàm ſit ſpeculatiuum, & practicum eadem ratione prædicta: quia ſcilicet quantò eſt altior ratio, tantò ad plura ſe extendit vna exiſtens. Et hoc inſuper pertinet ad dignitatem, quia cùm iſta ſcientia ſit digniſſima, & honorabiliſſima, & habeat rationem vnam communem omnibus practicis, & ſpeculatiuis, & ſit Diuini ordinis, tenebris inuolui opus eſt eum, qui aliter interpretatur eam comprehendere vtrumque non vt ſcientia altioris ordinis. Ità Caietanus in p. p. q. 1. a. 4. §. Circa prædicta.

1. Concl. Caiet. ex D. Th. cum ſua probatione, ſcilicet quod ſcientiarum alia eſt ſpeculatiua tantùm, & alia practica tantùm.

Quo ad 3. Caietanus ex corp. art. 16. cit. q. 14. elicit hanc Concluſionem Reſponſiuam quæſiti. Scientia quædam eſt ſpeculatiua tantùm, quædam practica tantùm; quædam ſecundum quid practica, & ſecundum quid ſpeculatiua. Non indiget probatione hæc concluſio, quia iam in prima Adnotatione declarata fuit. Et poteſt reduci ad talem formam, vt reducitur de facto à Caiet. ſic. Scientia dicitur ſpeculatiua tripliciter, ſcilicet ex obiecto, aut modo, aut fine: ergo quædam eſt ſpeculatiua tantùm &c. Antecedens declaratur exemplariter in Adnotatione ſuprà. Conſequentia probatur, quia ſpeculatiua ex obiecto eſt ſpeculatiua tantùm; ſpeculatiua verò ex modo tantùm, aut fine tantùm eſt ſecundum quid practica, & ſecundum quid ſpeculatiua; quæ verò nullo horum modorum ſpeculatiua eſt, relinquitur, quod ſit practica tantùm. Ità Caietanus in loc. cit.

Concl. vnica ponitur à Caiet. cum

Tertia Concluſio ponitur à Caietano in q. p. a. 4. pro vt applicatur practicum, & ſpeculatiuum Theologiæ noſtræ, quæ eſt Sacra Doctrina; tali pacto, Theologia

probatione vtriuſq; partis ex D. Th ſcilicet quod vna exiſtens ipſa Theologia complectitur vtrumque, & ſpeculatiuum, & practicum.

nec eſt purè practica, nec purè ſpeculatiua, ſed eſt altior comprehendens in ſe eminentiùs rationem practici, & ſpeculatiui.

Probatur prima, & ſecunda pars à Caiet. vnica ratione ſub tali forma ex D. Th. ſic. Sacra Doctrina, ſeù Theologia noſtra vna exiſtens extendit ſe ad ea, quæ ſpectant ad ſcientias ſpeculatiuas, & practicas: ergo non niſi poteſt eſſe altior comprehendens ſub ſe vtrumque. Antecedens conſtat ex art. 3. D. Th. in p. p. q. 1. Sacra Doctrina, ibi dicitur, attendit vnam communem rationem ſpeculabilibus, & operabilibus, ſcilicet in quantùm ſunt diuinitus reuelabilia. Conſequentia probatur, quia huiuſmodi ſcientia, eſt ſicut ſcientia Dei, qua eadem, ſcit ſe, & opera ſua. Et probatio iſta, addit Caietanus, eſt optima, & à priori ex viſceribus antecedentis deducta, & non per locum à ſimili. Cùm enim Theologia noſtra nihil aliud ſit, quàm impreſſio, & ſigillum proprium ſcientiæ Diuinæ, quoniam vtraque eſt de Deo in quantùm Deus, & hæc ab illa deriuatur ſub propria illius luminis, quamuis parua participatione, conſequens eſt, quod vnitas illius, vnitatem iſtius, & altitudo illius quoad vtrumque genus prout extenditur, inferat altitudinem iſtius. Et propterea ly ſicut, poſitum à D. Th. & ly Deus &c. non dicit puram ſimilitudinem, ſed aſſimilationem proprij exemplati ad proprium exemplar &c.

Corrolarium tamen infert. D. Th. in Argumento, ſed contrà, ſcilicet, quod Theologia noſtra ſit magis ſpeculatiua, quàm practica, quia agit principaliùs de rebus Diuinis, quàm de humanis actibus; & inſuper agit de actibus humanis proptèr Dei ſpeculationem: quia in ſpeculatione conſiſtit æterna Beatitudo. Ità Caiet. ex D. Th. a. 4. cit.

Arguit 1. Caiet. ex D. Th. contrà concluſionem.

Quo ad 4. Arguit ex D. Th. contrà Concluſionem. Et primò ſic. Probando quod noſtra Theologia ſit præcisè practica. Finis practicæ eſt operatio ſecundum Philoſophum in 2. Met. tex. 3. ſed Theologia noſtra ordinatur ad operationem ſecundum illud Iacobi p. eſtote factores Verbi, & non auditores tantum: ergo Theologia noſtra, ſeù Sacra Doctrina eſt præcisè practica.

Arguit 2. pro vt ſuprà.

Arguit 2. Sacra Doctrina diuiditur per legem veterem, & nouam: lex autèm pertinet ad ſcientiam moralem, quæ eſt ſcientia practica; ergo Sacra Doctrina eſt ſcientia præcisè practica: ergo non complectens vna exiſtens, & ſpeculatiuum, & practicum.

Reſp. ex D. Th. ad primum.

Reſp. ex D. Th. ad primum diſtinguendo maiorem. Finis practicæ eſt operatio ſecundum quod practica, conceditur, ſecundum quod ſpeculatiua negatur, & ſic in quantùm practica ordinatur ad operationem non in quantùm ſpeculatiua; & ſic Argumentum concludit quod ſit practica, non autèm quod non ſit ſpeculatiua.

Reſp. ad 2. ex D. Th.

Reſp. ad ſecundum diſtinguendo Minorem lex autèm pertinet ad ſcientiam moralem ordinantem operationes humanas ad Beatitudinem, ideſt ad Dei cognitionem, conceditur, alitèr negatur, iàm dictum eſt, quod Sacra Doctrina eſt impreſſio Diuinæ ſcientiæ. Deus autèm eàdem ſcientia cognoſcit ſpeculatiuè ſe ipſum, practicè, ac ſpeculatiuè illa, quæ facit; imò magis ſpeculatiua eſt vt dicitur in Corrolario ſuprà à D. Th. Ità Caietanus p. p. q. 1. a. 4. ex D. Th.

Digitized by Google

Appendices ad Lectionem Vigeſimam, & vltimam Metaphyſicalem in Tractatu Septimo de Potentijs Spiritualibus, eorumque habitibus.

DE practico, & ſpeculatiuo vide intèr alios Iauellum noſtrum in ſua Metaphyſica lib. 6. q. 4. vbi contra Io: Bacchom diſputat quod praxis quidditatiuè, & eſſentialiter non ſit operatio intellectus, qua dictat aliquid agendum, vel fugiendum, ſed determinat ibi quod, nullus intellectus quo ad ſpecificationem ſit praxis, quoniam vt ſic eſt intrinſecus intellectui: omnis autèm praxis vt ſic eſt alterius potentiæ ab intellectu, ſed ſolùm ſecundum quid ſecundum exercitium, ideſt extenſiuè ſecundum alios poteſt dici praxis. Legas etiàm ibi q. 5. vbi diſputat contrà Io: Bacchom, qui dicit eſſe vanam iſtam quæſtionem Verùm habitus practicus diſtinguatur à ſpeculatiuo ex obiecto, vel ex fine, & diſputat contrà Io: Andream qui in 6. Met. tenet, quod ſcientia ſit practica ex obiecto, & non ex fine, & credit, quod nos Thomiſtæ teneamus ſcientiam practicam nullo modo eſſe practicam ex obiecto, ſed tantùm ex fine. Et legas etiàm ipſum in q. 6. vbi determinat practicum, & ſpeculatiuum ſecundo modo, ideſt non ex fine, ſed ex obiecto eſſe differentias eſſentiales habitus ſcientifici in communi, quia omnis ſcientia inuenta lumine naturali, vel eſt de obiecto operabili, & ſic eſt practica eſſentialiter ex obiecto; vel non operabili, & ſic eſt ſpeculatiua ex obiecto. Differentiæ igitur ſunt eſſentiales habitus ſcientifici in communi, non vero ex fine, quia practicum ſumptum ex fine dicit reſpectum ad opus, & ſpeculatiuum ex fine dicit negationem talis reſpectus, nulla autèm negatio vel priuatio, vel relatio, ſeù reſpectus eſt differentia eſſentialis entis abſoluti, ſed habitus ſcientifici, qui eſt in prædicamento qualitatis. Legas etiàm ipſum in q. 7. 6. Met. vbi quærit ſi ſint tantùm tres ſcientiæ ſpeculatiuæ, vbi refert probationem D. Thomæ, qua probat in proœmio primi Phyſ. eſſe tantùm tria genera ſcientiarum realium ſpeculatiuarum lumine naturali, eſſe omninò diuerſam à via Scotiſtarum, vt Io: Andreæ in 6. Met. q. 3. probantium illa genera &c.

De practico, & ſpeculatiuo pro vt applicatur Theologiæ noſtræ legas D. Th. in prologo 1. ſent. a. 3. q. 1. & B. Alb. Magnum in p. ſent. diſt. 1. a. 4. & Petrum de Palude, Ægidium, Capreolum ibidem q. 2. Concluſione -, & 6. Banneſium, & tandem Sapientiſſimos noſtri ſæculi Theologos Io: à S. Thoma, Godoy, Goudin, Arnù &c. & ſuper omnia legas Ven. Porrectam ſuper art. cit. in ſuis Append. & formalitatibus Concluſionum, & Reſponſionum D. Th. ad Argumenta. Et nota explicationem Caietani in p. p. q. 1. a. 4. ſuper illa verba D. Th. quod Theologia noſtra ſit magis ſpeculatiua, quàm practica; eſt idem, ac dicere, ait Caietanus, quod ſicut ſenſus communis magis habet de natura viſus, quam auditus, ideſt conditiones viſus, & ſenſus communis magis conueniunt, quam conditiones auditus, & ſenſus communis; ſic in propoſito interpretatur D. Thomas; vndè ſi alibi dicit quod eſt ſimpliciter ſpeculatiua, & ſecundum quid practica, ratio dicti eſt, quia ſpeculatiuum ſonat differentiam perfectam ſcientiæ; practicum verò minùs perfectam, & conditiones ſpeculatiuæ, magis conueniunt tàm excellenti ſcientiæ, quàm conditiones practicæ. Dicitur ergo ſimpliciter ſpeculatiua, ideſt ſinè additione aliqua, quia eſt formaliter ſpeculatiua, eminentèr tamèn; Dicitur autèm practica ſecundum quid, & non abſolutè, ne detur intelligi, quod ſit ſcientia imperfecta, quales ſunt illæ, quæ abſolutè dicuntur practicæ.

Digitized by Google

Quomodò autèm poſſunt adunari modi procedendi practicè, & ſpeculatiuè, cùm opponantur eſſentialiter, adunari inquam in Theologia, & non in Metaphyſica, quæ eſt ſcientia naturalis, lege doctiſſimos, & non ſciolos Modernos, in Metaphyſica in quæſtionibus eorum proœmialibus eiuſdem Metaphyſicæ, vel in 6. Met. ibi comprehendes differentiam, quæ eſt intèr has ſcientias Diuinas, ſcilicet intèr Metaphyſicam, & Theologiam. Ex his videbis quod Theologia differt à Metaphyſica, quod iſta eſt ordinis naturalis, & ideò non altioris vt Theologia, & quod attingit Deum ſub ratione communi, abſtrahens ab hoc quod ſit noſtra Beatitudo, illa verò vtporè altioris, & ſuperioris ordinis attingit Deum vt vltimum finem, ſub ratione particulari, & vt conſequibilis eſt à Creatura rationali, & ideò continens eminentèr vtrumq; & practicum, & ſpeculatiuum. Metaphyſica verò nequaquam, & ideò ſiſtens infrà limites ſcientiæ ſpeculatiuæ præcisè; vndè D. Th. in 3. ſent. diſt, 23. q. 2. a. 3. dicit. Scientia eſt duplex, vna moralis, quæ de noſtra, & Angelorum Beatudine tractat, & eſt regula proxima noſtrorum operum, & quantum ad hoc Teologia eſt practica, alia eſt Metaphyſica, quæ abſtractè res conſiderat, abſq; eo quod ſit regula proxima alicuius operis, & hæc nullatenus practica eſſe poteſt. *Hæc* benè notabis.

LE-

LECTIO PRIMA.

METAPHYSICALIS

In Tractatu Octauo

METAPHYSICÆ,

DE RELATIONIBVS.

Quænam ſint Relatiua primi, ſecundi, & tertij Generis, & quodnam Genus ponatur in Diuinis.

Ex Caietano in p.p.q.28.art. 1. 2. & 4. (& quæſt. 15.) & 13. a.7.

Declaratio Tituli, eiuſq; ſenſus facta à Caiet.

CVm hæc ſcientia Metaphyſicæ, ait Caietanus, vocetur ab antiquis, & modernis ſcientia Diuinorum, non erit extrà propoſitum eiuſdem ſcientiæ agere de ipſis relationibus, & methodo Metaphyſicali ex D. Th. diſtinguere, & ſeparare ea, quæ ſpectant ad Diuina ab ijs, quæ ſpectant ad Relationes in creatis; Et cum ex Ariſt. 5. Met. tex. 20. habeatur quod omnis Relatio eſt triplex, vna fundata ſuper quantitatem, ſecunda fundata ſuper actionem, & paſſionem, & tertia ſuper menſuram, & menſuratum, multum ad rem faciet inueſtigare primò in præſenti Tractatu octauo, & Lectione prima, An omnes iſti tres modi relatiuorum, ſeù hæc tria genera Relatiuorum aſſignata ab Ariſt. in Metaphyſica reperiantur in Diuinis; remittentes Diſcipulum, & Lectorem ad ea, quæ diffusè diximus in noſtra Logica cap. 3. de his quæ ſunt ad aliquid, ſcilicet de relatione, & relatiuis, eorumque proprietatibus, & an ſubſtantia ſit ad aliquid, & quænam ſint Relatiua ſecundum dici, vt genera habituum, quorum ſpecies collocantur in prædicamento qualitatis: hæc omnia prout ſunt in creatis diffusè explicauimus. Ità Caietanus multis in locis.

1. Notab. Caiet. in quo declaratur quid ſit Relatio realis, & rationis, & iſtæ quot modis.

Quo ad 1. Notat primò, quæ habet D. Th. in c. art. p.p. q. 26. & Ariſt. in 5. Met. c. 14. & D. Th. ibi lect. 17. tex. 20. Et dicit ſic Caiet. D. Thomas vt aperiat ſibi viam ad ponendas relationes in Diuinis ſecundum veram Metaphyſicam diſtinguit primò relationem in realem, & rationis, & declarat quis ſit reſpectus realis, & quis rationis. Relatio realis, inquit, eſt ordo vnius rei ad alteram competens rebus ex natura rerum, & huiuſmodi relationes Ariſt. ibi diſtinguit in tria genera: Relatio rationis, ait, eſt ordo vnius rei ad alteram per intellectum comparantem vnam rem cum altera, & ſub hoc nomine reſpectus diſtinguit ipſam relationem. Et reſpectus,

addit

Digitized by Google

addit Caiet. quandoque eſt in ipſis naturis rerum, quandoque in apprehenſione rationis tantùm; Et ille quidem eſt cùm duæ aliquæ res inclinationem, ſeù ordinem ad inuicem habent, vt patet de graui, & loco deorſum, vbi eſt quidam reſpectus reſpectu loci medij; iſte autem eſt cum ratio confert vnum alteri vt oſtenditur in ſpecie, & genere comparando hominem Animali ipſe intellectus ſeù ratio; ideſt ſpeciem ad genus; & hoc ſecundum rationem tantum, & non ſecundum rem inuenitur ſolum in ijs, quæ ſunt ad aliquid, quod non eſt in alijs generibus: quia alia genera vt quantitas, & qualitas ſecundum propriam rationem ſignificant aliquid alicui inhærens. Genus verò ad aliquid, ſeù relationis ſignificat ſecundum propriam rationem reſpectum ſolummodò ad aliud, & ideò hic inuenitur reſpectus etiam rationis, qui non inuenitur in alijs generibus; & nomine rationis conferentis intelligitur ipſe intellectus conferens vnum ad alterum quouis modo intelligendo. Et vt vniuerſalis ſit doctrina D. Th. in p. ſent. diſt. 26. q. 2. a. p. Et q. de potentia q. 7. a. 11. docet quot modis contingat: conſurgit enim in primis Relatio rationis, quando extrema non ſunt realiter diſtincta, vt relatio eiuſdem ad ſe ipſum: intellectus enim non valet intelligere rationem formalem identitatis, niſi idem referendo, ac reflectendo ſuprà ſe ipſum. Inſuper alia conſurgit relatio rationis, comparando rationem formalem hominum præſentium ad præteritos, vt priores ad iſtos, & ad futuros vt poſteriores, & non eſt realis, quia extrema non ſunt realiter diſtincta, quia homines præteriti, vt futuri non exiſtunt. Inſuper aliæ relationes rationis conſurgunt, quando non valet cognitione reflexa intelligere conceptus obiectiuos rerum, niſi conſiderando illos in ordine ad res, quarum ſunt conceptus, & ex eo quod ſunt intellecti ſine particularibus vocat abſtractos à particularibus, & eos vniuerſales denominat, & particularia vocat indiuidua, & comparando conceptus ad inuicem, ſi vnus inueniatur ſub alio vocat ſpeciem, qui eſt ſuperior vocat genus. Inſuper aliæ relationes rationis conſurgunt, quandò abſtractum comparando ad ſubiectum, formam abſtrahendo à materia, ex hoc quod ſic ſeorſim non valet intelligere niſi abſtrahendo, abſtractionem hanc vocat formalem, ad differentiam abſtractionis totalis, puta accidentis ab hoc accidente, formæ ab hac forma, & ideò iſtæ abſtractiones vocantur relationes rationis, quia ſunt per intellectum. Inſuper quia intellectus non valet intelligere ipſam relationem, niſi referendo illam ad terminum, & quia relationis non eſt relatio, neq; relatio eſt id quod refertur, ſed eſt eſſentialiter ordo, & id quo aliud refertur, & ideò dum intellectus, vt ipſam intelligere poſſit, refert illam ad aliud, huiuſmodi referentia eſt ordo rationis. Huculq; D. Th. epilogat relationes rationis loc. cit. & addit Caiet. quando dicimus ex D. Th. quod reſpectus realis eſt quandò duæ aliquæ res inclinationem, ſeù ordinem ad inuicem habent, interpretandum eſt de relatione reali mutùa, & de ordine, ſeù inclinatione fundamentali, vt exponitur in q. 13. art. 7. Ità Caietanus.

Notab. 2. Caiet. in quo explicatur quomodò Relatiua tertij generis iudicentur ſecundum duo entis genera.

Notat 2. Caietanus in p. p. q. 13. a. 7. in Reſp. ad 4. pro relatione relatiui tertij generis vt ſcibile &c. Aduerte, inquit, perſpicacitèr, quod Relatiua tertij generis poſſunt iudicari eſſe ſecundum duo entis genera. Primò in genere entis ſimpliciter; ſecundò in genere entis ſecundum quid, ideſt entis rationis: ſi loquamur de eis ſecundum eſſe ſimpliciter, tunc ipſa non alia ratione ſunt, niſi quia comparia ſua, quæ terminantur ad ipſa, formaliter ſunt in rerum natura, ità quod ad eorum eſſe extrà Animam hoc ſufficit, ſunt enim contenta hoc debiliſſimo modo eſſendi, vt Deus eſt de nouo Dominus ſine omni intellectu, ſola ſeruitute Creaturæ, quia eſſe Dominum, nullum eſſe in rerum natura ponit, niſi eſſe ſui oppoſiti; nec eſt, incon-

ne-

ueniens in materia relatiua, vnum oppoſitorum eſſe, exiſtente alio, vt Ariſt. docuit. Et ratio eſt in promptu, quia oppoſita relatiua in hoc à cæteris oppoſitis differunt, quod ſe ſimul ponunt, nec vnum in diſtinctione alterius conſtituitur, vt S. Thomas docuit. Si autèm loquamur de eis ſecundum eſſe rationis, ſic eſſe Dominum ponit in Deo relationem rationis, vndè illa relatio dominij, quæ tam debili modo dicitur ens dupliciter iudicata eſt à Doctoribus, quandoq; ſecundum eſſe proprium, & ſic dicitur relatio, & ens rationis tantùm, quia nullum proprium habet eſſe niſi per rationem; quandoq; verò iudicatur ſecundum eſſe alienum, ſcilicet oppoſiti, à quo entis nomen vtcumque meretur, & ſic dicta eſt ens, & intèr entis partes enumerata in 5. Met. quia alia dicitur ad ipſam; & quia ſic nullum ponit eſſe in denominato, ſed in termino tantùm, ideò ſemper, & de iſtis ſimpliciter dicitur, quod nullum ponit eſſe in denominato niſi rationis, quod ſpectat ad eſſe proprium. Et benè nota, quod non dicitur, quod nullum eſſe ponunt, ſed quod nullum eſſe in denominato ponunt, quia ponunt illud in termino oppoſito, quod ſufficit ad eorum eſſe extrà. Et ſi hanc diſtinctionem perſpexeris, atque ſcies applicare, diuerſa Doctorum dicta verificabis, puta quod iſtæ relationes non ſunt entia extrà Animam: hoc enim eſt verum ſecundum eſſe proprium; & quod iſta ſunt, quia oppoſita ſunt, & hoc etiam eſt verum ſecundum tamen eſſe alienum; & vtrumq; tetigit S. Thomas in Reſp. ad 4. art. 7. cit. Aduertes quoque quod nouitijs compatiens Auctor magis vſus eſt relatiuis iſtis ſecundum eſſe rationis, quàm ſecundum illam eſſendi diminutionem non ſic facilè intelligibilem.Ità Caiet. in fine Comment. a. 4.

Notat 3. Caietanus pro relatiuis primi, & ſecundi generis ſuper illud aſſumptum à D. Th. in art. 4. q. 28. vbi quæritur Vtrùm in Deo ſint tantum quatuor relationes. In Deo ſunt relationes reales non conſequentes quantitatem, nec actionem ad extrà: ergò ſunt conſequentes actiones ad intrà ex 5. Met. notat, inquam Caietanus, quod aſſumptum iſtud intelligitur ſecundum modum, non autèm ſecundum rem, ideſt omnis Relatio realis fundatur ſuper quantitatem &c. ideſt ſuper re, quæ eſt quantitas, aut ſuper alia re, quæ induit rationem quantitatis; vndè vnum in ſubſtantia facit idem, & vnum in qualitate facit ſimile: vnum enim ad quantitatem pertinet modalitèr. Neceſt diminutus D. Th. in illa propoſitione ex 5. Met. cum non referat tertium modum poſitum ab Ariſt. 5. menſuræ, & menſurabilis, non quantitatiuè, quia vera eſt illa vniuerſalis in relationibus realibus mutuis, de quibus eſt ibi ſermo an ſint ponendæ in Deo; ideſt eſt ſermo de realibus relationibus inter res eiuſdem ordinis, imò eiuſdem naturæ, ſeù ſaltem mutuis. Relatiua autèm tertij modi, vt ibidem patet, in hoc differunt ab alijs, quia non ſunt mutua; vndè ad quartum Reſp. D. Th. quod æqualitas, ſimilitudo in Deo non ſunt relationes reales, ſed rationis tantùm, quæ ſunt conſequentes quantitatem ſecundum modum vt dicitur à D. Th. alibi in p. p. q. 42. vbi de relationibus, quæ ſunt communes omnibus perſonis hæc ſufficiant in hoc loco; non enim omnia ſunt perluſtranda in Metaphyſica. Ità Caietanus loc. cit.

Notab 3. Caiet. in quo declaratur quod nam ſit illud Relatiuum, quod ponitur in Diuinis.

Quo ad 2. Caiet. de relationibus primi, & ſecundi generis dicit, S. Doctor in p. p. q. 38 a. 4. ſecundum veritatem tenet, nullam relationem realem primi generis, quæ conſequitur quantitatem tàm ſecundum rem, quàm ſecundum modum eſſe in Deo, ſed ſi eſt Relatio realis mutua in Deo, hoc eſt ſecundi generis, ideſt ſuprà actionem, non tamèn ſuper actionem, ſecundum quam procedit aliquid extrinſecum à Deo, ſed ſecundum actiones, ſecundum quas eſt proceſſio in Deo intrà: Relationes enim Dei ad Creaturas, æqualitatis, ſimilitudinis, & aliæ, quæ ſunt tertij generis, non ſunt realiter in Deo, ſed ſecundum rationem tantùm vt diximus.

Opinio D. Th. recitatur, & explicatur à Caiet. de relationibus ponendis in Deo.

Et

Opinio Scoti recitata à Caiet. de Relatione rationis.

Et de opinione Scoti in p. ſent. diſt. 45. addit Caiet. in p. p. q. 28. a. 1. circà Relationem rationis non eſt audiendus Scotus, ſuſtinens non omnem relationem rationis eſſe ab intellectu, eſt expreſſe contrà D. Th. qui probat ibi quod huiuſmodi reſpectus ſunt in ſola apprehenſione rationis; diſtinguendum tamèn eſt quod Relatio rationis poteſt conſiderari dupliciter vno modo ſecundum ſuum eſſe, & ſic, ait Auctor, non habet eſſe niſi in intelligi; Alio modo ſecundum ſuam quaſi proximam cauſam, ſeù fundamentum, & ſic non cauſatur à ſolo intellectu, ſed etiàm poteſt cauſari à Voluntate, & ab imaginatiua, imò etiàm à viſu exteriori. Viſus namque attingendo colorem, cauſat in eo Relationem viſi ad videntem; & ſimiliter dextrum Animalis cauſat relationem dexteritatis in Columna: hæ tamèn relationes non ſunt actu niſi quando Intelliguntur, præexiſtentibus namq; prædictis fundamentis, quaſi habitualiter eſt relatio rationis. Ità Caietanus q. 28. cit. §. Ad hoc ex 5. Metapyſ. &c.

Caietanus recitat etiàm defectum Scoti in p. p. quæſt. 13. art. 7. Reſp. ad 4 in fine Comment. dicendo ſic. Scotus in p. ſent. diſt. 30. quæſt. 1. tenet quod Correlatiua tertij ordinis dicuntur relatiua, ſeù ibi ſunt relationes formales abſque cauſa formali, putat eſſe Dominum abſque cauſa formali, ſcilicet abſque relatione Dominij, quod non eſt intelligibile.

Ex alia parte Stoici conueniunt, quod omnis relatio eſt rationis, contrà quos eſt S. Thom. in art. 1. quæſt. 28. p. p. Ità Caietanus.

Concl. 1. ponitur à Caiet ex D. Th. cũ probatione p. p. ſcilicet quod ſolum prædicamẽtum relationis diſtinguitur in realem, & rationis.

Quo ad tertium. Prima Concluſio ponitur à Caietano ex p. p. quæſt. 28. art. 1. Relatio diſtinguitur ſola in Relationem realem, & rationis, non autem poteſt ſic diuidi quantitas, ſubſtantia, & qualitas tanquàm in partes ſubiectiuas.

In illo prædicamento ſolo (probatur à Caietano prima pars ſic) reperiuntur aliqua ſecundum rationem tantùm; in quo ſolo reperitur ratio formalis realis, & rationis merito cuius, vel ex ipſa re, vel ex beneficio intellectus poteſt diſtingui in realem, & rationis: ſed in ſolo prædicamento ad aliquid hoc reperitur: ergo &c. Maior eſt doctrina Peripatetica, & vniuerſalis. Minor probatur: reperitur enim propria ratio formalis illius nempè relatiua forma, quæ non eſt vt ens reale, nec vt pars entis realis, nec vt forma realis in rerum natura realiter exiſtens, nec ſecundum alia communia illi, & alijs prædicamentis, ſed hoc habet præciſè quod ſit merus ac purus ordo vnius rei ad aliam, qui illi conuenit ex propria ratione formali per quam diſtinguitur ab alijs prædicamentis abſolutis, & hic conuenire poteſt rebus, vel ex merito ipſarum dicentium realem habitudinem ad inuicem, vel ex mero beneficio intellectus ordinantis vnam rem ad aliam, vel cum ſe ipſa, vel cum alia comparte, quæ vel exiſtit, vel non exiſtit, & hoc ad melius illam intelligendam, vt diximus, ergo vera minor &c.

Probatio Caiet. pro 2. p. concl ſcilicet quod alia prædicamenta abſoluta non ſic diſtinguuntur.

Probatur ſecunda pars à Caietano ſub tali forma. In Prædicamentis abſolutis, puta in ſubſtantia, quantitate, & qualitate non datur ratio formalis, merito cuius diuidantur in realem, & rationis competens ipſis ex merito earum, vel ex ſolo beneficio intellectus: ergo vera ſecunda pars. Antecedens vbi eſt difficultas exponitur ab Auctore, qui dicit in p. p. quæſt. 28. art. 1. quod illa prædicamenta, vt quantitas, & qualitas ſignificant aliquid formaliter alicui inhærens, ſtrictè ea verò, quæ dicuntur ad aliquid ſignificant ſecundum propriam rationem ſolum reſpectum ad aliud, ac per conſequens in illis omnia ſunt ſecundum rem, quia ſunt res abſolutæ, & ſubſtantia ſignificat aliquid alicui inhærens amplè, pro vt inhærere accipitur pro omni modo eſſendi, ſeù exiſtendi realiter in rerum natura. Ità Caietanus ex ſuis Notabilibus ſuprà,

Secunda

Secunda Concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 38. art. 1. & quæſt. 40. Relationes non primi generis, nec tertij generis, ſed ſecundi generis tantùm ponuntur vt reales in Diuinis fundatæ ſuper actionem ad intrà.

Secunda Concl. ponitur à Caiet. reſponſiua quæſiti.

Probatur Concluſio à Caietano non à reali denominatione ſubiecti, quod eſt commune omnibus relationibus realibus tàm creatis, quàm increatis; nec per viam Theologicam, quæ procedit per realem conſtitutionem, ac realem diſtinctionem diuinarum perſonarum, vt demonſtrat Auctor in quæſt. 8. de potentia art. 10. in corp. Sed probat Caietanus cum D. Thom. non à reali denominatione ſui ſubiecti, ſeù relatiui, ſed à reali actione immanenti, ſeù proceſſione, ad quam conſequitur, & ſub tali forma probat ſic. Illa eſt relatio realis intèr producentem, & productum, quæ conſequitur ad realem productionem producentis, ac producti eiuſdem ordinis, ideſt quando productio eſt vniuoca: ſed in Diuinis ad intrà eſt realis proceſſio vnius perſonæ ab alia, & eiuſdem ordinis, ideſt in eadem vniuoca natura; ergò in Diuinis ad intrà ſunt reales relationes: Sed hæ non ſunt primi generis, nec tertij generis, ſed ſecundi tantùm, ergò &c. ſic ex D Thom. in corp. art. 1. quæſt. 28. cit.

Probatio Caiet. pro 2. Concluſione, ſcilicèt quod ſola relationes ſecundi generis ponuntur in Deo.

Inſuper ſub alia forma probatur. In Deo ſunt relationes reales non conſequentes quantitatem, nec Actionem ad extrà: ergò ſunt conſequentes Actiones ad intrà: ergò in eo ſunt tantùm Relationes reales conſequentes duas proceſſiones ad intrà: ergò iuxtà relationes ſecundi generis tantùm. Antecedens quo ad quantitatem probatur, quia in eo non eſt quantitas, eſt enim ſine quantitate magnus ait D. Aug. lib. 1. de Trin. cap. 1. & lib. 6. cap. 7. Quo ad Actionem verò ad extrà probatur ex dictis in quæſt. 13. art. 7. Prima conſequentia probatur ex 5. Met. quia ſcilicèt Relatio omnis fundatur ſuper quantitatem, aut actionem, & paſſionem, & S. Thom. loquitur de relationibus realibus mutuis, & non tertij generis, quæ ſunt tantùm formalitèr, & non realitèr mutuæ; ſecunda autèm conſequentia probatur ex dictis, quia ſcilicèt ſecundum actiones immanentes duæ tantùm ſunt proceſſiones, altera ſecundum intellectum, & altera ſecundum voluntatem, illa Verbi hæc Amoris; & relationes dari ad intrà tertij generis eſt impoſſibile; dantur tamèn relationes primi generis in Deo, ſed iſtas eſſe rationis probatur alibi. Ità Caietanus in 1. p. quæſt. 28. art. 4.

Eadem probatio Caietani ſub alia forma.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 28. art. 1. D. Boetius in lib. de Trin. dicit quod ſimilis eſt Relatio in Trinitate Patris ad Filium, & vtriuſque ad Spiritum Sanctum, vt eius quod eſt idem ad id quod eſt idem: Sed huiuſmodi relatio eſt rationis tantum, quia omnis relatio realis exigit duo extrema realitèr; ergò Relationes ſecundi generis quæ ponuntur in Diuinis non ſunt reales, ſed rationis.

Arguit Caiet. contrà Concluſionē ex D. Thoma.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. Similis eſt relatio &c. quantùm ad identitatem ſubſtantiæ concedo, quantùm ad identitatem numeralem perſonarum, negatur D. Thomas habet, quod Relatio quæ importatur per hoc nomen idem, eſt relatio rationis tantùm, ſi accipiatur ſimplicitèr idem: quia huiuſmodi Relatio non poteſt conſiſtere niſi in quodam ordine, quem ratio adinuenit alicuius ad ſe ipſum ſecundum aliquas eius duas conſiderationes; ſecus autèm eſt, cùm dicuntur aliqua eadem eſſe, non in numero, ſed in natura generis, ſiuè ſpeciei. Boetius igitur, Relationes quæ ſunt in Diuinis aſſimilat relationi identitatis, non quantùm ad omnia, ſed quantùm ad hoc ſolùm, quod per huiuſmodi Relationes non diuerſificatur ſubſtantia, ſicut nec per relationem identitatis. Et addit Caietanus quod vna Perſona Diuina referri poteſt, vel ad ſe ipſam, vel ad aliam; ad ſe

Reſponſio Caiet. ad Argumentum ex D. Thoma.

ipſam vt dicendo Pater eſt ſibi ipſi idem ſimplicitèr, ideſt omnibus modis, ſcilicèt tàm in natura, quàm in perſona. Et iſta eſt Relatio rationis identitatis eiuſdem ad ſe ipſum. Et nota etiàm quod vna Diuina perſona referri poteſt ad aliam non ratione naturæ, ſed ratione perſonæ productæ, & hæc eſt relatio realis mutua ſecundi generis in producente ac producto reperta, ratione actiuæ, vel paſſiuæ productionis, & inſuper vna poteſt referri ad aliam relatione identitatis in eadem numero natura; & ratione æqualitatis in perfectione eſſentiali, & ſimilitudinis eſſentialis, & hæc etiàm eſt relatio rationis in Deo, vt dicitur in quæſt. 42. 1. p. art. 1. Ità Caietanus pro explicatione Reſponſionis ad ſecundum Diu. Thomæ.

Arguit 2. Caiet. ex Scoto. Arguit ſecundò Caietanus, ex Scoto quod non omnis relatio rationis ſit ab intellectu ſic. Omnis potentia potens habere actum circà obiectum exiſtens non vt exiſtens, & illud obiectum comparare ad aliud, ad quod ex natura rei non comparatur, poteſt in obiecto, vt obiectum eſt, cauſare relationem ipſius ad aliud: Sed voluntas eſt huiuſmodi: probatur hoc, quoniam poteſt vti Deo ad Creaturam, & alijs ſimilitèr: ergò poteſt cauſare huiuſmodi relationem; & talis relatio conſtat quod non eſt realis: ergò rationis, non per opus intellectus, ergò voluntatis: ergò non omnis relatio rationis eſt ab intellectu.

Reſp. Caiet. ad Argum. Scoti. Reſp. Caietanus, vt ſupra in ſuo Notabili, quod Maior Scoti intellecta de Cauſalitate, & de relatione rationis ſecundum eſſe actuale falſa eſt; vera autem ſecundum eſſe fundamentale, & proptereà in littera art. 1. quæſt. 28. dicitur ab Auctore, quòd huiuſmodi reſpectus eſt in ſola apprehenſione rationis. Ità Caietanus art. 1. cit. §. Ad hoc dicendum ex 5. & 6. Met. &c.

Appendices ad Lectionem 1. Metaphyſicalem in Tractatu octauo de Relationibus.

Caietanus cùm D. Thom. in 1. p. quæſt. 28. art. 2. diſtinguit quodcumquè genus accidentis in duas rationes formales, vna communis omnibus, ideſt in eſſe ſubiecto, accidentis eſt in eſſe; alia propria vnicuique vt diſtinctiua ab alijs, & penès hanc, Relationis genus differt ab alijs abſolutis, quod aliæ ſignificant rem in ordine ad ſubiectum, iſta in ordine ad terminum; & in creatis ſi ſumantur ſecundum propriam rationem, ſunt aſſiſtentes; ſi ſumantur ſecundum quod ſunt accidentia ſic ſunt inhærentes. Et hic eſt error Gilberti vt refert D. Thom. quia conſiderauit illas iuxtà primum, ſic dixit extrinſecus affixas, ſi enim conſideraſſet inhæſionem, alitèr dixiſſet; Et Relatio in Deo realitèr exiſtens in Deo eſt idem eſſentiæ ſecundùm rem, & non differt ſecundum rationem, quia in eſſentiæ nomine non importatur reſpectus ad ſuum oppoſitum. De his relationibus ſecundi generis intèr Antiquos vide Capreolum, Ægidium in 1. ſent. diſt. 30. & 26. & 33. & Ferrarienſem in 4. c. g. cap. 14. & legas Iauellum in 5. Met. quæſt. 21. & Soncin. quæſt. 25. Intèr Modernos Thomiſtas legas Marcum Ferro in Tractatu de Trinitate, vbi probat omnia dicta D. Thomæ art. 1. quæſt. 28. & Caietani.

Et circà interpretationem aliorum qui dicunt Relationem inhærere medijs alijs Accidentibus, ideſt media ratione formali communi ſibi, & alijs Accidentibus, legas explicationem Ferrar. in 4. cont. gent. cap. 14. & Marcum Ferro loc. cit. vbi dicit, quod cum Relatio dicat duo, Ad, & In, ratione Ad non inhæ-

Digitized by Google

inhæret, ſed ratione In; vndè opportet dicere, quod inhæret in primo genere, niſi mediante quantitate, non realitèr, ſed modalitèr, vt probant Diu. Thom. & Caietanus.

Et contrà Maſium concludit Marcus Ferro, quod D. Thom. loquitur de relationibus primi generis, cum dicat, fundari illas per Ariſtotelem ſuper quantitatem non realem, ſed modalem, in quantùm vnum in ſubſtantia facit idem &c. Et ſic relationi ſecundum ſe cum habeat debiliſſimum eſſe competet medijs alijs Accidentibus, & conueniet omni Relationi, tàm primi, quàm ſecundi, & tertij generis, & tàm prædicamentali, quàm tranſcendentali, vt explicat Caietanus in Reſponſione ad ſecundum cum D. Thom. quia quod conuenit alicui ſecundum ſe, illi conuenit, vbicumque ponatur.

Legas etiàm ipſum Marcum Ferrum in Dubio ſecundo vbi explicat Reſponſionem D. Thom. ad ſecundùm, & Caietani contrà Scotum probantem, relationem rationis fieri à voluntate, ab imaginatiua, & ab alijs potentijs ordinantibus res, quæ ex natura ſua non ſunt ordinatæ, & ibi addit inſtantias cum ſolutionibus Caietani.

Intèr Modernos verò Thomiſtas Sapientiſſimos, videas profundiſſimum Ioannem à S. Thom. Subtiliſſimum Godoy, Goudin, Arnù in proprijs locis. Et in 1. p. loc. cit. & alibi: Sunt inter Modernos Thomiſtæ primæ Claſſis. Cæteros ex Turba videas ſi placet &c. & quod dicitur in hac Appendice, dicitur & etiàm pro alijs ſequentibus.

Digitized by Google

LECTIO II.
METAPHYSICALIS
In Tractatu Octauo
DE RELATIVIS, ET RELATIONIBVS.

Vtrùm propria Ratio prædicamenti ad aliquid tàm in Diuinis, quàm in Creatis ſit ad Reale, & Rationis.

Ex Caietano in p. p. quaſt. 28. art. 1. quaſt. 32. art. 2. quaſt. 42. art. 5.

Declaratio Tituli, eiuſque ſenſus facta à Caietano.

DICTVM EST in præcedenti Lectione, ait Caietanus in 1. p. quæſt. 28. §. Ad has dubitationes, & alibi, quod ly Ad aliquid, ſeù Relatio ſecundum propriam rationem eſt ad aliud ſe habere, quod dictione ſimplici optimè ſignificatur per ly Ad. Et ſic in præſenti Lectione non, quæritur, an Ad aliquid ſit primò diuerſum à cæteris prædicamentis Accidentium, vel per eſſe ens, vel per eſſe ens reale, vel per eſſe Accidens reale realitèr ſubſtantiæ inhærens, quia clarè conſtat hæc omnia eſſe ſibi; & cæteris prædicamentis Accidentium communia; Sed quod quæritur in præſenti Lectione, eſt, An ratio propria ad Aliquid, quæ eſt ad aliud ſe habere, & quæ optimè vna ſimplici dictione ſignificatur ſit primò diuerſificatiua ab illis, ità quod per iſtas duas dictiones monoſyllabas, ſcilicèt In, & Ad, per ly Ad optimè nobis ſignificetur ratio propria differentialis vltima ipſius Relationis, & per ly In ſignificetur ratio communis relationi, & alijs Accidentibus. Et cum detur triplex Ad diſtinctum, ſcilicèt Ad rationis, Ad reale, & Ad abſolutè acceptum, ſeù Ad vt Ad, quæritur Vtrùm Ad vt Ad abſolutè acceptum competat vniuocè, & ad ipſum reale Ad, & ad ipſum Ad rationis, ideſt ex propria ratione formali ponatur aliquid in ſubiecto; v. g. ſicut Paternitas, & Filiatio, quæ ex propria, ac formali ratione ſui Ad realis ponit reale Accidens realitèr inhærens ſubiecto cum ordine tamèn ad aliud, ſic etiàm Ad rationis, & vt dicit Ad, & In aliquid etiàm reale ponat in ſubiecto. Et hoc cautè eſt notandum, addit Caietanus, vt poſſimus loqui de relationibus realibus ex proprijs rationibus, & de relationibus abſolutè acceptis ſecundum proprium eorum, ac formale conſtitutiuum, ac diſtinctiuum, quod eſt ſimplex Ad vt Ad, ſeù ordo ſimplex ad aliud vt Paternitas, & Filiatio ſignificant realem Accidentalem inhærentiam ſubiecto cùm ordine ad aliud. Ità Caiet. quæſt. 28. cit.

Primum Notabile Caiet. in quo explicatur ratio

Quò ad primùm. Notat Caietanus in 1. p. quæſt. 28. art. 5. quod quia multæ relationes ſunt reales, multæ rationis tantùm, & quælibet habet ſuum Ad, conſequens,

Digitized by Google

ſequens eſt quòd Ad in quantùm Ad neque reale, neque rationis ens neceſſariò eſt, ſed vtrumque permiſſiuè; Nec inconuenit aliquid ſic abſtrahens ab ente reali, eſſe ſecundùm quamdam ſui partem modificatum ad differentiam entis realis diuiſi in decem prædicamenta, & quoniam in illa parte includitur formalitèr ly Ad tanquàm proprium diſtinctiuum, licet modificatum, idcircò etiàm de relationibus realibus loquendo formalitèr ſecundum id quod eſt eis proprium vt diſtinctiuum à reliquo rerum genere, intelligi poteſt de Ad in quantùm Ad. Ex his patet ratio, quare dicatur, quod Relationes ſecundum propriam rationem nihil ponunt in Relatiuo, &c. Hæc enim omnia, quantùm eſt ex ratione Ad, vt ſic vera ſunt, quamuis ex tali Ad, puta, reali, falſa eſſent. Et propterеà cautè oportet loqui. Nàm alitèr loquendum eſt de ſpeciebus; & alitèr de relationibus neceſſariò realibus, ex proprijs rationibus, vt Paternitas, & Filiatio, & alia huiuſmodi; & alitèr de relationibus abſolutè: iſtæ enim ſignificant tantùm Ad aliquid, illæ verò ſignificant realitèr ad Aliquid. Et quando dicitur quod Ratio ſpecifica Relatiui conſiſtit in eſſe ad Aliud, non eſt intelligendum per hoc quod ratio ſpecifica Relatiui ſumitur ex correllatiuo ad quod eſt, vel ex termino, quod impoſſibile ſit, relationi vnius ſpeciei correſpondere terminos diuerſarum ſpecierum: hoc enim eſt falſum, quoniam apud Auctorem, ex Cauſa, ſeù fundamento conſurgit Relationis ſpecies; Intendit igitur Auctor quod ſpecifica ratio relatiui conſiſtit in eſſe ad aliud proportionale ſibi: quem ad modum enim Relatiuum in communi conſiſtit in eſſe ad aliud in communi, ità Relatiui ſpecies conſiſtit in ordine ad aliud ſecundum ſpeciem, ac per hoc vnicum ſpecie, Relatiui conſiſtit in eſſe ad aliud vnicum ſpecie Correlatiuum; Sic enim per ſe deſcendit ad aliquid proprijs differentijs in ſuas ſpecies. Ità Caiet. in loc. cit. & quæſt. 28. & quæſt. 32. art. 2.

formalis ipſius Ad aliquid vt ſic, & vt contractum cum ſola ſua diuiſione in reale, & rationis.

Notat ſecundò Caietanus ex Reſponſionibus ad Argumenta, quòd Relatio eſt tale ens, cui additum ly eſſe in ratione non eſt conditio diminuens ſicut in alijs. Roſa enim ſecundum rationem non eſt Roſa, neque Homerus in opinione eſt Homerus; at Relatio in ratione eſt vera Relatio, nec Roſa aut Triangulus ſecundum eſſe rationis eſt vera Roſa, aut Triangulus verus; nec diſtinctio Roſæ in eſſe naturæ, & in eſſe rationis, eſt diſtinctio diuerſarum quidditatum, quarum vna ſit ens reale, & altera ſit ens rationis, vt in Relatione contingere diximus, ſed eſt diſtinctio vnius, & euſdem quidditatis ſecundum diuerſos modos eſſendi, vel ſimplicitèr, & in re, vel ſecundum quid, & in intellectu. Et inſuper Relatio non eſt ſecundum aliquid ens naturæ, & ſecundum aliquid ens rationis puta completiuè, ſed ſimplicitèr quandoque eſt ens rationis. Tempus autèm, & ſimilia entia ſucceſſiua, completiuè tantum pendent à ratione, vt dicitur in Phyſica. Et quando littera art. 1. cit. comparat ly ad aliquid, non comparat ad cætera omnia genera, ſed tantùm ad genera abſoluta, vt ſunt quantitas, & qualitas, quæ ſolùm Auctor exprimit, & hoc S. Thom. inſinuat in 1. ſent. diſt. 26. quæſt. 2. art. 1. vbi expreſſè explicat hanc differentiam reſpectu illarum formarum quæ ſunt abſolutæ. Poſſet tamen (addit Caietanus etiàm data ſententia probabili quod ſex vltima prædicamenta non ſunt formæ abſolutæ, ſed reſpectiuæ) conceſſa extenſione ad alia genera dici, quod per ly inhærens, non in ſuo rigoroſo ſignificato, idest in ſubiecto, ſed quod ſignificatur amplè pro quocumque modo ineſſendi in rerum natura ex ſua ratione formali, ſiuè ſit eſſe in alio, ſiuè ſit per ſe ineſſe, & hoc modo clauduntur omnia genera alia, à ly Ad aliud, etiàm ſubſtantia, imò & reliqua entia, ſiuè in genere, ſiuè extrà genus, Ità Caiet. loc. cit.

Notabile ſecundum Caiet. in quo notantur multa pro ſolutione obiectionum quæ conantur infringere Doctrinam D. Tho. circà diuiſionem ipſius Ad aliquid in reale, & rationis.

Quo

Opinio contraria cum illa vera D. Thom. recitatur à Caietano.

Quò ad ſecundùm. Caietanus refert Argumentum aliquorum, qui probant non dari relationes neque creatas, nec increatas reales, hoc pacto Relatio ſecundum proprium conſtitutiuum, ac diſtinctiuum ex D. Thoma, & Thomiſtis non dicit In, ſed Ad: Sed Ad vt Ad abſolutè acceptum abſtrahit ab Ad reale, & rationis, & eſt commune Analogum ad vtrumque: ergò Relatio vt Relatio ſiuè ſit creata, ſiuè increata, nihil reale dicit ſed abſtrahit. Sed non aduertunt iſti, addit Caietanus, quod à D. Thom. & à nobis omnibus conceditur totum Argumentum, loquendo de Ad vt Ad, & de Relatione vt Relatio, vt loquitur Argumentum. Sed loquendo poſteà de Ad Reali, ſeù de Relatione Reali non eſt cur imponant D. Thomæ, & diſcipuli eius hanc calumniam, quod ſcilicet Ad reale, vt Ad reale eſt, nullam realitatem dicat, quam vtique dicit, quæ conſiſtit in illo reali ordine ad aliud imò duas realitates dicit, vnam ratione ſui, & aliam ratione ſui Ad. Vtique eſt verum quod D. Thom in initio corp. art. 1. cit. quæſt. 28. docuit quod Ad vt Ad nullam realitatem dicit, ſed poſteà diſtinguendo ly Ad in reale, & rationis, probat dari Ad reale, vt in Graui ad medium, concludit D. Thom. eſſe ordinem, ac Ad reale; Et iſte realis ordo, ſeù Ad reale eſt vnum ex decem Prædicamentis realibus, & in Deo eſt realis oppoſitio, & reale Ad præciſè, vt Ad, eſt. Nec ſequitur ex hoc, demonſtrari relationes Diuinas per Creatas, quia hoc ſcimus, ſuppoſita dumtaxat Fide: dicimus enim, quod intèr producentem, & productum vniuocè eſt relatio realis, & tales ſunt productiones ex Fide, & per conſequens reales; ſicuti etiàm ſuppoſita Fide dicimus, Paternitatem Diuinam eſſe omnis Paternitatis creatæ menſuram. Quod verò Durandus, & Aureolus apud Capreolum probent contrà D. Thomam Vnam perſonam non eſſe in alia in Diuinis ſecundum Relationem, quia ſecundum omnes, Vnum Relatiuum non eſt in alio, ſed ad Aliud, & diſtinguitur, ac opponitur; nos videbimus infrà in ſolutione Vltimi Argumenti, quod ex hoc, quod Vnum Correlatiuum eſt in alio ſecundum intellectum, benè ſequitur quod vna perſona Diuina ſit in alia ſecundum Relationem, vt docet D. Thom. in 1. p. quæſt. 42. art. 5. Ità Caietanus in locis citatis.

Concl. reſponſiua ponitur à Caiet. ex D. Tho. cum probatione 1 partis, ſcilicet quod Ad aliquid vt ſic nec eſt reale nec rationis.

Quo ad tertiùm: Ponitur prima Concluſio à Caietano ex D. Thom. 1. p. quæſt. 28. reſponſiua quæſiti tali pacto. Ad vt Ad, quod eſt ratio propria conſtitutiua ipſius ad Aliquid non eſt reale, nec rationis; ſed eſt vt ſic abſtrahens à reali, & rationis; modificatum tamèn, ac contractum ſecundum vnam ſui partem eſt reale.

Probatur prima pars à Caietano ſub tali forma. Multæ relationes ſunt reales tantùm, & multæ rationis tantùm, & quælibet habet ſuum Ad: ergò Ad in quantùm Ad neque reale, neque rationis ens neceſſariò eſt, ſed vtrumque permiſſiuè. Probatur hoc: Si Ad vt Ad eſſet neceſſariò, ac determinatè, & præciſè ens reale non daretur Ad rationis, & è contrà ſi eſſet neceſſario ens rationis, non daretur Ad reale: Sed datur Ad reale, & Ad rationis: ergò Ad vt Ad nec eſt reale, nec rationis, ſed hoc erit permiſſiuè: probatur hoc. Illud eſt permiſſiuè ens reale, vel rationis, quod licet non ſit determinatè, ac neceſſariò Ens reale, vel rationis, ſed abſtrahens ab vtroque, in vtroque tamèn eſſe illi non repugnat, ſicuti neque poſitiuè conuenit, quinimò de facto in vtroque reperitur: ergò ſi ſic eſt Ad vt Ad nec ens reale, nec rationis neceſſariò, ſed vtrumque poteſt eſſe permiſſiuè. Ità Caietanus.

Probatio Caiet. pro 2. parte Concl.

Probatur ſecunda pars à Caietano ſub tali forma. Illud quod abſtrahit ab ente reali, & rationis, & in vtroque eſſe poteſt, non inconuenit quod ſecundum vnam

ſui

Digitized by Google

ſui partem ſit modificatum, ac contractum ad eſſe ens reale, & ad eſſe modum ad differentiam entis realis: Sed Ad vt Ad abſtrahit ab Ente reali, & ab Ente rationis, & vtrumque permiſſiuè eſſe poteſt, quinimò de facto in vtroque reperitur: ergò non inconuenit quod Ad vt Ad ſit modificatum, ac contractum ad eſſe ens reale, ideſt ad ens reale diuiſum in decem prædicamenta, & ad eſſe vnum ex decem prædicamentis, & ad eſſe vnam ex differentijs, ſeù modi entis realis. Ità Caietanus loc. cit.

ſcilicèt quod ly Ad aliquid modificatum, & contractum eſt reale.

Secunda Concluſio ibidem ponitur à Caietano ſic. Relationes ſecundum propriam rationem, quantùm eſt ex ratione Ad vt ſic, nil ponunt in Relatiuo: modificatum tamen ad eſſe modum, &c. aliquid ponunt, &c.

Secunda Concl. Caiet. cum ſua probatione, ſcilicet quod Ad vt Ad nil ponit in Relatiuo, niſi vt modificatum.

Probatur prima pars à Caietano ſic. Illud nihil ponit in relatiuo ſecundum ſuam propriam rationem, quod ſecundum ſuam propriam rationem dicit Ad vt Ad ſimplex: ſed tàm Ad reale, quàm Ad rationis ſic dicunt pro vt conſtituuntur, ac diſtinguuntur à cæteris entibus vniuerſi: ergò tàm ad Reale quàm Ad rationis nihil ponunt ſecundum ſuam propriam rationem formalem in Relatiuo: Propoſitiones patent de ſe.

Probatur ſecunda pars. Illud Relatiuum quod in ſuo Conceptu non ſimplici, ſed compoſito ex duobus conceptibus, ac duabus rationibus formalibus, ſcilicèt In, & Ad ſi adæquatè concipiatur dicendum eſt aliquid ponere in ſubiecto non ratione Ad, ſed ratione In: Sed Ad reale in ſua adæquata ratione formali ità ſe habet, & ratione In ponit Accidens reale in ſubiecto realitèr illi inhærens: ergò loquendo de Ad reali, licet ratione ipſius Ad vt ſic nihil ponat; ratione tamèn In neceſſariò dicendum eſt, quod aliquid ponat, ad differentiam Ad rationis, quod nihil reale ponit neque vt dicit Ad, neque vt dicit In. Et quoniam in illa parte, vt diximus includitur formalitèr Ad tanquàm proprium diſtinctiuum licet modificatum, in eiſdem relationibus realibus intelligi poteſt Ad in quantùm Ad loquendo et iàm formalitèr ſecundum id quod eſt eis proprium, quo ab alijs generibus rerum diſtinguuntur, & vtrobique interpretandum eſt de Ad vt Ad, hoc enim ſolum eſt inter ſimplicia proprium. Ità Caietanus loc. cit.

Quòad quartum, Arguit Caietanus in 1. p. quæſt. 28. art. 1. Ly Ad aliquid, vt eſt vnum genus diſtinctum contrà alia genera ſecundum propriam ſuam rationem formalem eſt ens reale, quoniam eſt pars, membrum, ſeù modus entis realis diuiſi in decem genera: ergò falſa eſt prædicta Doctrina in qua dicitur quod hoc eſt ſingulare in genere ad Aliquid, quod aliqua inueniantur ſecundum rationem; Nec valet dicere quod hic eſt ſermo, non vt genus vnum eſt, ſed vt eſt Analogum quoddam ad omnia relatiua, quia ex ipſa littera D. Thom. habetur diſtinctio de ly aliquid contrà alia genera; modò conſtat quod diſtinctum contrà genera eſt vnum ex generibus.

Arguit primò Caietanus.

Reſp. Caietanus ex dictis, quod Arguens procedit ex malo intellectu litteræ in aſſignata differentia: Relatio enim eſt, vt ità loquar eſſentia quædam, cuius quibuſdam partibus ſubſtantiuis repugnat eſſe in rerum natura, & vendicat ſibi eſſe rationis tantùm, quibuſdam autèm conuenit eſſe in rerum natura, & rurſus relatio eſt tale ens, cui additum eſſe in ratione, non eſt conditio diminuens ſicut in alijs, vt diximus de Roſa in intellectu, & de Homero in opinione; Relatio autèm in ratione eſt vera Relatio; Et iterùm Relatio non eſt ſecundum aliquid ens naturæ, & ſecundum aliquid ens rationis putà completiuè, vt dictum eſt de Tempore, ſed ſimplicitèr quandoque eſt ens rationis. Ità Caietanus loc. cit.

Reſp. Caiet. ad Argum. 1.

Arguit

Digitized by Google

Arguit ſecundò Caiet. contrà idem.

Arguit ſecundò Caietanus. Genus ad aliquid non ſignificat ex propria ratione ſolùm Ad, ſed Ad reale; alioquin pars entis realis formalitèr non eſſet; ex parte verò aliorum generum nos videmus quod Actio ſecundum propriam rationem non ſignificat aliquid alicui inhærens vt teſtatur S. Thom. in quæſt. 8. de potentia art. 1. non ergò omne aliud genus accidentis ſecundum propriam rationem ſignificat aliquid inhærens alicui.

Reſponſio Caiet. ad Argum. 2.

Reſp. Caietanus ex dictis, in Notabilibus ſuis, iàm diximus, quod cautè oportet loqui de relationibus, nàm alitèr loquendum eſt de ſpeciebus, & de relationibus realibus vniuerſalitèr neceſſariò realibus ex proprijs rationibus, vt Paternitas, & Filiatio, & alia huiuſmodi; & alitèr loquendum eſt de Relationibus abſolutè, quia iſtæ ſignificant tantùm Ad aliquid, illæ verò Ad aliquid reale. Et ad obiectionem de Actione Reſp. quod loquendo de comparatione ad alia genera nil valet obiectio, quia S. Thom. comparat tantùm ad genera abſoluta. Reſp. ſecundò, quod adhuc conceſſa extenſione ad alia genera, nil valet, ſi ſumatur ly inhærens largo modo. Ità Caietanus.

Arguit vltimò Caiet. ex Durando & Aureolo.

Arguit inſuper Caietanus in vltimo loco in 1. p. quæſt. 42. art. 5. ex Durando, & Aureolo ſic. Vnum Relatiuum non poteſt eſſe in alio, ſed eſt ad aliud, & ſic diſtinguitur, & opponitur; ergò quomodo D. Thom. poteſt concedere, quod Vnum Correlatiuum poſſit eſſe in alio, & in Diuinis vna perſona poſſit eſſe ſecundum relationem in alio?

Reſponſio Caiet. ad Argum. Durandi, & Aureoli.

Reſp. Caietanus, quod in ſolis verbis eſt differentia: Non enim vult Auctor Patrem eſſe in Filio ſecundum rem quo ad Relationem, quia iàm conſtat eſſe ad aliud, & ſic diſtinguitur, ac opponitur, ſed vult eſſe ſecundum intellectum, ſeù diffinitiuam rationem: frequentiſſimo namque vſu dicimus, vnum Correlatiuum in ratione alterius eſſe, vt Porphyrius in prædicabilibus dicit. Et cum explicitè in littera Auctor ponat ly ſecundum intellectum, mirum eſt quod ſic Arguant. Non igitur valet ſuus modus Arguendi, quia ſophiſma eſt à ſecundum quid ad ſimplicitèr v. g. Spiritus Sanctus ſecundum relationem non eſt in Patre, & Filio niſi ſic: ergò Spiritus Sanctus non eſt in eis niſi ſic; ly enim ſecundum relationem ſe habet vt ſecundum quid. Spiritus S. igitur eſt in eis vt conſubſtantialis ratione eſſentiæ, & etiàm ſecundum originem vt dicitur alibi. Ità Caiet. loc. cit.

Appendices ad Lectionem 2. Metaphyſicalem in Tractatu Octauo de Relationibus, & Relatiuis.

SI vis penetrare hanc vltimam Reſponſionem, quomodo Pater ſit in Filio, & Spiritu Sancto, &c. Legas Argum. 5. quæſt. 42. vbi enumerantur illi octo modi eſſendi, quibus aliquid eſt in aliquo ſecundum Phyloſophum in 3. Phyſic.

Cæterum de Ad aliquid, ſeù relatione rationis, quam peculiaritèr ſibi vendicat præ cæteris prædicamentis ly ſolùm Ad aliquid prætèr art. 1. quæſt. 28. in 1. p. legendus eſt D. Thom. cum Ferr. in 4. cont. gent. cap. 14. & 1. p. quæſt. 2. art. 6. & quæſt. 8. art. 1. & opuſc. 3. cap. 53. Et Capreolus in 1. ſent. diſt. 30. quæſt. 1. Et Ægidius diſt. 26. Intèr Modernos legendus eſt Marcus Ferro in Dubio 1. ſuper a. 1. q. 28. qui de more ſuo formalizat, declarat, & exponit textum D. Th. & Caietani, & præcipuè legendus eſt Dubio 1. 2. & 3. pag. mihi 762. vbi de Phantaſia Petri Aureoli multa dicit. Legas etiàm lauellum noſtrum in lib. 5. Met.

Digitized by Google

Met. q. 21. impugnantem etiam Aureolum, & alios de mente Ariſt. & Auicennæ, & Anuerrois, ex Ianello, & alijs Sapientiſſimis Thomiſtis legas Io: à S. Th. Goudin, & Godoy, & Arnù qui etiam impugnat præclariſſimos Patres ex Soc. ſequentes Phantaſiam Aureoli, ſcilicet Hurtadum, Artiagam, qui de facili putant ſuſtuliſſe de ſerie nouem generum ipſum Ad aliquid, & fatentur remorſum conſcientiæ ſe habituros, ſi eſſet ablatum tanquam vnum de ſeptem Sacramentis Eccleſiæ. Alij tamén Patres Soc. videntes hanc opinionem ſternere viam Hæreticis ad negandas relationes reales in Diuinis ad intrà, ſeruant locum in ſerie pro prædicamento ad aliquid cum ſua duplici ratione, & in, & Ad, & relinquunt ſecurim poſitam à prædictis ad arborem prædicamentalem, fatendo cum D. Th. duo tantùm eſſe prædicamenta in Diuinis, ſcilicet ſubſtantiam, & relationem; ſcilicet eſſe per ſe, & eſſe ad aliud. Legas etiàm formalitates Ven. Porrectæ ſuper art. cit.

LECTIO III.

METAPHYSICALIS

In Tractatu Octauo

DE RELATIVIS, ET RELATIONIBVS.

Vtrùm omnis Relatio diſtinguatur realiter à ſuo fundamento?

Ex Caiet. in p.p.q. 28. art. 1. ad 2. & a. 2. & alibi plures.

Declaratio Tituli, eiuſq; ſenſus facta à Caiet.

IN Reſp. ad 2. art. 2. vbi quæritur an Relatio in Deo ſit idem quod Eſſentia ſua, ait Caietanus, S. Doctor loquitur ſic. Id quod inuenitur in Creatura præter id, quod continetur ſub ſignificatione nominis Relatiui eſt alia res, in Deo autem non eſt alia res, ſed vna, & eadem, quæ non perfectè exprimitur relationis nomine, quaſi ſub ſignificatione talis nominis comprehenſa &c. Ex his verbis dubium magnum eſt de Relationis diſtinctione à fundamento, & ſimpliciter, & in via D. Thomæ, quoniam Thomiſtæ intèr ſe diuiſi, fatigantur omnes deducere D. Thomam pro ſententia propria. Et vocatur magnum, quia antiquum, & commune, & ab omnibus diffusè pertractatum, ità vt de hac Controuerſia vſque ad nauſeam ab omnibus ſit ſcriptum; & vocatur etiàm magnum ſimpliciter, eo quià cùm Relatio ſit debiliſſimæ entitatis, vt Auuerrois ait in 12. Met. Comm. 10. difficile eſt attribuere illi propriam inhærentiam realiter diſtinctã à fundamento ſuo; vndè quando D. Th. ait in prædictis verbis, in Creatura abſolutum quod continetur ſub ſignificatione nominis Relatiui eſt alia res &c. hoc intelligi poteſt, addit Caiet. vel de ſubiecto, vt gloſant aliqui ex noſtris vt Ferr. 4. c. g. c. 14. vel de fundamento vt nobis magis arridet. Et ideò quærimus in præſenti le-

ctione an de mente D. Th. in hoc ſecundo ſenſu, fundamentum ſit alia res à Relatione. Ità Caietanus.

1. Notab. Caiet. in quo explicatur quomodò ex hoc quod Relatio realis fundatur medijs accidentibus in ſubſtantia diſtinguatur realitèr à fundamento.

Quo ad 2. Caiet. in fine Comment. art. p. in Reſp. ad 2. q. 28. notat, quod ex D. Th. Relatio identitatis ſpecificæ, ſeù genericæ, eſt relatio realis mutua, quando dicit, quod ſecus eſt, cum dicuntur aliqua eadem eſſe non in numero, ſed in natura generis, vel ſpeciei &c. quamuis etiam ſi hoc non diceretur, addit Caietanus, à D. Thoma, poſſet ratione conuinci, quia non minùs duæ humanitates ſimiles ſunt In natura, quam duæ Albedines; ſed relatio ſimilitudinis ſpecificæ intèr duo Alba eſt realis: ergo, & intèr duos homines &c. Et eſt hoc valdè Adnotandum, cùm tractatur de fundamento relationis, aut de diſtinctione relationis à fundamento; hinc enim habes, quod Relatio immediatè fundatur in ſubſtantia, & quod diſtinguitur realiter à fundamento, quoniã conſtat apud D. Th huiuſmodi Relationes eſſe Accidentia in prædicamento Relationis poſita; Nec hoc obſtat dictis in præcedentibus relationem opportere fundari in ſubſtantia mediantibus alijs generibus proptèr ſui debilitatem: hoc enim intelligitur non realiter, ſed formaliter: ſimilitudo enim eſt relatio, quæ dicitur fundari ſuprà quantitatem, quia vnum fundat illam ex 5. Met. & tamèn conſtat, quod ſecundum rem qualitates, & vniuerſalitèr formæ eiuſdem rationis fundant illam, ſub ratione tamèn vnius, pro vt vnum in ſubſtantia facit idem: in quantitate æquale. in qualitate ſimile; quomodò autèm reliqua conſonent, perſcrutandum eſt infrà. Ferrarienſis in 4. c. gent. cap. 14. vt ſuſtineat relationem realiter diſtingui à ſuo fundamento concedit quod Relatio identitatis non fundatur immediatè in ſubſtantia, ſed ſolùm medijs accidentibus, & per conſequens realiter à ſubſtantia, quæ eſt ſuum fundamentum diſtinguitur. Ità Caietanus cum Ferrarienſi ſimul.

Notab. 2. Caiet. in quo explicatur quomodò ineſſe diſtinguatur à Relatione.

Notat 2. Caiet. in art. 2. q. 28. pro illis Thomiſtis, qui tenent de mente D. Th. quod non omnes, ſed quædam relationes reales diſtinguuntùr realiter à ſuis fundamentis, vt etiàm tenet Scotus, quod non conueniunt cùm Scoto in hoc, quod ineſſe relationis diſtinguatur realiter ab eius eſſentia; ſicuti nec vniuerſaliter, quod eſſe, & eſſentia diſtinguantur in creaturis realiter; non intelligas tamèn quod ineſſe relationis diſtinguatur ab ipſa, ſicut alia relatio, aut ſicut res omnino abſoluta, vtrumque enim horum eſt falſum; eſſe namque relationis eſt in genere relationis, reductiuè tamèn, vt eius actualitas, ſicut eſſe in genere ſubſtantiæ, & eſſe qualitatis in genere qualitatis &c. Scotus autèm non poteſt vitare vnum impoſſibile, hoc ſcilicet, quod idem Relatiuum dicatur bis, ideſt ad terminos ex duabus partibus. Si enim v. g. ſimilitudo realiter refertur ad terminum, & fundamentum ſe ipſa, manifeſtum eſt, quod ſimile bis dicitur: ſed actualis inhærentia ſimilitudinis in fundamento apud Scotum eſt ipſa relatio ſimilitudinis: quià ipſa relatio ſimilitudinis quaſi fundans relationem inhæſionis, non poteſt abſq; contradictione eſſe ſinè fundamento, vt ipſe met dicit: ergo ſimilitudo bis dicitur. Ità Caietanus in Reſp. ad 2. art. cit.

Opinio Scoti, & Durandi reiicitur à Caietano.

Quo ad 2. Caiet. in Reſp. ad 2. art. 2. q. 28. in principio Comment. recitat duas propoſitiones Scoti, ex quibus elicitur ſua opinio. Prima propoſitio in ſecundo ſent. diſt. 1. q. 5. & in 3. ſent. diſt. 9. & in Quodlibetis q. 3. eſt hæc. Relatio cuius fundamentum non poteſt eſſe ſinè termino eſt eadem realiter fundamento. Secunda eſt hæc. Relatio cuius fundamentum poteſt remanere ſinè termino diſtinguitur realiter à fundamento. Durandus autèm in p. ſent. diſt. 3. q. 2. vult, quod relationes inter cauſas, & effectus realiter à fundamentis ſint diſtinctæ: Relationes verò deſumptæ à multis coexiſtentibus, vt à multis Albis, ſunt cum ſuis fundamen-

tis

cis realiter identificatæ. Nominales verò vt Ocham, Greg. Arim. Marſilius, Aureolus tenent quod relatio nullam realitatem, aut formalitatem addit fundamento, ſed quod ſit nomen magis explicans naturam illius. Alij verò Doctores vt Heruæus, Ægidius, Soncinas 5. Met. q. 28. Prierius in Conflato, Petrus Niger tenent, quod Relatio diſtinguitur formalitèr, ſeu eſſentialitèr non tamen realiter à fundamento.

Opinio propria Caiet. de mẽte D. Th. & alia contraria quorumdam Thomiſtarum recitatur.

Opinio tamen, addit Caiet. quæ dicit omnem realem relationem diſtingui realiter à fundamento, eſt ſine dubio S. Th. quamuis multi Thomiſtæ ipſum non intellexerint, & habetur illa manifeſtè in art. 2. ex manifeſta differentia poſita intèr relationem in Creaturis, & in Diuinis, quo ad hoc, quod in Creaturis id quod inuenitur præter contentum ſub ſignificatione nominis Relatiui eſt alia res, in Diuinis autèm eſt eadem, & ſic videtur conſtare, quod fundamentum non continetur ſub ſignificatione nominis Relatiui. Et in q. de potentia 8. a. 2. ad 1. ait, quod nulla ſubſtantia in genere poteſt idem eſſe realiter quod Relatio. Et in a. 1. q. 28. cit. ait quod aliqua relatio realis fundatur immediatè in re, quæ eſt ſubſtantia; hoc conſtat in Relationibus ſimilitudinis, ſeù identitatis ſpecificæ, quod inficiari non poteſt; patet quoque in Relatione creationis paſſiuæ, quam conſtat fundari ſuprà ſubſtantiam. Et ex iſtis clareſcit id quod dicit in p. ſent. diſt. 33. q. 1. a. 1. in calce corporis, quod in realibus relationibus creaturarum, relationes inſunt ſubſtantijs, & compoſitionem faciunt accidentis ad ſubiectum. D. Thomam defendit Capreolus in p. ſent. diſt. 10. q. 1. a. 1. non tamen illam diſputat ex profeſſo, ſed hac ſententia vtitur ad ſoluenda Argumenta Aureoli, Gregorij, & Ocham; Ferrarienſis eandem per plures propoſitiones tradit in 4. c. g. c. 14. §. ad 2. Dubium &c. ipſamque ampliſſimè defendit Flandrenſis in 5. Met. q. 16. a. 18. & art. 19. Ità Caietanus loc. cit.

Vnica Concluſio ponitur à Caiet. reſponſiua quæſiti ex D. Th. cùm probatione 1. & 2. p.

Quo ad 3. Ex Reſp. ad ſecundum art. 2. q. 28. in p. p. elicit Caiet. hanc Vnicam Concluſionem. Omnis Relatio realis nedùm fundata immediatè in ſubſtantia, ſed ſimplicitèr abſolutè in Creaturis diſtinguitur realiter à fundamento.

Probatur prima pars cum ſecunda ſimul à Caietano cum tali diſcurſu. Habetur ex dictis, quod Relatio realis fundata in ſubſtantia habet proprium eſſe In, & proprium eſſe Ad, & cum conſtet quod eſſe In eſt eius actualis exiſtentia ſequitur quod genus generaliſſimum relationis eſt forma habens propriam exiſtentiam, & cùm non per accidens ſit res, cui debeatur ineſſe, quoniam accidens eſſentialiter prædicatur de eo, conſequens eſt, quod cuilibet ſuo inferiori hoc conueniat. Alioquin non prædicaretur accidens in primo modo dicendi per ſe de qualibet relatione contenta ſub genere Ad aliquid; & tenet ſequela, quia non formaliter ſe ipſa eſſet res, ex qua flueret in eſſe, ſed ex forma fundamenti tantùm; Radix autèm prima propoſitionis eſt; quia eſt definita ad vnum genus, & per conſequens excluditur ab alio genere vt ibi dicitur. Hæc ratio ſi bona eſt, ac ſufficiens infert ſecundam partem Concluſionis, quia infert diſtinctionem quoque Relationis realem à quantitate, & qualitate. Oportet enim Maiorem, ſeù antecedens ſic formare. Res definita ad vnum genus realiter ab alio genere excluditur: ſed ſubſtantia creata &c. Et ſubſumatur etiam; ſed quantitas, & qualitas eſt definita ad vnum genus, ergo &c. Mens igitur S. Thomæ eſt quod omnis relatio realis prædicamenti ipſius Ad aliquid diſtinguitur realiter à fundamento. Quod autem hæc poſitio ſit magis conſona veritati percipitur ex Ariſt. qui 12. Met. ponit alia eſſe principia relationis, & alia qualitatis, & alia aliorum generum, & quod Relatio eſt accidens eſſentialiter, & habet proprium In ſecundum propriam eſſentiam. Ità Caiet. loc. cit.

Arguit 1. Caiet. in Scoto,

Quo ad 4. Caietanus arguit in p. p. q. 28. a. 2. ex illis duabus propoſitionibus

Digitized by Google

ſuis in ſecundo loco huius lectionis modo relatis, ſic. Ex quo non implicat contradictionem fundamentum remanere abſque relatione, ſequitur quod ſunt duæ res &c. ergo &c. probatur, quia implicat vnam, & eandem rem ſimul eſſe, & non eſſe. Inſuper ex alia propoſitione ſic arguit. Ex quo implicat contradictionem fundamentum eſſe ſinè relatione, ſequitur quod ſunt vna res: ergo &c.

Reſp. Caiet. ad Argum. Scoti. Reſp. Caiet. quod Scotus falſo innititur fundamento mul a enim ſunt diſtincta realiter, quorum vnum implicat contradictionem eſſe ſinè altero, vt patet apud Scotum de partibus eſſentialibus ſimul ſumptis, & tertia entitate, & vniuerſalitèr de illis inter quæ eſt eſſentialis dependentia; nec de ipſo poteſt dici, quod fecerit hanc exceptionem, quia ſatis eſt ad propoſitum, quod non poſſe eſſe ſine altero non infert diſtinctionem realem; & ſicut tu de eſſentiali dependentia excipis, ità, & alijs licebit excipere de neceſſaria connexione. Nec etiàm eſt verum vniuerſalitèr, quod remanens diſtinguatur realiter à corrupto; vt manifeſtè patet in calore remiſſo, non enim diſtinguitur realiter à ſeipſo priùs intenſo; vndè radix illa Scotica ſic abſolutè ſumpta non probat indiſtinctionem realem vniuerſalitèr, quamuis illam ſuadeat. Quomodò autèm vtatur illa Ariſt. in Topic. & vti illa poſſimus, alterius negotij eſt, ſufficiunt hæc, quæ diximus ad propoſitum noſtrum. Ità Caiet. in Reſp. ad Scotum loc. cit.

Arguit 2. Caiet. pro parte Thomiſtarum in oppoſitū. Arguit 2. Caietanus pro parte Thomiſtarum illorum, qui tenent oppoſitum. Ex noſtro fundamento ſequitur, quod Socrate ſolo exiſtente albo, ſimilitudo coalborum non eſt, genito autèm Platone albo, in Socrate eſt ſimilitudo, & nullum abſolutum de nouo acquiſiuit, alioquin verè mutatus eſſet: ergo aut ineſſe ſimilitudinis eſt idem, quod ineſſe albedinis, & conſequentèr ſimilitudo eſt idem, quod albedo ſecundum rationem, aut præ erat ineſſe ſimilitudinis abſque ſimilitudine, quod non ſic facilè intelligitur.

Reſp. Caiet. ad Argum. Thomiſtarum. Reſp. Caiet. quod ineſſe ſimilitudinis Socrate tantùm exiſtente albo, neq; omninò eſt neque omninò non eſt, ſed quodammodò eſt, & quodammodò non eſt: eſt enim incompletè, non eſt autèm completè; & quoniam eſſe actualiter ſonat eſſe completè, ideò iſta negatiua eſt vera, ineſſe relationis non eſt, cum quo tamen ſtat veritas affirmatiuæ cum conditione ſecundum quid, ſcilicet ineſſe relationis eſt quodam modò, id eſt incompletè, & proptèr debilitatem ſui eſſe ex ſola appoſitione termini completur: reſultante ſi quidem Ad, reſultat, & complementum ipſius, in quantùm non ex defectu fundamenti ſimilitudo incompletum eſſe habebat; ſed ex defectu termini; & propthereà conſequens eſt, quod poſito termino, qui deficiebat compleat fundamentum veluti prolem, aut effectum ſuum. Et affert exemplum S. Th. in q. 7. de potentia art. 9. ad 7. de eſſe actionis: ſubtracto namque calefactibili ſi eſſet calor calefactiuus, calefactio actiua non eſſet actualiter, nec ineſſet agenti, vt accidens in ſubiecto; & tamen poſito calefactibili ſtatim ineſſet, & eſſet actio in agente proptèr eandem cauſam: quia ſcilicet tàm relatio, quàm actio tollitur actu, ſubtracto termino extrinſeco, vel paſſo, & remanet radicalitèr, ſeù cauſalitèr. Et ſic ſoluitur ratio de mutatione: quod enim ſic remanet, non opportet noua mutatione generari, quoniam ex parte cauſarum ſufficientia iam eſt in actu, ſed quaſi impediuntur ex ſubtractione extrinſeci, & ſimilitèr in corruptione non eſt propriè mutatio, ex quo remanet actu illa cauſarum ſufficientia: Mutatio enim propriè dicta terminus eſt alterationis, hic autèm interuenit tantùm naturalis quædam reſolutio, aut illius depoſitio. Ità Caietanus art. 2. cit. in Reſp. ad primam rationem Thomiſtarum &c.

Arguit vltimò Ca- Arguit vltimò Caietanus pro iiſdem Thomiſtis. Fundatur hæc opinio ſuper tacto

Digitized by Google

ĉto fundamento, ſcilicet generationis abſq; mutatione, & ſuper compoſitione, quoniam ſcilicet non eſt compoſitius album ſimile, quàm album. Et expreſsè D. Th. *iet. pro ut ſupra* in q. 7. de potentia Dei a. 8. dicitur, quod Relatio non componit cum eo cuius eſt; *contrà.* & fundatur etiam ſuper minima ſua entitate intèr cætera prædicamenta vt dicit Auerr. in 12. Met. Comm. 19. per hoc enim oportet, quod ſit minoris entitatis, quàm Tempus, quod eſt vtcumq; ens ſinè Anima, vt dicitur in 4. Phyſicorum.

Reſp. Caietanus, quod componere relationem cùm fundamento, compoſitiuſq; *Reſp. Caiet. ad* eſſe album ſimile, quàm album, non ſolùm non inconuenit, imò eſt neceſſarium, *Argum. vltimum.* quia ſimilitudo realis eſt eſſentialiter accidens: ſed fallitur imaginatio quandoq; quoniàm relationum nomina, non explicitè afferunt ſua ſignificatione ipſum ineſſe. Nec obſtant Auctoris verba, quoniam cauſam ibidem oſtendit, quod de relatione formaliter, ideſt de Ad loquitur dum dicit, quia non ſignificat aliquid in ſubiecto &c. vt expreſsè in art. 3. ſequenti q. 7. de potentia ad 7. aperuit. Minimæ demùm entitatis relatio intèr cætera prædicamenta, & eſt, & dicitur quia ex proprio ſibi, ſcilicet Ad, non habet quod ſit reale, imò quantùm eſt ex hoc poteſt in ratione ſolùm inueniri; & ideò quidam putauerunt eſſe de ſecundis intellectis. Tempus autèm, & reliqua oportet, vt dictum eſt, eſſe entia realia aliquo modo. Ità Caietanus in a. 2. q. 28. cit. in Reſp. ad rationes Thomiſtarum &c.

Appendices ad Lectionem 3. Metaphyſicalem in Tractatu Octauo de Relationibus, & Relatiuis.

CIrcà illam opinionem Thomiſtarum, quos in a. 2. q. 28. cit. Caietanus pertranſit ſuppreſſo nomine, ſcilicet quod relationes reales non diſtinguuntur à fundamentis ſuis, realiter, ſed identificantur cum ipſis, & ad minùs admittunt diſtinctionem formalem, videndus eſt ibi Marcus Ferro, de quo mirum eſt quomodò in alijs fideliſſimus ſit Achates Caiet. modo in præſenti controuerſia ab ipſo recedat, impugnando Reſponſiones Caietani datas ab ipſo, ad opinionem Thomiſtarum illorum, & reſpondeat rationibus eiuſdem Caiet. pro ſua opinione; Et ſuſtinet virilitèr contrà Caietanum ibi pag. mihi 129. quod omnis relatio ſecundum tres modos, quibus Ad aliquid dicitur, identificatur cum ſuo fundamento, nec indiget aliquo alio accidente ſuperaddito illis fundamentis, ad hoc vt iſta ordinentur cùm alijs rebus in Vniuerſo, & quod dicit de Relationibus primi generis fundatis ſuper eſſentias quantitatem, & qualitatem, idem probat de Relationibus ſecundi generis fundatis per ſe ſuper actionem, & paſſionem, vel ſuper potentiam actiuam, & paſſiuam, & hoc tàm in naturalibus, quàm in artificialibus. Et de relationibus tranſcendentalibus intèr materiam, & formam dicit quod omnes Philoſophi conueniunt, & defendunt eſſe identificatas cum materia, & forma ex D. Th. p. p. q. 77. a. 1. ad 2. & ex Ariſt. 1. Phyſ. tex. 69. & 4. Phyſ. tex. 16. & 2. Met. tex. 12. & 10. Met. tex. 24. definit materiam per Analogiam ad formam; & ſimilitèr forma accidentalis dicit habitudinem tranſcendentalem ad ſuum ſubiectum, & ſubiectum ad ſuum accidens identificatum cum illis, & citat D. Th. & Caiet. in c. 16. de ente, & eſſentia, & hoc, ait, manifeſtè apparet in formis etiam accidentalibus relatiuis. Et de tertio genere, quod fundatur ſuper menſuram, & menſuratum non de menſura quantitatiua, ſed de menſura, & eſſe Veritatis rei quæ genera menſuratorum, & menſurarum enumerat D. Thomas q. 7. de potentia a. 10. tenet

D. Th.

Digitized by Google

D. Th. has relationes nec diſtingui realitèr à ſuis menſuratis. Et reſpondet, pag. mihi 135. omnibus Argumentis quæ poſſunt afferri contrà propriam ſententiam quam probat etiam ex Auctoritate D. Thomæ. Et tandem in dubio 3. quærendo cum Caietano Verùm ineſſe Relationis realiter diſtinguatur ab eſſentia illius, ſtat cum Caietano quo ad illa, quæ impugnant Scotum, ſed contrà Caietanum concludit de relatione ſimilitudinis, quod vtique inhæret ſubiecto per inhærentiam actualem, quæ eſt eius exiſtentia realitèr, inquit, diſtincta ab ipſa, & eſſentiæ ſuæ ſuperaddita, ſed recolendo propriam ſententiam contrà Caietanum concludit, quod Relatio ſimilitudinis realiter exiſtit, non per proprium ineſſe, ſed per ineſſe ſui fundamenti, ſcilicet per ineſſe Albedinis, cum qua realitèr identificatur, & gloſat auctoritatem D. Th. allatam à Caietano in 2. 2. q. 28. in ly eſt alia res, intelligit de re quæ eſt ſubiectum, ſcilicet ſubſtantia quod ſit alia res à relatione, non autèm intelligit de fundamento, vt tenet Caietanus. Et quando Caietanus in art. 2. cit. ait quod Relatio Creationis paſſiuæ, fundata ſuprà ſubſtantiam, eſt realitèr diſtincta, Marcus Ferro ſe opponit, & ait, Relatio quæ identificatur cum ſuo fundamento quod eſt eſſe Creaturæ, inhæret ipſi Creaturæ, vt Accidens ſubiecto non per propriam inhærentiam, ſed per inhærentiam ſui fundamenti, ſcilicet per eſſe ipſius Creaturæ; & quando Caietanus ait, quod Relatio identitatis ſubſtantialis immediatè fundatur in ſubſtantia. Marcus Ferro ait quod intelligitur de relatione tranſcendentali reperta in omnibus rerum eſſentijs ratione gradus &c. & negat quod generi generaliſſimo prædicamenti ad aliquid, competat habere proprium ineſſe, legas iſtum Doctorem pag. 123. & vltra, qui fatetur tandem contrarium non eſſe in hac re, ipſi Caietano, ſed tanquam interpretem ſe habere Caietani ad elucidandam doctrinam ſuam.

Legas etiam de hac Controuerſia Modernos, & antiquos Thomiſtas, ex quibus aliqui ſuſtinent relationem diſtingui eſſentialitèr à fundamento, non tamèn quo ad exiſtentiam, quem modum dicendi amplectuntur Ægidius, Soto, Iauellus, 5. Met. q. 22. Iandunus ibi, Bannes, Zumel, Suarez, Fonſeca, Valentia, Vaſquez, Albertinus, & alij ex minori nota.

LE-

LECTIO IV. METAPHYSICALIS

In Tractatu Octauo

DE RELATIVIS, ET RELATIONIBVS.

Vtrùm Relatio de mente D. Th. abſtrahat à perfectione, & imperfectione.

Ex Caietano in p. p. quaſt. 28. a. 2. ex Reſponſione ad 3. & quaſt. 42. a. 4. ad 2.

Declaratio Tituli eiuſq; ſenſus data à Caiet.

CAietanus de iſta Controuerſia ſic ait in Comment. Reſponſionis ad tertium art. 2. q. 28. in p. p. Ex iſta Reſponſione motiuum habent Thomiſtæ dubitandi nobiſcum de Mente D. Th. dùm dicit, quod ſi eſſentia Diuina nullo modo eſſet aliquid, ſed eſſet tantùm ad aliquid, nullo modo diceret eſſe ſiuè per ſe, ſiuè in alio, ſed tantùm ad aliud, & ſic vel eſſet ens rationis, vel accidens, & per conſequens eſſet imperfecta, quia quod in rerum natura nullum eſſe reale abſolutum in ſe concludit, & nihil aliud eſt niſi vel ens rationis, vel accidens, certè quod eſt aliquod ens imperfectum; Ergò ſecundum iſtam litteralem expoſitionem meritò dubitatur an Relatio dicat ex vna parte perfectionem, & ex alia imperfectionem, vel potiùs abſtrahat, & hoc in ſenſu vniuerſali, maximè ſtante dependentia relationis à termino, & ſtante poſitione relationis realis in Diuinis ad intrà, qua relatione formaliter Deus denominatur Pater, vt dicitur in Symbolo Credo in Deum Patrem &c. Ità Caietanus loc. cit.

1. Notab. Caiet. in quo tollitur à verbis D Th. aliqua apparens ſatis contradictio, & quod Relatio dupliciter perficitur.

Quo ad 1. Notat primò Caiet. ad tollendam omnem æquiuocationem, & contradictionem apparentem in verbis D. Th. quod in q. 7. de potentia a. 9. ad 7. D. Th. diſtinguit de Relatione, quod Relatio dupliciter perficitur, vno modo realitèr, & hoc ratione In, quatenus, ſcilicet inhæret ſubiecto, ſicut cætera accidentia; alio modo perficitur formaliter, ſeù non vt accidens, & ratione In, ſed eſſentialiter, & hoc modo concipitur, vt in aliud tranſiens, ideſt eius ratio formalis non perficitur vt per ſe eſt, neque vt eſt in alio, ſed vt in aliud tranſiens. Hoc ſuppoſito S. Th. ponit iſtum caſum, ſcilicet quod exiſtentia alicuius, ſolùm conſiſtat vt in aliud tranſiens, in quo caſu docet S. Th. ad tale eſſe, ſequi imperfectionem, quia ſi totum ſuum eſſe reale, non conſiſtit in eſſe per ſe, vt eſt eſſe ſubſtantiæ, quod eſt eſſe per ſe, & non in aliud tranſiens, nec conſiſtat eſſe in alio, quod eſt exiſtere exiſtentia accidentium, quæ eſt eſſe in alio: ſed totum eſſe eſt in aliud ſe habere, certè non poterit exiſtere exiſtentia perfecta. Et ſic cùm S. Th. doceat in art. 2. q. 28. cit. de hac ratione formali, quæ eſt ad aliud ſe habere, quæ eſt eſſentia relationis, quod abſtrahit ab Ad reale, & ab Ad rationis, & conſequentèr à perfectione, & imperfectio-

ſectione. Et ex alia parte in Reſp. ad 3. art. 2. cit. doceat, quod ſi eſſentia relationis quæ eſt ad aliud ſe habere eſſet ſolum, veluti totum eſſe actuale exiſtentiæ alicuius, illud eſſe, vtique eſſet imperfectum, vtpotè ſolùm ad aliud ſe habens. Et ſic cum ſecundum vnum ſtatum Relationis, ſcilicet quatenus Ad vt Ad doceat abſtrahere ab Ad reali, & ab Ad rationis, & non dicere perfectionem, nec imperfectionem; ſecundum poſteà alium ſtatum relationis, ſcilicet in caſu, quo eſſet veluti ac totum eſſe exiſtentiæ alicuius, doceat, quod tale eſſe eſſet imperfectum certè nulla eſt contradictio in verbis D. Th. & verba litteræ art. 2. non obſtant iſti veritati quod Relatio nec perfectionem, nec imperfectionem dicit. Ità Caietanus loc. cit.

2. Notab. Caiet. in quo explicatur quid ſit ſimpliciter perfectum. & quod ſolum primũ principium habet illas tres cõditiones ſimpliciter perfecti.

Notat 2. Caietanus ex Ariſt. in 5. Met. tex. 21. quod illud eſt ſecundum ſe, & ſimpliciter perfectum, quod ſecundum ſe in nullo deficit, nec hyperbolem compatitur ſecum, nec accipit aliquid extrà, & ſic ſimpliciter perfectum tres conditiones debet habere. Prima quod nulla ei perfectio deficiat, ſed contineat omnes vniuſcuiuſque generis perfectiones, ſecus non eſſet vniuerſalitèr, & omnibus modis perfectus; ſecunda quod non habeat aliquam hyperbolem, ideſt excedentiam; ideſt quod à nullo in bonitate, ac perfectione aliquo modo excedatur; tertia quod non mendicet ab extrà aliquam perfectionem, ſed ex ſe, & per ſe poſſideat omnes quas habet conditiones; & hæc omnibus modis vniuerſalitèr perfectiſſima conditio eſt ſolius primi principij ait Auuerroes in 5. Met. & S. Thomas cum alijs. Et ſic addit Caietanus in p. p. q. 39. a. 5. ad 1. iuxtà Sanctos Patres adoratur vnitas Deitatis, eſſentiæ, ac naturæ in tribus perſonis, & adoratur Trinitas trium perfectorum in vnitate eſſentiæ, & non trium perfectionum, & in perſonis adoratur proprietas illarum vt potè tres perfectæ ſubſiſtentiæ, non tamèn tres perfectiones. Veneratur itaq; ac adoratur Pater vt perfectus Pater, & Filius, &c. & vt tres perfecti nunquàm tamèn vt tres perfectiones, quia Paternitas nullam perfectionem ponit in Filio qui eſt terminus, cum non ſit in illo; vndè ſi Relatio dicit perfectionem in Deo, ait D. Th. hoc eſt quia in Diuinis non eſt aliud eſſe relationis, & aliud eſſe eſſentiæ, ſed eſt vnum & idem eſſe. Hinc habes addit Caietanus firmitatem tuæ ſententiæ, quod Relatio realis, ideſt Ad aliud reale, vt dicit ordinem vnius ad aliud non dicit imperfectionem, nec perfectionem, ſed abſtrahit &c. Ità Caietanus loc. cit.

Opinio expreſſa D. Th. recitata à Caiet.

Quo ad 2. Caiet. ait in p. p. q. 42. a. 4. ad 2. S. Thomas hic apertè ſentit, Relationem, vt eſt formaliter Relatio, non dicere nec perfectionem, nec imperfectionem, ſed abſtrahere. Argumentum ſuum eſt hoc. Pater, & Filius non ſunt idem, nec æquales, nec ſimiles, quia aliqua perfectio, puta perfectio Paternitatis datur in Patre quæ non datur in Filio, & è contra in Filio datur perfectio Filiationis, quæ non datur in Patre. Reſp. S. Doctor, quod in hac argumentatione committitur ſophiſma accidentis, mutando quid in Ad aliquid, quia Ad vt Ad nullam dicit perfectionem neq; imperfectionem, ſed ſolum dicit perfectionem Diuinæ eſſentiæ: ſunt enim omnes Relationes Diuinæ per idem eſſe numero Diuinum, in quo, & per quod ſubſiſtunt: eadem enim eſſentia eſt, & dignitas Patris, & Filij, ſed in Patre eſt ſecundum relationem dantis, in Filio ſecundum relationem accipientis. Non obſtante apertiſſima mente D. Th. ex hac Reſponſione elicita, attamen non defuere aliqui Thomiſtæ, qui ex verbis D. Th. in Reſp. ad 3. art. 2. q. 28. exiſtimarunt Ad vt Ad ſeù relationem non abſtrahere, ſed determinatè dicere imperfectionem. Et addit Caiet. in 3. p. q. 3. a. 2. & in 3 p. q. 17. a. 2. ex D. Thoma habetur, quod concedendæ non ſunt tres perfectiones relatiuæ, ſed ſolùm tres perfecti, & tres res perfectæ in concreto, & adiectiuè, ſed de hoc eſt diſputatio in q. 40. a. 4. & in loc. cit. 3. p. quæ potiùs ſpectat ad Theologum, quàm ad Metaphyſicum, ſufficiat

pro

Digitized by Google

pro nunc ſcire Metaphyſicè loquendo quod ipſum Ad vt Ad reale tranſlatum in Diuinis non dicit determinatè perfectionem, niſi identificatum cum eſſentia, & eſſe Diuino.

Et quandò Scotus in 3. ſent. diſt. 1. quæſt. 4. docet quod Perſonalitas Verbi ſecundum quam Verbum ſubſtantificat naturam humanam non eſt infinita perfectio quia tunc aliqua perfectio, quæ eſt formalitèr in Filio deeſſet formalitèr Patri, debemus reſpondere pro vt in 3. p. quæſt. 3. art. 1. ad 2. dub. quod Verbum eſt infinitum ſecundum rationem Deitatis radicalitèr; quia quidquid eſt in Deo ex Deitate infinitatem habet: Sed ſecundum ſuam perſonalitatem habet Verbum, quod ſit perſonalitèr infinitum, quia perſonalitas eius vtpotè perſonalitas Diuina eſt conſtitutiua perſonæ infinitæ; ſicuti etiàm ſubſiſtentia Verbi eſt ſubſiſtentia formalitèr infinita, quia ſubſiſtentia eſt perfectio ſimpliciter, & conſequentèr infinita, quia omnis perfectio in Deo eſt infinita, & non eſt ſicut Relatio, quæ non eſt finita, nec infinita, ſed abſtrahit. Nec propterea ſequitur, ſubdit Caietanus, vt Scotus arguit, quod aliqua perfectio formalitèr deeſſet Patri, quæ eſt in Filio: quoniam eamdem perfectionem, quam perſonalitas Verbi formalitèr dicit in Filio, Perſonalitas Patris dicit in Patre, vt patet de perfectione ſubſtantiæ; Ità Caietanus in loc. cit. *Quid ſentiat Scotus in hac re innuit Caietanus.*

Quo ad tertiùm. Vnica Concluſio reſponſiua quæſiti ponitur à Caietano in 1. p. quæſt. 28. art. 2. in Reſp. ad 3. Relatio vt Relatio de mente D. Thom. nec perfectionem, nec imperfectionem dicit, ſed abſtrahit. *Vnica Concluſio ponitur à Caiet. reſponſiua quæſiti cũ probatione prima, ſcilicèt quod Relatio in ſua ratione formali non dicat imperfectionem.*

Probatur à Caietano euidenti ratione primò quod in ſua ratione formali nullam importet imperfectionem tali forma. Nulla ratio formalis, quæ in ſuo conceptu imperfectionem claudit, poteſt Deum formalitèr talem denominare, vt patet de Aſeitate, quæ ex eo quod in ſua ratione formali includit perfectionem admixtam cum imperfectione, ideò nec formalitèr in Deo dari poteſt, nec illum formalitèr talem denominare, at ſic eſt quod Relatio v. g. Paternitatis in Deo formalitèr reperitur, & Deum formalitèr Patrem denominat, Credo in Deum Patrem &c. ergò Relatio in ſuo conceptu formali nullam imperfectionem importat. Omnia patent de ſe ex dictis.

Probatur, quod non importet perfectionem. Si importaret perfectionem, ſequeretur, quod aliqua perfectio eſſet in vna perſona Diuina, quæ non eſſet in alia: ſed hoc eſt falſum: ergò &c. ſcilicèt eſt falſum id ex quo ſequitur, ſcilicèt Ad vt Ad dicere perfectionem: ergò ex oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis argumentando, ſi vna Relatio, quæ eſt in vna Perſona Diuina non eſt in alia, & ex alia parte vna perfectio, quæ eſt in vna perſona, neceſſe eſt vt ſit in alia, ſequitur relationem nullam dicere perfectionem. Prima ſequela probatur ab oppoſito. Ad vt Ad dicit perfectionem, ſed Paternitas, vt præcisè dicit Ad eſt in ſolo Patre: ergò perfectio Paternitatis, in ly Ad vt Ad importata erit in Patre, quæ non eſt in Filio: ergò Pater, & Filius non ſunt idem, non ſunt æquales, non ſunt ſimiles: ſed hoc aſſerere in ſana Theologia eſt conſentire, & dare manum Arrio, & Sabellio, ergò &c. Ità Caiet. loc. cit. *Probatio Caiet. quod non importet perfectionem.*

Quò ad quartùm. Arguit primò ſic Caietanus in 1. p. quæſt. 28. art. 2. ex Reſponſione ad tertiùm, ex D. Thom. probando quod dicat perfectionem. Adhuc conceſſo quod Relatio, vt Relatio eſt, & Ad aliud, abſtrahat à reali, & rationis, ab accidente, & ſubſtantia, à perfectione, & imperfectione, cùm ad omnia iſta Relatio ſe extendat; & adhuc conceſſo quod Relatio, vt idem cùm eſſentia Diuina pro vt eſt forma hypoſtatica conſtituens Diuinam perſonam vt perſona Di- *Arg. 1. Caiet. ex D. Thom. ad hominem.*

 uina,

uina, dicat perfectionem, non tamen ab ipſa, vt realis eſt relatio actualis, & vt eſt actu in rerum natura, poſſumus remouere quamdam perfectionem: ergo determinatè relatio realis actualis dicet perfectionem aliquam: ergò Relatio vt Relatio non abſtrahit. Probatur antecedens, quia ſi eſt realis, erit quid bonum, & quid appetibile rebus, ad differentiam entium mathematicalium ex 2. Met. & ex D. Thom. 1. p. quæſt. 5. art. 3. ad 4. ideò non ſunt bona, nec perfecta, quia pro vt conſiderantur à Mathematico abſtrahunt ab actuali exiſtentia, nec conſiderantur, pro vt exiſtunt.

Reſp. Caiet. ad Arg. ad hominem. Reſp. Caiet. quod D.Th. in 1.p.q.4.art.1.docet, quod eo modo, quo alicui competit eſſe realitèr à parte rei, eodem modo competit ei perfectio qua perfectio fundatur in eſſe actu realitèr in rerum natura; & ideò Deus quia maximè in actu, & in eſſe; eſt ſummè perfectus, & conceditur etiàm quod Bonum conuertitur cum ente reali, quod actu exiſtit, quia Bonum eſt appetibile: Mons aureus non eſt appetibilis, ſine exiſtentia reali, vel ſine ordine ad illam; & in hoc ſenſu benè probat Argumentum, quod entia Mathematicalia non ſunt bona, nec perfecta. Negatur igitur in Argumento ex eadem maxima D. Thom. quod Relatio realis actualis vt actu exiſtens dicat perfectionem: quia Relatio vt Relatio ſecundum præciſum conceptum Relationis ad differentiam cæterorum generum in Arbore Prædicamentali non eſt determinatè ens reale, vel ens rationis, ſed abſtrahit, & ſecundum eſſentiam ſuam non eſt niſi ordo ad aliud. Relatio autèm realis, non vt Relatio, & ordo ad Terminum, ſed ratione inhærentiæ ſubiecto eſt ens reale, Et Relatio Diuina non vt Relatio, ait D. Thom. ſed quatenus eius eſſe eſt vnum, ac idem cum eſſe eſſentiæ Diuinæ eſt ens reale, & per conſequens etiàm ex hoc capite, nulla relatio vt Relatio, ſed vt eſt ens, eſſe dicit, & perfectionem. Et in hac Doctrina, addit Caietanus, omnes Metaphyſici conuenire debent, illi qui dicunt quod Relatio habeat eſſe à fundamento ratione cuius eſt in ſubiecto, & non à termino; nàm terminus aliquando eſt ens rationis, & Relatio eſt realis, vt patet de Logica, quæ eſt ſcientia realis dicens ordinem realem ad ſuum ſcibile, quod eſt ens rationis, & ſic D. Thom. docet in 1. ſent. diſt. 33. quæſt. 1. art. 1. ad 1. quod tota realitas relationis petenda eſt ab ineſſe ſubiecto, qua tota realitas rei dependet ab eius actuali exiſtentia in rerum natura, & exiſtentia relationis eſt in eſſe ſubiecto. Et per conſequens tota realitas relationis à ſubiecto, & nullo modo à termino eſt petenda. Ità Caietanus ex D. Thom. loc. cit.

Arg. 2. Caiet. pro vt ſuprà. Arguit ſecundò Caietanus ſic. Loquendo de eſſe Ad particulari, & determinato, & non vt abſtrahit, puta eſſe Ad Diuino, & increato, præciſo tantùm In, ſi præſcindat ab eſſe in opinione noſtra non eſt amplius Ad reale: ergò Relatio Diuina vt Relatio, & Ad Diuinum præciſo ab In Diuino non erit Relatio, neque Ad reale.

Reſp. Caiet. ad Argum. 2. Reſp. Caietanus, quod Relatio realis ratione vtriuſque eſt realis, & per eamdem exiſtentiam realem, neque nos ſomniauimus dicere, quod Relatio realis ſit realis ſolùm ratione In; & non ſit realis ratione Ad: Sed controuerſia eſt an Ad reale relationis creatæ habeat propriam exiſtentiam, ac realitatem diſtinctam ab exiſtentia, ac realitate ſubſtantiæ, quod nos firmitèr confitemur. Cùm autèm Argumentum à natura relationis creatæ aſcendat ad Relationes Diuinas, & ex natura Creatæ relationis colligere pretendat relationes reales Diuinas pariformitèr dici reales, & quod illud Ad reale proprium reſpectiuum ſaltèm ratione diſtinguatur ab eſſe abſoluto Diuinæ eſſentiæ; Iàm hoc totum apertè negamus, & dicimus, quod Relationes reales Diuinæ ſunt Relationes, non accidentales, ſed ſubſtan-

ſtantificæ, vndè in illis non datur proprium eſſe reſpectiuum, ſed exiſtunt per idem omninò eſſe, realitér, & ratione, per quod exiſtit Diuina eſſentia, cum qua, & cum quo eſſe non opponuntur. Dicendo etiàm nos cum D. Thom. quod aliquæ res exiſtunt per exiſtentiam alterius, vt materia per exiſtentiam formæ; Et partes per exiſtentiam totius, & quod omnis res creata exiſtit per exiſtentiam in ſe receptam, & à ſe diſtinctam, & quod ſolùm ipſa eſſentia Diuina eſt ipſiſſimum eſſe, non intendimus in hac controuerſia conuenire cum illis, qui docent omnem rem exiſtere per proprias exiſtentias ſibi identificatas, ac per illas eſſe actu extrà nihil, vt de ſe conſtare debet exercitatis in Doctrina D. Thomæ. Ità Caietanus in loc. cit. & alibi pluries, &c.

Appendices ad Lectionem 4. Metaphyſicalem in Tractatu Octauo de Relatiuis, & Relationibus.

De hac Controuerſia videnda ſunt ea quæ habet Caietanus ex profeſſo in quæſt. 40. art. 4. & opportet conſiderare ea quæ habet D. Thom. in fine corp. art. 3. quæſt. 28. vbi dicitur, vndè opportet quod in Deo ſit realis diſtinctio non quidem ſecundum rem abſolutam, quæ eſt eſſentia, in qua eſt ſumma vnitas, ſed ſecundum rem relatiuam. Et ideò Valentia diſp. 2. quæſt. 2. de Relationibus Diuinis puncto primo, & Molina conueniunt nobiſcum, & cum cæteris Doctoribus in hoc dicto D. Thomæ dicentes, oppoſitum eius non eſſe tolerabile in Fide. Conueniunt igitur quod Relatio realis tàm creata, quàm increata eſt realis reſpectus vnius rei ad alteram, & per conſequens relatio realis eſt realis, tàm ratione realis In, quam ratione Ad vt Ad realis. Controuerſia igitur ſolummodò eſt intèr nos, & illos, An Ad reale ſit Ad reale per propriam realitatem diſtinctam à ſuo reali In, vel ſaltèm ſit reale, vt per rationem præſcindit ab illo. Aduerſarij, & cæteri reſpondent, quod vtrumque ſit reale ens proptèr ſuammet realitatem ſibi ipſi identificatam, hoc probat Faſolus cit. à Marco Ferro in quæſt. 40. art. 4. dub. 6. à pag. 612. vſque ad pag. 622.

Et quando quæritur an dato quod ſint duo conceptus formales, formalitèr diuerſi, ſi vnus præſcindat ab alio, puta ſi Relatio præſcindat à realitate, eſt ne amplius realis? Reſpondent quod abſtrahit à realitate negatiuè, quia non conſideratur vt habens realitatem, non tamèn poſitiuè, quia non conſideratur poſitiuè ſine realitate à parte rei, alitèr iſte conceptus eſſet falſus, ſed dicitur conſiderari negatiuè, ideſt non concipiendo eius realitatem, ſed eius eſſentiam, nihil de eius realitate cogitando; conſiderando puta Ad Diuinum præciſum ab eſſe Diuinæ eſſentiæ, quod eſt ſuum eſſe re, & ratione, conſiderant illud ſolum vt prædicatur formalitèr de Deo, non autèm vt ſimul formalitèr, ac realitèr de illo dicitur; Sicut Conceptus Sapientiæ duplicitèr concipitur primò vt prædicatur formalitèr, ſecundò vt prædicatur realitèr. Legas Magiſtrum Ferro loc. cit.

Videas omninò Ven. Porrectam ſuper art. cit. quæſt. 28. 42. art. 4. ad ſecundùm, & 3. p. quæſt. 4. art. 2. vbi notatur ab ipſo, quod Dignitas, perfectio, Æqualitas, Similitudo vt in textu, ſunt prædicata eſſentialia non autèm de numero relationum. Paternitas igitur, Filiatio, Proceſſio, ſi conſiderentur præcisè, quantùm ad referri neq; dignitatem, neq; perfectionem, neq; indignitatem neq; imperfectionem, neque ſimilitudinem, nec diſſimilitudinem, neque qualitatem, & inæqualitatem, ſed ab omnibus his abſtrahunt? quid clariùs in Fideliſſimo Thomiſta?

LECTIO V. METAPHYSICALIS

In Tractatu Octauo

DE RELATIVIS, ET RELATIONIBVS.

An Terminus Relatiui vt ſic, ſit ens abſolutum, vel reſpectiuum.

Ex Caietano in p. p. quæſt. 13. art. 7. & quæſt. 4. art. 3. & alibi.

Declaratio Tituli eiuſque ſenſus facta à Caietano.

DIV. THOMAS, ait Caietanus, multa dicit de Relatiuis tertij modi in art. 7. quæſt. 13. 1. p. contrà quæ obijcitur ab alijs, puta quod intèr ens, & non ens non eſt relatio realis, & quod intèr motiuum, & mobile eſt relatio realis, & quod ſcientia habet relationem realem ad ſcibile: Sed quoniam hæc per accidens ibi dicuntur, ideò de his fient ſpeciales quæſtiones: Verumtamèn Vnum valdè arduum Dubium diſſimulandum non eſt circà illa verba litteræ, in quibus dicitur, quod relationes rationis in altero extremo puta ſcibili, & ſenſibili ſunt, in quantùm intellectus apprehendit ea vt terminos relationum oppoſitarum, puta ſcientiæ, & ſenſus. Eſt autèm Dubium duplex, primò circà ſenſum litteræ: Deindè circà rem. Circà ſenſum quidem, An intendat quod Correlatiuum exigatur ad hoc, vt extremum ſubintelligatur ſub ratione termini ipſius Relatiui v. g. An Relatio Dominij exigatur ad hoc vt Deus intelligatur Dominus Creaturæ in quantùm eſt eius Serua, vel potiùs intendat, quod Correlatiuum comitetur intellectum alterius extremi, ſub ratione termini, ità quod Relat o Dominij concomitetur Deum apprehenſum, vt terminum. Multum autèm refert, an ſic, vel ſic intendat: quoniam in primo ſenſu Correlatiuum ponitur de intrinſeca ratione termini, imò ponitur terminus ipſe; in ſecundo ſenſu ponitur correlatiuum conſequi rationem termini; Et conſequentèr in primo ſenſu ponitur quod terminum Relatiui opportet eſſe Relatiuum; in ſecundo verò ſenſu, quod eſt ens abſolutum. Et proptereà naſcitur ardua de hoc Controuerſia An Terminus Relatiui vt ſic pro vt in titulo &c. vel ſub alia formalitate, An Relatio terminetur ad abſolutum, vel reſpectiuum? De relatiuis autèm mutuis ſecundi generis nos accipimus motiuum à D. Thom. in 1. p. quæſt. 26. art. 2. in illa Controuerſia An ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio realitèr perſonalitèr diſtingueretur ab illo? ex illo loco multa infrà dicimus. Ità Caietanus in loc. cit.

Primum Notabile Caiet. in quo explicatur quomodo Cauſa, &

Quò ad primùm. Suppoſitis ijs, quæ docet D. Thom. in corp. art. 7. quæſt. 13. de relatiuis primi, & ſecundi generis. Notat Caietanus pro Relatiuis tertij modi ex D. Thom. 1. p. quæſt. 4. art. 4. vbi quærit An aliqua Creatura poſſit eſſe ſimilis Deo, ex Reſponſione ad quartùm, quod in ijs quæ vnius ordinis ſunt recipi-

tur

tür mutua ſimilitudo, non autem in cauſa, & cauſato: dicimus enim, quod imago ſit ſimiles homini,& non è conuersò & ſimilitèr dici poteſt aliquo modo quod Creatura ſit ſimilis Deo,non tamèn,quod Deus,ſit ſimilis Creaturæ. Ità D.Tho. loquitur,ad quæ notat Caiet. quod diſtinguuntur contrà res vnius ordinis cauſa, & cauſatum; vndè oppotet, quod aut cauſa, & cauſatum ſint vniuerſalitèr diuerſorum ordinum, quod patet eſſe falſum in cauſis vniuocis, aut quod ambiguè membrum hoc diſtinctionis ſit poſitum, quia incertum eſt de quali cauſa,& cauſato ſit ſermo; vel malè, quia contrà res vnius ordinis debent diſtingui res diuerſorum ordinum, ſiuè cauſa ſint,& cauſatum,ſiuè non:hoc enim eſt per accidens. Dicendum tamen eſt,addit Caietanus,quod diſtinctio iſta,artificioſa,certa,& formalis eſt, ſi rectè intelligatur; eſt ſiquidem non falſum,ſed veriſſimum,& neceſſarium,quod cauſa,& cauſatum vniuerſalitèr,& formalitèr ſunt diuerſorum ordinum, ſed nomine cauſæ,& cauſati vtimur, non pro relationibus, ſeù cauſalitatibus, ſed pro re, quæ eſt ratio cauſandi, & ſimilitèr pro re, ſeù forma, quam cauſatum ſortitur per cauſam: hæ enim res ſunt fundamenta ſimilitudinis intèr cauſam, & cauſatum; poſſunt igitur fundamenta ſimilitudinis intèr aliqua duplicitèr ſe habere, vno modo quod ſint eiuſdem ordinis, vt hæc, & illa albedo, & hoc, & illud animal &c. Et ſic ſimilitudo eſt relatio æquiparantiæ, & mutua. Alio modo quod alterum eorum formalitèr ex propria ratione ſit cauſatum ab altero, vt imago Socratis, & Socrates: non enim accidit imagini Sortis dependentia à Sorte, & ſic ſimilitudo non eſt relatio æquiparantiæ, neque mutua, ſed reducitur ad tertium genus relatiuorum poſitum 5. Met. de Scientia, & ſcibili &c. & ſecundùm hoc Cauſa, & Cauſatum ſunt diuerſorum ordinum; impoſſibile namque eſt eiuſdem ordinis res ſe habere ſic,quod de ratione formali vnius, ſit dependentia ab altera: quoniam quidquid eſt de ratione vnius, eſt de ratione alterius, & è contrà. Et ſic patet de cauſis vniuocis, in quibus cum ſit vniuocatio, non eſt cauſa, & cauſatum formalitèr per ſe, ſed materialitèr, & per accidens, quoniam forma effectus, formalitèr non dependet à forma cauſæ: non enim Humanitas, quæ eſt in Socrate, formalitèr ſumpta dependet in eſſe, aut in fieri ab humanitate Platonis Patris, ſed humanitas fortis, quia eſt hæc, ideò dependet à Patre, & conſequentèr humanitas, quæ eſt fundamentum ſimilitudinis intèr Patrem, & Filium, non eſt de genere cauſæ aut cauſati niſi materialitèr, & per accidens, ſed eſt de genere fundamentorum eiuſdem ordinis. Quæcumque igitur formalitèr ſumpta ſunt cauſa, & cauſatum, ſunt diuerſorum ordinum fundamenta ſimilitudinis, vt ſubtilitèr in littera ad 4. cit. dicitur, & conſequentèr eſt intèr ea ſimilitudo imitationis, & non puræ ſimilitudinis, & propterea non eſt mutua, quod benè notandum eſt pro Relatiuis non mutuis. Ità Caietanus in fine Comment. art. 3. quæſt. 4. cit.

Cauſatum ſit, vel non ſit Relatio æquiparantiæ mutua,& non mutua

Notat ſecundò Caietanus, quod Philoſophus in 5. Met. tex. 20. habet quod ſcibile dicitur relatiuè, quia Scientia refertur ad ipſum quod eſt correlatiuum tertij modi, pro quo dicimus, quod ſi loquamur de ipſo in genere entis ſimplicitèr, tunc non alia ratione eſt, niſi quia Compar ſuum, quod terminatur ad ipſum formalitèr eſt in rerum natura, ità quod ad eius eſſe extrà Animam hoc ſufficit: eſt enim contentum hoc debiliſſimo modo eſſendi; & ſic eſſe Dominum nihil ponit in Deo ſecluſo omni intellectu, niſi terminare formalitèr rationem Serui, quam Deus ſecundum ſe terminat ſubiectiuè, ideſt vt quaſi ſubiectum termini formalis: ſupponit tamèn, & ponit benè aliquid in Creatura, ſcilicèt relationem ſeruitutis ad Deum vt ſubiectum &c. Nec ipſum terminare formalitèr ſeruitutis Relationem plus aliquid ponit, quàm ſit ipſius eſſe terminati, licet alio modo illud ponat,

Notabile ſecundum Caiet. in quo explicatur quod Deus non dicitur Dominus ex ſola relatione quæ eſt in Creatura vt ponat Seruus, ſed etiàm ex Relatione Dominij.

Digitized by Google

nat. Et ſecundum hoc Deus eſt Dominus de nouo, & ſine omni intellectu ſola ſeruitute Creaturæ, quia eſſe Dominum nullum eſſe in rerum ponit natura, niſi eſſe, ſeù oppoſiti; vndè ſi obieceris, quod in materia Relatiua non ſit Denominatio ab extrinſeco vt in 2. cont. gent. cap. 13. determinatur: Reſpondeas hoc eſſe verum formalitèr non realitèr: non enim Deus dicitur Dominus à ſeruitute formalitèr, ſed à Relatione Dominij, quæ eſt Relatio inhærens: dicitur tamèn Dominus, & realitèr Dominus à realitate Seruitutis, quia eſſe Dominum nullum eſſe ponit, niſi quod eſt Terminus realis Seruitutis, & ſic iſta Denominatio eſt formalitèr ab intrinſeco, & realitèr ab extrinſeco. Si autèm loquamur de hoc Correlatiuo in genere entis ſecundum quid, ideſt ſecundum eſſe rationis, ſic eſſe Dominum ponit in Deo relationem rationis. Ex his patet, quomodo nullo intellectu conſiderante poteſt Deus dici Dominus formalitèr, & quomodo non niſi fundamentalitèr &c. diſtinguendo etiàm de eſſe proprio, vel alieno ipſius. Et Scotus in 1. ſent. diſt. 30. quæſt. 1. in hoc deficit, quia credit, quod Deus dicatur Dominus ex ſola Relatione, quæ eſt in Creatura: ponit enim effectum formalem ſcilicèt eſſe Dominum abſque cauſa formali, ſcilicèt Relatione Dominij, quod non eſt intelligibile. Ità Caietanus in fine Comment. art. 7. quæſt. 13. cit.

Notabile tertiù Caiet. in quo explicatur quomodo non verificatur in Diuinis relationibus quod non ſit idem proprium diſtinctiuum, & conſtitutiuum.

Notat tertiò Caiet. quod in 1. p. quæſt. 36. art. 2. D. Thom. aſcendendo ad Diuina, in quibus non eſt niſi formalitèr ſubſtantia, & Relatio, & ſubſtantia vtpotè communis non conſtituit, nec diſtinguit Hypoſtaſes, ſed hoc conuenit tantùm Relationi. Scito, quod cum Relationi poſſit aliquid conuenire duplicitèr, ſcilicèt primò ſecundum propria Relationis, & ſecundò quo ad communia ſibi, & abſolutis. Quæcumque attribuuntur Diuinis Relationibus neceſſe eſt conuenire eis in quantùm Relationes ſunt, & ſic conſtituere, & diſtinguere Relationi Diuinæ, pro vt res Relatiua eſt, conuenit. Intèr autèm rem Relatiuam, & abſolutam hoc intereſt, quod res abſoluta conſtituit rem in ſe, Relatio verò conſtituit rem ad aliud. Et quoniam vnumquodque ſicut eſt ens, ità & vnum, & diſtinctum; Conſtitutiuum abſolutum, ſicut conſtituit Ens in ſe, ità diſtinguit illud ſecundum ſe, & conſequentèr ab vniuerſis alijs; Conſtitutiuum verò in eſſe Relatiuo, quia conſtituit ens ad aliud vnum, Correlatiuum ſcilicèt, ità diſtinguit illud ab illo tantùm; alioquin diuerſitas, ſeù diſtinctio non eſſet proportionata paſſio entis: Plus enim faceret conſtitutiuum, aliquid diſtinguendo, quàm conſtituendo. Si igitur in Diuinis ſola Relatio multiplicat Trinitatem, & hoc non per accidens, ſed quatenus res relatiua, hinc fit, quod in Diuinis nulla ſit diſtinctio realis niſi relatiua; ità quod non ſolùm res diſtinctæ ſunt relatiuæ, ſed etiàm diſtinctio ipſa eſt Relatiua; & cùm conſtet diſtinctionem relatiuam non eſſe ſine relatiua oppoſitione, & reſpectu Correlatiui tantùm, manifeſtè ſequitur, quod ſola oppoſitio relatiua diſtinguit realitèr Diuinas perſonas. Et hoc non penetrare fuit cauſa diſſenſionis in hac materia, dùm aliqui dicunt, res quidem eſſe diſtinctas relatiuas, diſtingui tamèn abſque oppoſitione relatiua, quia ſunt diſparatæ, & incompoſſibiles. Et quando dicit Scotus idem eſſe principium formale intrinſecum conſtitutiuum, ac diſtinctiuum ab omni alio, falſiſſimum eſt hoc in diſtinctione relatiua: quoniam conſtitutiuum alicuiùs in eſſe Relatiuo, non eſt diſtinctiuum illius diſtinctione relatiua, niſi à Correlatiuo propter ipſam Relationis naturam: à cæteris autèm diſtinguit quouis modo, vt patet inductiuè. Duplum vt Duplum non eſt niſi ad dimidium, Duplum eſt ſolius dimidij duplum, ideò duplum diſtinctione, ac oppoſitione relatiua non diſtinguitur niſi à ſolo dimidio; Cæterùm duplum per ipſam duplicitatem diſtinguitur quidem à Triplo, Quadruplo, & ab alijs Entibus,

quæ

quæ non ſunt ipſum duplum, non tamèn diſtinctione, ac oppoſitione Relatiua, ſed alio genere diſtinctionis, ac oppoſitionis puta diſparatæ. Et idem Pater, & eadem forma Paternitatis, & non alia, diſtinguitur, & ab alijs Paternitatibus, quæ non ſunt ipſa, & ab omnibus alijs rebus non diſtinctione, aut oppoſitione relatiua, ſed vel diſparata, vel contradictoria, vel contraria, vel priuatiua. Natura igitur diſtinctionis, ac oppoſitionis relatiuæ, eſt, vt diſtinguat, ac opponatur diſtinctione, ac oppoſitione Relatiua ſuo ſolùm Correlatiuo. Ità Caietanus in loc. cit. art. 7. in Reſponſione ad Argumentum Scoti ex Textu Ariſtot. deſumptum.

Quò ad ſecundùm. Scotus in 1. ſent. diſt. 30. quæſt. 1. more ſuo, ait Caietanus carpit Textum D. Thom. art. 2. quæſt. 13. vbi in calce corporis fundat ſe S. Doctor ſuper Textum Ariſt. 5. Met. & probat multipliciter quod Terminus Relatiui, in quantùm Terminus eſt, ſit res abſoluta, ac per hoc nullum opportet ponere Correlatiuum, vt terminat alterum Relatiuum, nec ſecundum rem, neque ſecundùm rationem. Et ſua motiua putat ſic eſſe efficacia, vt veram dicat omninò eſſe ſuam opinionem. Sed quantùm diſtet à vero Scotus ex ipſo Textu Ariſt. conuincitur: errat enim in primis, putans Textum intelligendum eſſe de extremis, ſeù fundamentis Relatiuorum; & tamèn Ariſt. ibi expreſſè dicit ſe ponere differentiam intèr ea, quæ ſecundum ſe ſunt Ad Aliquid: fundamenta autèm Relationum non ſunt ad Aliquid niſi per Accidens, vt ibidem expreſsè dicitur: ergò Textus intelligendus non eſt de rebus, quæ denominantur Relatiuæ, ſed de ipſis Ad Aliquid: Errat etiam ſecundò in differentia ibi aſſignata, quia Ariſt. non dicit, quod quædam ſunt mutua, & quædam non ſunt, ſed differentia aſſignatur in cauſa, ſeù ratione eſſendi Ad Aliquid, ità quod Textus affirmat, etiàm Relatiua tertij modi vtrinque eſſe Ad Aliquid. Et differentiam ponit in hoc quod in Relatiuis primi, & ſecundi modi ratio quod ſint Ad Aliquid, eſt vtrobique hoc ipſum quod eſt Ad Aliud ſe habere: in Relatiuis autèm tertij modi ex parte vnius extremi, ratio quod ſit Ad Aliquid non eſt hoc ipſum, quod eſt Ad aliud ſe habere, ſed aliud extremum, eſt habere ſe ad ipſum, vbi patet manifeſtè, quod tota differentia conſiſtit in ratione eſſendi Ad Aliquid, & nequaquam in eſſe Mutua, & non eſſe Mutua. Et quoniam Textus iſte eſt fundamentum Theologorum ſcribentium in hac Materia, ideò per Concluſiones infrà, & per Reſponſiones ad Argumenta magis dilucidabitur; ità quod differentia conſiſtit in hoc. Per ſe Relatiuorum quædam ſunt Relatiua realia per denominationem, ſeù prædicationem intrinſecam; Quædam verò per denominationem extrinſecam: ab alterius enim realitate Relatiua ipſa quoque intèr realia relatiua connumerantur. Et iuxtà hunc ſenſum conſonat commune dictum, ſcilicèt quod ex hoc Textu habetur, quod omnia Relatiua non ſunt mutua, quo ad Realitatem. Nec obſtat, quod Textus non meminit de eſſe reali, quoniam ſupponitur quod de tali eſſe loquatur, dùm Metaphyſici eſt proprium ſic tractare de rebus vt ſunt partes Entis realis, & per conſequens de Relatiuis, vt ſunt ad Aliquid in re, & non vt intelliguntur per rationem ad Aliquid. Ità Caiet. ad Argum. Scoti ex Textu art. 5. cit.

Opinio Caietani contrà Scotum, & alios.

Quod verò non ſecurè opinetur Scotus cum alijs idem eſſe principium conſtitutiuum ac diſtinctiuum, nedum in Relatiuis, ſed etiàm ab omni alio oppoſitione relatiua nos ſufficientèr oſtendimus ſuprà in Notabilibus: dicimus enim, quod ab omni alio diſtinguit quouis alio modo, & quauis alia diſtinctione; à ſuo autèm Correlatiuo, dicimus, quod diſtinguitur dumtaxat diſtinctione, ac oppoſitione relatiua. Sic Eccleſia in Diuinis tradendo vnitatem ſubſtantiæ, & diſtinctionem

Opinio Scoti quod idem ſit principiũ conſtitutiuum, & diſtinctiuũ in omnibus contrà Caiet.

rerum

Digitized by Google

rerum relatarum, ex ſuâ formali locutiône inſinuat, quod ſic, & non alitèr intelligendum ſit. Et hoc non aduertere, & penetrare, iàm diximus, quod fuit cauſa diſſenſionis in hac Materia. Ità Caietanus in 1. p. quæſt. 36. art. 6. in illa Controuerſia An ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio diſtingueretur ab ipſo, &c.

Vnica Concl. Caiet. reſponſiua quæſiti cum ſua probatione 1. ſequelæ, ſcilicèt quod ſequitur vnum falſum ex Scoti poſitione.

Quò ad tertiùm. Vnica Concluſio Reſponſiua Quæſiti ponitur à Caietano ex D. Thom. in art. 7. quæſt. 13. 1. p. Nomine Termini in præſenti Lectione non intelligitur, vt vult Scotus, res abſoluta, ſed id ad quod Relatiuum dicitur, & in eius diffinitione ponitur, ideſt, res relatiua, ſeù reſpectiua formalitèr.

Probatur vnica ratione ſic à Caietano ſub tali forma. Si abſolutum vt ſic eſſet Terminus Relatiui ſequeretur vnum falſum, impoſſibile, & contrà Ariſt. & contrà axioma commune Theologicum in materia de Trinitate: ergò dicendum eſt cum Peripateticis, & cæteris Phyloſophis, quantùm me vidiſſe recolo, quod Terminus Relatiui, & Correlatiuum idem ſunt, imò terminare Relatiuum eſt in ratione cuiuſque Correlatiui, & ſic in terminis relatiuorum ſiuè primi, ſiuè ſecundi, ſiuè tertij generis, eſſe formalitèr rem reſpectiuam in ratione termini, & non rem abſolutam. Hæc Conſequentia de ſe eſt manifeſta. Probatur prima ſequela de falſitate. Omnes Expoſitores in cap. de Ad Aliquid in Prædicamentis dicunt quod ly Aliud ſupponit pro termino, & aſſignando illud dant Correlatiuum. Ad Aliquid ſunt, quibus hoc ipſum quod ſunt eſt Ad Aliud ſe habere; imò Textus expreſsè dicit, quod Dominus non dicitur Ad Aliquid aliud in ſeruo exiſtens, niſi ad ipſum ſub ratione ſerui. Et Auerroes ibidem dicit, quod ſemper id ad quod dicitur Relatiuum opportet eſſe in Prædicamento Relationis.

Probatio Caiet. in 2. ſequela ſcilicèt quod ſequatur vnum impoſſibile, & 3. ſequelæ quod ſit contrà Ariſtot.

Probatur ſecunda ſequela de impoſſibilitate vt conſtat de Creatione paſſiua, de Relatione vniuerſi ad vltimum finem &c. & in diffinitione alicuius Creaturæ neceſſariò caderet Deus ſub propria ratione abſoluta, quod redditur impoſſibile, quia ſic aliqua Creatura naturalis remaneret incognoſcibilis naturalitèr.

Probatur tertia ſequela, ſcilicèt hoc eſſe contrà Ariſtotelem, quia ex eius Prædicamentis patet quod Correlatiuum exigitur, vt ad id quod dicitur, illud autèm abſolutum, quare exigatur nulla eſt ratio, & ſic contrà Ariſtotelem ſequitur, quod Relatiuum exigeret in diffinitione ſua ex parte termini duo, ſcilicèt Correlatiuum, & Abſolutum.

Probatio 4. ſequelæ quod ſit contrà Axioma Theologorum.

Probatur quarta ſequela, quia ex illa poſitione Scotica deſtruitur Axioma illud commune in materia de Trinitate, ſcilicèt, in Diuinis omnia ſunt idem, vbi non obſtat Relationis oppoſitio: quia in Diuinis Relatiuum reale exigit terminum realitèr à ſe diſtinctum; ſi ergò Paternitatis Diuinæ terminus eſt res abſoluta: ergò aliqua res abſoluta in Diuinis diſtinguitur à Patre realitèr: ergò &c. Ità Caietanus in probatione ſuæ Concluſionis loc. cit.

Arg. 1. Caiet. ex Scoto.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus ex Scoto ſic. Per ſe differentia intèr Relatiua tertij modi, & intèr alia, eſt quia cætera ſunt mutua, iſta autèm, quæ ſunt tertij modi non ſunt mutua: ergo in Relatiuis tertij modi terminus eſt res abſoluta. Antecedens patet ex 5. Met. cap. Ad aliquid: Conſequentia verò eſt per ſe nota, quia ex quo non eſt correlatiuum, eſt & terminus: ergò res abſoluta eſt quæ terminat.

Reſp. Caiet. ad Argum. 1. Scoti.

Reſp. Caietanus ex dictis ſuprà, quod Terminus Relatiui tertij modi, eſt etiàm Correlatiuum illius, & hoc in textu expreſsè dicitur, quando dicitur de Termino, quod eſt Ad aliquid ſecundum ſe, & quod aliud ad ipſum dicitur, & hoc non poteſt non niſi de Correlatiuo verificari, &c. Quomodò autèm de

eodem

Digitized by Google

eodem verificetur, quod etiàm ipſum non dicitur ad aliud, iàm declarauimus, Ità Caietanus &c.

Arguit 2. Caiet. ex Scoto.

Arguit ſecundò Caiet. ex Scotô. Actus definit potentiam, & non è contrà: ergo Actus vt terminus eſt res abſoluta. Antecedens patet ex 9. Met. conſequentia probatur ſi Actus vt prior eſt quàm potentia definit, ergo vt terminus erit prior potentia, ſed vt correlatiuum non eſt prior potentia, quia correlatiua mutuò ſe definiunt: ergo vt correlatiuum non eſt terminus: ergo erit vt res abſoluta.

Reſp. Caiet. ad Arg. 2. Scoti.

Reſp. Caietanus quod falſum ſupponitur, ſcilicet quod de Actu vt terminat Relationem potentiæ ibi ſit ſermo. Ibi enim tractatur de natura potentiæ, & de natura actus, ſecundum tranſcendentes relationes, quibus eſſentialiter potentia reſpicit Actum, & actus talis reſpicit potentiam. Et vult Ariſt. quod quia potentia non poteſt abſque actu intelligi, actus autèm poteſt, & intelligi, & eſſe abſq; potentia, vt patet de Actu puro, ideò Actus eſt prior potentia. Ex malo igitur intellectu litteræ procedit obiectio: quamuis poſſet dici, quod huiuſmodi Relatiua, quorum vnum importat actum, & reliquum potentiam, non ſunt benè aſſignata, & ideò nec ſunt ſimul natura, nec ſe definiunt inuicem &c. vt Auuerroes in prædicamentis dixit. Ità Caietanus.

Arg. 3. Caiet. contrà idem vt ſuprà.

Arguit 3. Caietanus. Relatiuum vt ſic definitur per terminum: ergo Terminus eſt prior relatiuo: ergo Terminus non eſt ipſum Correlatiuum. Antecedens patet. Prima conſequentia tenet ex 7. & 9. Met. ibi enim prioritas ſubſtantiæ reſpectu Accidentis, & hic Actus reſpectu potentiæ habetur quod ex hoc definiunt illa; ſecunda verò conſequentia patet, quia alitèr daretur Circulus in priori, & poſteriori ſecundum definitionem, quod eſt impoſſibile.

Reſp. Caiet. ad Arg. 3.

Reſp. Caietanus, quod proprie loquendo negandum eſt antecedens, quia vt Magnus docuit Albertus Relatiuum non definitur per terminum, ſed ad terminum, quia non habet eſſe per terminum in quocumque genere cauſæ, ſed ad Terminum: Conſequentia autèm eſt omninò falſa, quia ſtat definiens eſſe ſimul natura, & intellectu cum definito. Ità Caietanus.

Argum. 4. Caiet.

Arguit vltimò Caietanus. In Relatiuis tertij modi alterum extremum nullam relationem habet, niſi dum actualiter conſideratur, & terminat relationem reliqui extremi ad ſe nullo intellectu conſiderante, imò etiàm exiſtente: ergo terminat ratione abſoluti, & non ratione relationis cointellectæ.

Reſp. Caiet. ad 4. Argum.

Reſp. Caiet. ex Ariſt. neg. ſiquidem antecedens: quoniam in Relatiuis tertij modi vtrumque extremum ſimul habet relationem, ſed diſſimilitèr, quia vnum eſt Relatiuum proptèr Relationem, quæ eſt in ipſo ad aliud. Reliquum verò eſt Relatiuum propter relationem realem alterius ad ipſum relatiuum; nec requirenda eſt alia exiſtentia iſtius Correlatiui, quàm exiſtentia ſui comparis, quoniam ab ea extrinſeca denominatione etiàm ipſum dicitur eſſe: hoc eſt enim ſingulare in Relatiuis tertij modi, quod Relatiuum reale dicitur ad terminum non realem formaliter niſi denominatione extrinſeca, qui tamen eſt realis fundamentaliter, ſeù quo ad ſubſtratum, vel denominatum. Hinc patet ſenſus D. Th. in q. de potentia Dei 7. a. 10. ad 4. vbi dicit quod terminare ordinem ſeruitutis Creaturæ, quod clauditur in ratione dominij conuenit Deo: intendit enim his verbis, quod conuenit Deo ſecundum rem, ſicut poteſtas coercendi ſubditos, & quod hoc intendat ex eo manifeſtatur quia quo ad ordinem ad ſubditos negat conuenire Deo, quoniam nec formaliter, nec fundamentaliter Deus habet vndè ordinetur ad ſubditos. Ità Caietanus in fine Reſp. ad vltimum.

Digitized by Google

Appendices ad Lectionem 5. Metaphyſicalem in Tractatu Octauo de Relatiuis, & de Relationibus.

PRo pleniori Intelligentia huius Controuerſiæ legas plura loca D. Th. præter citata, legas ipſum in lib. 2. c. gent. c. 19. & in p. p. q. 32. a. 2. 3. & q. 43. a. 1. Capreolum in 1. ſent. diſt. 20. q. 1. a. 2. diſt. 2. diſt. 30. diſt. 14. Alb. Magnum diſt. 30. a. 6. & 7. Paludanum ibi, Durandum, & Ven. Porrectam in a. 7. q. 13. & Caietanus in Comment. a. 2. q. 35. mouet dubium an ſola oppoſitio relatiua diſtinguat realiter Diuinas perſonas, vbi contrà Scotum tenet affirmatiuam. Marcus Ferro ibi ſormalizat omnes doctrinas, & dicta Caietani, & contrà Scotiſtas, præcipuè contrà Radam controu. 15. a. 2. & Zumel, & contrà Suarezium dicentes omnes hi, quod nos Thomiſtæ toto Cælo aberramus, credentes relatiuum à ſolo correlatiuo diſtinguere. Et nota doctrinam D. Thomæ, & Caietani, quod vbicumq; intèr definiens, & definitum eſt ordo, valet conſequentia ergo definiens eſt priùs, vbi autèm nullus eſt ordo non poteſt inferri prioritas; Intèr correlatiua autèm nullus eſt ordo, ſed ſunt omninò ſimul vt patet in poſt prædicamentis. Videas alios Thomiſtas primæ Claſſis huius ſæculi noſtri florentiſſimos in doctrina Thomiſtica, citatos in lectionibus præcedentibus.

LECTIO VI.
METAPHYSICALIS
In Tractatu Octauo
DE RELATIVIS, ET RELATIONIBVS.

An plurificato, vel non plurificato termino plurificetur Relatio.

Ex Caietano p. p. quaſt. 32. art. 2. (& quaſt. 76. a. 2.) & 3. p. quaſt. 35. a. 1.

Declaratio Tituli, einſq; ſenſus facta à Caiet.

MOtiuum præſentis lectionis, & difficultatis, habemus, ait Caiet. ex verbis D. Th. in litt. art. 2. q. 32. vbi dicit quod Pater refertur ad Filium, & Spiritus Sanctus, non vna, ſed duabus relationibus; & cùm Spiratio, & Paternitas in Patre ſint vna res numero, ſenſus erit quod ſint duæ ſecundùm rationem, & cùm ex ratione ibi facta ſequatur quod diuerſis ſpecie relationibus opportet diuerſas ſpecie relationes correſponde-

dere; & ſic dubitatur nedum ipſis rebus ex natura relationum, ſed etiam dubitatur an diſtinctio rationis ſufficiat ad diuerſitatem ſpecificam in rerum natura. Et cum in eadem littera contrà Præpoſitiuum habeat D. Th. quod vni Relationi ſecundum ſpeciem non poſſint correſpondere duæ ſecundum ſpeciem, & in 3. p. q. 35. a. 5. dicat oppoſitum, ſcilicet quod vni Filiationi Socratis, reſpondent diuerſarum ſpecierum relationes, ſcilicet Paternitas, & Maternitas in ſuis parentibus, habemus alterum motiuum magis dubitandi An Relatiuũ bis dicatur, quod eſt idem ac quærere Vtrum diuerſis ſpecie relationibus correſpondeant relationes ſpecie diuerſæ, ſeù Vtrùm vni Relationi ſecundum ſpeciem poſſint correſpondere duæ ſecundum ſpeciem; vel pro vt ſuprà in Titulo an plurificato, vel non plurificato &c. Ità Caietanus &c.

1. Notab. Caiet. In quo traditur doctrina de plurificatione Relationis penès terminum.

Quo ad 1. Notat Caietanus in 3. p. q. 35. a. 5. §. Quo ad ſecundum &c. quod tria concurrunt ad relationem realem, cauſa ſcilicet, non quæcumque, ſed ea quæ fundat relationem vt Albedo reſpectu ſimilitudinis, & quantitas reſpectu Qualitatis, & generatio actiua reſpectu paternitatis, & ſimilia; ſecundò ſubiectum in quo eſt ſubiectiuè ipſa Relatio, vt paternitas in perſona Patris, & ſic de alijs; & tertiò terminus ad quem vt ad Correlatiuum, vt Filiatio eſt ad quem dicitur Paternitas, & ſic de alijs. Et quia hæc inueniuntur concurrere ad eſſe Relationis, & Vnitas, & pluralitas ad eſſe ſpectant; ideò nos cùm D. Th. tractare hic volentes de vnitate, vel pluralitate relationis realis de qua hic eſt ſermo, ab iſtis tribus inchoandum eſt, & ſic oppotet diſcurrere, & indagare An Relatio penès cauſam, vel ſubiectum, vel penes terminum plurificetur; hinc D. Th. ad 3. quæſt. 35. cit. ait quod vnum, & ens ſe conſequuntur vt dicitur in 4. Met. tex. 3. Et ideò ſicut contingit quod in vno extremorum Relatio ſit quoddam ens, in alio autèm non ſit ens, ſed ratio tantum, ſicut de ſcibili, & ſcientia Philoſophus dicit in 5. Met. tex. 20. ità etiàm contingit, quod ex parte vnius extremi eſt vna Relatio, ex parte autèm alterius extremi ſint multæ Relationes: ſicut in hominibus ex parte Parentum inuenitur duplex Relatio vna Paternitatis, & alia Maternitatis, quæ ſunt ſpecie differentes, proptèr hoc, quod alia ratione Pater, & alia Mater eſt generationis principium; Si vero eſſent plures eadem relatione, principium vnius actionis, puta cum multi ſimul trahant nauim, in omnibus eſſet vna, & eadem Relatio; ex parte autèm prolis eſt vna ſola Filiatio ſecundum rem, ſed duplex ſecundum rationem, in quantùm correſpondet vtrique Relationi parentum ſecundum duos reſpectus intellectus; & etiam quantùm ad aliquid in Chriſto eſt vna tantùm Filiatio realis, quæ reſpicit Patrem Æternum; eſt tamèn ibi alius reſpectus temporalis, qui reſpicit Matrem temporalem. Ità Caietanus ex D. Thom. loc. cit. Quæ quidem in Reſp. ad 2. Caietanus, explicat, & dicit quod Filiatio ſingulorum hominum dicitur vna ſecundum rem, & duplex ſecundum rationem, ſecundum duos reſpectus intellectus in hoc ſenſu, quod ſicut Albedo vna ſecundum rem, eſt multiplex ſecundum rationem puta vt viſibilis, & vt terminatiua alterationis, vt extremitas perſpicui &c. Ità Filiatio Socratis eſt vna res reſpectiua, & multiplex ſecundum multas rationes reſpectiuas, ita quod intellectus non facit in illa Filiatione reſpectum ad Patrem, aut ad Matrem, ſed facit diſtinctionem rationis in illo vno reſpectu ſecundum rem dùm cointelligit illum vt reſpondet Patri, & iterum vt reſpondet Matri. Et quando dicit D. Th. quod in omnibus trahentibus nauim eſt vna Relatio, eſt ſermo de Vnitate ſpecifica, & non de vnitate numerali; ſpecificæ enim diuerſitati Paternitatis, & Maternitatis, quia ſunt diuerſa ratione principia, contraponitur vnitas eadem ratione principiantium tractum nauis; & veritas eſt, quod

ſmulti trahentes nauim multis Actionibus vnum paſſiuæ nauis tractum inferunt; quilibet enim ſua Actione propria concurrit: & propterea multis Relationibus ſolo modo differentibus referuntur ad nauim quæ trahitur: quælibet ſua propria relatione conſequente ad propriam Actionem refertur, quamuis nauis quia vno numero motu trahitur, vna relatione numero ad omnes trahentes referatur. Ità Caietanus in fine Comm. art. 5.

2. Notab. in quo Caiet. facundiſſimè oſtendit quomodò Relatiuum bis, & multis referatur, & in diuinis, & in creatis.

Notat 2. Caietanus in p. p. q. 32. a. 2. §. Ad ſecundum verò Dubium &c. Relatiuum non dici bis poteſt intelligi dupliciter. Primò non dicitur bis ideſt ad duo Correlatiua ſolo numero diſtincta, & ſic credimus hoc eſſe falſum, quia Socrates Albus eadem ſimilitudine eſt ſimilis omnibus alijs albis. Secundò non dicitur bis ideſt ad duo Correlatiua diuerſarum rationum, & ſic poteſt intelligi dupliciter, ſcilicet vel diuerſarum rationum partialium, & ſic etiàm non eſt verum, vt in 3. p. a. 5. cit. patet; vel non partialium, & ſic eſt verum; vndè notantèr S. Th. ex hoc eodem fundamento non infert: ergo impoſſibile eſt, quod vna Relatio terminetur ad extrema omninò diuerſa per ly omninò, non partialia innuens. Voco autèm Relatiua partialia in propoſito illa, quorum fundamenta partialiter concurrunt ad vnum numero effectum, vt patet de Patre, & Matre reſpectu Filij; Conſona autē veritati hæc Gloſa oſtenditur ex eo quod propriè loquendo Relatiuum non dicitur bis, quandò plura ex eadē parte reſpicit, quaſi partes adæquati extremi; ſed quandò vnum ex vna, & alterum ex altera parte reſpiceret, bis diceretur, vt ſpecies ad genus, & ad indiuiduum; & ſcientia diceretur ad ſcibile, & ſcientem &c. Et ſic intelligitur S. Thomas contrà præpoſitiuum, quandò dicit impoſſibile eſſe, quod vna relatio ſecundum ſpeciem habeat extrema diuerſarum rationum non partialium, vt in 3. p. art. 5. cit. extrema diuerſarum rationum partialia reddidit Filiationi. Ità Caietanus loc. cit.

Et ſic intelligitur D. Th. de Relatione in Diuinis: Affirmatiuè enim ibi aſſerit quod Paternitas, & Spiratio ſunt duæ Relationes reales quia diſtinguuntur differentijs Relationis; de modo autèm quo ſunt duæ negat in alio loco diſtinctionem realem, quia non opponuntur ad inuicem Relatiuè, & ſi non ſunt duæ realiter, quia non diſtinguuntur differentijs rei. Affirmare autem quod ſunt duæ formaliter tantùm ſecundum rationem non quietat intellectum multorum, quia eſſe duo ſecundum rationem, non eſt eſſe duo, ſed intelligi duo; ſicut eſſe quantum ſecundum rationem non eſt eſſe quantum, ſed intelligi quantùm. Vndè cùm nulla ſit actualis diſtinctio prætèr realem aut rationis, reſtat quod ſint duæ virtualitèr, quod eſt ſe habere, ac ſi eſſent duæ, & hoc conſonat excellentiæ Diuinæ rei, & eſt in rerum natura abſq; omni opere intellectus, & hoc ſufficit propoſito ad ſoluendas difficultates: Specifica enim diuerſitas duarum relationum infert ſpecificam diuerſitatem relationum ſibi correſpondentium formaliter, vel virtualitèr, ideſt, quod illæ relationes correſpondentes habeant ſpecificam diſtinctionem in rerum natura actualiter, vel perindè ſe habeant ac ſi haberent illam diſtinctionem actualitèr. Et ſic quoniam Perſona Patris habet relationes duas, ſic quod vnaquæq; vendicat ſibi propria, ac ſi eſſent ſeorſim actualitèr duæ in re, ideò oportet duas relationes in abſtracto tanquàm duas notiones Patris ponere. Alioquin reſponderi non poſſet quærenti quo Pater, & quo ſpirator? cum conſtet Patrem ad Filium, ſpiratorem verò ad Spiritum Sanctum eſſe. In art. tamèn ibi 2. q. 32. cit. ſufficere propoſito videtur affirmare, quod diſtinguuntur formaliter, quoniam ibi non eſt ſermo de rebus abſolutè, ſed vt intellectis ſignificatis, vt patet ibi in littera art. cit. Ità Caietanus.

No-

Notat 3. Caietanus colligendo ex prædictis ſuis Doctrinis pro ſolutione Argumentorum infrà, duas diſtinctiones. Primò, quod dentur duo genera extremorum. Vnum eſt extremum totale, & aliud partiale. Totale dicitur, cuius fundamentum ſe ſolo, ac totalitèr abſq; alterius Relatiui, ac fundamenti adminiculo concurrit ad eumdem effectum, vt Albedo concurrit ſe ſola ad faciendum ſimile, & ad alia ſimilitèr Alba terminanda. Partiale verò dicitur cuius fundamentum non ſe ſolo, ſed ſimul cum alia cauſa concurrit ad eumdem numero effectum producendum, vt patet de Patre, & Matre reſpectu eiuſdem Filij, & de multis cauſis partialitèr concurrentibus ad tractum Nauis, ſcilicet, ad modum in illa cauſandum; ad quem numero motum ſequitur Relatio vna numero terminans omnes Relationes cuiuslibet trahentis Nauim. Colligitur ſecundò quod aliud eſt loqui de Relatiuo, & aliud de Relatione; Idem enim Relatiuum materialitèr, ſeù entitatiuè ſumptum, poteſt eſſe ſubiectum plurium Relationum ſpecie diuerſarum, vt patet de vno numero homine habente Patrem, & Filium; eſto igitur poſſit eſſe vnum numero ſubiectum, ac Relatiuum diuerſarum Relationum, & per diuerſas ſpecie Relationes reſpicere plura Relatiua omninò diuerſa; Impoſſibile tamèn eſt idem numero Relatiuum per vnam, ac eamdem ſpecie relationem reſpicere extrema relatiua non partialia, ſed totalia omninò diuerſa. Colligitur tertiò in Diuinis, quod Pater non poteſt reſpicere Filium, ac Spiritum Sanctum vna ſpecie Relatione, quia Filius, ac Spiritus Sanctus ſunt duo extrema totalia, & adæquatà per duas Relationes ſpecie diuerſas reſpicientes Patrem fundatas ſuper omninò diuerſa, & totalia, & adæquata fundamenta, & hoc contrà Præpoſitiuum concludit D. Th. & fundamenta ſunt omninò diuerſa, quia ſe ſolis concurrunt ad fundandam Relationem, vt potentia ad generari in Filio, & potentia ad ſpirari, & ipſa ſpiratio paſſiua ſe ipſa concurrit, vna vt fundamentum, altera vt modus fundandi ad Relationem ſpirationis fundandam. Ità Caiet. ex D. Th. loc. cit.

Notab. 3. Caiet. in quo epilogat ſua dicta in notabilibus ſuprà traditis.

Quoad 3. Caiet. ex concordantia apparentis diſſonantiæ in dictis duobus loc. cit. in declaratione Tituli, ait quod mens D. Thomæ, eiuſque ſententia eſt, quod vnum Relatiuum vnica Relatione non poteſt reſpicere duo extrema omninò diuerſa totalia, vt patet de eodem homine habente Patrem, & Filium, vt docet in p. p. q. 32. at in 3. p. q. 35. a. 5. docet vnum Relatiuum vnica Relatione reſpicere poſſe duo extrema partialia, & non totalia, neque omninò diuerſa, vt patet de Filio qui vnica Relatione Filiationis reſpicit Matrem, & Patrem, & terminat Paternitatem, & Maternitatem, vt duæ Relationes ſpecie quidem diuerſæ, fundatæ tamèn ſuper fundamenta partialia, & partialiter concurrentia ad eumdem numero effectum producendum. Et in 2. Phyſ. q. 12. num. 115. & 116. declarauimus illam maximam quod formæ eiuſdem ſpeciei non poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto, vt de pluribus ſpeciebus Phantaſticis in eodem organo phantaſiæ ſecundum eamdem partem organi ſoluendo Argumentum Scoti ex 3. p. q. 35. art. 5. Ità Caietanus.

Sententia S. Th. declarata à Caiet. circa reſpicientiā relationis ad extrema partialia, vel totalia.

Et quoad illam quæſtionem An in vno termino intellecto multiplicentur eſſe obiectiua, & Relatiua, Caietanus in p. p. q. 76. a. 2. in fine Comment. ait, opinio S. Thomæ eſt hæc, quod quemadmodum Socrates Albus, eſt in ſimilitudine vnum vnica ſimilitudine correſpondens mille Albis, ſic apud ipſum lapideitas eſt vnum intellectum omninò, & per priuationem omnis differentiæ numeralis, & per poſitionem vnius numero eſſe Relatiui, quo eſt intellecta. Vide noſtra Commentaria in loc. cit. vbi quæritur Vtrùm intellectiuum principium multiplicetur ſecundum multiplicationem corporum. Et in 3. p. q. 35. a. 5. concordando D. Th. opiniones ibi recitatas, docet quod ſi eſt ſermo de Filiationibus ſecundum perfectas ratione

Sententia S. Th. explicata à Caiet. circà duas filiationes in Chriſto Domino.

Digitized by Google

nes Filiationis, ſic affirmandæ ſunt in Chriſto Domino duæ Filiationes, iuxtà duas natiuitates; ſi autèm ſit ſermo de ſubiecto Filiationis, ſic in Chriſto non eſt niſi Filiatio æterna, quia ſolùm eſt ibi ſuppoſitum æternum: ex hoc autèm quomodò Chriſtus Dominus dicatur Filius Matris, docet D. Th. quod dicitur per Relationem Filiationis cointellectam Maternitati; & quomodò dicatur realiter Filius Matris docet, quod dicitur realiter Filius ex reali Maternitate ad ipſum. Duæ igitur ſunt in Chriſto Filiationes ex parte cauſæ, quia duæ ſunt Chriſti Natiuitates, & ſunt diuerſarum rationum; ex parte autèm ſubiecti, quia vna tantùm eſt Perſona, & ſubiectum Filiationis non eſt natura, nec pars naturæ, ſed perſona, ſequitur quod in Chriſto non ſit Filiatio Temporalis, niſi cuius eſt capax Diuina Perſona, & ſic Filiatio Temporalis in Chriſto non eſt realis, ſed rationis tantùm. Ità Caietanus ex D. Th. loc. cit. qui concludit non penès Terminum, ſed penès cauſam, vel penès ſubiectum attendendam eſſe vnitatem, vel pluralitatem Relationis.

Concluſio præambularis Caiet. cum ſua probatione quod vnitas Relationis penès cauſam, & ſubiectum attenditur.

Quo ad 3. ponitur à Caietano vt præambularis hæc Concluſio in 3. p. q. 35. a. 5. Non penès Terminum, ſed penès cauſam, vel ſubiectum vnitas, aut pluralitas relationis attenditur.

Probatur à Caiet. ſub tali forma. Si ad pluralitatem terminorum multiplicaretur realis relatio, ſequeretur, quod Socrates eſſet Filius duabus Filiationibus realibus ſpecie differentibus: ſed hoc eſt inconueniens &c. probatur quia eſt Filius Patris, & Matris, quia vna natiuitate eſt vtriuſque Filius; hinc ſequitur quod rectè conſideranti apparet eadem relatione referri vnumquodque ad ſuum Patrem, & Matrem, propter vnitatem cauſæ: eadem enim natiuitate homo naſcitur ex Patre, & Matre, vndè eadem relatione ad vtrumque refertur, & ſic penès vnitatem cauſæ remanet probatum, attendi vnitatem ſpecificam Relationis: & hoc manifeſtatur in Magiſtro penès vnam doctrinam, qua educantur multi Diſcipuli, ſicuti ſi aliquis eſt aliquorum Magiſter in Grammatica, & aliorum in Logica, alia eſt ratio Magiſterij vtriuſque, & ideò relationibus diuerſis vnus, & idem Homo poteſt eſſe Magiſter vel diuerſorum, vel eorumdem ſecundum diuerſas Doctrinas. Ità Caietanus, qui penes ſubiectum iàm docuit ſuprà. Et ſimul etiàm docuit in 2. 2. q. 32. cum D. Th. quod peccat Præpoſitiuus in Diuinis comparando Relationes Spiritus Sancti, & Filij Relationibus Creaturarum ad Deum: quia hic eſt ſermo de relationibus realibus hinc, & indè. Relatio autèm Dei ad Creaturam non eſt realis, & proptereà non opportet quod ſit vna: nullum enim inconueniens eſt multiplicare relationes rationis in Deo. Ità Caietanus ex D. Th.

2. Concl. Reſp. Quæſiti ponitur à Caiet. cum ſua probatione quod nullum Relatiuum bis dicatur.

Secunda Concluſio ponitur Reſponſiua formaliter ad Quæſitum ex D. Thom. q. 32. a. 2. a Caietano ſic. Nullum Relatiuum dicitur bis, ſiuè pluriſicato, vel non pluriſicato termino bis non dicitur Relatio.

Probatur à Caietano primò ex Ariſt. in 5. Met. cap. de Ad aliquid tex. 20. & ex D. Th. ibi lectione 15. Deindè probatur ſub tali forma. Id quod hoc ipſum quod eſt, ſui primò Termini eſt; vndè ſi terminus eſt formaliter vnus, neceſſe eſt, vt non ſit ad diuerſos terminos formaliter: ſed Ad aliquid hoc ipſum quod eſt, primò, & per ſe, & ſecundum quod ipſum, id eſt ſecundum quod ad Aliquid eſt, ſui termini eſt quem patet eſſe vnum formaliter ratione vnius Correlationis formaliter in ipſo repertæ: ergo vna Relatio formaliter bis, ſeù ad plures terminos formaliter diuerſos, non poteſt ſe habere. Ità Caietanus loc. cit.

Explicatio Concluſionis facta à Caiet.

Explicat Caietanus ſic. Quando S. Thomas ait, quod Ratio ſpecifica Relatiui conſiſtit in hoc quod eſt ad aliud ſe habere non vult dicere, quod Relatio ſumat ſuam ſpecificationem à termino, ſed ſub his verbis intendit, quod ſpecifica ratio Relatiui con-

Digitized by Google

conſiſtit in eſſe ad aliud proportionale ſibi. Quemadmodum enim Relatiuum in communi conſiſtit in eſſe ad Aliud in communi, ità Relatiui ſpecies conſiſtit in ordine ad aliud ſecundum ſpeciem, ac per hoc vnicum ſpecie Relatiuum conſiſtit in eſſe ad aliud vnicum ſpecie correlatiuum, ſic enim per ſe ly Ad aliquid deſcendit ad ſuas ſpecies; & ſic cum triplex detur Relatio, ſcilicet Generica, Specifica, & Numerica, genericè, & in communi debet ei ſic correſpondere terminus genericus, & in communi; & Relationi ſpecificæ debet ei correſpondere terminus ſpecificus, ei proportionatus, & Relationi numericæ debet ei correſpondere terminus numericus; ex quo colligitur, quod aliud eſt recipere ſpeciem à termino; & aliud eſt quod id quod eſt vnum ſpecie ratione vnius fundamenti ſpecifici, à quo habet eſſe ſpecificum requirere terminum ſibi proportionatum, idest vnum ſimiliter ſpecie. Motus quidem ſpecificatur à termino, quia cum illo identificatur; Relatio autem non poteſt recipere ſpeciem à termino, quia cum illo non identificatur, cum ſit reſpectus ad illum, Ità Caiet. pro ſolutione Argumentorum loc. cit.

Quo ad 4. Omiſſis Argumentis Scoti in 3. ſent. diſt. 8. quæ recitat Caietanus in 3. p. q. 35. art. 5. & ſoluit in ſua Phyſica in 2. Phyſ. q. 12. Arguit 1. Scotus ſic. Si ad duos terminos eſſet eadem Relatio, & non plurificata, iàm eadem ipſa Relatio, ſimul eſſet, & non eſſet: ergo &c. *Arguit 1. Caiet. ex Scoto.*

Reſp. Caiet. negando quod ex hoc quod Relatio vna eſt ad plures terminos inadæquatè, ſequatur eam ſimul eſſe, & non eſſe; benè tamen ſequeretur ſi eſſet ad plures terminos adæquatos, quod non eſt intelligibile; ſunt enim duo inadæquati termini, quaſi partiales termini; & proptereà vno ſublato, poteſt eidem remanere Relatio ad alium quaſi partialem terminum. *Reſp. Caiet. ad 1. Argum. Scoti.*

Arguit 2. Caietanus ex Scoto. Pater hac Paternitate primò reſpicit hunc Filium hac Filiatione: ergo hæc Paternitas non eſt ad plures Filios: Antecedens probatur, quia ſicut Paternitas fundatur ſuper genuiſſe, ità hæc paternitas ſuper hoc genuiſſe. *Arguit 2. Caiet. ex Scoto.*

Arguit 3. Caiet. ex Scoto. Correlatiua ſunt ſimul natura, ità quod vno deſtructo, deſtruitur, & reliquum: ergo deſtructa hac Filiatione in hoc Filiò deſtruitur quoque hæc Paternitas in hoc Patre: ergo Paternitas remanens ad alium Filium eſt alia Paternitas, niſi idem ſimul eſſet corruptum, & remaneret, quod eſt impoſſibile; aut noua Paternitas tunc adueniſſet, ſine noua generatione, quod eſt etiàm impoſſibile. *Arguit 3. Caiet. ex Scoto.*

Reſp. Caiet. ad ſecundum de vnica Paternitate ad plures Filios, quod Maior, ſeù antecedens illud. Pater hac paternitate primò reſpicit hunc Filium hac Filiatione, diſtinguo, ſi ly primò ſumitur adæquatè, nego; ſi verò ſumatur ly primò pro principalitèr, concedo, ſed tunc negatur ſequela nec antecedens in primo ſenſu probatur ex allata probatione, quoniam nihil aliud probatur niſi, quod hæc Paternitas habet pro propria cauſa hoc genuiſſe: ſed ex hoc negatur, ergo adæquatè reſpicit hunc Filium, ſi ſecundum proprias cauſas iudicaretur, eſſet vtique ad hunc ſolum Filium, ſed quia iudicatur ſecundum merita ſubiecta, oportet quod ſit ad hunc, & ad alium Filium, propter hoc quod ſecunda Paternitas cecidit in identitatem primæ rationis ſubiecti, quia non habet vndè differat ſolo numero ab illa, ſicut lumen genitum à ſecunda Candela in eodem diaphano per ſe primò eſt ab hoc Agente vt patet 12. Met. ſed proptèr ſubiecti identitatem coincidit in idem numero lumen prius genitum à prima Candela ibi illuminante, & quia huiuſmodi coincidentiæ ſunt per accidens, hoc eſt per aliud, hoc eſt per ſubiectum, ideò non ex rationibus formatum, aut cauſarum arguendum eſt, ſed ſpectandum eſt ad identitatem ſubie- *Reſp. Caiet. ad 2. Argum. Scoti.*

Digitized by Google

ſubiecti.Ità Caietanus in Reſponſione ad ſecundum Dubium.

Reſp. Caiet. ad 3. Scoti. Reſp. Caietanus ad tertium quod deſtructo hoc Filio ſecundo, vel primo deſtruitur hæc Paternitas niſi per accidens remaneat inter ſe: Album enim vna ſimilitudine refertur ad omnia Alba, niſi quaſi infinitas relationes reales diſtinctas etiàm realiter ab hac Albedine ponat Scotus in hoc albo ſimul, quod eſt ridiculum abſurdum, & ſuperfluum. Hæc Reſponſio eſt eadem cum illa ſupra de Termino adæquato, vel inadæquato. Ità Caietanus in art. 5. q. 35. cit. in 3. p. in Reſponſione ad Argumenta Scoti in 2. loco adducta.

Appendices ad Lectionem Sextam Metaphyſicalem in Tractatu Octauo de Relatiuis, & Relationibus.

VT medullitùs penetretur hæc præſens Controuerſia legenda eſt litterà D. Th. in art. 5. q. 35. in 3. p. cùm Commentarijs eiuſdem Caietani vbi ſoluuntur multa Dubia occaſione quæſiti Vtrùm in Chriſto fuerint duæ Filiationes; & præcipuè ſcrutinanda eſt Reſponſio D. Th. ad tertium cum formalitatibus, & Adnotationibus Ven. Porrectæ de qua re multa habet Alb. Magnus in 3. ſent. diſt. 8. q. 1. Concl. 2. Capreolus ibi diſt. 3. Paludanus, Durandus cum alijs Antiquioribus, & Modernis.

De relatiuo autèm quod bis non dicatur, legas totam litteram D. Th. art. 2. q. 32. in p. p. cum Commentarijs eiuſdem Caietani formalizati à Marco Ferro dubio 2. & dub. 3. in dubio 2. citat Maſium ſuſtinentem in Prædicamentis cap. de Ad aliquid ſect. 3. q. 5. & 6. quod Relatio nedum à fundamento, ſed etiàm à termino ſpecificetur, & legas eumdem Ferro in q. 28. de Trin. a. 3. dub. & in fine dubij ſecundi declarando Caietanum. Legas ex antiquis noſtris Iauellum in 5. Met. q. 21. de modis relatiuorum, & præcipuè in §. Quo ad ſeptimum. Intèr Modernos primæ Claſſis legas Sapientiſſimos Thomiſtas Ioannem à S. Thoma, & Godoy in proprijs Controuerſijs in 3. p. & in p. p. ibi habes radicitus omnia quæ de fundamento, ſubiecto, cauſa, & termino Relationis dici poſſunt, & diſcuti.

LE

LECTIO VII. METAPHYSICALIS

In Tractatu Octauo

DE RELATIVIS, ET RELATIONIBVS.

Ex Caietano p. p. quæſt. 45. art. 3. in Reſponſione ad tertiùm, & alibi.

Quomodò ſit ponenda in Creaturis Relatio dependentiæ à Deo Creatore.

Declaratio Tituli, eiuſque ſenſus facta à Caietano.

CIRCA' præſentem Lectionem de Relatione ſeruitutis in Chriſto Domino pro vt eſt ſubiectus Deo Patri ſecundum humanam naturam; Et de Relatione dependentiæ in Creatura, an Creatio ponat relationem realem in Creato tantum; moueor ego, ait Caietanus, pro primo ex Reſponſione ad 1. & 2. in art. 1. quæſt. 20. 3. p. proptèr Arrij, ſcilicèt errorem euitandum, qui poſuit Filium minorem Patre; & ideò de hac Relatione ſeruitutis in Chriſto Domino cum maxima cautela loquendum eſt, & quando hæc deeſſet in ipſo ſermone, non deeſt tamen ipſi intellectui ſanus ſenſus. Et pro ſecundo puncto principali moueor ex 1. p. quæſt. 45. art. 3. quia cùm Relatio Creationis ſit Accidens, & non ſit Relatio tranſcendens, vt manifeſtè explicatur in quæſt. 3. de potentia art. 3. ad 3. ſequitur, quod cum omne Accidens diſtinguatur realitèr à ſubſtantia, Creatio etiàm diſtinguatur realitèr à ſubſtantia quacumque creata ſecundum Doctrinam quam ſequimur: quia Scotus tenet creationem paſſiuè ſumptam eſſe relationem tranſcendentalem; & eamdem realitèr cùm fundamento. Et ſic quæritur an iſta Relatio dependentiæ ſit realis in quacumque Creatura? Ità Caietanus in loc. cit. in principio Comment. art. 3. quæſt. 45.

Primum Notabile Caiet. in quo aliqua dicuntur ex D.Th. de Relatione Vnionis.

Quò ad primùm. Omiſſis, ait Caietanus, ijs quæ dicuntur à D. Thom. in 1. p. quæſt. 42. art. 2. pro Relatione æqualitatis in Diuinis; & omiſſis ijs quæ dicuntur in 3. p. quæſt. 2. art. 7. de Relatione Vnionis, vtpotè ſpectantibus verè ad Theologum; dico ſolùm pro Veritate prælibando Relationem Vnionis cùm D. Thom. quod loquendo de Vnione quantùm ad Relationem, quam ſignificat, Vnio pro Relatione ſumpta eſt in genere Relationis, & ens reale creatum; loquendo autèm de Vnione quantùm ad coniunctionem in perſona ad quam differunt, ſcilicèt naturæ humanæ in Perſona Diuina, cum conſiſtat in vnitate quæ eſt intèr naturam humanam, & perſonam Filij Dei eſt in genere, ſeù in ordine ſubſtantiæ, & non eſt aliquid Creatum ſed Creator, vbi patet nihil creatum inueniri niſi paſſionem, qua natura humana trahitur ad eſſe Verbi; ſuper autem hanc coniunctionem, & ſuper hoc vnum eſſe fundatur conſecutiuè Vnio pro Relatione ſicut

Digitized by Google

ſuper coniunctionem ſubſtantialem Corporis, & Animæ fundatur Relatio Vnionis intèr Animam, & Corpus. Argumenta autèm Aureoli à Capreolo allata in 3. ſent, diſt. 5. quæſt. 1. quia procedunt contrà illos, qui nullam aliam Vnionem agnoſcunt niſi Relatiuam intèr humanam naturam in Chriſto, & Deum, omittuntur, quia non ſunt contrà Doctrinam Auctoris ex eo maximè quia ex hac Doctrina confutantur. Ità Caietanus art. 7. cit. §. In hoc articulo cautiſſimè &c.

Et aliqua de Relatione æqualitatis in Diuinis.

Et pro Relatione æqualitatis in Diuinis ſufficit ſcire tum D. Thom. in quæſt. 42. art. 1. quod æqualitas Diuinarum perſonarum non eſt Relatio Realis. Et quando dicitur quod Pater, & Filius ſunt æquales in Diuinis, ly æquales tria includit, primò Vnitatem Eſſentiæ, ſecundò diſtinctionem realem relationum ſubſiſtentium, ideſt perſonarum; & tertiò relatiuam appellationem, qua formalitèr denominantur æquales; ſecundum illa duo prima æqualitas ponit aliquid reale in Diuinis, ideſt ponit eſſentiam, quæ eſt realis, & ponit perſonas, quæ & reales ſunt, & realitèr perſonalitèr, ac relatiuè diſtinctæ; iuxtà verò appellatiuam relationem, qua Perſonæ Diuinæ formalitèr denominantur æquales, relationem tantùm rationis ponunt. Scotus conſentit nobiſcum quod hæc conditio relationis realis mutuæ ſit intèr duo extrema realia realitèr diſtincta; Sed diſcrepat poſteà à D. Thom. quod Scotus putat ſufficere ad denominationem relationis realis æqualitatis eſſe illa duo extrema duas res realitèr diſtinctas etiàm ſi habeant eamdem quantitatem. Ità Caietanus loc. cit.

Notabile ſecundum Caiet. in quo dicuntur aliqua de Relatione ſeruitutis in Chriſto Domino.

Notat ſecundò Caietanus de Relatione ſeruitutis in Chriſto Domino, epilogando ea, quæ habet D. Thom. in 3. p. quæſt. 20. art. 1. vbi quærit S. Tho. Vtrùm dicendum ſit, Chriſtum eſſe ſubiectum Patri, & art. 2. Vtrùm Chriſtus ſit ſubiectus ſuper ipſi. In Reſp. ad 2. ait D. Thom. quod Relatio Seruitutis, & Dominij fundatur ſub actione, & paſſione, in quantùm ſcilicèt eſt ſerui moueri à Domino ſecundum Imperium; Agere autèm non attribuitur naturæ ſicuti agenti, ſed Perſonæ: Actus enim ſunt ſuppoſitorum, & ſingularium, ſecundum Philoſophum lib. 1. Met. vt alibi ſuprà explicauimus: attribuitur tamèn actio naturæ, ſicut ei ſecundum quod Perſona, vel Hypoſtaſis agit; & ideò quamuis non propriè dicatur, quod Natura ſit Domina, vel Serua, poteſt tamèn propriè dici, quod quælibet Hypoſtaſis vel Perſona ſit Domina, vel Serua ſecundum hanc vel illam naturam. & ſecundum hoc nihil prohibet Chriſtum dicere Patri ſubiectum, vel ſeruum ſecundum humanam naturam. Ità Caietanus ex D. Thom.

Opinio S. Thom. circà dependentiam creaturæ ad Deum explicata à Caiet.

Quò ad ſecundùm. Scotus in 2. ſent. diſt. 1. quæſt. 4. & 5. probat quod Creatio paſſiuè ſumpta ſit Relatio tranſcendens, & eadem realitèr fundamento. De qua re, ait Caietanus, in controuerſijs ſuperioribus multa diximus, & oſtendimus pro defenſione doctrinæ, & mentis S. Thomæ, cum de Relatione, & fundamento diſputatum eſt. Et vt dicitur in Reſp. ad 2. art. 3. quæſt. 45. à D. Thom. Dependentia ad Deum alitèr conuenit creatis ſubſtantijs, & alitèr ipſis Relationibus dependentiæ, quoniam ſubſtantiæ dependent per Relationes, ipſæ autèm Relationes dependent ſe ipſis. Falſum igitur eſt quod dicit Scotus, quod vniformitèr huiuſmodi Relatio dependentiæ conueniat omnibus alijs à Deo. Ità Caietanus in art. 3. quæſt. 45. cit. in fine Comment.

Vnica Concl. reſponſiua quæſiti ponitur à Caiet. cum probatione primæ partis, ſcilicèt quod

Quo ad tertiùm. Vnica Concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. quæſt. 45. cit. Reſponſiua Quæſiti ſic. Creatio ponit in Creato relationem tantùm, quæ dicitur relatio dependentiæ, vt accidens diſtinctum realitèr à ſubſtantia.

Probatur prima pars à Caietano ſub tali forma. Productio totius eſſe à Cauſa vniuerſali non eſt ex aliquo præexiſtente: ergò Deus creando producit res ſine

motu

Digitized by Google

motu, & mutatione: ergò Creatio in Creatura non eſt niſi Relatio quædam ad Creatorem principium ſui eſſe. Antec. prob. ex differentia intèr productiones particulares, & productionem totius eſſe, ſeù vniuerſalem. Prima verò conſequentia prob. quia omne quod fit per motum, vel mutationem fit ex aliquo præexiſtente. Secunda autèm prob. quia ſubtracto motu ab actione, & paſſione nihil remanet niſi Relatio. Et confirmatur, quia ſicut in paſſione, quæ cum motu, importatur relatio ad principiũ motus, ità in Creatione paſſiua importatur relatio ad principiũ eſſendi. Ità Caiet.

Creatio ponit in Creato relationem tantùm.

Probatur ſecunda pars à Caietano. Sicut Homo non poteſt eſſe quin ſit riſibilis ità Creatura non poteſt eſſe ſinè huiuſmodi dependentia: ergò &c. Antecedens probatur ex ratione adducta à D. Thom. in quæſt. 44. art. 1. ad 1. quia ſicut expoliari non poteſt riſibilitas ab homine, ità nec ab homine, & creatura denudari non poteſt hæc dependentia cum omnis Creatura ſit ens per participationem. Ità Caietanus in art. 3. cit. §. Ad euidentiam huius Difficultatis.

Probatio à partis quod à Creatura non poteſt vt riſibilitas expoliari iſta dependentia.

Quo ad quartùm. Arguit Caietanus ex Scoto contrà Concluſionem ſic. Illud quod propriè ineſt alicui, & ſine quo illud non poteſt eſſe abſque contradictione eſt idem ſibi realitèr: Sed Relatio lapidis ad Deum eſt huiuſmodi: ergò &c. Maior prob. ſic. Contradictio ſecundum eſſe, & non eſſe dicta de aliquibus infert diſtinctionem realem illorum: ergò impoſſibilitas recipiendi talia contradictoria infert identitatem illorum, & hoc ſit, vbi non eſt dependentia eſſentialis. Et declarat Scotus ſic, quia impoſſibilitas quod A ſit ſinè, B, aut eſt proptèr identitatem illorum, aut propter ſimilitatem in natura eorumdem, aut proptèr poſterioritatem ipſius, A, ſed nihil illorum duorum vltimorum conuenit lapidi reſpectu illius relationis ad Deum, vt patet, & tamèn non poteſt eſſe ſine illa: ergò eſt idem illi.

1. Argum. Scoti à Caiet. relatum.

Inſuper ſubſtantia ex 7. Met. eſt prior natura ipſo accidente, imò diffinitione, etiàm, & tempore, & ly Tempore intelligitur ſic, quod nulla eſt contradictio ex parte ſubſtantiæ quin poſſit eſſe prior duratione omni accidente: ergò non eſt contradictio, quod lapis eſſet prior duratione omni dependentia ad Deum, & ſic eſſet abſque eo quod dependeret à Deo, ſi dependentia eſt accidens: hoc autem eſt abſurdum: ergò &c.

Secunda obiectio Caiet. ex Scoto.

Inſupèr. Quod vniformitèr dicitur de omni alio à Deo ad ipſum nulli accidit: Sed talis Relatio vniformitèr conuenit omni Creaturæ ad Deum: ergò nulli accidit, & ſic eſt idem fundamento. Probatur Maior, quia par eſt ratio de omnibus.

Tertia obiectio Caiet. ex Scoto.

Reſp. Caietanus ad primam obiectionem Scoti, negando Maiorem, ad probationem dicitur quod Antecedens eſt falſum vniuerſalitèr loquendo. Et rurſus conſequentia nil valet formalitèr loquendo, vt ipſe met faceret ponendo exceptionem vnam; & cur mihi non licebit aliam exceptionem ponere? ad declarationem negatur diſiunctio illa, quia inſufficiens eſt, etiàm apud ipſum, vt patet de partibus ſimul ſumptis reſpectu tertiæ entitatis, illæ enim non poſſunt eſſe, quin tertia entitas ſit, & tamèn non ſunt poſteriores, nec ſimul natura, nec eædem illæ tertiæ entitates eſſentialitèr dependent ab illa.

Reſponſio ad 1. Argum. Scoti.

Reſp. Caietanus ad ſecundam obiectionem, admiſſa expoſitione illa non valet ſequela: ergo ſubſtantia creata poteſt eſſe ſine omni accidente, quoniam ad veritatem illius propoſitionis ſubſtantia eſt prior &c. ſufficit quod aliqua ſubſtantia ſit huiuſmodi; talis autèm eſt prima ſubſtantia, & ſecundum veritatem; & quælibet intelligentia ſecundum Auuerroim 12. Met. Comm. 25.

Reſp. Caiet. ad 2. Scoti obiectionem.

Reſp. Caietanus ad tertiam obiectionem, vt iàm dixit ſuprà in ſecundo loco præſentis Lectionis, ſcilicèt quod eſt falſa illa Minor, ſed talis Relatio vniformitèr conuenit omni Creaturæ ad Deum, Ità Caietanus loc. cit.

Reſponſio Caiet. ad 3. Scoti.

Appendices ad Lectionem 7. Metaphyſicalem in Tractatu octauo de Relatiuis, & Relationibus.

DE hac Relatione dependentiæ legenda eſt littera art. 3. quæſt. 45. in 1. p. vbi quærit S. Thom. Vtrùm Creatio ſit aliquid in Creatura; & littera art. 3. q. 3. de potentia. Videndus eſt Capreolus in 2. ſent. diſt. 1. quæſt. 2. & diſt. 27. quæſt. 1. Concl. 1. Et Ægidius in quolib. 6. quæſt. 4. Intèr Modernos videas ſapientiſſimos Doctores Io: à S. Thom. Et Godoy, & Goudin, & Arnaù, & Ven. Porr. in quæſt. 45. Et pro primo Notabili de Relatione Vnionis legas Ven. Porrectam cum ſuis Adnotationibus ſuper art. 7. & 8. in 3. p. quæſt. 2. vbi more ſuo egregiè exponit Tex. D. Tho. vbi dicit quod hæc Vnio non eſt in Deo realitèr ſed ſecundum rationem tantùm, & ſic exponit quomodo Relatio Dominij & Vnionis competat Deo non niſi ſecundum rationem, vt iàm luculentèr docuit Caiet.

LECTIO VIII. METAPHYSICALIS

In Tractatu Octauo

DE RELATIVIS, ET RELATIONIBVS.

An eſſe Obiectiuum ſit eſſe Relatiuum; vel eſſe diminutum;

Ex Caietano p. p. quæſt. 14. art 5. & quæſt. 15. art. 1. & in quæſt. 76. art. 2.

Declaratio Tituli eiuſque ſenſus facta à Caietano.

CAIETANVS ait, quod præſens Lectio pendet ex declaratione Reſponſionis ad 3. art. 5. quæſt. 15. in 1. p. vbi quæritur vtrùm ſint Ideæ. & D. Thom. ait quod Idæa nihil aliud eſt, quàm Dei eſſentia, quæ eſt ſimilitudo omnium rerum, & eſſe in mente, addit Caietanus, eſt ſimplicitèr neceſſarium eſſe idæarum, & formalitèr conuenit ideæ vt idæa eſt, & D. Thom. loquitur vt Theologus de Intellectu Diuino, quia de illis idæis Platonis diſcuſſio Metaphyſicalis eſt, vt videbimus infrà; vndè idæa Diuina non conuenit eſſentiæ Diuinæ ſecundum quod eſt merè naturalitèr, ſed ſecundum quod eſt obiecta Diuinæ menti. Et ideò hic principalitèr quæritur de eſſe obiectiuo abſolutè per extenſum, & ſic cùm eſſe obiectiuum non ſit modus eſſendi ſecundum rem, neque ſit negatio, quæritur an ſit eſſe Relatiuum ſecundum rationem in communi loquendo; vndè eſſentia Diuina vt obiecta intellectui nec habet eſſe diminutum vt vult Scotus, nec eſt eſſe relatiuum, ſed eſſe obiectiuum rerum

rerum reſpectu intellectûs Diuini eſt abſolutum realiſſimum, ſcilicèt eſſe Dei; quod ex ſui excellentia eminentèr præhabet omnes eſſendi modos, ſiuè extrà Animam, ſiuè in Anima; vndè non ſolùm eſt ordinis intelligibilis, & in actu puriſſimo, ſed per ſe, & non per accidens eſt etiàm eſſe obiectiuum eiuſdem reſpectu intellectûs ſui. Senſus igitur huius Lectionis 8. in titulo ſtat in hac ſeparatione, quia falli multos contingit, cùm accipiant pro eodem eſſe obiectiuum abſolutè, & eſſe reale abſolutè, quod tamen in rei veritate non eſt idem, ſcilicèt, quæritur non de eſſe obiectiuo tali reali, ex quo oritur identitas ex parte idearum, in quo ſenſu dicitur, quod idæa eſt eſſentia Diuina, ſed quæritur de eſſe obiectiuo in communi, quod non eſt reale, ſed dubitatur, an ſit ſaltèm eſſe Relatiuum. Ità Caietanus in 1. p. quæſt. 15. art. 1. in fine Comment. Et in §. Quo ad primum ſcito &c.

Quò ad primùm. Notat Caietanus in 1. p. quæſt. 14. art. 5. quod eſſe cognitum, ſeù obiectiuum non vniformitèr ab omnibus Doctoribus interpretetur. Scotus putat quod eſſe cognitum repreſentatum, & quidquid aliud, ſit æqualitèr quoddam diſtinctum contrà eſſe in rerum natura, non tamen apud eum eſt eſſe eſſentiæ, ſed potiùs eſſe ſecundum quid, & eſſentiæ, & exiſtentiæ rerum; Nec putat quod tale eſſe ſit eſſe relatiuum, ſed abſolutum ſecundum quid tamen, & fudans relationem, & quo ad hoc non eſt differentia reſpectu intellectus humani, & Diuini, & in tali eſſe ponit omnia alia à Deo produci per actum intellectus Diuini, & ſic intelligi illa in ſe ipſis, & non ſolùm in eſſentia Diuina vt in Cauſa. S. Doctor tamèn in quæſt. 21. de ver. docuit Chimericum hoc eſſe; quoniam ens rationis diſtinctum contrà ens reale ſufficientèr euacuatur per negationem, & Relationem. Et verè mirùm eſt, quomodo iſti Doctores in medium lumen oſſenderint: quia cognoſci vt infrà videbimus eſt denominatio extrinſeca, & res dicitur viſa, aut cognita denominatione extrinſeca, & per conſequens non per aliquod eſſe cognitum quod formalitèr habeat. Ità Caietanus loc. cit. §. notandum 2.

Notabile Caiet. in quo explicatur non vniformitèr accipi eſſe cognitũ vel obiectiuum.

Quo ad ſecundùm. Caietanus fatetur quod vbique D. Thom. in locis citatis ex diametro opponitur Scoto, in hoc quod aſſerit, quod eſſe obiectiuum, repreſentatum ſit eſſe reale. S. Thom. probat quod eſt ens rationis, & non reale. Et in art. 5. quæſt. 15. Caietanus recitando opinionem Scoti ex 1. ſent. diſt. 36. dicit, quod Scotus defendit quod illud eſſe cognitum eſt eſſe diminutum rei, ſiuè abſolutè, ſiuè relatiuè, quod appellat eſſe ſecundum quid, ità quod res habens talem modum eſſendi fundat relationem rationis ad intellectum, & putat quod lapis &c. & alia entia ſint producta ab æterno à Deo per actum intellectus Diuini in tali eſſe, & huiuſmodi entia ſecundum quid vocari idæas, quia eis conueniunt omnes conditiones idæarum. Ego autem peripatetico lacte educatus, ac in aere, vt aiunt, loqui neſciens, præter latitudinem entis realis, ens rationis ſolùm noui ex 5. & 6. Met. Ens autèm rationis, relationem, aut negationem eſſe didici à D. Thom. in quæſt. de verit. cit. Vndè cum eſſe obiectiuum non ſit modus eſſendi ſecundum rem, neque ſit negatio, neceſſariò dicendum eſt, quod ſit eſſe Relatiuum ſecundum rationem in communi loquendo vt infrà probabitur. Ità Caietanus in 1. p. quæſt. 15. art. 1. §. Quo ad primùm &c.

Opinio propria Caiet. explicata ex D. Tho. contrà Scotum ab eodem Caietano.

Quò ad tertiùm. Ponitur à Caietano hæc Vnica Concluſio reſponſiua ex 1. p. quæſt. 14. art. 5. §. S. Thomas autèm &c. Eſſe obiectiuum, ſeù eſſe repreſentatum non eſt modus eſſendi ſecundum rem, neque eſt negatio, ſed eſt eſſe Relatiuum ſecundum rationem in communi loquendo.

Concluſio vnica Caiet. cum ſua prima probatione, ſcilicèt quod eſſe obiectiuum eſt relatiui rationis.

Probatur à Caietano ſub tali forma. Eſſe obiectiuum, ſeù eſſe repreſentatum

non

Digitized by Google

non eſt aliquid in repreſentato ; ſed ſola extrinſeca denominatio ; ergò non eſt aliquid reale ; nec negatio ; Sed in communi eſt eſſe relatiuum. Antecedens de ſe eſt manifeſtum, alioquin imago alicuius chimeræ haberet vim productiuam chimeræ in tali eſſe, quod eſt fatuum.

Secunda probatio Concluſionis.

Inſupèr non eſt pluralitas ſinè neceſſitate ponenda, & omnia optimè ſaluantur ponendo eſſe cognitum, repreſentatum &c. quod ſit tantummodò eſſe relatiuum : ergo fruſtra eſt excogitatum tale eſſe ; ſecunda pars aſſumpti patet inductiuè, & ideò nolo morari.Ità Caietanus loc. cit.

Tertia probatio Concluſionis.

Inſupèr in hac opinione ſua ſibi ipſi in dictis contrariatur Scotus : ergò. Probatur hoc, quia ex vna parte Scotus dicit, & benè quod Deus alia à ſe liberè producit, & deindè per hanc ſuam poſitionem cogitur aſſerere quod Deus naturali neceſſitate producit alia à ſe in eſſe abſoluto, quamuis ſecundum quid. Et ſecundum hanc poſitionem ſequitur quod lapis priùs habeat tale eſſe, quàm intelligatur à Deo, quia priùs ponitur in eſſe repreſentato per eſſentiam Diuinam vt ſpeciem intelligibilem, quàm in eſſe cognito per actum intellectionis, quia prior eſt repreſentatio quàm cognitio, vt cauſa eſt prior effectu. Et contrariatur etiàm Phyloſophiæ, quæ fatetur Deum nihil intelligere extrà ſe, non ſolùm formalitèr, ſed obiectiuè, quia quidquid intelligit, intelligit per eſſentiam propriam vt formam intelligibilem, & in eſſentia propria vt obiecto, nec alio poteſt diuertere intuitum vt fingunt iſti. Ità Caietanus loc. cit.

Arguit Caiet. ex Scoto.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus in 1. p. quæſt. 14. art. 5. ex Scoto ſic. Intellectus Diuinus actuatus quodammodò eſſentia ſua, vt ſpecie intelligibili, eſt in actu primo ſufficienti ad producendum in eſſe intelligibili quodcumque intelligibile : ergò intellecto ſe intelligendo lapidem producit lapidem in eſſe cognito, ac per hoc intelligit lapidem in ſe ipſo.

Reſponſio Caiet. ad Argum. Scoti.

Reſp. Caietanus, quod obiectio Scoti ſupponit hoc falſum, ſcilicèt quod eſſe cognitum ſit quoddam eſſe abſolutum extrà intellectum &c. quoniam vt ex dictis patet nihil aliud eſt quàm eſſe Relatiuum denominatione extrinſeca. Conceditur enim quod Deus per eſſentiam ſuam vt ſpeciem eſt in actu primo ſufficienti ad producendum quodcumque in eſſe cognito, & cum infertur : ergò lapidem concedo : Sed cum infertur ; ergò talia producta habent eſſe in ſe ipſis, negatur, quia tali productione non niſi ſit denominatio extrinſeca. Deus intuendo eſſentiam ſuam intuetur in ea lapidem, & lapis nihil habet niſi extrinſecam denominationem, ſcilicèt quod dicitur cognitus à Deo. Ità Caietanus in fine Comment. art. 5. cit.

Arguit Caiet. ex Aureolo.

Arguit ſecundò Caietanus in 1. p. quæſt. 76. art. 2. ex Aureolo ex illa conſequentia, ergò intellectus eſt vnus, ergò intellectum lapidis eſt vnum. Arguit ſic. Iy intellectum aut ſumitur pro eſſe reali quod ponit in intellectu, ſcilicèt eſſe ſpeciei intelligibilis, vel actus intelligendi, aut pro eſſe diminuto aliquo obiectiuo, quo ſcilicèt formale obiectum dicitur intellectum quidquid ſit illud eſſe, & vtroque modo oppoſitum conſequentis infert oppoſitum antecedentis, ergò intellectum in eis non eſt vnum ſecundum eſſe ſubiectiuum, quia illud multiplicatur numeralitèr ad multiplicationem numeralem omnium intelligibilium, in quibus relucet : cuilibet enim ſpeciei intelligibili reſpondet obiectum proprium, relucens ità illius relucentia, quod non alterius.

Reſponſio Caiet. ad Arg. Aureoli.

Reſp. Caietanus, quod quia lapideitas vt intellecta duo dicit, ſcilicet lapideitatem, & eſſe cognitum, ſi de eſſe reali loquimur, eſſe cognitum nullum eſſe addit ſuprà lapideitatem, niſi eſſe phantaſmatum in quibus ſuſtinetur, & eſſe

ſpe-

Digitized by Google

ſpecierum intelligibilium, quibus diuerſi intellectus ei aſſimilantur, & hoc modo procul dubio multiplicato intellectu, multiplicatur intellectum, ſcilicet ſecundum eſſe ſubiectiuum in intelligente. Si verò eſt ſermo de eſſe obiectiuo, tunc ſecundum veritatem, cùm tale eſſe non ſit, niſi eſſe relatiuum relatione rationis eſſe obiectum viſum, nihil addit niſi relationem rationis, qua intelligitur terminus viſionis ſecundum diuerſas de multiplicatione numerali relationes. Et ſic diuerſimodè Reſp. ſecundum D. Thom. qui tenet in vno termino, relationem eiuſdem rationis non multiplicari, quantumcumque termini multiplicentur ex altera parte, opportet dicere, quod lapideitatis eſt vna repreſentatio, quæ eſt vnum repreſentatum in omnibus, quemadmodum Socrates Albus eſt vnum ſimile vnica ſimilitudine mille albis, & ſic apud D. Thom. lapideitas, eſt vnum intellectum omninò, & per priuationem omnis differentiæ numeralis, & per poſitionem vnius numero eſſe Relatiui, quo eſt intellecta. Secundum verò alios ponentes relationem plurificari plurificato altero termino, dupliciter reſponderi poteſt &c. Videas noſtra Comment. in fine Comment. art. 2. quæſt. 76. 191. p. ſufficit in hoc loco ex hac Reſponſione ſtabilire, quod eſſe obiectiuum nil aliud eſt niſi eſſe relatiuum relatione rationis. Ità Caiet. loc. cit.

Appendices ſuper Lectionem 8. Metaphyſicalem in Tractatu Octauo de Relatiuis, & Relationibus.

Eſſent in hoc Tractatu proſequendæ multæ aliæ Lectiones de Relatiuis, & de Relationibus, ſed quia Caietanus in ſua Logica cap. de Ad aliquid, & cap. 1. de oppoſitis in Poſtprædicamentis à pag. mihi 228. vſque ad pag. 256. agit & logicè, & Metaphyſice luculentiſſime, maximè de oppoſitione Relatiua in comparatione ad contrariam contradictoriam, & priuatiuam vſq; ad ſatietatem ingeniorum, ſicut & de Relationibus realibus in toto Tractatu de Relationibus Diuinis, ideò non repetuntur hic, nec transferuntur in præſenti Metaphyſica, cum in proprijs locis eit. Metaphyſicè poſſint diſcuti. Sicuti & etiàm de vmbra entis realis, quæ eſt ens rationis, nec interſeruntur in hoc Tractatu Lectiones, maximè de negatione, & priuatione, quia hæc habentur in quæſtionibus Logicalibus à Caietano, alijſque Doctoribus maximè de ente rationis Logico, de ſecundis intentionibus. Magiſter noſter Goudin videatur in ſua Metaphyſica quæſt. 6. agit de Ente rationis, & in art. 2. quærit, quomodo fiat Ens rationis ſufficit hic tetigiſſe aliqua de Relatione rationis; cæterùm quidquid diſputatur de Ente rationis non multum conducit ad profectum Scientiæ Metaphyſicæ cuius obiectum principaliter, & per ſe concernit conſiderationem Entis realis, quatenus Ens eſt. Et ideò ad Tractatum Nonum Metaphyſicalem de cauſis accedimus &c.

IE.

Digitized by Google

LECTIO PRIMA METAPHYSICALIS In Tractatu Nono

DE CAVSALITATE PRIMÆ CAVSÆ, ET SECVNDÆ.

Vtrùm in primo principio Operatiuo ſit Vita excellentiſſima.

Ex Caietano 1. p. quæſt. 18. per totum, & præcipuè art. 3.

Declaratio Tituli, eiuſque ſenſus facta à Caietano.

IN PRÆSENTI, ET SEQVENTI TRACTATV, ait Caietanus, incipimus agere de ſubſtantia ſeparata; Et in præſenti Lectione prima, omittendo ea, quæ lumine Fidei, & ſupernaturali de ſubſtantia prima ſeparata in Theologia reuelata percenſentur, inueſtigamus de ipſa cum Ariſt. in 12. Met. tex. 51. per lumen naturale prout eſt principium primum operatiuum omnium, ſcilicèt in ratione cauſæ, & & cauſalitatis; & quia in tex. cit. Ariſt. concludit quod Deus eſt intelligens, & quod eius intellectus eſt perfectiſſimus, & ſemper in actu, & per conſequens quod habet vitam perfectiſſimam, & ſempiternam, ideò quærimus, an ex hoc quod eſt primum principium operatiuum omnium vt perfectè intelligens habeat delectationem, & vitam excellentiſſimam. Et ideò, addit Caietanus, aduerte in titulo art. 3. quæſt. 18. quod quærendo D. Thom. An Deo conueniat vita, ly conueniat intelligitur formalitèr, quia conuenire Deo virtualitèr perfectionem vitæ iàm probatum eſt in 1. p. quæſt. art. 2. vbi quæritur Vtrùm Perfectiones omnium rerum ſint in Deo. Et non repetenda ſunt hic, quæ dicimus in Phyſica, & in 3. Phyſ. quæſt. 1. ex D. Thom. quorum ſit viuere, & non ſit viuere cùm diſtinctione à viuentibus, & non viuentibus ex ipſo motu, vt etiàm oſtendit D. Thom. in art. 1. quæſt. 18. cit. nec ea quæ diximus in 7. Phyſ. quæſt. 4. de ſpeciebus motus, ſecundum quas propriè viuentia ſe ipſa mouent, & ſimilitudinariè viuere dicuntur, quæ non ſe agunt, vt in Reſp. ad 2. docet D. Thom. de Motu grauium, & leuium; omiſſis igitur

omnibus

Omnibus his, imò ſuppoſitis, cùm propriam ſedem in Phyſicis habeant, Metapſiſycâ diſcuſſione procedimus in præſenti lectione ad ea, quæ conueniunt Deo ex ipſo motu Metaphyſico perfectiſſimo, qui eſt intelligere de quo Philoſophus in 12. Met. Ità Caietanus loc. cit.

Notab. Caiet. in quo explicatur quid ſit vita propriè, & minus propriè ſumpta.

Quo ad 1. Caietanus ſupponendo ea, quæ docet D. Th. in art. 2. q. 18. in p. p. an Vita ſit quædam operatio, notat quod ſi vitæ nomen ſumatur propriè pro ſubſtantia cuiuslibet naturæ, cui conuenit mouere ſe;& minùs propriè pro operatione vitali vt dicit Philoſophus 9. eth. c. 9. dicendum eſt quod viuere principaliter eſt ſentire, vel intelligere; & ideò quod viuere propriè nil aliud ſit, quàm eſſe in tali natura, & ſic eſſe viuum non eſt prædicatum accidentale, ſed ſubſtantiale; Et ſic vita propriè ſumpta, eſt eſſe ſubſtantiale, minùs propriè eſt operatio. Et ſic D. Th. in art. 3. aliud quærit in titulo quærendo, ſimpliciter de An eſt vitæ Dei; in corpore art. aliud Reſpondet, ſcilicet de eminentiſſimo modo viuendi, & hoc, quia Deum viuere ex ſupradictis conſtabat, quando declaratum eſt ipſum eſſe intellectualis naturæ: ſed quomodo viuat ex proprijs oſtendendum erat, vt videbimus infrà in Concluſionibus; Vndè in art. 4. vbi quærit S. Doctor An omnia ſint vita in Deo, manifeſtat hanc propoſitionem, ſcilicet. Quidquid eſt in Deo vt intellectum, eſt vita eius, interpretatur eam de intellecto per ſe, ad excludendum mala, quæ ſunt intellecta per aliud, ſcilicet per Bona. Et in ly vita propriè, & minus propriè ſumpta, addit Caietanus, quod viuere vita intelligitur dupliciter, vno modo, quia vita eſt ipſa operatio vitalis: & ſic omnia, quorum in Deo eſt ratio, ſeù ſimilitudo, viuunt in ipſo, quia ſunt eius intelligere; ſecundo quia vita eſt principium vitalis operationis, & ſic ſola Bona, quæ quandoque ſiunt, viuunt in Deo, quoniam ſola hæc in Deo mouent ſe ipſa ad eſſe extrà Deum: Sunt enim in Deo veluti creatrices eſſentiæ; Reliqua autem factibilia non viuunt hoc modo, quia nunquam mouent ſe ad hoc quod ſint in ſe ipſis, & hoc intendit S. Doctor in Reſponſione ad quartum, quod clariùs expreſſum fuerat ab ipſo in q. de Verit. q. 4. art. vltimo. Ità Caiet. in fine Comment. a. 4. cit.

Opinio D. Th. de vita Dei explicata à Caiet.

Quo ad 2. Caietanus ex D. Th. art. 3. & 4. q. 18. in p. p. afferente in Argumento, ſed contrà illam auctoritatem Ioannis 1. Quod factum eſt in ipſo vita erat, probat, quod omnia in Deo ſunt vita Diuina, & quod perfectæ vitæ ratio non ſaluatur niſi in rebus, quæ quandoque ſiunt, & ait, ly omnia limitatur in littera art. 4. ad omnia facta, ideſt quæ ſecundum aliquod Tempus, facta ſunt, ſiunt, & ſient. Et in Reſponſione ad 3. ſi vis eleuare in Reſponſionem, ac rationem Concluſionis ad omnia, nomine materiæ intellige omne, quod ſe tenet ex parte materiæ, ideſt potentiam: Idæa enim Diuina in hoc excedit Platonicam, quod iſta eſt immaterialis tantùm, illa verò & materiæ, & potentiæ expers, Actus purus eſt. Et proptereà Gabriel, de cuius ratione non eſt materia, ſed potentia, verius in ſe ipſo eſt Gabriel, quàm in Deo; & meminit Materiæ, quia de non viuentibus Argumentum illud loquitur, quæ conſtat materialia eſſe, & manifeſtum impedimentum habere, ne ſint verius ipſa in Deo. Ità Caietanus loc. cit.

Concluſio ponitur à Caiet. cum ſua probatione ex D. Th ſcilicet quod vita maximè propriè eſt in Deo,

Quo ad 3. Concluſio Reſponſiua ponitur ſic à Caietano ex D. Th. p. p. a. 3. q. 18. Vita maximè propriè eſt in Deo, & excellentiſſimo modo.

Probatur à Caietano ex D. Th. ſub tali forma ex proprijs. Viuere dicuntur aliqua in quantùm operantur ex ſe ipſis, non quaſi ab alijs mota: ergo quantò perfectius conuenit alicui, tantò perfectius in eo inuenitur vita: ergo mouentia ſe quo ad finem, formam, & executionem perfectius viuunt, quam mouentia ſe quo ad formam, & executionem tantùm, & hæc quàm mouentia tantùm quo ad executionem

 Iſta

Digitized by Google

(Iſta ſecunda conſequentia probatur, & declaratur in 7. Phyſ.) ergo illud cuius natura eſt ipſum eſſe, & intelligere, & id quod naturaliter habet, ab alio non ſibi determinatur, obtinet ſummum vitæ gradum, ergo in Deo maximè eſt vita. Hæc conſequentia vltima clarè ſequitur, ex penultima, quæ probatur à D. Th. in c. art. 3. cit. ponendo in ſupremo gradu viuendi latitudinem mouentium ſe ad executionem, formam, & finem, quia quædam mouent ſe quo ad aliqua, & alia quædam ab alio ſortiuntur mouere ſe; Alia autem mouent ſe quo ad omnia ità vt nihil ab alio habeant. In primo ordine ſunt intellectus creati vt in intellectu noſtro, cui ſunt præſtituta prima principia, & in voluntate, cui præſtitutus eſt vltimus finis, quem non poteſt non velle; in ſecundo verò ordine eſt ipſe Deus. Cætera ſunt nota, & Confirmatur proceſſus ex proceſſu Ariſt. in 12. Met. Ità Caietanus loc. cit.

Corrolarium ex D. Th. cum ſua probatione. Corrolarium ponitur à Caietano in art. 4. ex D. Th. Omnia in Deo ſunt vita Diuina. Probatur. In Deo idem eſt intellectus, intellectum, & intelligere; ergo quidquid eſt in Deo vt intellectum eſt Dei vita: ergo omnia in Deo ſunt vita Diuina. Prima conſequentia probatur, quia viuere Dei eſt eius intelligere; ſecunda verò, quia omnia quæ facta ſunt in ipſo, ſunt vt intellecta. Ità Caiet. ex D. Th. art. 4. cit.

Prima, & ſecunda obiectio Caiet. ex D. Th. Quo ad 4. Arguit Caietanus ex D. Th. art. 4. ſic. Viuere dicuntur aliqua ſecundum quod mouent ſe ipſa, ſed Deo non competit moueri: ergo nec viuere. Inſuper in omnibus, quæ viuunt, eſt accipere aliquod viuendi principium ex 2. de Anima: Anima enim eſt viuentis corporis cauſa, & principium: ſed Deus non habet aliquod principium: ergo non competit ſibi viuere.

Reſp. ex D. Th. ad 1. & 2. obiectionem. Reſp. Caiet. ex D. Th. diſtinguendo ly viuere dicuntur aliqua ſecundum quod mouent ſe ipſa, motu vel perfecti, vel imperfecti; ſufficit enim ad hoc quod aliquid moueat ſe ipſum, quod moueatur motu perfecti, ideſt intelligat ſe ipſum, & Deus maximè intelligit ſe ipſum: ergo &c.

Ad ſecundam obiectionem diſtinguo. In omnibus quæ viuunt eſt accipere &c. ſi non ſint ſuum viuere, concedo, ſi ſuum viuere ſunt, nego. Deus ità viuit, quod ipſe met eſt ſuum viuere, & ſua vita; & propter hoc ſic viuit, quod non habet viuendi principium &c. Ità Caietanus &c. ex D. Th. loc. cit.

2. Arguit Caiet. ex D. Th. Arguitur 2. à Caiet. ex D. Th. a. 4. Sicut ſciuntur à Deo Bona, & ea quæ ſiunt ſecundùm aliquod tempus, ita mala, & ea quæ Deus poteſt facere, ſed numquàm ſiunt: ſi ergo omnia ſunt vita in Deo, in quantùm ſunt ſcita ab ipſo, videtur, quod etiàm mala quæ numquàm ſiunt ſint vita in Deo, in quantùm ſunt ſcita ab eo, quod videtur inconueniens.

Reſp. ad 2. Argum. ex D. Th. Reſp. Caiet. ex D. Th. diſtinguendo conſequens in ly ſcita ab ipſo per ſuam rationem, concedo: per rationem ſui oppoſiti, nego: non enim ſequitur quod mala ſcita ſint vita in Deo, vt explicauimus ſuprà, quoniam mala cognoſcuntur per ſuum oppoſitum vt dicitur in q. 14. a. 10. licet ergo mala ſubiungit S. Doctor ſint in Dei ſcientia, in quantùm ſub Dei ſcientia comprehenduntur, non tamen ſunt in Deo ſicut creata à Deo, vel conſeruata ab ipſo, neque ſicut habentia rationem in Deo: cognoſcuntur enim à Deo per rationes Bonorum, vndè non poteſt dici, quod Mala ſint vita in Deo. Ea verò, quæ ſecundum nullum tempus ſunt, poſſunt dici eſſe vita in Deo, ſecundum quod viuere, nominat intelligere tantùm, in quantùm intelliguntur à Deo; non autèm ſecundum quod viuere importat principium operationis. Ità Caietanus ex D. Th. in ſine Comment. a. 4. cit.

Appen-

Digitized by Google

Appendices ad Lectionem Primam Metaphyſicalem in Tractatu Nono de Cauſalitate Cauſæ Primæ, & Secundæ.

ESſent inſtituendæ in hoc Tractatu Nono aliæ lectiones de Cauſis efficientibus, materialibus, formalibus, & finalibus, earumque cauſalitatibus diſcuſſione ſola Metaphyſicali, in qua ex 3. Met. D. Th. lect. 4. maximè diſcutitur cauſa formalis, & finalis, & aliquo modo cauſa mouens; ſed quia in Phyſica Caietani in primo, & ſecundo Phyſ. & Phyſicè, & Metaphyſicè ſimul diſcuſſa ſunt, ideò remittendi ſunt ibi Thomiſtæ diſcipuli, ſicut & de inſtrumentalibus, & de Deo, vtrùm operetur ad extrà creando omnia in 2. Phyſ. quæſt. 7. num. 55. 56. & 57. & Vtrùm virtus creandi poſſit communicari Creaturæ. Iauellus in ſua Metaphyſica plures ex his quatuor generibus cauſarum cum alijs Metaphyſicis Doctoribus decernit vt in 2. Met. quæſt. 1. 5. 6. & 7. & 3. Et in lib. 5. Met. quæſt. 1. ſi Principium, & cauſa ſint idem conuertibilitèr. Et in quæſt. 2. lib. 2. Met. in quo conſiſtat cauſalitas materiæ. Et q. 3. in quo conſiſtat cauſalitas formæ &c.

At quià conſideratio noſtra Metaphyſicalis eſt de Cauſalitate ad extra ipſius primi principij in qua hanc primam lectionem primò inſtituimus, ſcilicet An principium vitæ ſeù ipſa vita ſit modo excellentiſſimo in Deo, debent Thomiſtæ diſcipuli legere totam illam quæſtionem 18. D. Th. in p. p. cum Appendicibus Ven. Porrectæ; nec non Textualibus formalitatibus vt radicitùs comprehendant Dei vitam excellentiſſimam. Iauellus in lib. 9. Met. c. 7. & 8. c. 7. ipſius Auicennæ, declarat in lib. 12. Met. q. 18. cauſas vndè prouenit delectatio, & radicem, ac gradus vitæ cùm Auicenna. Et ponit primò hanc Concluſionem: Intelligentiæ mouentes Cælos, & deſiderantes, intelligentes, ſiuè amantes primum principium maximè, & inceſſantèr delectantur, quia eis intimè coniungitùr intellectualitèr, & continuè; Alia Concluſio eſt hæc. Primum principium in ſe ipſo maximè, ac mirabiliſſimè delectatur, amatque ſe ipſum inenarrabilitèr, quia eſt bonitas, perfectio, & pulchritudo infinita, & infinitè ſe intelligit. Inſuper eſto intelligentiæ habeant vitam nobiliſſimam, & ſibi ſufficientiſſimam: primum tamen principium incomparabilitèr fæliciſſimam habet vitam. Et ſic concludit Philoſophus in 12. Met. tex. 39. Deus habet optimam vitam abſolutè. Et Commentator ait, habet vitam infinitæ nobilitatis. Ità Iauellus.

LECTIO II. METAPHYSICALIS

In Tractatu Nono

DE CAVSALITATE CAVSÆ PRIMÆ, ET SECVNDÆ.

Vtrùm effectus aſſimiletur formæ agentis, qua agit nedum ſecundum eſſe formæ, ſed etiàm ſecundum modum, quo eſt in agente, & naturali, & voluntario.

Ex Caietano p. p. quaſt. 19. a. 4. & quaſt. 41. a. 2.

Declaratio Tituli, eiuſq; ſenſus facta à Caiet.

EX parte agentis naturalis, ait Caietanus, reſoluimus quæſitum ex D. Th. in p. p. q. 19. a. 4. quærendo Vtrùm voluntas Dei ſit cauſa rerum; ex parte agentis voluntarij reſoluimus illud in q. 41. ex D. Th. a. 2. quærendo Vtrùm actus notionales ſint voluntarij; vndè Titulus intelligendus eſt amplè vt ſonat. Et S. Doctor præbet motiuum reddendo rationem cùr natura ſit determinata ad vnum, voluntas non, quia ſcilicet effectus aſſimilatur formæ agentis per quam agit nedum ſecundum eſſe formæ, ſed etiàm ſecundum modum eſſendi, quo eſt in agente, & ſic cùm alijs intelligimus, quod loquatur S. Doctor de aſſimilatione nedũ in forma, ſed etiàm in modo illius, alitèr non haberet intentum quod agẽs naturale agat tale quale ipſum eſt, & eſt principium eorum, quæ non poſſunt niſi ſic eſſe, puta ſi in agente eſt ſecundum eſſe naturale, etiàm in effectu ſit ſecundum eſſe materiale naturale, vt in agentibus ſublunaribus vniuocis clarè conſtat: Filius enim nedum eſt ſimilis Patri in forma ſpecifica, ſed etiàm in modo, quo forma in agente exiſtit, ſecùs agens non faceret tale, quale ipſum eſt; hinc iurè meritò dubitatur, cum aſſumat ipſam S. Doctor vniuerſalitèr, an ſit vera etiam de agente voluntario: effectus enim agentis voluntarij, puta artificis, ideſt domus ad extrà, eſt quidem ſimilis ideæ domus, formaliter ſecundum eſſe formæ, habet tamen modum eſſendi immaterialem in mente artificis, ex quo apparet quod illud aſſumptum non ſit vniuerſalitèr verum, quod effectus aſſimiletur formæ, qua agens agit ſecundum eſſe formæ, & agentis; ſuſtinenda tamèn eſt illa propoſitio vniuerſaliter, quatenùs communis eſt tàm ad agens naturale, quàm ad agens voluntarium. Ità Caietanus loc. cit.

1 Notab. Caiet. in quo explicatur conuenientia, & differentia in ra-

Quo ad 1. Notat Caiet. in p. p. q. 41. a. 2. pro prædicta propoſitione quod omne agens ſiuè naturale, ſiuè voluntarium, quantùm poteſt facit ſibi ſimile ſecundum formam nedum, ſed etiàm ſecundum modum, conditioneſque per ſe eius. Vocatur autèm, & eſt modus per ſe alicuius qui modificat eam infrà propriam latitudinem. Et ſic modus per ſe formæ naturalis eſt ſic, vel ſic eſſe, ſic eſſe ſpectat ad latitudinem

nêm eſſendi; Modus verò per ſe formæ voluntariæ eſt ſic, vel ſic volitum, & non ſic eſſe: Volitum enim ſic ſpectat ad latitudinem voliti, ſic eſſe diſtinguitur contrà aliud. Ex his ſequitur, quod forma voluntaria habet duplicem eſſendi modum, primò in quantùm eſt vnum entium in mundo, & hic modus eſt eſſe immaterialiter in mente; ſecundò in quantùm eſt ratio agendi, & hic eſt eſſe ſic, vel ſic volitum. Forma naturalis eundem eſſendi modum habet in quantum eſt ens, & in quantum eſt ratio agendi, quià iſta agit, quià eſt; illa, quia volita. Quomodò autèm agens naturale aſſimilet ſibi effectum in forma, & modo formæ quantùm poteſt abſq; diſtinctione aliqua. Et agens voluntarium aſſimilet effectum formæ, qua agit, & modo eius in quantùm ratio agendi, non autem modo eius in quantum ens, iàm explicatum eſt in Phyſicis in 2. Phyſ. q. 2. num. 12. Ità Caiet. a. 2. cit. §. Ad hoc dubium &c.

tione agendi inter agens voluntarium, & naturale.

Notat 2. Caietanus in p. p. q. 19. art. 4. ex D. Th. quod ex triplici capite apparet, primum principium operatiuum eſſe agens voluntarium. Primò ex ipſo ordine cauſarum agentium: cùm enim proptèr finem agat intellectus, & natura, vt in 2. Phyl. tex. 49. dicitur, neceſſe eſt vt agenti per naturam prædeterminetur finis, & etiàm neceſſaria ad finem ab aliquo ſuperiori intellectu, ſicut ſagittæ prædeterminatur finis, & certus modus à ſagittante; vndè neceſſe eſt, quod Agens per intellectum, & voluntatem ſit prius agente per naturam. Secundò ex ratione naturalis agentis, ad quod pertinet, vt vnum effectum producat, quia natura vno, & eodem modo operatur, niſi impediatur, & hoc ideò, quia ſecundum quod eſt tale agit, vndè quamdiù eſt tale non facit niſi tale: Omne enim agens per naturam, habet eſſe determinatum. Tertiò ex habitudine effectuum ad cauſam. Secundum hoc effectua procedunt à cauſa agente, ſecundum quod præexiſtunt in ea, quia omne agens agit ſibi ſimile: Præexiſtunt autèm effectus in cauſa ſecundum modum cauſæ, ſi modus cauſæ eſt naturalis, naturalitèr præexiſtunt. Ex primo capite ſequitur, quod Deus non ſit agens ad extrà ex neceſſitate naturæ, quia ipſe eſt primus ordine agentium, & ſic neceſſe eſt, quod per intellectum, & voluntatem agat; ex ſecùndo capite hoc etiàm ſequitur, quia eſſe Diuinum non eſt determinatum, ſed continet in ſe totam perfectionem agendi, & ideò ad extrà, non poteſt eſſe niſi agens voluntarium alitèr cauſaret aliquid indeterminatum, & infinitum in eſſendo, quod eſt impoſſibile vt in q. 7. a. 2. p. p. probatur. Effectus igitur determinati procedunt ab infinita ipſius perfectione ſecundum determinationem voluntatis, & intellectûs ipſius. Ex tertio etiàm ſequitur, quia eſſe Diuinum, eſt ipſum eius intelligere, & præexiſtunt in eo effectus eius ſecundum modum intelligibilem, & ſic procedunt ab eo, & per conſequens per modum voluntatis. Inſtantias contrà hæc videas in Phyſicis in 2. Phyſ. q. 6. num. 49. Ità Caietanus ex D. Th. art. 4. cit.

Notab. 2. Caiet. in quo probatur ex triplici capite quod Deus ſit agens voluntarium.

Notat 3. Caietanus ibidem art. 3. q. 19. cit. quod agere per neceſſitatem naturæ dupliciter poteſt intelligi. Primò vt idem ſonat, quod agere naturaliter eo modo, quo agentia naturalia 2. Phyſ. tex. 49. & 9. Met. tex. 3. & 10. diſtinguuntur contrà agentia à propoſito. Et ſic agere naturaliter, eſt agere, non quia agens vult hoc, dato quod etiàm velit illud, ſed eſt agens, quia eſt tale, vt patet in generatione hominis, quamuis enim Socrates velit generare, non tamèn generat, quia vult, ſed quia eſt talis diſpoſitionis naturalis &c Secundo modo poteſt intelligi, vt idem ſonat quod agere non liberè, eo modo, quo dicimus, quod non liberè, ſed neceſſitate naturali Deus vult ſe, & nos volumus Bonum. Et quamuis de Deo vtrumque exiſtimatum ſit, & quod agat non quia vult, quamuis volens, ſed quia eſt talis naturæ vt dicitur in 2. c. g. c. 23. & etiàm exiſtimatur, quod agat quia intelligit, & vult,

Notab 3. Caiet. in quo oſtenditur quod agere per neceſſitatem naturæ poteſt intelligi dupliciter,

Digitized by Google

vult, naturali tamèn neceſſitate tale intelligere, & velle, vt ibidem in c. 26. & 27. tangitur. In art. tamèn 4. q. 19. cit. ſumitur primo modo agere per neceſſitatem naturæ, ità quod intentio præſens eſt oſtendere, quod Deus agit, quia vult, & non quia eſt: Ex coniunctione enim art. 3. cum 4. q. 19. cit. ſufficientèr habetur, quod ſi agit, agit quia vult, vult tamèn tantùm ſe naturalitèr, & in ordine ad alia agit liberè, quia illa vult liberè. Ità Caietanus in Comment. art. 4. q. 19. cit.

Opinio S. Th. explicata à Caiet. de ratione agendi ipſi primo principio operatiuo quod ſit voluntaria.

Quo ad 2. Caietanus in p. p. q. 19. a. 4. ex D. Th. ait, quod ſi loquamur de alijs ad extrà producendis, primum principium operatiuum neceſſe eſt dicere, quod ſecundum voluntatem ſit cauſa rerum, & non per neceſſitatem naturæ, & hoc præcipuè ex habitudine effectuum ad ipſum, quia præexiſtunt in eo effectus ſecundum modum intelligibilem, & per modum intelligibilem procedunt ab eo, vndè aſſimilatio effectuum eſt etiam, & ſecundum modum, vt modus eſt ei ratio agendi: & per conſequens per modum voluntatis, inclinatio enim eius ad agendum, quod in intellectu conceptum eſt (en modus, qui dicit rationem agendi) pertinet ad voluntatem. Et hoc etiàm oſtendit S. Doctor in 2. 2. q. 41. in p. p. contrà aliquos innominatos in c. a. 4. q. 19. cit. contrà quos dicitur ſapientiæ ſecundo. Quomodò poſſet permanere aliquid, niſi tu voluiſſes? Et contrà aliquos alios Philoſophos cum Arnaldiſtis dicentibus Deum agere ex neceſſitate naturæ, quod eſt idem dicere, quod vult alia à ſe ex neceſſitate naturæ. Cùm hoc tamen ſtat, quod cum quælibet potentia reſpectu ſui proprij obiecti, & principalis neceſſariò ſe habeat, & voluntas Diuina neceſſariam habeat habitudinem ad Bonitatem ſuam, ſequitur quod hanc ex neceſſitate vult, quia Bonitas ſua eſt primum principium operatiuum. Et de alijs à ſe diſtinguas de neceſſitate abſoluta, & ex ſuppoſitione, ſuppoſito quod Deus velit hoc non poteſt non velle hoc, concedas neceſſitatem ex ſuppoſitione, nequaquam de neceſſitate abſoluta, quia Bonitati Diuinæ ex alijs nihil accreſcit. Concluditur igitur quod ad extrà voluntas primi principij operatiui eſt cauſa rerum, & quod Deus agit per voluntatem, & non per neceſſitatem naturæ. Ità Caietanus in loc. cit. & alibi.

1. Concl. ponitur à Caiet. cum ſua probatione, ſcilicet quod agens, naturale aſſimilet ſibi effectum in forma, & modo formæ.

Quo ad 3. Prima Concluſio ponitur à Caietano in p. p. q. 41. a. 2. ex D. Th. tali pacto. Agens naturale aſſimilat ſibi effectum in forma, & modo formæ quantùm poteſt, abſq; diſtinctione aliqua, ideſt, etiàm in indiuidualibus conditionibus.

Probatur à Caietano ſub tali forma. Illud agens aſſimilat ſibi in forma, & in modo eſſendi formæ quantum poteſt effectum ſinè diſtinctione formæ, & vt eſt, & vt eſt ratio agendi, quando forma ipſius eſt illi ratio agendi, quia eſt, & non quia eſt liberè volita: ſed agens naturale agit per formam quæ eſt, & quia eſt, & non quia liberè volita; ergo agens naturale aſſimilat ſibi effectum nedùm in forma, ſed etiàm in modo eſſendi formæ abſque diſtinctione formæ, quatenus, ſcilicet vnum entium in mundo, & quatenus eſt ratio agendi quia eſt. Propoſitiones omnes ſunt declaratæ in notabilibus ſupra &c.

Probatur à Caiet. eadem Concluſio, quod etiàm in indiuidualibus conditionibus aſſimiletur ſibi effectum.

Probatur quò ad ly etiàm in indiuidualibus conditionibus. Illud agens agit effectum ſimilem formæ, & vt forma eſt, & ſecundum modum ideſt conditiones quas habet in agente quod facit effectum ſimilem ſibi nedum in forma, ſed etiàm ſecundum multas conditiones indiuiduales agentis. Sed agens naturale ſi eſt fortiſſimum ità ſe habet; ergo &c. Probatur minor ex Ariſt. 7. Eth. & D. Th. lect. 6. ibi, vbi dicitur quod iracundus aliquandò iracundum generat. Et in lib. 7. de hyſtoria animalium c. 7. dicitur ab Ariſt. quod ſi mas eſt fortis virtutis generat Marem, & non fœminam, & in multis ſimilem ſibi, & non Matri. Ità Caietanus in art. 2. q. 42. cit.

Se

Secundá Concluſio Reſponſiua ponitur à Caietano ex D. Thoma pro vt in notabilibus ſupra ſic. Agens voluntarium aſſimilat effectum formæ, qua agit, & modo eius in quantùm eſt ratio agendi, non autem modo eius in quantum eſt ens.

2. Concl. ponitur à Caiet. cum ſua probatione, ſcilicet quod agens voluntarium aſſimilat ſibi effectū in forma, & modo ſuo.

Probatur à Caietano ſub tali forma. Illud agens aſſimilat ſibi effectum nedum in forma, ſed etiàm in modo eſſendi formæ, quando agit per formam qua eſt, ità vt eadem ſit forma qua eſt, & quæ eſt ei ratio agendi tantùm: ſed agens voluntarium, ad differentiam naturalis agit ſic: ergo &c. Probatur minor, quia in primis non agit per formam qua eſt, neque forma, quæ eſt ei ratio agendi, ſed per aliam qua non eſt, niſi per illam quæ ſit ei ratio agendi tantum, & hæc eſt idea (vt notat S. Doctor in calce corp. art. cit.) exiſtens in intellectu practico: ergo vera ſecunda Concluſio. Ità Caietanus in art. 2. cit. ex notabilibus ſuprà &c.

Quo ad 4. Arguit Caietanus contrà illam maximam. Effectus aſſimilatur &c. Iſta non verificatur in ſenſu vniuerſali: ergo &c. Probatur antecedens, quia effectus agentis voluntarij pura Artificis Domus ad extrà, eſt quidem ſimilis ideæ Domus formaliter ſecundum eſſe formæ: cæterum in mente Artificis habet modum eſſendi immaterialem, ad extrà autèm exiſtit materialiter: ergo non eſt vniuerſaliter verum, quod ſcilicet effectus aſſimiletur formæ, qua agens agit ſecundum eſſe tàm formæ, quàm agentis.

Arguit 1. Caiet. contrà illam maximam.

Reſp. Caietanus, quod malè ſit ſubſumpta illa maxima, ſcilicet, quod modus eſſendi formæ voluntariæ ſit modus formæ, de quo eſt ſermo ibi: quia ibi eſt ſermo de modo per ſe formæ, in quantùm ratio agendi, & ſic eſt vniuerſaliter vera, agens voluntarium conatur quantum poteſt, vt faciat quod vult, ſicuti, quando, vbi, & quomodo vult, vt patet, & ſic redditur vniuerſaliter vera de aſſimilatione formæ, & vt forma eſt, & ſecundum modum eſſendi, non vt eſt vnum entium in mundo, ſed vt eſt ratio agendi in ſenſu explicato, ſcilicet quod ſit ratio agendi ipſi voluntario, quatenus eſt volita, & ſecundum per ſe conditiones rei volitæ, quæ quidem ſunt tales, ſcilicet, vt potuerit eſſe, vel non eſſe volita, & quod ſit electa quando voluit, & quomodo voluit. Et ſic Sanctus Doctor ex ſic intellecta illa maxima intulit perſpicuè tertiam illam differentiam, quod ſcilicet agens naturale agit quià eſt; Voluntarium verò quale vult, & non quale eſt. Ità Caietanus loc. cit.

Reſp. Caiet. ad Argumentum.

Inſtat Caietanus contra Reſponſionem ſic. Agens voluntarium per ſe agit, quia vult: ſed non poteſt etiàm ſi vellet, facere domum ad extrà immaterialem: ergo non agit quia vult.

Inſtantiæ contrà Reſponſionem.

Reſp. Caietanus ad Inſtantiam diſtinguendo: Agens voluntarium agit quia vult, & quod vult, nego: quia vult, non tamen quod vult, ſed quod poteſt, & quod ſub poteſtate ſuæ voluntatis cadit, concedo. Memento, addit Caietanus, quod Domus habet eſſe immateriale vt res eſt, non verò vt ratio agendi, quia vt ratio agendi habet eſſe volitum: Eſt enim ratio agendi, non vt res eſt, ſed vt volita eſt. Ità Caietanus loc. cit.

Reſp. Caiet. ad Inſtantiam.

Appendices ad Lectionem Secundam Metaphyſicalem in Tractatu Nono de Cauſalitate primæ ſubſtantiæ ſeparatæ, & ſecundæ.

PRætèr ea quæ dicta ſunt à Caietano in ſua Phyſica in lib. 2. Phyſ. q. 2. & 6. de Cauſalitate efficientis, & de differentia intèr agens voluntarium, liberum, & naturale, vt penetrare poſſis à radice illam maximam de aſſimilatione effectus in forma, qua agens natùrale, & voluntarium agit, & ſecundum modum eſſendi effectus in cauſa, & vt eſt ſecundum eſſe in cauſa, legas Sapientiſſimos Thomiſtas Hiſpanos, Sorbonenſes, Tholoſanos, citatos in Appendicibus ſuprà, cum formalitatibus Reſponſionum Ven. Porrectæ ſuper articulos citatos in præſenti lectione. Et inter Modernos legas Marcum Ferro in ſuo Tractatu de Trin. quæſt. 41. art. 2. dubio 3. à pag. 649. vſque ad pag. 652. formalizantem dicta D. Th. & Caietani in illa maxima prædicta. Et quando Caietanus ait, vocatur autèm, & eſt modus per ſe alicuius, qui modificat infrà propriam latitudinem v. g. Modus per ſe docendi eſt infrà latitudinem doctrinæ, & duplex eſt modus, explicat Ferro, ſeù conditio formæ, vna per ſe, & alia per accidens; Conditio per ſe eſt conditio competens formæ, ſeù modificans illam intra latitudinem eius. Et Caietanus dat exemplum de doctrina, conditiones, ac modi per ſe contenti infrà latitudinem doctrinæ, ſunt docere, vel infundendo ſpecies intelligibiles, quod principalitèr ſoli Deo competit; vel inſtrumentaliter, vt proponendo exempla, vel applicando principia Concluſioni, quod competit Homini Magiſtro; at docere in foro, vel in aula, ambulando, vel ſedendo, eſt conditio, & modus per accidens conueniens doctrinæ, & extrà latitudinem per ſe doctrinæ. Ità ex D. Th. p. p. quæſt. 107. 2. p. Sicuti etiam Theologica diſputatio per ſe eſt, vel reſpondendo Aduerſarijs per auctoritates ab eis receptas illos confundendo, vel per rationes naturales vt docet D. Th. p. c. gent. c. 2. Cæterum diſputare in lingua Græca, vel Latina accidit Theologiæ. Ex his facilitèr deuenitur in cognitionem illius maximæ, quomodo in ratione agendi, qui eſt modus per ſe, differant per ſe agens naturale, & voluntarium in aſſimilatione effectus &c. quia in quantùm eſt vnum entium in mundo eſt modus, qui competit ei per accidens. Et verificatur ſimul etiàm quod naturale agens agit, quià eſt; Voluntarium autem agit, quià vult.

LECTIO III.
METAPHYSICALIS
In Tractatu Nono
DE CAVSALITATE PRIMÆ CAVSÆ ET SECVNDÆ.

Vtrùm in Generatione Filij tota vis actiua ſit in Patre, & nulla in Matre.

Ex Caietano in 3. p. quæſt. 32. art. 4. & alibi in Commentarijs.

Declaratio Tituli, eiuſque ſenſus facta à Caietano.

TITVLVS, ait Caietanus in 3. p. quæſt. 32. art. 4., habet duplicem ſenſum, primò ex parte Matris poteſt quæri vniuerſalitèr de qualibet Matre ſecundum viam naturalem, an ſcilicèt tota vis actiua ſe teneat ex parte Patris, & tota vis paſſiua ſe teneat ex parte fæminæ; vel Pater concurrat aliqualitèr paſſiuè, pro quanto pars ſeminis paterni naturalitèr concurrit ad generationem, & è contrà, quamuis principaliùs concurrat Mater paſſiuè, non inconueniat ex parte eiuſdem Matris concurrere aliqualitèr actiue. Secundus ſenſus eſt de tali Matri in ſingulari, ſcilicèt de B. V. ideſt an actiuè egerit in ipſo actu Conceptionis Corporis Chriſti, & hoc duplicitèr, ſcilicèt, vel naturali, vel ſupernaturali virtute (circà enim hunc actum eſt ſola quæſtio) & ſenſus eſt ſecundum auctoritatem D. Damaſceni cap. 4. An B. V. habuerit virtutem ſimul ſuſceptiuam ad Verbum Dei, & generatiuam ſtante ipſa ſua Virginitate: quia potentia paſſiuè generatiua, cum ſit potentia generatiua, multum diſtat à ratione potentiæ ſuſceptiuæ Verbi Dei, & cùm concipere paſſiuè non ſit ſine virili ſemine; Sic quæritur an Beatiſſimæ Virgini ſtante ſua Virginitate ſit tributum ſimul, & ſemel habere ſecundum Damaſcenum potentiam ſuſceptiuam Verbi Dei, & Generatiuam. Ità Caietanus in Comment. art. 4. cit. in principio, & fine.

Primum Notabile Caiet. in quo manifeſtatur totam vim paſſiuam eſſe in Matre.

Quò ad primùm. Notat Caietanus in art. 4. quæſt. 32. cit. quòd Fæminarum potentiæ ſpectantes ad partem vegetatiuam actiuæ ſunt: res autèm facta ab actiua potentia fæminæ, materiale eſt, non actiuum generationis principium. Mas igitur, & fæmina conueniunt in hoc, quod vtriuſque potentiæ ſunt actiuæ, ſed differunt in re facta per illas potentias, nam factum à Mare ſemen eſt generationis principium actiuum, factum verò à fæmina, quidquid ſit illud an menſtruum, aut ſemen materiale, eſt generationis principium. Hæc eſt Peripateticorum ſententia quam Auctor ſequitur, conſonatque primæ Phyloſophiæ, quoniam ſic intèr marem, & fæminam vnitas ſpecifica ſalua ſit, & in formis, & in potentijs,

& differentia ponitur ex parte corporis, ſeu materiæ, dùm penès res factas, non penès potentias Animæ diuerſitas formalis actiui, & paſſiui collocatur, res enim facta, ex parte corporis ſe tenet. Conſonat quoque ſpecificæ diuerſitati maris, & fœminæ in genere ſexus: Differentia ſiquidem maris, & fœminæ formalis, eſt in genere ſexus, materialis autèm in genere Animalis; vndè iſta ſpecifica differentia ex parte materiæ conſequens Animalis genus rationabilitèr infert in ipſis proprijs effectibus maris, & fœminæ diuerſarum rerum conditiones. Atteſtatur demùm huic poſitioni ipſa exterior diſpoſitio membrorum cum ſuis proprijs operationibus apparentibus manifeſtè; Membra ſiquidem maſculino ſexui propria ad agendum apta conſpicimus: membra verò fœmineo ſexui propria ad recipiendum facta videmus, & fœminas recipere ſemen à maribus efficientibus illud, conſtat. Recipere autèm adeò includitur in eo quod eſt pati, vt etiàm in ſubſtantijs immaterialibus, in quibus non manifeſtè apparet potentia paſſiua, dicamus eas in tantùm pati, in quantùm recipiunt. Quo fit, vt alienus à Phyloſophiæ vijs ſit, qui negat fœminas pati in Conceptione, experientia teſtante, eas recipere ſemen virile. Ità Caietanus art. 4. quæſt. 32. cit. §. Ad euidentiam motarum quæſtionum, &c.

Notabile ſecundum Caiet. in quo explicatur quod Actus Conceptionis & quod menſura eius ſunt diuerſa dicta.

Nocat ſecundò Caietanus ibidem quod iſtud dictum actus Conceptionis B. V. & iſtud aliud, ſcilicèt menſura actus Conceptionis eiuſdem B. V. ſunt longè diuerſa. B. V. in illo ſtatu Conceptionis materiam miniſtrauit, ac per hoc actiuè operata eſt, quia materiam miniſtrare, agere procul dubio eſt; ità quod in toto tempore præcedenti inſtans Conceptionis B. V. præparauit materiam, vt infrà dicetur, & in inſtanti terminante tempus illud, quod fuit inſtans Conceptionis, præparatam materiam miniſtrauit, quaſi ad terminum ſuæ perfectionis perueniens. Ad ipſum autem actum Conceptionis non concurrit actiuè, ſed paſſiuè ſuſcipiendo in materia miniſtrata actionem agentis Spiritus Sancti loco ſeminis. Itaque dicetur infrà, quod in menſura actus conceptionis actiuè operata eſt, ſed non in ipſo actu Conceptionis. Ità Caietanus art. 4. §. Aduerte hic &c.

Opinio affirmatiua Scoti, & aliorum, quod Mater actiuè concurrat reijcitur à Caiet. cum explicatione negatiua D. Tho.

Quò ad ſecundùm. Caietanus in 1. p. quæſt. 32. art. 4. recitat opinionem relatam ibi aliquorum, qui dicunt B. V. operatam eſſe in Conceptione Chriſti actiuè duplicitèr, & naturali, & ſupernaturali virtute; naturali quidem quia ponunt, quod in qualibet materia naturali, eſt aliquod principium actiuum, alitèr, dicunt ipſi, non eſſet tranſmutatio naturalis, & in hoc decipiuntur vt infrà videbimus; ſupernaturali autèm, quia dicunt ad Matrem requiri, quod non ſolùm materiam miniſtret, quæ eſt ſanguis menſtruus, ſed etiàm ſemen, quod commixtum virili ſemini habet virtutem actiuam in generatione. Et quia in B. V. nulla facta fuit reſolutio ſeminis propter integerrimam eius virginitatem, dicunt quod Spiritus Sanctus ſupernaturalitèr tribuit virtutem actiuam in Conceſptione Corporis Chriſti, quam aliæ Matres habent per ſemen reſolutum. Huic poſitioni ſe opponit D. Thom. qui ſequens viam Auicennæ, negatiuè ſentit. Ariſtoteles enim in lib. 15. de Animalibus, quem ſequuntur Auuerroes, Auicenna, B. Alb. Magnus cap. vltimo tenet quod ſolus Pater habet virtutem actiuam, & quod mater tantùm paſſiuè concurrit, eo quod ipſa ſolam materiam prolis miniſtrat, & in ſolo ſemine Patris eſt vis actiua formatiua, quam virtutem ſeminis in Patre comparat Ariſtoteles ipſi Arti, & comparat ligno materiam Matri, de quo Artifex facit ſtatuam materiæ miniſtratæ; & fundamentum horum quidem eſt, quod fœmina non habet ſperma niſi quaſi æquiuocè ex 8. Met. tex. 12. ibi ait Ariſt. hominis quæ cauſa vt materia æquidem menſtrua, quod autem vt mouens, quidem ſperma. Et in hoc

dſcor-

Digitized by Google

diſcordant Scotus, & Antonius Andreas à D. Thom. in 3. ſent. diſt. 4. quæſt. 1. ſequentes viam Galeni, ſcilicèt quod fæmina habet ſperma proprium, & vniuocum cum ſpermate virili, remiſſioris tamén virtutis, & vigoris, & dicunt quod ingreditur actiuè formationem prolis. Ità Caiet. loc. cit.

Concluſ. 1. ponitur à Caiet. in ſenſu vniuerſali ex D. Th. cum triplici probatione ſua, ſcilicèt quod nulla Fæmina concurrit actiuè ad generationem.

Quò ad tertiùm. Ponitur Concluſio à Caietano ex D. Thom. in 3. p. quæſt. 32. art. 4. in ſenſu vniuerſali ſic. Nulla Fæmina concurrit virtute naturali actiua ad Conceptionem fætus.

Probatur primò à Caietano ex D. Thom. deſtruendo fundamentum oppoſitæ ſententiæ ſub tali forma. Ad tranſmutationem naturalem ſufficit principium materiale eſſe paſſiuum; ergò &c. Antecedens probatur ex Ariſt. Tranſmutatio dicitur naturalis non ſolùm propter principium actiuum, ſed etiàm propter paſſiuum. In octauo enim Phyſ. tex. 29. expreſsè dicit, quod in grauibus, & leuibus eſt principium paſſiuum motus naturalis, & non actiuum: ergò ſecundum Ariſt. &c.

Secundò probatur à Caietano ſic. Impoſſibile eſt, quod Materia agat ad ſui formationem: ergò &c. Probatur hoc, quia non eſt actus: agere enim eſt actus, & non potentiæ: ſemper enim æſtimabitur ſpecies mouere ex 3. Phyſ.

Tertiò probatur, quia impoſſibile eſt aliquid non diuiſum in duas partes mouere ſe ipſum ex 8. Phyſ. tex. 30. quarum vna ſit mouens, & alia ſit mota, & hoc in ſolis Animatis contingit. Ità Caietanus art. 4. cit. §. Quò ad tertiùm tripliciter arguit &c.

2. Concl. ponitur à Caiet. ex D. Tho. cum ſua probatione quod nec ſupernaturali virtute actiua concurrit Mater.

Secunda Concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. ibidem. Nulla Fæmina nec ſupernaturali virtute, etiam loquendo de B. V. poteſt aliquid actiuè operari in Conceptione fætus.

Probatur à Caietano ex D. Thom. ſub tali forma. Diſtinctio ſexus eſt à natura propter diuerſam operationem opportunè datam: ergò eſt penès diuerſitatem agentis, & patientis: ergò tota virtus actiua eſt ex parte Patris, paſſiua verò ex parte Matris: ergò nec per virtutem ſupernaturalem mater poteſt concurrere actiuè. Antecedens probatur ex 2. Cæli tex. 17. Sexus eſt propter opportunam operationem ad generationem: ergò diuerſitas ſexus eſt propter diuerſam operationem opportunam ad generationem. Conſequentia eſt per ſe nota, & aſſumpta eſt ex 2. Cœli, vbi dicitur quod vnumquodque eſt propter ſuam operationem. Conſequentia principalis probatur à D. Thom. quia diſtinctio operationis in generatione, eſt ſecundum agens, & patiens, & affertur à D. Thom. ſignum ex plantis, quia ideò in illis non eſt diſtinctio ſexus, quia actiua, & paſſiua virtus ſunt mixtæ: hoc enim ſignum eſt, quod diſtinctio ſexus eſt penès actiuum, & paſſiuum Vltima Conſequentia probatur ex ſequenti ratione.

Probatio vltimæ conſequentiæ, quod nec ſupernaturaliter.

Probatur vltima Conſequentia, quod nec ſupernaturali virtute. Si aliqua mater concurreret actiuè ad Conceptionem prolis, vtiq; eſſet B. V. ſed B. V. non accepit à Spiritu Sancto, vt eſſet Pater Chriſti, ſed vt tantùm eſſet Mater: ergò nec virtute ſupernaturali poteſt mater concurrere actiuè. Minor probatur, quia aliundè fuit virtus actiua, præterquàm à B. V. in primis Virtus Altiſſimi obumbrauit ipſam, deindè Spiritus Sanctus ſuperuenit in ipſam cum ſua ſupernaturali Virtute formando ex materia miniſtrata à B. V. prolem &c. non ex virili ſemine, ſed miſtico ſpiramine Verbum Caro factum eſt, ergò &c. hinc duæ viæ excluduntur hic, & prima quidem quæ affirmat quod B. V. vſa eſt illa virtute ſupernaturali agendo Conceptionem Chriſti, & ſic ex iſta poſitione fuiſſet Pater Chriſti; Sed cur Spiritus Sanctus non dicatur Pater Chriſti ex ſua virtute actiua in tali Conce-

ptione Verbi, multis rationibus in 3. p. D. Thom. probat. Excluditur alia vſa ſecundum quam tenetur quod virtute illa B. V. non eſt vſa; vndè ſequitur ex hoc quod fruſtrà ei collata fuiſſet virtus illa actiua. Ità Caiet. loc. cit.

Corrolarium ex dictis manifeſtatum, & deductum.

Corrolarium ex his deducit Caietanus, ſcilicèt quod B. V. in ipſa Conceptione Chriſti nihil actiuè operata ſit, ſed quod ſolam materiam miniſtrauerit; antè tamèn Conceptionem ſit operata aliquid actiuè, præparando materiam, vt eſſet apta Conceptui, quod patet ex Notabili ſuprà. Si enim tota vis actiua generationis eſt ex parte Patris, reſtat vt fæmina ſolùm paſſiuè concurrat, & quod præparando materiam antè Conceptionem non niſi actiuè operetur. Ità Caiet. loc. cit. §. Quò ad quartùm &c.

Arguit primò Caiet. ex D. Thom. contrà Concluſ. & reſpondet Caietanus iuxtà principia D. Thom. & Ariſt.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus ex D. Thom. ſic. Eſto tota Virtus actiua ſe teneat ex parte Patris; non tamèn ſequitur; ergò ſe tenet aliqua ex parte Matris. Probatur conſequentia, quia quamuis principaliùs concurrat paſſiuè mater; non tamèn poteſt deduci ex illo antecedenti; ergò nulla actiua ex parte matris; quia non probatur quod ſit inconueniens quod concurrat aliqualitèr actiuè; ergò non tota eſt actiua ex parte patris, nec tota paſſiua ex parte matris.

Reſp. Caietanus, quod non eſt alienum à Doctrina ſana, eſto non habeatur de hoc demonſtratio Mathematica, tradere ſecundum principia Ariſt. & D. Thomæ, quod rationi conſonat, vt prima diſtinguendi ratio intèr marem, & fæminam ſit penès agere, & pati generationem, proptèr quam per ſe primò eſt ſexus, & eius diuerſitas, cum quilibet percipere poſſit ex apparentibus membris, & manifeſtis operationibus, arguendo ad ea, quæ ſenſui non ſubiacent quod ſit conſentaneum rationi, quod tota vis actiua in conceptione prolis eſt ex parte Patris, & ex hoc antecedenti deducere conſequentiam: ergò tota vis paſſiua ſe tenet ex parte Matris in eadem Conceptione Prolis, vt diximus ſuprà. Ità Caiet. loc. cit.

Arguit 2. Caiet. ex Scoto pro vt ſuprà.

Arguit ſecundò Caietanus ex Scoto. Formas eiuſdem ſpeciei conſequuntur potentiæ naturales eiuſdem ſpeciei: Mas, & Fæmina ſunt eiuſdem ſpeciei ex 10. Met. ergo ſi formam Maris ſequitur potentia vegetatiua actiua, ſimilitèr, & ſequetur formam fæminæ. Probatur, quia alitèr vegetatiua maris, & fæminæ differrent ſicut actiua, & paſſiua, & ſic eſſent potentiæ alterius omninò rationis.

Alia obiectio.

Inſupèr Mater naturalitèr plus diligit Filium, quam Pater, vt patet ex 8. Eth. ergò Filius eſt opus actiuum Matris. Conſequentia probatur, quia ſi Pater diligit Filium vt opus ſuum, & Mater plus diligit, vtique magis vt opus ſuum diliget.

Tertia obiectio.

Inſupèr Filius quandoque magis aſſimilatur Matri, quàm Patri, imò Filij matrizant: ergò in Matre eſt etiàm virtus actiua: ergò non tota in Patre. Probatur ſequela, quia agentis eſt aſſimilare ſibi effectum, ità quod effectus nulli aſſimilatur niſi propter aliquam actionem eius.

Quarta obiectio ex Scoto.

Inſupèr. Dare matri quod ſit tantùm vas, in quo ſicut in loco conuenienti fiat generatio prolis, & quod de aliquo eius det materiam, non videtur dari plus matri, quàm Terræ in generatione mineræ: ergò ſequitur quod talis Terra dicenda ſit mater mineræ imò Homo eſſet mater vermis geniti in eo, vt in loco conuenienti ex aliquo hominis. Nec valet dicere, quod vermis non eſt eiuſdem ſpeciei, quia Aſina eſt mater Mulæ, & tamèn non eſt eiuſdem ſpeciei.

Reſp. Caiet. ad 1. obiectionem Scoti ex D. Thom.

Reſp. Caietanus ad primam obiectionem Scoti, quæ eſt Argumentum ſecundum D. Thom. in art. 4. cit. eadem Reſponſione D. Thomæ, qui nunquàm ſomniauit dicere, quod potentia vegetatiua in muliere ſit paſſiua: Actiuam enim concedimus

Digitized by Google

mûs, cùm D. Thomâ, ſed reſpectu materiæ, in quam agit ſemen viri; ſicuti & etiâm in vno, & eodem homine digeſtiua virtus eſt actiua materiæ, in quam agit nutritiua, conuertendo ipſam in ſubſtantiam aliti. Et quando D. Thom. in Reſponſione ad ſecundùm dicit quod potentiæ generatiuæ in mare, & fæmina ſunt ſicut Ars, ſuperior, & inferior, non accipias propriè, quia ſunt diuerſæ nequaquam, ſed eiuſdem omninò rationis in ſe, quamuis ſi ad res ab eis referatur, inuenirentur diuerſarum rationum ſecundum diuerſam rationem actiui, & paſſiui, agendi, & patiendi, vt dictum eſt.

Ad ſecundam obiectionem dicitur, quod mater diligit filiûm ſuùm, vt proprium opus effectiuè ſecundum propriam materiam, ſeù corpus proprium ipſius filij: eſt enim mater cauſa effectiua proximæ materiæ filij, vt dictum eſt.

Reſponſio ad 2. obiectionem.

Ad tertiam obiectionem Reſp. Caietanus concedendo, quod mater ſit cauſa effectiua materiæ proximæ filij, & ideò Filius aſſimilatur matri: ſed falluntur, arguentes à negata efficientia in ipſo actu Conceptionis Filij, ad negandam omnem efficientiam reſpectu Filij.

Reſponſio ad 3. obiectionem.

Ad quartam obiectionem Reſp. Caietanus, quod nos ſententiam Peripateticam defendimus, quæ eſt media intèr duas extremas, quarum vna tenet matrem concurrere omninò actiuè, alia tenet concurrere omninò paſſiuè. Nos dicimus cum Ariſt. & D. Thom. & B. Alb. Magno, & Auicenna, & Auuerroi, quod Mater eſt principium actiuum materiæ Filij, ſed paſſiuum generationis eiuſdem: Et ideò obiectio non impugnat. Argumenta de B. V. quo ad virtutem ſupernaturalem, quia ſunt Theologica, ad Theologum remittimus: quæ ſunt ex principijs naturalibus, & Metaphyſicalibus expoſuimus in præſenti Lectione. Ità Caiet. in 3. p. quæſt. 32. art. 4. §. Ad obiecta Scoti &c.

Reſponſio eiuſdē Caiet. ad 4. obiectionem Scoti.

Appendices ad Lectionem 3. Metaphyſicalem in Tractatu Nono de Cauſalitate cauſæ primæ, & ſecundæ.

PRætèr art. 4. quæſt. 32. in 3. p. legas D. Thomam in 3. ſent. diſt. 4. cum Capreolo quæſt. 1. concl. 2. Paludano, Durando ibi cùm Ven. Porrecta in ſuis formalitatibus, & Appendice, & cum ſapientiſſimis Doctoribus primæ claſſis Thomiſtis, ſcilicèt Io: à S. Thom. Godoy, Goudin, Arnù &c. præcipuè legas noſtrum Magiſtrum F. Vincentium Baronium in ſuis Vindicijs lib. 4. lect. 4. vbi recitat, & explicat, & confutat confutanda in opinione Suarezij circà concurſum actiuum datum ab ipſo Suarezio B. Virgini in ipſo actu Conceptionis Verbi Dei, & quomodo ex D. Tho. cum Caietano tota virtus actiua refundenda ſit in Spiritu Sancto. Deindè legas Iauellum in 8. Met. quæſt. 17. vbi Scotus corrigitur ab ipſo de hoc errore, quod putat nos tenere matrem in omni requiſito concurrere tantùm paſſiuè, diſtinguendo ibi cum D. Thom. vt ſuprà, & præcipuè legas Argumentum Iauelli tertium ex Scoto, cui Reſp. reſponſione eâdem D. Thom. & Caietani, ſed ſatis eruditè circà aſſimilationem filij ipſi matri, &c.

Et pro Coronide huius Metaphyſicæ Lectionis, non dedigneris reuoluere finem lucubrationis de imputato Scolaſticis ſtudio, ipſius Sapientiſſimi Piccinardi Theologi Vniuerſitatis Patauinæ, vbi intèr alia ſic ait. Non intendimus per hoc defendendo Ariſtotelem Principem Peripateticorum, puræ Phyloſophiæ dogmata; coæquare ſuperiori ſubſellio Fidei; quinimò libentiſſimè amplectimur id quod ad inſtitutum iamdudum Perez in opere de Eccleſia dub. 23. grauitèr admonebat,

ſci

Digitized by Google

ſcilicèt, ſi ad euitanda ſcandala, vel ad maius Bonum Fidelium aliquam Philoſophicam opinionem amplectendam Eccleſia præciperet, vt ſuauius Myſteria Fidei defenderentur, v. g. quod mulier nihil actiuè ſubminiſtret in Conceptione, non eleuaretur illa ſententia ad Fidei Dogma, ſed eſſet Canon correſpondens Gubernationi Eccleſiæ pro Bono Fidelium, & Dogmatum tuitione, vt reuera eſſet ſic ait Perez. Quod etiàm approbat noſter Doctiſſimus Grauina, addit Picinardus in tom. 3. præſcriptionum 1. p. cont. 2 Generali quæſt. 2. art. vlt. Et idem eſſet dicendum de poſitione negante materiam primam, & formas omnes ſubſtantiales, prætèr Animam, earumque vice defendente Atomos.Ità Magiſter noſter Amantiſſimus Piccinardus.

LECTIO IV.
METAPHYSICALIS
In Tractatu Nono
DE CAVSALITATE PRIMÆ CAVSÆ, ET SECVNDÆ.

Vtrùm Radix Contingentiæ, Neceſſitatis, & libertatis ſit efficacia Diuinæ Voluntatis.

Ex Caietano p. p quæſt. 14. art 13. quæſt. 19. art. 8. quæſt. 22. art. 4. & alibi &c.

Declaratio Tituli, eiuſque veri ſenſus formalis in ordine ad volita.

QVÆRIMVS, ait Caietanus in præſenti Lectione, de radice contingentiæ, & libertatis in ordine ad cauſam liberam, ideſt, in ordine ad ſcita, & in ordine ad volita, quia tàm ſcientia Diuina, quàm voluntas eſt cauſa rerum. Examen non erit in ordine ad cauſas naturales, quia in Phyſicis in 2. Phyſ. quæſt. 19. à num. 194. vſque ad num. 200. & de concurſu ſimilitèr Corporum Cœleſtium in ordine ad neceſſitatem in cauſis naturalibus in 8. Phyſ. quæſt. 5. num 266. ex quæſt. 115. art. 5. & 6. in 1. p. diffusè ibi determinauimus; vndè in Titulo quamuis alia quæſtio formalitèr ſit cauſa Contingentiæ, & alia de cauſa contingentiæ volitæ à Deo: quia tamen voluntas Diuina vnumquodque vult eſſe proptèr ſuam cauſam in quocumque genere cauſæ, coincidunt tamèn ambæ quæſtiones quo ad materiam, & propterea non eſt extrà propoſitum, imò ad hoc neceſſarium eſt de cauſa contingentiæ diſſerere; Et reuera nil aliud in dubium vertitur hic, niſi quæ ſit prima propria radix contingentiæ, & hoc in genere cauſæ efficientis; nec de-

ſcen-

Digitized by Google

ſcendimus ad contingentiam talem, & talem, ſed ad contingentiæ abſolutè propriam, ac primam radicem; & ſic quærimus an ſit aliqua conditio cauſarum ſecundarum, vel an ſit aliqua conditio ipſius Diuinæ voluntatis, quæ eſt prima omnium cauſa. Senſus igitur Tituli eſt formalis, quid ex Diuina volitione res volitæ ſortiantur, quærendo vtrùm voluntas Dei neceſſitatem rebus imponat. Ità Caietanus loc. cit.

Declaratio Tituli einſque ſenſus formalis in ordine ad ſcita.

Et quia ſuprà in Tituli explicatione diximus, quod radix contingentiæ quæritur etiàm in ordine ad ſcita. Et in art. 13. quæſt. 14. 1. p. §. Ad huius difficultatis euidentiam &c. vbi quæritur an ſcientia Dei ſit futurorum contingentium non totaliter quæritur ibi radix, quia de contingentibus in eo quod ſcitis, & non in eo quod cauſatis diſputatur; & ſic partim de hoc quæritur in quæſt. 19. vbi quæritur Vtrùm voluntas Dei ſit cauſa rerum, quia ſcientia non cauſat niſi determinata à voluntate; & partim ſpectat ad quæſt. 115. in qua de neceſſitate inferiorum à ſuperioribus Corporibus diſputatur; quia tamèn, addit Caietanus, in argumento 23. art. cit. agitur de contingentibus in eo quod cauſatis à ſcientia Dei, quia ſcientia illa non ſolùm eſt ſcientia, ſed cauſa ſcitorum, & in Reſponſione dicitur non ſolùm quod ſtat cauſam proximam eſſe contingentem, & remotam eſſe neceſſariam, quod reputant aliqui impoſſibile, ideò formalitèr in Titulo quæritur de Radice contingentiæ, & in ordine ad icita, & in ordine ad volita. Et ſic ſenſus formalis quæſiti erit. An prima radix contingentiæ, & libertatis ſit non ſolummodò Diuina voluntas in ordine ad volita, ſed ſit etiàm ſcientia primæ ſubſtantiæ ſeparatæ in ordine ad ſcita, ideſt, an omnia ſcita, quæ referuntur ad ſcientiam Diuinam vt effectus ad cauſam, quædam ſic ſint neceſſaria, & quædam contingentia, & libera. Ità Caietanus qui non alia maiori claritate, quàm iſta exponit ſenſum Tituli in locis citatis &c.

Primum Notabile Caiet. in quo explicatur quid ſit ſtatus contingentiæ & quid natura contingentia.

Quò ad primùm. Notat Caietanus in 1. p. quæſt. 14. art. 13. §. Aduerte hic quod aliud eſt loqui de Natura Contingentiæ, & aliud eſt loqui de ſtatu Contingentiæ: cùm enim contingentia ſit differentia entium non accidentalis, ſed ſubſtantialis, opportet quod res contingens, ſiuè ſit in actu, & præſens: ſiuè ſit in potentia, & futura, ſemper ſit naturæ contingentis. Et per hoc differentia poſita in littera art. 13. cit. intèr contingens in actu, & in potentia, præſens, & futurum, non eſt differentia naturæ, quaſi aliam naturam habeat ſic, & aliam ſic. Sed eſt differentia ſtatus eiuſdem naturæ: Poteſt enim in vna, & eadem natura, ſua ratione ſalua, diuerſos habere ſtatus in actu, & in potentia præſentis, & futuri, &c. Status enim actualitatis eſt ſtatus determinati ad alteram partem contradictionis; ſtatus verò in cauſa ad vtrumlibet, eſt ſtatus indeterminationis. Conſtat autèm quod Contingentia ſe tenet ex parte indeterminationis, neceſſitas autem ex parte determinationis. Et ideò res contingens, & futura, & in potentia dicitur habere rationem contingentis quo ad ſtatum; vt præſens autèm in actu dicitur habere rationem neceſſarij quo ad ſtatum. Inſupèr res quantumcumque contingens ex ſtatu præſentiæ contrahit quemdam neceſſitatis modum ex ſtatu ſuppoſitionis ad ipſam ſub tali ſtatu pertingentem, vt patet ex 1. Periherm. Vnumquodque dum eſt, neceſſe eſt eſſe. Res autèm, & futura, ſed in potentia, cum non ſit, non contrahit talem neceſſitatis modum, ſed contingens, & in ſtatu contingenti abſque tali neceſſitate relinquitur, & propterea dicitur in art. 3. quod contingens vt præſens poteſt ſubdi infallibili, & certæ ſcientiæ. Et in calce Reſponſionis ad ſecundùm dicitur, quod vt ſic eſt neceſſarium, ait Caietanus loc. cit.

Notat

Notabile ſecundum Caiet. in quo explicatur quod neceſſarium dupliciter ſumitur, & explicatur differentia inter neceſſarium, & contingens.

Notat ſecundò Caietanus in art. 13. §. Quò ad primùm &c. quod neceſſarium dupliciter ſumitur in propoſito, ne laboremus in æquiuoco. Primo modo ſimpliciter, ſcilicet quod omninò impoſſibile eſt aliter ſe habere; alio modo immutabiliter, quod ſcilicet non poteſt mutari de hoc in oppoſitum, quamuis abſolutè potuiſſet eſſe oppoſitum, & non hoc, in art. 13. cit. reſpondendo ad primùm de vtraque neceſſitate fit mentio; De neceſſitate quidem ſimpliciter cum dicitur in communi, quod cauſa remota poteſt eſſe neceſſaria, & effectus contingens, & exemplificatur de motu Solis quem conſtat numerari à Philoſophis inter cauſas neceſſarias ſimpliciter. De neceſſitate autem immutabilitatis, cùm in ſpeciali de ſcientia Dei dicitur, quod eſt cauſa neceſſaria, non enim eſt cauſa neceſſaria ſimpliciter cum potuiſſet non eſſe cauſam, ſed eſt neceſſaria neceſſitate immutabilitatis, quia ex quo determinata eſt vt cauſa ſit, & ad tales effectus tantùm producendos, non poteſt mutari. In propoſito ergò dicitur, quod non repugnat effectum eſſe contingentem, & cauſam remotam ſiuè ponatur illa ſimpliciter, ſiuè non, eſſe neceſſariam; Concluſio enim in ſyllogiſmis contingens ſequitur ex maiori neceſſaria. Et Minori contingente; & ex primis principijs neceſſarijs omnes propoſitiones pendent. Et Caietanus in 1. p. quæſt. 86. art. 3. addit differentiam ſubſtantialem inter neceſſarium, & contingens quo ad cognoſci, quod neceſſarium ſpectat ad intellectum, contingens ad ſenſum, & hoc quia contingentia in rebus ſenſibilibus eſt conditio conſequens materiam indiuiduantem ſenſibilia; neceſſitas autem eſt conditio conſequens formam ſundantem omnem vniuerſalitatem; vndè non per accidens ſe habent contingentia, & neceſſitas ad vniuerſalitatem, & particularitatem, ſed per ſe, quamuis non per ſe primò, ſed ratione communis radicis: Materia enim vt materia, radix eſt contingentiæ, atque particularitatis, aut indiuiduationis; & ſimiliter forma vt forma, radix eſt neceſſitatis, & vniuerſalitatis, & hæc connexio apertè aſſignatur in littera art. 3. cit. Ità Caietanus loc. cit.

Notabile tertiò Caiet. in quo explicatur quomodo Deus vocandus ſit cauſa libera, & non neceſſaria, & contingens.

Notat tertiò Caietanus in art. 13. cit. quod Cauſa prima propriè loquendo, nec eſt cauſa neceſſaria ſimpliciter, nec contingens, ſed ſuperior vtrâque, & proprio vocabulo nominamus liberam, loquendo de cauſa prima: Neceſſitas enim ſimpliciter repugnat libertati, contingentia verò in libertate imperfectionem importat, quia ponit mutabilitatem; Et idcircò D. Thom. in 1. ſent. diſt. 38. præueniens inepta Modernorum vocabula, negat Deum cauſare contingenter: Cùm enim regulare ſit quod ſuperius præhabeat in ſe vnitè, quæ in inferioribus ſunt diſperſa, conſequens eſt vt cauſa prima ſuperior neceſſarijs, & contingentibus præhabeat in ſe non formaliter, ſed eminenter naturam, & modum cauſarum, quæ ſunt neceſſariæ, & contingentes, & ſit cauſa vtrarumque, & cooperetur vtriſque ad earum proprios effectus ſecundum modos earum. Et propterea nos, quibus omnis cauſa videtur neceſſaria, aut contingens, ſtupemus non præualentes videre, quomodo vna cauſa ſit communis neceſſarijs, & contingentibus immediatè: ſed ceſſat ſtupor, ſi eleuemus mentis oculos in excellentiùs genus cauſæ, eminentioremque cauſandi modum, & omnia conſonant, quamuis temaneamus in caligine, non intuentes illum modum, quo omnibus intrinſecè illabens, cunctis iuxta ſuos modos cooperatur. Et hoc eſt valdè attendendum in huiuſmodi materijs. Appellatur tamen Deus, vel eius ſcientia cauſa neceſſaria proptèr neceſſitatem non ſimpliciter, ſed immaterialitatis, quæ in eo etiàm in quantùm cauſa formaliter ſaluatur. Et addit Caietanus ex Reſponſione ad ſecundum, & tertiùm, quod res ſcitæ relatæ ad ſcientiam Dei ſunt neceſſariæ vt ſcientiam,

non

non autem vt cauſam: ſi enim omnia ſcita referentur ad ſcientiam Diuinam, vt effectus ad cauſam, ſic quædam ſunt neceſſaria, & quædam contingentia, nec aliquid ſimul eſt neceſſarium, & contingens, nec aliquid habet habitudinem neceſſariam ad talem cauſam, ex parte cauſæ, ſeù rectiùs loquendo, nec aliquid habet habitudinem neceſſariam talis cauſæ; ſed liberam ad omnia, & immutabilem, vt diximus, ſi autem referantur ad Diuinam ſcientiam vt ſcientiam, cum omne ſcitum vt ſic, ſit impoſſibile alitèr ſe habere vt patet in p. poſt. ſic omnia ſcita ſunt neceſſaria non in ſe ſimplicitèr, ſed ex ſuppoſitione ſecundum eam diſpoſitionem, ex qua habent quod ſunt ſcita, ideſt terminantia Diuinum intuitum, vt patet de curſu Socratis, qui licet in ſe ſit ſimpliciter contingens, ſuppoſito tamèn quod ſit &c. Et ſi adiungas, quod curſus Socratis non eſt capax, vt terminet intellectum certum, niſi vt præſens dùm eſt, conſequens erit, quod curſus Socratis relatus ad Diuinam ſcientiam vt ſic eſt neceſſarius, ideſt in ſtatu neceſſitatis, quamuis in ſe, & relatus ad cauſas proximas ſit contingens. Ex his patet ratio, & ſenſus omnium, & Reſponſio ad obiecta. Ità Caietanus in p. p. q. 14. a. 13. §. Quo ad ſecundum igitur &c. in fine &c.

Notab. vltimum Caiet. in quo explicatur contingentia in ordine ad cauſas proximas etiàm inſtrumentales.

Notat vltimò Caietanus quo ad cauſas proximas contingentiæ in p. p. q. 19. a. 8. §. & opinio quidem recitata &c. contrà Scotum, quod Inſtrumentum defectiuum duplicitèr contingit concurrere ad artis opus. Vno modo vt defectus non ſit electus ab artifice, ſed ſit conſequens inſtrumentum electum ex neceſſitate materiæ; ſecundo modo, vt defectus ipſe ſit electus ab artifice, v. g. Scriptor duplicitèr poteſt vti malo calamo. Primò quia ſtatuit ſe vti omni genere calami; ſecundò quià ſtatuit ſe facturum malas litteras. In primo caſu ſcriptor vtens calamo lapideo formando malis litteras, aduertenda ſunt duo, primò quod tam malitia calami, quàm malitia litterarum non cadit ſub electione ſcriptoris, ſed conſequitur malitia ex neceſſitate materiæ: non enim ipſe malum elegit calamum, ſed quia omne genus calami elegit, ex neceſſitate materiæ lapideæ defectus in calamo reſultauit: & propterea deformitas litterarum reducitur vt in propriam, & primam radicem in ipſam conditionem calami, & non in Scriptorem, qui ſi idoneo vteretur calamo, bonas litteras faceret, & ſic conditio calami eſt impeditiua virtutis ſcriptoris modificatæ per calamum. In ſecundo verò caſu deformitas litterarum cum delectu calami ſub electione cadit ſcriptoris, imò ex hoc ipſo malum calamum elegit, vt malas litteras formet, quatenùs inſtrumentum ſit conforme malo effectui intento; & ſic virtus ſcriptoris modificatur quidem in calamo malo, ſed non impeditur, imò defectus ipſe calami obſequitur etiam eidem: quoniam electus eſt ad modificationem ſuæ virtutis, vt ſuauiter intentum defectuoſum effectum attingat. Ità Caietanus in art. 8. q. 19. cit. vbi applicat hæc omnia, quæ ſunt metaphyſicè ad propoſitum allata &c.

Opinio Scoti, & D. Thomæ contraria declaratur, & recitatur à Caiet.

Quo ad ſecundum Caietanus in art. 8. q. 19. p. p. ait. Noua ſurrexit opinio de prima radice contingentiæ poſita à Scoto in p. ſent. diſt. 2. q. 2. & diſt. 8. q. 2. & diſt. 39. q. 1. Credit enim Scotus, quod prima radix contingentiæ ſit quidem conditio Diuinæ voluntatis, & in hoc concordat nobiſcum: nos autem dicimus, quod illa conditio eſt ſumma efficacia illius, & Scotus dicit, quod eſt contingentia illius, & nomine contingentiæ in propoſito intendit libertatem illius, ita quod imaginatur, quod quia Deus libere vult, & cauſat, ideò eſt contingentia in vniuerſo, adeoq; huic ſententiæ inhæret, vt dicat nihil poſſe euenire contingentèr, ſi Deus omnipotens liberè non cauſaret, & Ariſt. cum Philoſophis contradictoria conceſſit cum aliquid contingentèr fieri aſſeruerint, & tamen Deum agere de neceſſitate naturæ

Digitized by Google

putauerint. Infrà rationes Scoti, quæ reſpiciunt contingentiam abſolutè, ſoluentur; quæ verò non abſolutè reſpiciunt contingentiam, ſed talium rerum ſubditarum corporibus cæleſtibus, ſoluuntur in quæſtione de gubernatione rerum.

Clariori, & breuiori methodo recitatur à Caiet. alibi opinio Scoti, & D. Thomæ.

Clarius autèm, & breuiùs Caietanus explicat in p. p. q. 19. art. 3. opinionem D. Th. & oppoſitam Scoti ſic. In Reſponſione ad 5. & 4. nota diligentiſſimè doctrinam D. Th. in p. c. gent. c. 83. de contingentia ad vtrumlibet dupliciter inuenta, ſcilicet, quandoq; ex parte cauſæ, & quandoque ex parte eius ad quod dicitur, & plenè intelliges ea quæ dicuntur in art. 5. cit. ſuccinctè. Ex his autèm, quæ dicuntur hic, & ibi, habes quàm rudis, & nouus ſit ſermo Scoti in p. ſent. diſt. 39. appellantis Diuinam voluntatem cauſam contingentem. Fas quippè non eſt in Diuina voluntate contingentiam dicere, ſed vt in littera a. 3. dicitur eſt in ſe neceſſaria non neceſſariam habens habitudinem ad ſecundariò volita, ſi neceſſarium aut contingens ei tribuendum eſt. Magis enim proprio vocabulo liberam illam dicere debemus, vt alibi S. Th. docet, & diximus ſuprà, quià libertas media eſt intèr neceſſitatem, & contingentiam: illa enim, impoſſibilitatem alitèr ſe habendi, hæc poſſibilitatem alitèr ſe habendi ſucceſſiuè, ideſt mutabilitèr ponit; libertas autèm abſq; mutabilitate aliter ſe haberi poſſe ſignificat. Ità Caiet. in loc. cit. opinionem D. Th. & Scoti paucis in verbis reſtringit, quam diffuſè alibi explicat, ſcilicet in art. 13. q. 14. p. p. & p. p. q. 19. a. 8. vbi D. Th. multum rationabilitèr reprehendit, addit Caietanus, opinionem aliquorum, qui dixerunt voluntatem Diuinam non imponere neceſſitatem omnibus rebus ex diſparitate mediorum agentium, quia ſcilicet quædam agit per cauſas medias neceſſarias, & quædam per cauſas contingentes. Videas ſuprà Notabile vltimum, vbi per velle Dei, quia efficaciſſimum eſt, & res, & modi voliti, fiunt. Ità Caietanus loc. cit.

1. Concl. Caiet. ex D. Th. cum ſua probatione, quod ſimpliciter contingens, ortum habeat à neceſſario.

Quo ad 3. Prima Concluſio ponitur à Caietano ex D. Th. art. 13. q. 14. in p. p. ſic. Non repugnat, ſed conſonat contingenti, quod ſimpliciter à neceſſario ortum habeat.

Probatur à Caiet. ſub tali forma. Pluralitas ab vnitate, motus ab immobili, difforme ab vniformi oportet quod procedat: ſed contingens habet rationem pluralitatis, motus, & difformitatis, quia poteſt alitèr ſe habere, neceſſarium autem vnum, immobile, & vniforme habet quod impoſſibile alitèr ſe habeat: ergo contingens à neceſſario, & non è conuersò procedit naturalitèr, ac per hoc non repugnat, ſed conſonat contingenti, quod à ſimplicitèr neceſſario ortum habeat. Ità Caietanus loc. cit. §. Quo ad primum &c.

2. Concl. Caiet. cum ſua probatione quod non ſit contingentia formaliter in Deo.

Secunda Concluſio ponitur à Caietano ibidem contrà aliquos. Diuina Voluntas non poteſt eſſe radix contingentiæ, quaſi quod in ipſa ſit contingentia formaliter.

Probatur à Caiet. ſub tali forma. Iſta poſitio ſupponit vnum falſum: ergo &c. Probatur, quia ſupponit quod velle Diuinum ſit contingens, & neceſſarium eſt tamen eſt liberum, & neceſſarium neceſſitate immutibilitatis. Inſuper probatur eſto voluntas Diuina neceſſariò ſimpliciter cauſaret, adhuc poteſt ſaluari contingentia vt probatum eſt alibi ſuprà, proptèr modificatam contingentiam ad effectus vltimarum cauſarum defectibilium, aut ad vtrumlibet. Ità Caiet.

Concluſio Reſponſiua quæſiti cum ſua prima probatione quod diſparitas mediorum non eſt radix cōtingentiæ.

Tertia Concluſio Reſponſiua quæſiti ex D. Th. p. p. q. 19. a. 8. ponitur à Caietano tali pacto. Quod quædam volita ſint neceſſaria, & quædam non, eſt diſparitas mediorum agentium, ſed cauſa vera, eſt efficacia Diuinæ voluntatis.

Probatur à Caietano ex D. Th. primò ſic. Diuina voluntas eſt cauſa prima non impedibilis ob defectum cuiuſcumque cauſæ ſecundæ: ergo Diuina voluntas non habet effectum contingentium proptèr cauſam: Probatur conſequentia quia effectus pri-

primæ cauſæ eſt contingens proptèr defectum cauſæ ſecundæ ex eo quod impeditur effectus primæ cauſæ, vt patet de Sole, & Planta: Virtus enim Solis per defectum Plantæ impeditur reſpectu perficiendi fructus.

Probatio ſecunda primæ partis Concluſionis.

Probatur 2. ducendo ad inconueniens. Diſtinctio contingentium à neceſſarijs refertur ſolùm in cauſas ſecundas: ergo eſt prætèr intentionem, & voluntatem Diuinam: ſed hoc eſt inconueniens: ergo iſti malè opinantur, quod radix huiuſmodi ſit conditio cauſæ ſecundæ ideſt, defectibilitas, ſeù poſſibilitas contradictionis in cauſis ſecundis inuenta, & ad hoc meliùs intelligendum inducitur exemplum Scriptoris, vt in vltimo notabili ſuprà vidimus. Igitur ſi opinio iſtorum intelligatur ſic, quod Deus Glorioſus, quia omni genere cauſarum ſecundarum ſtatuerit vti, & infrà latitudinem cauſarum inueniantur, quædam defectiuæ, vel ad vtrumlibet, ideò ſequatur contingentia ſi ſic intelligatur, optimè reprehenſa eſt non niſi modeſtè ab Auctore, hac duplici ratione.

Probatio 2. p. Concluſionis ex D. Th. formalizata à Caiet. ſcilicet quod radix contingentiæ, ſit efficacia Diuinæ voluntatis.

Probatur 2. pars à Caietano ex D. Th. ibidem ſub tali forma. Effectus conſequitur cauſam efficacem, non tantùm ſecundum id quod ſit, ſed etiam ſecundum modum eſſendi, vel fiendi: ergo ea quæ Deus vult fieri ſortiuntur à voluntate ſua non ſolùm quod fiant, ſed etiàm modum, quo vult quod ſint, & fiunt: ergo quædam ab eo habent, quod fiunt neceſſariò, & quædam contingentèr: ergo ex hoc quibuſdam effectibus adaptauit cauſas neceſſarias, & quibuſdam contingentes, ergo radix contingentiæ refundenda eſt in efficaciam Diuinæ voluntatis. Antecedens manifeſtatur à D. Th. in littera art. 8. cit. in generatione Filij quo ad ſimilitudinem accidentium: ex debilitate enim virtutis actiuæ in ſemine contingit, quod Filius naſcitur diſſimilis Patri in accidentibus, quæ pertinent ad modum eſſendi. Prima verò conſequentia probatur, quia voluntas Dei eſt efficaciſſima cauſa; ſecunda autem, quia Deus vult contingentiam, & neceſſitatem, quod probatur ex cauſa finali propria, ſcilicet ex perfectione Vniuerſi, vt ſit ordo in rebus ad complementum Vniuerſi. Tertia autèm manifeſtatur, quia contingentia præexigunt cauſas contingentes, & neceſſaria neceſſarias, vt proximas, & conformes ſibi cauſas, alitèr enim non eſſent omnia diſpoſita. Non rectè igitur dicunt prædicti, quod proptereà effectus voliti à Deo eueniunt contingentèr, quia cauſæ proximæ ſunt contingentes, ſed quia Deus eos contingentèr euenire, contingentes cauſas ad illos præparauit. Et ſic remanet in vniuerſali probatum, quod prima, & principalis per ſe primò radix contingentiæ, & neceſſitatis eſt efficacia Diuinæ voluntatis. Ità Caietanus ex D. Th. in art. 8. q. 19. cit.

Retinet duo Scoti allata à Caiet. quas alibi in 8. Phyſicorum ſoluit.

Quo ad 4. affert Caietanus in fine Comment. art. 8. duo Argumenta Scoti. Et prima ratio Scoti incipit ſic. Cauſa mouens in quantum mota ſi neceſſario mouetur, neceſſariò mouet. Sed omnis cauſa ſecunda eſt mouens in quantùm mota à prima ergo &c.

Secunda ratio Scoti eſt hæc. Prima cauſa prius naturaliter reſpicit effectum, quàm quæcumq; alia cauſa: ergo ſi neceſſariò cauſat, omnis effectus in illo priori, habet neceſſariam habitudinem ad ipſam: ergo nullus effectus ſit contingentèr &c.

Reſp. Caiet. ad has duas rationes Scoti in ſua Phyſica in 8. Phyſ. q. 4. vbi quærit Verùm Primus Motor ſit ita vniuerſalis in mouendo, vt operetur in omni mouente ibi ponit num. 251. & num. 152. & q. 5. num. 266. legas ibi.

Fundamentū ponitur à Caiet. ad deſtruendam poſitionem aduerſariorum.

Solummodo hic ponitur fundamentum à Caietano quo probat eſſe falſam opinionem prædictam ſic. Videtur mihi prædictam opinionem, & in ſe, & in ſuis fundamentis eſſe falſam. Primò quia ex ipſa ſequitur hanc partem Vniuerſi non eſſe à Deo, vt ab agente à propoſito, quod eſt contrà Theologos, & contrà Philoſophos.

Digitized by Google

Et probatur ſequela ſic. Effectus agentis à propoſito vt ſic opportet eſſe electum ab eo, vt patet 9. Met. vbi potentia rationali à prohæreſi determinari ad agendum dicitur, ſed ſi contingentia oritur ex modo volendi ipſius Dei, ipſa non eſt electa, ſed conſequens modum eligendi: ergo ipſa non eſt effectus Dei, vt agentis à propoſito; & ſic contingentia eſt in Vniuerſo præter intentionem Dei, vtpotè conſequens modum volendi eius, non volitionem ipſam. Inſuper dato quod Diuina voluntas, non liberè, ſed naturali neceſſitate vellet, & cauſaret (ſalua tamen efficaciæ ſuæ virtute) hoc vniuerſum quale nunc eſt, adhuc contingentia ſaluaretur, tùm quia eſſent cauſæ defectibiles, tum quia eſſent agentia libera, puta homines. Et hoc euidentius apparet, quod ex ipſo, quod non omnis effectus habet per ſe cauſam, aliquid contingentèr euenit, vt patet in 6. Met. Ità Caietanus, qui in p. p. q. 22. a. 4. facit inſtantias contrà Reſp. ad primum D. Th. ibique eas ſoluit, prout ſunt contrà Concluſiones ſuprà &c. Videndus eſt omninò Caietanus in illa Reſponſione ad primum D. Th. cum ſuis Commentarijs, cùm tractet ibi de infallibilitate euentus ſalua libertate arbitrij &c.

Appendices ad Lectionem 4. Metaphyſicalem in Tractatu Nono de Cauſalitate primæ, & ſecundæ cauſæ.

PRæſens Lectio eſt omninò Metaphyſicalis, pro cuius difficultate penetrandà legenda eſt littera D. Th. in art. 4. q. 22. p. p. vbi quæritur An Prouidentia rebus prouiſis neceſſitatem imponat, cum formalitatibus, & Appédicibus Ven. Porrectæ, & Commentarijs Caietani in Reſponſione ad primum D. Thomæ, vbi conatur ſaluare contingentiam in libertate cum infallibilitate prouiſa actuum humanorum; & quomodò voluntas Diuina in actibus noſtris liberis ſit radix contingentiæ, & libertatis. Legendus eſt etiàm D. Th. in p. 2. q. 10. art. 4. & Ven. Porrecta ibi, vbi ponitur illa Concluſio Deus ſic mouet voluntatem quod non de neceſſitate ad vnum eam determinat, ſed remanet motus ejus contingens, & non neceſſarius, niſi in his, ad quæ naturaliter mouetur, quia voluntas eſt actiuum principium non determinatum ad vnum, ſed indifferentèr ſe habens ad multa; & Deus mouet omnia ſecundum eorum conditiones; Si Deus igitur mouet omnia ſecundum eorum conditiones, & conditio voluntatis ad aliqua eſt naturaliter ſe habens, vtique, habetur, & relinquitur, quod Deus in his, quæ naturaliter voluntas vult moueat eam de neceſſitate &c.

Intèr antiquos Thomiſtas legas Capreolum in p. ſent. diſt. 38. q. p. & ad 4. & diſt. 36. a. 2. Palludanum ibi, & Capreolum itidem in p. ſent. diſt. 45. q. 1. a. 2. Vide Ferr. 3. c. g. cap. 66. & p. c. g. cap. 67. & c. 37. B. Albertum Magnum p. ſent. diſt. 45. a. 4. & 8. & Capreolum diſt. 41.

Intèr Modernos legas in proprijs locis Sapientiſſimos primæ Claſſis Doctores, Hiſpanos, Toloſanos, Sorbonenſes, Salmanticenſes Cathedraticos, Godoy &c. Aluarez, Ioannem Martinez de Prado in ſua Metaphyſica 2. p. Controu. 12. §. 4. & 5. num. 36. Ex Modernis extrà Scholam qui ſe opponunt doctrinæ D. Th. vide Suarezium in ſua Metaphyſica diſp. 19. ſect. 3. vbi tria dicit, in quibuſdam concordar, & in quibuſdam diſcordar, & ſect. 10. num. 5. Vide Gabrielem Molinam, & Vaſquezium, qui in p. p. diſp. 99. cap. 7. citat Alenſem, & D. Bonau. ſtupens quod D. Th. reprehendat opinionem illam, quæ poſuit totam radicem contingentiæ in cauſis medijs, putantes prædicti quod prima, & remota cauſa contingentiæ ſit voluntas Dei, quæ condidit liberum arbitrium hominum, & Angelorum, ac ape-

pe-

Digitized by Google

petitum Beſtiarum quo ad eos actus dicunt, in quibus veſtigium libertatis apparet contrà quos eſt D. Th. in q. 23. de Ver. a. 1. & 5. & in 6. Met. lect. 3. & alibi. Legatur Magiſter Arnù in ſua Metaphyſica q. 9. de diuiſionibus cap. 2. vbi ponit ſic primam Concluſionem. Diuina voluntas eſt ſimpliciter prima cauſa, & radix neceſſitatis, contingentiæ, ac libertatis in rebus creatis ex p. p. q. 19. a. 6. & q. 83. a. 1. & in 2. Concluſione num. 28. addit quod efficacia Diuinæ voluntatis non abſolutè ſumpta, ſed vt eſt agens liberè eſt cauſa libertatis, & contingentiæ ex 2. ſent. diſt. 25. q. 1. a. 2. ad 1. & diſt 38. & in 3. Concluſione num. 31. ex p. p. q. 86. a. 3. ex Caietano ibi addit quod contingentia ratione potentiæ in rebus, ſeù à radice dimanat; neceſſitas verò ex actu; in primo ſenſu materia prima eſt radix in ſecundò forma.

LECTIO V. METAPHYSICALIS

In Tractatu Nono

DE CAVSALITATE CAVSÆ PRIMÆ, ET SECVNDÆ.

Vtrùm ſit neceſſarium, quod omne ens ſit creatum à primo operante.

Ex Caietano p. p. quæſt. 44. *art.* 1.

Declaratio Tituli, einſque ſenſus facta à Caiet.

Titulus præſens coincidit, & eſt prorsùs idem, ait Caietañus, cùm illo alio, in quo quæritur Vtrùm omnia à prima cauſa per creationem procedant. Et ſenſus formalis quæſiti in præſenti lectione non quæritur ſub ratione formali motus, quia de hoc iam quæſitum eſt in Phyſicis lib. 7. q. 1. 2. & 6. & in 8. q. 4. & 5. ſed quæritur ſub formalitate cauſæ effectiuæ; & ly omne ens non ſtat pro omni re alia à Deo, quia de materia prima quæritur in art. ſequenti q. 44. cit. & nos ſuprà de ipſa in alio Tractatu egimus, & etiàm in Phyſicis lib. 1. Phyſ. q. 8. num. 103. ſed hic ſtat pro omni re, quæ propriè dicitur ens, vt ſunt apud nos compoſita, quæ ſubſiſtunt; Et ly creatum ſignificat cauſatum effectiuè, & coincidunt hæc duo in D. Thoma omne ens eſt creatum, & omne ens eſt factum à Deo, gratia materiæ. Titulus igitur quæritur de cauſa in quantùm cauſa, & non de re quæ eſt cauſa. Valet enim, A, non eſſet ſi cauſa illius non eſſet, ideſt ſi non cauſaretur: ergo, A, eget cauſa; aliqui autèm interpretantur de re, quæ eſt cauſa materialitèr, & non benè, vt aduertit Diuus Tho-

Thomas in Reſponſione ad ſecundum. Itá Caietanus locis citatis.

Notab. 1. Caiet. in quo explicantur iſtæ duæ propoſitiones, ſcilicet omne quocumque modo eſt &c. & alia, omne inuentum in aliquo per participationem, cauſatur ab eo cui ineſt per eſſentiam.

Quo ad 1. Notat primò Caietanus in art. cit. iſtas duas propoſitiones aſſumptas à D. Th. pro probatione Concluſionis infrá ponendæ, ideſt, omne quod quocumq; modo, eſt &c. & iſta alia omne inuentũ in aliquo per participationem cauſatur ab eo, cui ineſt per eſſentiam, & iſta eſt communis Platonicis, & Peripateticis; & prima quo ad rem in terminis communibus, communis eſt Sapientibus ferè omnibus; diſſenſio eſt in expoſitione terminorum ad probandam Concluſionem infrà; vndè nota quod in prima per ly quocumq; modo ſignificatur omnis modus entis conſtitutiuus cuiuſcumq; generis, & non communis, ſeù tranſcendens modus, quo ens diſtinguitur per actum, & potentiam, itá quod ſenſus eſt, omne quod eſt quid, quale, vel quantum &c. & non eſt ſenſus omne quod eſt actu, vel potentia, dico autèm hoc proptèr materiam primam, de qua alibi dictum eſt, & dicitur etiàm proptèr ipſum actum eſſendi, de quo verificari non poteſt quod non eſt ſuum eſſe, quod tamen ſubſumitur de omni alio à Deo, & pro eodem reputat littera art. 1. quod omnia alia à Deo non ſunt ſuum eſſe, & participant eſſe. Et in ſecunda propoſitione nota, quod ly per eſſentiam &c. eſt propoſitio per ſe immediata; quo ad nos autèm eſt manifeſtata, quia imperfecta à perfectis, & per aliud à per ſe naturalitèr deriuantur. Vocatur autèm res per eſſentiam quia habet tres conditiones. Prima quod Bonitas puta, vel Albedo eſt ipſa natura; ſecundò quod non eſt contracta quouis modo, quod dico proptèr Animam intellectiuam, & imaginatias poſitiones, ſi Albedo vt quatuor ſepararetur, & ſic conſeruaretur etiam abſque quantitate; tertiò quod eſt in ſe ipſa naturaliter ſubſiſtens, quod dico proptèr modum ſignificandi nominis abſtractiRes enim nomine Albedinis ſignificata non eſt Albedo per eſſentiam niſi ſecundum modum ſignificandi; res autèm per participationem conſtituitur ex contractione latitudinis alicuius rationis formalis quouis modo contingat, ſiuè ſubiectiuè gradualiter, ſiuè quouis alio modo. Itá Caietanus.

Notab 2. Caiet. in quo explicatur quod nam ſit illud ſubſiſtens quod dicitur per eſſentiam.

Notat inſuper ibidem art. 1. cit. quod ſubſiſtere ſolùm non facit rem ſubſiſtentem eſſe talem per eſſentiam, vt patet de ſubſtantijs ſeparatis, & etiàm compoſitis materialibus: ſed ſubſiſtere actus receptibilis ſecundum ſuum ordinem conſtituit talem actum per eſſentiam, & negatio ſubſiſtentiæ conſtituit eundem per participationem; Vndè quia eſſe ſecundum ſuum ordinem eſt receptibile in alio, ſimilitèr Sapientia, Bonitas &c. Et apud Platonem quidditates ſenſibiles receptibiles erant in materia; ideò quodcumque notum ſi ſubſiſtat eſt tale per eſſentiam, at ſi non ſubſiſtat, eſt per participationem; & propterea datur à D. Th. exemplum de Albedine, quam conſtat eſſe formam receptibilem in alio. Et quoniam naturalitèr ſubſiſtens includit irreceptibilitatem, & non ſubſiſtere includit receptionem in alio, propterea D. Th. à ſubſiſtentia ad recipi declinat, dùm dicitur quod Albedo non multiplicatur niſi ſecundum recipientia; An vero multiplicatio indiuiduorum eiuſdem rationis ſit ſolùm penès recipientia, & an verùm ſit quod omnia alia à Deo non ſint ſuum eſſe, diſcuſſa ſunt alibi ſuprà in alio Tractatu ex Comment. de ente, & eſſentia, vbi multa ad vnitatem ipſius eſſe per eſſentiam ex eius irreceptione diximus. Itá Caietanus in p. p. q. 44. a. 1. §. Circà probationem vtriuſque partis Minoris &c.

Opinio D. Th. quod omne quod eſt, habet cauſam efficientem, ſcilicet Deum, et à quo en[illegible] de entibus neceſ-

Quo ad 2. Opinio S. Thomæ affirmatiua elucidatur à Caietano ex Reſponſione ad tertium D. Thomæ ſic. In ly Ad hoc aliquid indiget, vt ſit, cauſa efficiente, ly vt ſit, explicandum eſt per hoc quià non eſſet, ſi cauſa non eſſet, non autèm quia contingens ſit: eſto enim neceſſaria non ſint contingentia, ideſt non habeant hoc, quod poſſint non eſſe, neceſſaria tamen, excluſo Deo, habent hoc quod non eſſent, ſi cauſa efficiens ipſarum non eſſet. Vnde aliqui fuerunt moti ad ponendum quod id quod

eſt

Digitized by Google

eſt neceſſarium non habeat cauſam vt dicitur in 8. Phyſ. tex. 15. ſed Ariſt. in 5. Met. tex. 6. ait quod ſunt quædam neceſſaria, quæ habent cauſam ſuæ neceſſitatis. Et aliqui dicunt, addit Caietanus, quod huiuſcemodi auctoritates allatæ à D. Th. non ſunt ad propoſitum, quia Ariſtoteles loquitur de complexis, & non de incomplexis, vt in ſcientijs demonſtratiuis, in quibus principia neceſſaria ſunt cauſæ conclusionum neceſſariarum: Rudis tamèn hæc eſt interpretatio. Tùm quia 8. Phyſ. hoc dicit tractando de principio motus æterni contrà Democritum, volens quod rei æternæ quærenda ſit cauſa, & ad hoc manifeſtandum inducit Triangulum habens tres angulos, tum quia in 5. Met. poſtquàm de complexis tractauit ſubdit duplex eſſe neceſſarium, ſcilicet ex ſe, & ab alio: & vult quod neceſſarium ex ſe ſit omninò ſimplex, & loquitur de Deo. Tùm quia cauſa complexorum in eſſendo eſt cauſa in rerum natura illius eſſe, quod ſub affirmatione, vel negatione ſubiacet, quod conſtant eſſe incomplexum: omnis namque complexio in ſola eſt Anima. D. Thomas igitur tenet quod omne quodcumque modo, eſt, eſt à Deo, etiàm entia neceſſaria in ſenſu explicato. Ità Caietanus in fine Comment. art. p. q. 44 cit.

ſarijs, excepto Deo, contrà aliquos ſentientes oppoſitum.

Quo ad 3. Vnica Concluſio Reſponſiua quæſiti ponitur à Caietano ex D. Th. in p. p. q. 44. a. 1. tali pacto. Neceſſe eſt, quod omne quocumq; modo eſt, ſit à Deo.

Probatur à Caietano ſub tali forma. Omne inuentum in aliquo per participationem cauſatur ab eo, cui ineſt per eſſentiam: ſed eſſe inuenitur in omnibus alijs à Deo per participationem, & in Deo per eſſentiam: ergo omnia alia entia ſunt cauſata à Deo. Maior manifeſtatur in Ferro ignito, & igne, quia ferrum ſit ignitum ab igne. Minor verò quo ad Deum probatur ex p. p. q. 3. in qua probatum eſt quod Deus eſt ipſum eſſe ſubſiſtens; quo ad alia verò à Deo probatur ſic. Eſſe ſubſiſtens non eſt niſi vnum, ergo omnia alia à Deo non ſunt ſuum eſſe: ergo participant eſſe: Antecedens probatum dicitur q. 7. a. 1. ad 3. & clariùs in art. 2. eiuſdem quæſtionis, & manifeſtatur exemplo Albedinis vt vidimus ſuprà in primo notabili. Et confirmatur tota hæc ratio, auctoritate Platonis, & Ariſtotelis, quia Plato dixit, quod neceſſe eſt antè omnem multitudinem ponere vnitatem. Et Ariſt. dicit in 5. Met. tex. 4. quod id quod eſt maximè ens, & maximè verum eſt cauſa omnis entis, & omnis veri, ſicut id quod eſt maximè calidum eſt cauſa omnis caliditatis. Ità Caietanus ex D. Th. a. 1. cit.

Vnica Concluſio ponitur à Caiet. ex D. Th. Reſponſiua quæſiti cum ſua probatione quod omne ens quocumq; modo eſt à Deo creatum.

Quo ad 4. Arguit Caietanus ex D. Th. a. 1. cit. ſic. Nihil enim prohibet inueniri rem ſine eo; quod non eſt de ratione rei, ſicut hominem ſinè Albedine: ſed habitudo cauſati ad cauſam non videtur eſſe de ratione entium, quia ſinè hac poſſunt aliqua entia intelligi: ergo ſinè hac poſſunt eſſe: ergo non prohibet eſſe aliqua entia non creata à Deo.

Arguit primò Caiet. ex D. Th.

Reſp. Caiet. ex D. Th. ſed habitudo &c. non videtur eſſe de ratione entium ſimpliciter, concedo; per participationem nego; licet enim entia ſimpliciter, ideſt & Deus, & entia poſſint intelligi vt entia ſinè habitudine ad cauſam; entia tamen, vt per participationem ſunt entia, non poſſunt intelligi ſine habitudine ad cauſam. Eſſe igitur cauſatum non eſt de ratione entis, ſed de ratione entis creati vt creati, ideſt vt entis per participationem, ſicuti nec Homo quin ſit riſibile; & ſic habitudo ad cauſam, ait littera, licet non intret differentiam entis, ſequitur tamèn ad ea, quæ ſunt de eius ratione. Ità ex D. Th.

Reſp. Caiet. ex D. Th. ad primum.

Arguit 2. Caietanus ex D. Th. Quorumcumque eſt aliqua cauſa, in his poteſt fieri demonſtratio per cauſam illam: ſed in Mathematicis non ſit demonſtratio per cauſam agentem ex 3. Met. tex. 4. ergo non omnia entia ſunt à Deo ſicuti à cauſa efficiente. Ità ex D. Thoma.

Arguit 2. Caiet. ex D. Th.

Reſp.

Reſp. Caiet. ex D. Th. ad ſecundũ.

Reſp. Caietanus ex D. Th. Quorumcumque eſt aliqua cauſa &c. & ſecundum habitudinem, quam habent ad cauſam illam conſideratur &c. licet enim Mathematica ſecundum eſſe ſuum habeant cauſam agentem, ipſamet tamẽ vt abſtracta ſecundum rationem non conſiderantur ſecundum habitudinem ad cauſam agentem. Quod ergo in Mathematicis non fiat demonſtratio per cauſam agentem, non prouenit ex eo, quod Mathematicales res non habeant cauſam illam, ſed ex eo quod nos non conſideramus res ipſas in ſcientia Mathematica ſecundum habitudinem ad cauſam agentem. Argumentum igitur peccat in fallacia ſecundum non cauſam vt cauſam, & tanto magis ex hoc infirmatur, quanto prætèr noſtrum conſiderare ſic, vel ſic nihil mutatur in re. Ità Caiet, ex D, Th. loc, cit.

Appendices ad Lectionem Quintam Metaphyſicalem in Tractatu Nono de Cauſalitate cauſæ primæ, & ſecundæ.

PRo maiori captu huius Lectionis legas D. Th. in 2. ſent. diſt. 1. q. 1. a. 2. & 3. & diſt. 17. q. 1. a. 2. & in opuſc. 3. cap. 68. & 69. & in opuſc. 1. c. 9. De Thomiſtis antiquis legas Ferr. in 2. c. g. c. 15. & 16. & 6. Ægidium in 1. ſent. diſt. 1. q. 1. Banneſium ſuper hunc articulum, Iauellum in 12. Met. q. 5. & 28. vbi de mente Ariſtotelis examinat creationem. Legas Ven. Porrectam ſuper art. 1. quæſt. 44. cit. alioſque Sapientiſſimos Thomiſtas citatos, in Appendicibus præcedentibus, & Magiſtrum noſtrum nouiſſimum Arnù in ſua Metaphyſica nouiſſima in q. 11. de prima cauſa a. 3. vbi quærit Vtrùm omnia creata à prima cauſa procedant, & quomodò, ibique clariſſima Methodo oſtendit omnia à prima cauſa per Creationem procedere, & cum Ven. Porrecta oſtendit quod Hæretici hoc negarunt pertinacitèr, & inuerecundè, & quod primus fuit Nicolaus vnus ex Septem Diaconibus, quos Apoſtoli elegerunt ad miniſtrandum vt habetur Act. primo cum quo Nicolao Gnoſtici, Apelles, & Manichæus conſentiunt, contrà quos eſt D. Auguſt. & D. Th. 2. c. g. c. 15. & 16. cuius rationes illuſtrant interpretes, vt Caietanus, & alij primæ Claſſis &c. clamant vnanimitèr, quod ipſe fecit nos, non ipſi nos &c. & occaſione huius Difficultatis ſeù præſentis lectionis declarat Arnù Actionem creatiuam Dei cum D. Th. in eodem art. 3. cit.

Digitized by Google

LECTIO VI. METAPHYSICALIS

In Tractatu Nono

DE CAVSALITATE CAVSÆ PRIMÆ, ET SECVNDÆ.

Vtrùm primum principium effectiuum omnium Entium conſeruet hæc in eſſe, mediatè, vel immediatè.

Ex Caietano p. p. quæſt. 104. *art.* 1. *&* 2. *Et alibi pluribus in locis.*

Declaratio Tituli, eiuſque ſenſus facta à Caietano.

QVÆRITVR in Titulo præſentis Lectionis, aitCaietanus, in ſenſus formali, ſcilicèt an primum principium operatiuum, ſeù effectiuum omnium entium, conſeruet hæc omnia in eſſe, & hoc in art. 1. q. 104. & inſuper conſeruet ea immediatè, vel aliqua mediantibus cauſis ſecundis, & hoc in art. 2. & ly conſeruet, intelligas duplicitèr vel directè, vel indirèctè quidem per remotionem corrumpentium; directè verò per manutentionem dependentis à ſe. De dependentia autèm effectuum ab agente, quomodo aliquis ab agente cauſetur ſecundum fieri, & non ſecundum eſſe directè, aliquis verò, & ſecundum fieri, & ſecundum eſſe directè, iàm diximus in Phyſicis in 2. Phyſ. quæſt. 8. & alibi. Senſus igitur eſt, An primum principium effectiuum, ſcilicèt Deus conſeruet res creatas à ſe, vel directè, ex hoc quod omnis Creatura primò dependet in ſuo eſſe ab illo, vel indirectè conſeruentur ab alijs citrà Deum, ex hoc quod idem effectus ſecundariò in eſſe dependet ab alijs. Ità Caietanus loc. cit.

Primum Notabile Caiet. in quo ponitur quod aliquod agens eſt cauſa ſui effectus in fieri tantùm, aliquod autèm & in fieri, & ſecundum eſſe.

Quò ad primùm. Notat Caietanus ex D. Thom. in art. 1. quæſt. 104. in 1. p. in hoc quod effectus dependet à ſua cauſa in quantùm eius cauſa, quod aliquid agens eſt cauſa ſui effectus ſecundum fieri tantùm, & non directè ſecundum eſſe eius, quod quidem contingit & in artificialibus, & in naturalibus rebus; aliquis verò effectus & ſecundum fieri, & ſecundum eſſe dependet directè. Effectus autèm dependens in eſſe deſcribitur à D. Thom. eſt cuius forma per ſe reſpicitur à tali agente; effectus in fieri tantùm eſt cuius forma non per ſe reſpicitur à tali agente. Exemplificatur hoc de Domo; Ædificator enim eſt cauſa domus quantùm ad eius fieri, non autèm directè quantùm ad eſſe eius: Manifeſtum eſt enim quod eſſe domus conſequitur formam eius; forma autèm domus eſt compoſitio, & ordo, quæ quidem forma conſequitur naturalem virtutem quamdam rerum; ſicut enim Coquus coquet cibum adhibendo aliquam virtutem actiuam, ſcilicèt ignis,

ità ædificator facit domum adhibendo Cæmentum, lapides, & ligna; quæ ſunt ſuſceptiua, & conſeruatiua talis compoſitionis, & ordinis, vndè eſſe domus dependet ex naturis harum rerum, ſicut fieri domus dependet ex actione Ædificatoris. Et ſimili ratione eſt conſiderandum in rebus naturalibus, quia ſi aliquid agens non eſt cauſa formæ in quantùm huiuſmodi, non erit per ſe cauſa eſſe, quod conſequitur ad talem formam, ſed erit cauſa effectus ſecundum fieri tantum. Et benè notato, addit Caietanus ly directè, quoniam ſtultum eſt dicere, fieri alicuius cauſari ab aliquo, & eſſe illius non, cùm fieri rei, nihil aliud ſit, quàm acquirere eſſe. Non ergò diſtinguitur intèr effectum in fieri tantùm, & in eſſe, & fieri ſimul abſolutè, ſed diſtinguitur ſubintellecto illo modo dependendi, ſcilicèt directè. Ità quod licet omnis effectus à ſua ſufficienti cauſa habeat & fieri, & eſſe, aliquis tamèn effectus eſt cuius eſſe non directè cauſatur ab agente, ſed fieri tantùm; eſſe verò cauſatur concomitantèr, vt domus reſpectu Ædificatoris; Aliquis verò effectus eſt, cuius & fieri, & eſſe directè ab agente pendet, vt lumen à Sole. Aer nullo modo natus eſt recipere lumen ſecundum eamdem rationem, ſecundum quam eſt in Sole, vt ſcilicèt recipiat formam Solis, quæ eſt principium luminis, & ſic ceſſat lumen ceſſante actione Solis, quia non habet radicem in aere. Quæritur ergò an omnis Creatura ſe habeat ad Deum ſicut Aer ad Solem illuminantem, & ſic directè dependeat in eſſe immediatè à Deo. Ità Caiet. art. 1. cit. §. Quo ad primùm ſunt tria.

Notabile ſecundum Caiet. in quo oſtenditur quod res ſunt in duplici ordine, & quod aliquæ conſeruantur à Deo mediatè.

Notat ſecundò Caietanus ex D. Thom. in Reſponſione ad ſecundùm art. 2. quæſt. 104. cit. vbi dicitur quod quædam res conſeruantur à Deo mediatè. Scito quod res ſunt in duplici ordine, ait Caietanus, quædam ſunt quibus creari conuenit per ſe, quædam verò, quibus conuenit per accidens. Per ſe autèm conuenire dico, non quod exigant, quod creentur; ſed quia exigunt, quod ſi fiunt, eorum factio ſit Creatio; Per accidens verò ſunt, quæ poſſunt fieri per Creationem, & per aliam viam, ea quæ per ſe creantur, à ſolo Deo conſeruantur, & in his eſt neceſſariò verum, quod eadem actio eſt conſeruationis, & creationis; talia autèm ſunt ſubſtantiæ immateriales, & vniuerſalitèr ingenerabilia, & incorruptibilia. Ea verò, quæ per accidens creantur, non opportet à ſolo Deo conſeruari, & in his conſeruatio non eſt Creatio. Imaginandum eſt enim, quod Deus creando Bouem ſupplet vicem omnium mediarum cauſarum, quo ad hoc, quod eſt dare illi eſſe: Sed ſtatim quod dedit eſſe deſinit ſupplere vicem aliarum cauſarum reſpectu Bouis illius, & faciet vnamquamq; cauſam in ſuo ordine habere influxum ſuper illum, ac ſi fuiſſet ab eis productus. Et ſic Deus in ſuo ordine cum alijs cauſis medijs, conſeruat hunc Bouem, quem tamen ſolus creauit, & hoc eſt quod in Reſponſione ad primùm breuitèr dicitur à D. Thom. quod Deus immediatè omnia creauit, ſed ordinem inſtituit, vt quædam ab his dependerent, à quibus conſeruarentur. Et hoc eſt verum quo ad Creata per accidens, quæ immediatè poſt Creationem ſubiecit ordini cauſarum ſecundarum, & conſequentèr conſeruanda inſtituit in cauſis ſecundis, & à ſe principalitèr. Ità Caietanus in fine Comment. art. 2.

Sententia S. Th. duo includit aliquid quod ſpectat ad Fidem, & aliquid quod tenetur ſecundum rationem naturalem Metaphyſicam,

Quo ad ſecundùm. Sententia S. Thomæ duo habet, ait Caietanus, vnum de Fide, alterum de lumine naturali. De Fide eſt, quod omnia conſeruari egent à Deo directè, quia eſſe cuiuslibet Creaturæ, ità dependet à Deo, vt nec ad momentum ſubſiſtere poſſent, imò in nihilum redigerentur, niſi operatione Diuinæ Virtutis conſeruarentur in eſſe iuxtà illud Heb. 1. portans omnia verbo virtutis ſuæ, & ex alijs locis Sacræ Scripturæ probat D. Thom. in art. 3. quæſt. 104. cit. citans D. Greg. lib. 16. moralium cap. 18. Et D. Auguſt. ſuper Gen. lib. 8. cap. 12.

Digitized by Google

12. ait, quod ſicut Aer præſente lumine fit lucidus, ſic Homo, Deo ſibi præſente, illuminatur: abſente verò continuo obtenebratur. Eadem hæc ſententia D. Thomæ quo ad id, quod ſpectat ad Fidem relinquitur intacta; quo ad aliud verò cognitum lumine naturali in 12. Met. ab Ariſtotele, tractatur ratione ex ratione primi efficientis, & auctoritatibus à D. Thom. ſcilicèt quod Deus conſeruet res quaſdam in eſſe mediantibus aliquibus cauſis: Philoſophus enim in 12. Met. tex. 34. attribuit conſeruationem, & permanentiam rerum ſuperioribus cauſis, & dicit, quod primus motus, ſcilicèt Diurnus eſt cauſa continuitatis generationis; & motus, qui eſt per Zodiacum, eſt cauſa diuerſitatis, quæ eſt ſecundum generationem, & corruptionem. Et Aſtrologi attribuunt Saturno ſupremo Planetarum res fixas, & permanentes, & ſic D. Thom. concludit in 2. art. quæſt. 104. quod Deus conſeruat res quaſdam in eſſe mediantibus aliquibus cauſis; & quod Deus per ſe, & directè conſeruat creaturas in eſſe, nullus, inquit, poteſt aduerſari, vt probat quæſt. 5. de potentia art. 1. & 3. cont. gent. cap. 65. Ità Caietanus in 1. p. quæſt. 104. art. 1. 2. & 3.

Quo ad tertium. Prima Concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 104. art. 1. tali pacto. Omnia egent conſeruari à Deo directè, non tamèn omnia conſeruantur indirectè.

Prima Concluſ. ponitur à Caiet. ex D. Tho. cum probatione 1. partis, ſcilicèt quod omnia egent conſeruari à Deo directè.

Probatur prima pars à Caietano ex D. Thom. ſub tali forma. Effectus alicuius cauſæ non ſolùm in fieri, ſed in eſſe eget conſeruari directè ab illa: Sed omnis Creatura eſt effectus dependens à Deo in fieri, & in eſſe: ergò omnis Creatura eget conſeruari à Deo directè: Maior probatur ex illa maxima. Omnis effectus dependet à ſua cauſa ſecundum quod eſt cauſa eius pro vt eſt in fieri, vel in eſſe. Minor probatur ex illa alia, quod ſcilicèt Deus ſolus eſt ens per eſſentiam, reliqua enim participatione ipſius ſunt entia, ſcilicèt participatiuè, non quod eorum eſſentia ſit eorum eſſe. Vndè ſicut Sol eſt lucens per ſuam naturam, Aer autèm fit luminoſus per participationem participando lumen à Sole, non tamèn naturam Solis, ità ſolus Deus eſt ens per eſſentiam ſuam, quia eius eſſentia eſt ſuum eſſe. Ità Caiet. loc. cit.

Probatur ſecunda pars. Non omnia egent remotione corrumpentium: ergò &c. Probatur hoc, quia quædam ſunt, quæ nulla habere, poſſunt corrumpentia, vt Angeli, & Corpora Cœleſtia; ille autèm dicitur conſeruare rem indirectè, & per accidens, qui remouet Corrumpens, puta ſi aliquis puerum cuſtodiat ne cadat in ignem, dicitur eum conſeruare. Et ſic etiàm Deus dicitur aliqua conſeruare, ſed non omnia, quia quædam ſunt, quæ non habent corrumpentia, quæ neceſſe ſit remouere ad rei conſeruationem. Ità Caietanus loc. cit.

Probatio 2 partis, ſcilicèt quod non omnia conſeruantur indirectè.

Secunda Concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 104. art. 2. ſic. Deus conſeruat res quaſdam in eſſe mediantibus cauſis, ſiuè directè, ſiuè indirectè.

Secunda Concl. Caiet. ex D. Thom cum ſua probatione ſcilicèt quod Deus conſeruat res quaſdam in eſſe medijs cauſis &c.

Probatur quo ad conſeruationem indirectè, & manifeſta experientia in rebus corporalibus, videmus enim multas res corporeas prohibere corruptionem aliquorum, vt Sal reſpectu Carnium, impedit enim has à putrefactione; & ſimilitèr de alijs &c.

Probatur quo ad conſeruationem directè. Ab aliqua Creatura dependet aliquis effectus ſecundum ſuum eſſe: ergò idem effectus dependet in eſſe primò quidem à Deo, ſecundariò ab alijs cauſis eſſentialitèr ſubordinatis reſpectu eiuſdem effectus, & tantò magis, quantò cauſa eſt proximior primæ. Antecedens eſt per ſe notum. Prima conſequentia eſt manifeſta ex prima concluſione, & ex nota-

Digitized by Google

bili ſuprà in quo dictum eſt, quod omnis Creatura dependet à Deo ſecundum ſuum eſſe; ſecunda eſt ex ſecuidens etiàm quo ad ordinem dependentiæ adiectum, qui tamèn ordo ſpecialitèr confirmatur auctoritate Ariſt. attribuentis primo motui conſeruationem perſeuerantiæ motus, & ſecundo motui conſeruationem motus alterationis; & auctoritate Aſtrologorum, vt diximus, qui dant Saturno res fixas, ex quo liquet, quod Cauſa quantò ſuperior, tantò magis cauſat, ac conſeruat effectum. Ità Caietanus in principio Comment. art. 2. quæſt. 104. cit.

Arguit primò Caiet. contrà primam Concluſionem.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus ex D. Thom. in quæſt. 104. Si Deus conſeruat res in eſſe, hoc erit per aliquam actionem: Per quamlibet autèm actionem agentis, ſi ſit efficax, fit aliquid in effectu: oportet igitur quod per actionem Dei conſeruantis, aliquid fiat in Creatura, quod non poteſt eſſe, quia per huiuſmodi actionem non fit ipſum eſſe Creaturæ, quia quod iàm eſt non fit; neque iterùm aliquid aliud ſuperadditur, quia vel non continuè Deus conſeruaret Creaturam in eſſe, vel continuè aliquid adderetur Creaturæ, quod eſt inconueniens, non igitur Creaturæ conſeruantur in eſſe à Deo.

Reſponſio Caiet. ad 1. Argum.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. quod Deus conſeruat res in eſſe vel per aliquam actionem, vel per actionis continuationem, qua dat eſſe: conſeruatio enim rerum à Deo non eſt per aliquam nouam actionem; ſed per continuationem actionis, quà dat eſſe, quæ quidem actio eſt ſinè motu, & tempore, ſicut etiàm conſeruatio luminis in Aere eſt per continuatum influxum à Sole. Ità ex D. Thom.

Arguit Caiet. ex D. Thom. contrà 2. Concluſ. cum ſua Reſponſione.

Arguitur ſecundò ex D. Thom. contrà ſecundam Concluſionem art. 2. quæſt. 104. Eadem actione Deus eſt conſeruator rerum, qua & Creator, vt dictum eſt: Sed Deus immediatè eſt Creator omnium: ergò & Conſeruator.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. quod Concluſio ſecunda eſt particularis, & Argumentum concludit vniuerſalitèr. Et omnia in prima rerum inſtitutione fuerunt creata, etiàm illa quorum conſeruatio pendet ex cauſis ſecundis, vt patet de primis Indiuiduis Leonum, & Boum &c. ideò Argumentum applicatum ad primam inſtitutionem rerum difficiliùs redditur vt patet; Ad intentum tamèn reſpicit Reſponſio D. Thomæ, quæ dicit quod eàdem actione, non tamèn eàdem immediatione eſt conſeruator rerum, qua & Creator: Deus enim immediatè omnia creauit: Sed in ipſa rerum reparatione ordinem in rebus inſtituit, vt quædam ab alijs dependerent, per quas ſecundariò in eſſe conſeruarentur, præſuppoſita tamen principali conſeruatione, quæ eſt ab ipſo. Ità Caietanus ex D. Thom.

Arguit Caiet. ex D. Thom. contrà idem quod ſupra.

Arguit Caietanus ex D. Thom. contrà idem. Vnaquæque res eſt magis proxima ſibi quàm rei alteri: ſed non poteſt communicare alicui creaturæ quod conſeruet ſe ipſam: ergò multo minus poteſt ei communicare, quod conſeruet aliam: ergò Deus omnia conſeruat abſque alia cauſa conſeruante.

Reſponſio Caiet. ad 2. Argum.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. quod vtique vnaquæque res eſt magis proximà ſibi, non tamèn cauſa ſibi: imò quia res eſt magis proxima, ſiuè propria, aut propinqua ſibi, ideò non poteſt ſibi communicari, vt ſemetipſam conſeruet, quoniam non poteſt communicari ſibi, vt ſit cauſa ſui ipſius; vnde Argumentum eſt magis pro Concluſione, quàm contrà. Et ratio radicalis eſt, quia ibi eſt fallacia ſecundum non cauſam vt cauſam: Non enim propinquum eſſe alicui, eſt vera conſeruandi cauſa alicui, vt putat Arguens, ſed cauſam eſſe alicui, quo ad eius eſſe, eſt vera cauſa conſeruandi ipſum. Patet autèm quod nihil poteſt eſſe cauſa ſui ipſius, licet poſſit eſſe alterius, & ideò quandoque alterum poteſt conſeruare, non tamèn ſe. Ità Caietanus ex D. Thom.

Arguit vltimò Caietanus contrà idem, Effectùs conſeruatur in eſſe ab eo, quod eſt

eſſe

eſſe eius non ſolùm ſecundum fieri, ſed etiàm ſecundum eſſe: Sed omnes cauſæ creatæ, vt videtur, non ſunt cauſæ ſuorum effectuum, niſi ſecundum fieri: non ſunt enim cauſæ niſi mouendo, vt dictum eſt: ergò non ſunt cauſæ conſeruantes ſuos effectus in eſſe.

Arguit vltimò Caiet contrà idem vt ſuprà cum ſua Reſponſione.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. negando minorem, quod omnes cauſæ creatæ non ſint cauſæ ſuorum effectuum, niſi ſecundum fieri: Aliud eſt enim non eſſe cauſam niſi in fieri, & aliud eſt non eſſe cauſam eſſendi niſi interueniente fieri, id eſt interueniente aliquo modo in mutatione; hoc ſecundum namque conuenit quibuſdam Creaturis, vt patet de Sole, vt diximus ſuprà: Sed aliquando effectus non eſt natus recipere impreſſionem agentis ſecundùm eamdem rationem ſecundum quam eſt in agente, ſicut patet in omnibus agentibus, quæ non agunt ſimile ſecundum ſpeciem; ſicut Cœleſtia Corpora ſunt cauſa Generationis, &c. ideò tale agens eſt cauſa non ſolùm fiendi, ſed etiàm eſſendi. Ità Caietanus art. 1. quæſt. 104. cit. & in Phyſicis lib. 2. quæſt. 8. per totum.

Appendices ad Lectionem 6. Metaphyſicalem in Tractatu Nono de Cauſalitate cauſæ primæ, & ſecundæ.

De hac materia pluribus in locis ſcripſit Auctor prætèr art. 2. 3. & 4. quæſt. 104. 1. p. legatur ipſe de verit. quæſt. 5. art. 2. ad 6. & de potentia quæſt. 5. art. 1. 3. & 4. & quolib. 4. quæſt. 3. art. 1. Sed præcipuè in 1. 2. quæſt. 109. art. 2. ad 2. & art. 8. in corp. & art. 9. ad 1. & 3. cont. gent. cap. 65. & 67. ratione tertia, & cap. 94. cùm Ferr. ibi & ſuper caput Io: 2. lectione ſecunda. Vide etiàm Capreolum in 2. ſent. diſt. 1. quæſt. 2. ſuper articulos omnes D. Thomæ cit. Legas Formalitates, & Appendices Vener. Porrectæ.

Caietanus inſupèr plura de hac materia ſcripſit in ſua Phyſica circà differentiam intèr cauſam vniuocam, & æquiuocam, & circà modum operandi earumdem; & circà illam propoſitionem Cauſa per ſe alicuius formæ cauſat illam in quocumq; inuenitur. Et cur Acqua retineat Calorem, non autem Aer conſeruet lumen, hæc omnia videas in Phyſica lib. 2. in tota quæſt. 8. à num. 64. Et cur ceſſante actione ædificatoris, remaneat Domus, ceſſante actione ignis remaneat aqua calefacta per aliquod Tempus. Legas ipſum in art. 1. quæſt 104. Ibi dicitur quod Ædificium conſeruatur ceſſante actionis ædificatoris, non quia hoc proueniat ex potentia ædificatoris, ſed ex eo quod ædificator non eſt cauſa ædificij quo ad conſeruari: quia tamèn eſt eius cauſa in fieri, ideò impoſſibile eſt, quod ædificium fiat ceſſante actione ædificatoris. Videndum eſt igitur in ſimilibus actionibus, quomodo cauſa ſit cauſa effectus, & poſteà iùdicetur, an conſeruari poſſit effectus ſine cauſa, nec ne.

Intèr Modernos legas Magiſtrum Arnù in ſua Metaphyſica quæſt. 11. de prima cauſa art. 3. cap. 3. & Blaſium à Conceptione Carmelitam in ſua Metaphyſica de Deo vt Conſeruatore diſp. 19. citantem Suarezium in Met. diſp. 21. ſect. 1. & Ledeſmam de Perfectionibus Diuinis quæſt. 11. art. 1. & 3. vbi clarè probat ex D. Thom. quod ſoli illi effectus pendent à cauſis ſecundis in conſeruari, qui pendent ab eis vt à cauſis æquiuocis. Et illi effectus qui pendent à cauſis vniuocis ſecundis non poſſunt per ſe & ex proprijs pendere in conſeruari, ſed per accidens, & vt eſt in hoc particulari effectu.

Digitized by Google

LECTIO VII. METAPHYSICALIS

In Tractatu Nono

DE CAVSALITATE PRIMI PRINCIPII EFFECTIVI.

Vtrùm omnia immediatè ſubdantur Gubernationi primi principij prouiſoris.

Ex Caietano in p. p. quæſt. 22. art 2. & 3. & quæſt. 163. art. 5. & 6.

Declaratio Tituli eiuſque ſenſus facta à Caietano.

DE FORTVITIS, & Caſualibus non eſt examen in præſenti Lectione, quia in Phyſicis in 2. Phyſ. quæſt. 17. ſunt diſcuſſa, vbi ſupponitur, quod impoſſibile ſit Mundum eſſe gubernatum à pluribus, quia mundi gubernatio eſt optima quando fit vnum, cùm meliùs ſit id quod eſt per ſe vnum, quàm multi vniti, vt patet ex Philoſ. in 12. Met. Et quæritur nedum ex parte finis, ſed etiàm ex parte efficientis cauſæ. Et aduerte, addit Caietanus, quod quæſtio iſta licet ſit affinis, non tamèn eſt eadem formalitèr cum illa art. 3. q. 22. in 1. p. vbi quærit S. Thomas Vtrùm Deus prouideat omnibus, quia intèr prouidere, & gubernare hòc intereſt, quod prouidere eſt operatio immanens: gubernare autem eſt tranſiens; & propterea non prouidere immediatè per ſe ipſum, ponit imperfectionem in ipſo prouidente, quoniam importat ipſum non ſtatuere in mente ſua totum ordinem omnium in finem, ſed tantùm partem illius ordinis; Gubernare verò per media non ponit imperfectionem in Gubernante, niſi ex eius defectu procedat, ſed ponit eius actionem tranſeuntem multis quaſi inſtrumentis impleri quod patet non inconuenire Deo; & excludere medios prouiſores, vt executores Diuini ordinis pertingentis vſque ad minima, eſt tollere prudentiam humanam vt dicitur in 3. cont. gent. cap. 94. & cap. 76. Et ponitur in Titulo ly immediatè, vt ly immediatè ſignificat negationem medij prouiſoris, & Gubernatoris, ad complementum prouidentiæ, & Gubernationis Diuinæ. Et ſic ſenſus Tituli eſt hic. An ad actum prouidendi omnibùs, & gubernandi omnia, qui Deo conuenit vt primo principio effectiuo, concurrat, vel requiratur aliquis medius prouiſor, & Gubernator vt ſic. Ità Caiet. in 1. p. quæſt. 22. art. 3. & in quæſt. 103. art. 5. & 6.

Primum Notabile Caiet. in quo explicatur cauſalitas per ſe, & per

Quò ad primùm. Notat Caietanus illam propoſitionem D. Thomæ aſſumptam ad probandum intentum, ſcilicèt omne Agens agit propter finem, quod eſt idem dicere quod omnia ſunt ſubiecta cauſalitati primi agentis, intelligitur de cauſalitate

litate per ſe, & non per accidens, & ſic cauſalitas non eſt amplior ipſa ordinatione, vndè ſequitur, & ſinè alio medio, quod ſi actio eſt propter finem, ad tantùm ſe extendit ordinatio in finem, ad quantùm cauſalitas, quia ly propter, adæquat ly agit. In propoſito igitur ponderandum eſt nomen cauſalitatis, & ſatis propriè accipiendum, ideſt non ſumitur pro quocumque modo aliquid facere, ſed pro facere aliquid ſic, quod per ipſam ſuam actionem faciat id per ſe ipſum vt verè habeat illam conditionem ab illa cauſalitate; in cuius ſignum littera art. 2. quæſt. 22. cit. dicit quod effectus per accidens alicuius cauſæ, dicitur eſſe per cauſalitatem alterius cauſæ, & non illius cauſæ, cuius effectus dicitur per accidens. Et ſic cauſalitas intellecta, eſt cauſalitas per ſe: nec opportuit ly per ſe exprimi in corpore articuli, quia in ſermonibus ſcientificis omnia interpretanda ſunt per ſe; & quandò dicitur, quod Cauſalitas Dei extendit ſe ad omnia intelligendum eſt per eſſentiam, & potentiam vt exponitur in quæſt. 8. 1. p. alitèr ratio Concluſionis infrà ponenda nihil valet. Ità Caiet. art. 2. cit.

accidens occaſione illius propoſitionis quod omne Agens agit propter finem.

Notat ſecundò Caietanus circa permiſſionem Culpæ Prouiſoris, & Gubernatoris, quod ad prouidentiam Diuinam ſpectat diſponere omnia ſuauitèr, & ideò ſapientiſſimè elegit Deus permiſſionem malorum culpæ; Nec fallaris cùm legis in litt. art. 2. cit. Mala eſſe de intentione naturæ vniuerſalis, ac proindè mala culpæ eſſe de intentione primi, & vniuerſaliſſimi Agentis: hæc enim non ſunt ità intelligenda, vt ipſa mala ſint volita, ſeù intenta, ſiuè per ſe, ſiuè per accidens, quoniam hoc eſſe impoſſibile de malo culpæ alibi manifeſtatum eſt, ſed ità intelligitur, quod ipſa mala non ſunt nolita, ſeù non ſunt excluſa, per intentionem, ſeù volitionem cauſæ primæ, & quod permiſſio malorum culpæ eſt intenta proptèr integritatem, ac perfectionem Vniuerſi, & ſecundum hanc permiſſionem tenet ſimilitudo proportionalis intèr intentionem naturæ vniuerſalis reſpectu malorum naturalium, & intentionem Dei Glorioſi reſpectu malorum culpæ. Ità Caietanus in fine Comment. art. 2. cit.

Notabile ſecundum Caiet. in quo declaratur quomodo permiſſio culpæ ſit à Deo prouiſore & gubernatore.

Notat tertiò Caiet. in 1. p. quæſt. 103. art. 6. Circà ly Gubernare immediatè, quod intèr rationem rectricem, ſeù gubernatricem, & res rectas, eſſe rationem mediam contingit duplicitèr, vno modo vt ſupplentem notitiam, & regulationem rationis principalitèr, vt puta quia principalis dedit regulas vniuerſales, ordinauit principalia, dedit modum &c. Et inferioribus curam aliorum reliquit, ſecundùm particularia occurrentia, vt in hominibus frequentèr contingit; Alio modo vt miniſtram tantùm rationis principalis, vt puta quia principalis hæc agenda quo ad omnia diſcuſſa inferiori tradit exequenda, vt in miniſtris artium contingit, præoſtenſis omnibus à Magiſtris; Intèr autèm hos duos modos intereſt, quod primo modo mediat ratio vt ratio, quia vt coniungens notitiam, & regulationem vniuerſalem particularibus; in ſecundo verò mediat ratio, vt miniſtra, rationalis tamen; in primo ratio principalis non ſe extendit ad vltima immediatè, quia non abſque media ratione ea nouit, aut regulam eorum habet; In ſecundò verò immediatè ad vltima, quæ particularia ſunt ſe extendit. Et quoniam in omnibus ſecundum propria procedendum eſt, ideò de ratione loquendo, de tali mediatione intellexit *D.* Th. quia autem talis mediatio coincidit cùm mediatione virtutis, idcircò gratia materiæ primum membrum intelligitur de immediatione virtutis. Et ſicut diſtinctum eſt de media ratione, ita diſtinguendo eſt de medio executore: Conſtat enim quod intèr executorem vt ſic, & effectum duplicitèr contingit medium executorem poni; Vno modo ad ſupplendum potentiam executiuã prioris, alio modo ad miniſtrandũ tantùm priori; Et primum quidẽ per accidens ſe habet ad executoris rationem, quoniã non conuenit ei niſi ratione impotentiæ, quæ acci-

Notabile tertium Caiet. in quo ponitur quid ſit gubernare immediatè, &c.

Immediatio virtutis, & ſuppoſiti vbi & quando inueniatur in gubernatione immediata & non immediata.

Digitized by Google

accidit executori, non autèm eſt neceſſe executorem eſſe impotentem; ſecundum conuenit executori in quantùm executor eſt: exequi enim de ratione ſua importat miniſterium quoddam, vt de ſe patet. Vndè cùm de mediatione, vel immediatione executionis eſt ſermo, propriè loquendo de medio non ſupplente, ſed miniſtrante eſt ſermo. Et quia medium vt miniſtrans eſt medium vt ſuppoſitum, & non vt virtus, ideò ſecundum membrum de mediatione ſuppoſiti gratia materiæ verificatur. Ità Caietanus in Commentarijs art. 2. quæſt. 103. 5. Ad hoc dicitur, &c.

A Caiet. Sententia D. Tho. de Gubernatione rerum explicatur contrà illos, qui dixerunt inferiora non gubernari à Deo.

Quò ad ſecundùm. Caietanus in 1. p. quæſt. 103. art. 5. ait ſic de ſententia S. Thomæ. D. Thomas dicit competere Deo eſſe Gubernatorem rerum ſecundum eamdem rationem, qua competit eſſe cauſam rerum. Deus autèm eſt cauſa non quidem particularis vnius generis rerum, ſed vniuerſalis totius entis, vt oſtenſum eſt in 1. p. quæſt. 44. art. 1 & 2. Vndè ſicut nihil poteſt eſſe, quod non ſit à Deo creatùm, ità nihil poteſt eſſe, quod eius gubernationi non ſubdatur. Stulta igitur fuit opinio, addit D. Thom., dicentium, quod hæc inferiora corruptibilia, vel etiàm ſingularia, aut etiàm res humanæ non gubernantur à Deo, in quorum perſona dixit Exechiel cap. 9. Dereliquit Dominus terram, &c. Circà hos errores, ait Caietanus, eſſent multa dicenda de Auuerroe, & de Auicenna, ſed quoniam in Tractatu de Diuina Prouidentia in 1. p. quæſt. 22. examinantur, ideò hic non opportet immorari. Quo ad Gubernationem verò mediatam, vel immediatam; Caietanus in art. 6. quæſt. 103. dicit ſic. D. Thomas duo dicit. Primùm eſt quod quantùm ad rationem Gubernationis Deus gubernat omnia immediatè; quantùm autèm pertinet ad executionem Gubernationis gubernat quædam mediantibus alijs. Ità Caietanus in fine Comment. art. 5. quæſt. 103. & art. 6.

Sententia D. Th. explicatur à Caiet. contrà Rabbi Moyſen, Auuerroim, & Auicennam de Prouidentia rerum.

De triplici Prouidentia. Opinio Platonis explic. à Caiet. & recitatur.

Et loquendo formaliter de Prouidentia immediata Caietanus in art. 3. quæſt. 22. cit. ſic de ſententia D. Thomæ ait. D. Thomas dicit duo. Primùm quod quantùm ad rationem ordinis prouidet immediatè omnibus, quantùm verò ad executionem ordinis non prouidet immediatè omnibus, quia ſunt aliqua media Diuinæ Prouidentiæ inferiora gubernando per ſuperiora, non proptèr defectum ſuæ virtutis, ſed proptèr abundantiam ſuæ Bonitatis, vt dignitatem cauſalitatis etiàm Creaturis communicet; Et ſecundum hoc excluditur opinio Platonis, quam recitat Gregnrius Nyſſenus lib. 8. de Prouidentia cap. 3. triplicem prouidentiam ponebat Plato. Prima eſt ſummi Dei, qui primò, & principalitèr prouidet rebus ſpiritualibus, & conſequentèr toti mundo, quantùm ad genera, ſpecies, & cauſas vniuerſales; Secundam attribuit Dijs, ideſt ſubſtantijs ſeparatis, quæ mouent corpora cœleſtia circularitèr, & qua prouidetur ſingularibus generabilium, & corruptibilium. Tertiam dicit eſſe rerum humanarum, quam attribuebat Dæmonibus, quos Plato ponebat medios intèr nos, & Deos vt narrat Auguſt. lib. 9. de Ciuitate Dei cap. 1. & 2. & lib. 8. cap. 14. & de hac opinione Platonis, addit Caietanus, ſi diffusè videre cupis quomodo à S. Thoma impugnetur, lege ipſum in 3. cont. gent. cap. 76. eiuſque ſententiam ſi manifeſtè vis videre lege ipſum in cap. 94. Alias tres opiniones quo ad primum principium prouiſorem recitauimus ex D. Thom. in Comment. art. 1. quæſt. 22. in 1. p. ſcilicèt Democriti, & Epicuri. Secunda Auuerrois in 12. Met. Comment. 52. & 54. Tertia Rabbi Moyſis dicentis ſola incorruptibilia, & ſingularia humanæ ſpeciei eſſe tantùm ſubiecta Diuinæ prouidentiæ contrà quem in Reſp. ad quintùm art. 2. cit. ſtat D. Thom. ſuper illud Apoſtoli 1. Cor. 9. Numquid eſt cura de Bobus? Creatura rationalis, ait D. Thom. habet liberum arbitrium, & dominium ſui actus, vndè ſpeciali

Opinio ſingularis Rabbi Moyſis recitatur ex D. Th. à Caiet.

quodam

Digitized by Google

quodam modo ſubditur Diuinæ Prouidentiæ, vt ſcilicet ei imputetur aliquid ad culpam, vel meritum, & reddatur ei aliquid, ſcilicet pœna vel præmium, & quantùm ad hoc curam Dei Apoſtolus à Bobus remouet, non tamen ità quod indiuidua irrationalium creaturarum ad Dei prouidentiam non pertineant, vt Rabbi Moyſes exiſtimauit. Sententia igitur D. Thomæ eſt, quod neceſſe eſt dicere omnia Diuinæ Prouidentiæ ſubiacere non in vniuerſali tantùm, ſed etiam in ſingulari. Ità Caiet. art. 2. cit.

Quo ad 3. Prima Conclusio ponitur à Caietano ex D. Th. in p. p. q. 22. a. 2. tali pacto. Omnia Diuinæ Prouidentiæ ſubiacent non tantùm in vniuerſali; ſed etiàm in ſingulari. *Concluſio 1. ponitur à Caiet. ex D. Th. cum ſua probatione quod omnia & in vniuerſali, & in ſingulari ſubiacent Diuinæ prouidentiæ.*

Probatur à Caietano ex D. Th. ſub tali forma. Omne agens agit propter finem: ergo omnia ſubiecta cauſalitati primi agentis ſunt etiàm ſubiecta ordinationi eiuſdem in finem: ergo omnia quæ habent quocumque modo eſſe, ſunt ordinata à Deo in finem: ergo omnia in quantùm habent quomodolibet eſſe, in tantùm ſubijciuntur Diuinæ Prouidentiæ. Prima conſequentia manifeſtatur ab oppoſito, quoniam in operibus alicuius agentis aliquid interuenit non ſubditum illius ordini ideò dicitur quod effectus ille non ſubijcitur cauſalitati illius cauſæ, ſed ex aliqua alia cauſa præter intentionem ipſius prouenit. Secunda verò conſequentia probatur ex eo quod cauſalitas Dei ſe extendit vſque ad omnia etiàm indiuidualia, non ſolùm incorruptibilium, ſed etiàm corruptibilium, vt dicitur ad Rom. 13. quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt. Tertia conſequentia probatur ex ipſa definitione Prouidentiæ, quia ſcilicet eſt ratio ordinis rerum in finem, vt vidimus ſuprà in primo notabili. Ità Caietanus in art. 2. cit. §. Prima, & ſecunda ratio &c.

Secunda Concluſio quo ad immediationem ponitur à Caietano ex D. Th. in p. p. q. 22. a. 3. ſic. Deus immediatè prouidet omnibus quo ad rationem ordinis, ſed quantùm ad executionem prouidet per aliqua media. Affinis eſt Concluſio, & affinis ratio cum illa de Gubernatione &c. *2. Concl. Caiet. ex D. cum probatione 1. & 2. p. ſcilicet quod Deus immediatè prouidet omnibus quo ad rationem ordinis non verò quantùm ad executionem.*

Probatur prima pars à Caiet. ex D. Th. ſic. Deus habet in intellectu ſuo rationem omnium etiam minimorum, & dedit cauſis, quas effectibus præfecit, virtutem ad illos producendos: ergo in ſua ratione præhabet ordinem illorum effectuum in finem; ergo Deus per ſe ipſum prouidet omnibus, quo ad rationem ordinis.

Probatur ſecunda pars. Deus gubernat inferiora per ſuperiora, & gubernare per media conuenit Deo non propter defectum virtutis: ergo &c. Probatur antecedens quia hoc facit, & fecit propter abundantiam ſuæ bonitatis vt dignitatem cauſalitatis etiam communicet creaturis ergo &c. Ità Caietanus art. 3. q. 22. cit.

Quo ad 4. Arguit Caietanus contrà primam Concluſionem ſic. Dicere quod mala culpæ ſint permiſſa à Deo propter perfectionem vniuerſi vt dicitur in Reſponſione ad primum à D. Th. non eſt poſſibile: ergo &c. probatur. Tùm quia ſi Deus cooperatus fuiſſet cum gratia ſua tàm Angelis, quàm hominibus ad perpetuam in Bono perſeuerantiam, & nequaquam fuiſſent lapſi, vt poſſibile fuit, vniuerſum multò meliùs eſſet, eo quod nihil ab ordine reſpiciente Diuinam voluntatem ſecundum ſe, qui eſt ſupremus ordo in vniuerſo, nihil inquam, defeciſſet, cùm in tali defectu malum culpæ conſiſtat. Tùm etiàm quia virtutes, quæ ex malo culpæ occaſionantur, vt patientia Martyrum, Pœnitentia &c. non deeſſent vniuerſo, quoniam inuenirentur in præparatione animi &c. ergo &c. *Argum. Caiet. contrà 1. Concl. de Malo culpæ.*

Reſp. Caietanus negando antecedens ad primam probationem dicit, quod integritas vniuerſi maius Bonum eſt, quàm quodcumque Bonum particulare creatum, vt patet Gen. 1. exigit autèm vniuerſi integritas virtutes, & ſi quæ ſunt alia ex malo *Reſp. Caiet. ad Argum. de Malo culpæ.*

 occa-

Digitized by Google

occaſionalitèr prouenientia, non ſolùm in ſtatu imperfecto, ſed in ſtatu perfecto; conſtat autèm perfectum ſtatum virtutis conſiſtere in actu ſecundo, & non in habitu, vt patet p. eth. & 12. Met. Deeſſent ergo multæ perfectiones vniuerſo, puta iuſtitia punitiua, patientia Martyrum, & ſimilia; imò maximè ponderandum eſt, quod deeſſet vniuerſo Hoſtia illa Diuini ſuppoſiti, quam in Cruce obtulit; quod adeò Bonum fuit, & eſt, vt excedat in Bonitate omne malum culpæ non ſolùm hominum, ſed Dæmonum. Vndè, & ipſe ordo in Diuinam Bonitatem ſecundum ſe quamuis ex malo culpæ ſit læſus, tantum tamen Boni ad eundem ordinem ſpectantis ex malo culpæ Deus effecit: vnde poſſumus dicere cum D. Gregorio. O Fælix culpa &c. hinc ſubſiſtit naturalis ratio cur malum culpæ permiſſum fuerit, ſcilicet ſuauis rerum diſpoſitio, vt diximus ſuprà in notabilibus. Ità Caietanus in fine Comment. art. 2. q. 22. cit. vbi alia Argumenta contrà ſecundam Concluſionem in q. 103. contrà Gubernationem ſiuè immediatam, ſiuè mediatam, quæ coincidit licet non formaliter cum Prouidentia, affert, & ſoluit Caietanus, & ibi, & in Phyſicis loc. cit. & in notabilibus ſuprà &c.

Appendices ad Lectionem Septimam Metaphyſicalem in Tractatu Nono de Cauſalitate Primi Principij effectiui.

PRætèr articulos q. 103. in p. p. & q. 22. cùm Commentarijs Caietani pro ſolutione omnium obiectionum, nec non formalitatibus Ven. Porrectæ, legas attentè D. Th. in 3. c. gent. c. 64. 76. 77. ratione prima, & cap. 83. & 111. (& in q. de Ver. q. 5. 6. & 7. a. 2. & 4.) opuſc. 3. cap. 124. 132. & 134. Ferrarienſem p. c. gent. c. 164. & 194. & in 2. c. gent. cap. 69. & 70. Iauellum in 12. Met. q. 27. cum Ariſt. tex. 52. Et alios Sapientiſſimos noſtros Thomiſtas primæ claſſis Hiſpanos, Tholoſanos, Sorbonenſes, & Salmanticos. Et àrgumentum illud aduerſariorum allatum à D. Th. & fundatum ſuprà auctoritatem Apoſtoli numquid eſt cura de Bobus? Solutum ſuprà ex q. 22. a. 2. videbis aliam ſolutionem, quæ eſt eadem, allatam à D. Th. in Reſponſione ad 2. q. 103. art. 5. & dicit ſic. In agentibus per ſe, vtpotè habentibus dominium, ſeu actus, non ſolùm in eis interiùs operatur, ſed etiàm ab eo inducuntur ad bonum, & retrahuntur à malo per præcepta, prohibitiones, præmia, & pænas: hoc autèm modo non gubernantur à Deo Creaturæ irrationales, quæ tantùm aguntur, & non agunt. Et ſic Apoſtolus non totalitèr ſubtrahit Boues à Cura gubernationis Diuinæ, ſed ſolùm quantùm ad modum, qui competit propriè rationali creaturæ. Et quaſi dicat Apoſtolus numquid eſt &c. non ſicut de hominibus, de quibus in contextu ſermonem habuit &c. Intèr Modernos legas Blaſium à Conceptione in ſua Metaphyſica diſp. 18. de Deo Gubernatore.

LE-

LECTIO VIII.
METAPHYSICALIS
In Tractatu Nono
DE CAVSALITATE PRINCIPII OPERATIVI.

Vtrùm primum principium poſſit facere aliquid prætèr ordinem rebus inditum.

Ex Caietano in p. p. quæſt. 105. art. 6.

Declaratio Tituli, eiuſq; ſenſus quæſiti facta à Caiet.

IN ly poſſit facere, notat Caietanus loc. cit. quod non eſt quæſtio de potentia; ſed de actu exercito ipſius, an ſcilicet de facto poſſit exire in actum faciendi aliquid prætèr ordinem inditum; Et in ly prætèr ordinem, notat D. Thom. duos ordines in rebus, vnus vt ſunt à prima cauſa, alter vt ſunt à cauſis ſecundis, & hic eſt multiplex; quæritur de vtroque ordine rerum. Et in his duobus ordinibus, addit Caietanus, eſt iſta ordinatio, quod vnus contineatur ſub altero, quia cauſa continetur ſub cauſa, & habitudo cauſarum ad eos ità ſe habet, quod cauſa ſuperior non contineatur ſub inferioris cauſæ ordine; ſed è conuerſo. Et manifeſtatio eſt ab exemplo in politicis, in Patre, & ordine Domus, Rectore, & ordine Ciuitatis, Rege, & ordine Regni. In politicis quidèm in rebus humanis apparet, quòd ex Patre familias dependet ordo domus, qui continetur ſub ordine Ciuitatis, qui procedit à Ciuitatis Rectore, cum & hic contineatur ſub ordine Regis, à quo totum Regnum ordinatur. Senſus ergo quæſiti eſt; an contrà hunc ordinem pro vt dependet à prima cauſa, id eſt contrà rationem ordinis poſſit primum principium aliquid facere; vel ſaltèm poſſit facere contrà, vel prætèr illum ordinem rerum prout dependet à qualibet cauſarum ſecundarum; id eſt contrà ſolitum curſum naturæ eorum, vel quo ad rès ordinatas. Ità Caietanus in Comment. art. 6. q. 105. p. p.

1 Notab. Caiet. in quo explicatur quod dupliciter contingit aliquid prater naturam inditum fieri &c.

Quo ad 1. Notat Caietanus in art. 6. cit. ex D. Th. in Reſponſione ad ſecundum quod aliquid poteſt dupliciter contingere in rebus naturalibus prætèr naturam inditam. Vno modo per actionem agentis, qui inclinationem naturalem non dedit, ſicuti cùm homo mouet corpus ſurſum, quod non habet ab eo pro vt graue mouet deorſum, & hoc eſt contrà naturam; alio modo per actionem illius agentis, à quo dependet actio naturalis, & hoc non eſt contrà naturam, vt patet in fluxu, & refluxu Maris, qui non eſt contrà naturam, quamuis ſit prætèr motum naturalem aquæ, quæ mouetur deorſum: eſt enim ex impreſſione cæleſtis corporis, à quo dependet naturalis inclinatio inferiorum corporum; Cùm igitur naturæ ordo ſit à Deo rebus inditus, ſi quid prætèr hunc ordinem faciat non eſt contrà naturam. En quomodo licet curſus ordinarius aquarum ſit deſcendere verſus centrum: fluere tamen, & refluere ipſarum aquarum, & per conſequens non deſcendere ad centrum, non eſt contra naturam illarum, hoc faciente Cælo. Ità Caiet. ex D. Th. loc. cit.

No-

Notab. 2. Caiet. in quo explicatur quod omnis executio cauſæ infert executionē in cauſa prima.

Notat 2. Caietanus in fine Comment. a. 6. cit. quod omnis executio cauſæ ſecundæ infert executionem in cauſa prima, quia ab actione illius pendet omnis actio, non autem è conuerſo, quia poteſt cauſa prima per ſe ipſam ſolam exequi, & perficere aliquid, & indè eſt quod fieri aliquid prætèr executionem primæ cauſæ eſt impoſſibile, fieri autem aliquid prætèr executionem cuiuſcumque, & omnium ſimul cauſarum ſecundarum non inconuenit. Cùm autem ordo rerum ad primam cauſam attendatur penès executionem primæ cauſæ, ordo autem earum ad alias cauſas, attendatur penès executiones illarum, ratio primi ordinis in Diuina præſcientia oportet quod contineat, quidquid per cauſam ipſam qualitercumque exequendum eſt. Ratio autem cuiuſcumq; alterius ordinis in Diuina præſcientia non continet niſi quidquid eſt per talem cauſam exequendum; Et ideò non inconuenit aliquid fieri prætèr iſtos ordines, & rationes, ac præſcientias partiales, vt ità dixerim, eorum. Manifeſtè autem inconueniens eſt, quod prætèr ordinis primi rationem aliquid fieret, ſic enim deficiens, aut mutabilis diuina præſcientia conuinceretur, quoniam debetur tali rationi comprehenſio omnium executioni mandatorum qualitercumque per primam cauſam, extrà quæ nihil fieri de facto poteſt, quamuis de potentia abſoluta multa poſſibilia reſtent, quæ numquàm erunt. Et ad tertium dicit D. Th. quod Deus ſic rebus certum ordinem indidit, vt tamèn ſibi reſeruaret, quæ ipſe aliquando alitèr eſſet facturus ex cauſa; vndè quando prætèr hunc ordinem agit, non mutatur. Ità Caietanus loc. cit.

Sententia S. Thomæ explicata à Caietano.

Quo ad ſecundum Caietanus explicat ſic ſententiam S. Thomæ per propoſitiones aſſumptas ab eodem: & in primis, quod ordines multiplicantur ſecundum multiplicationem cauſarum; & ſecundò quod ſi ordo rerum conſideretur pro vt dependet à prima cauſa, ſic Deus facere non poteſt contrà ordinem rerum; Si verò conſideretur ordo rerum pro vt dependet à qualibet cauſarum ſecundarum, in tali caſu Deus poteſt facere prætèr ordinem rerum. Et differentia intèr ordinem iuſtitiæ, & intèr ordinem naturæ inſinuatur à D. Th. in Reſponſione ad ſecundum quod ordo iuſtitiæ eſt ſecundum relationem ad cauſam primam; quæ eſt regula omnis iuſtitiæ, & iuſtitiæ ordo ſemper in ſua Relatione includit primam cauſam, & ideò prætèr hunc ordinem Deus nihil poteſt facere. Et ſic ſimile eſt omninò quando ordo naturæ includit relationem ad primam cauſam; non autèm eſt ſimile, quando ordo rerum ſeù naturæ includit relationem, & dependet à qualibet cauſarum ſecundarum. Ità Caietanus loc. cit.

Vnica Concl. ponitur à Caiet. ex D. Th. cum probatione p. p. quod Deus non poteſt facere cōtrà ordinem rerum vt dependet à prima cauſa, & probatio 2. p. eſt quod poſſit facere pro vt pendet ex ordine cauſarum ſecundarum.

Quo ad tertium ponitur à Caietano in p. p. q. 105. a. 6. ex D. Th. Concluſio talis Reſponſiua quæſiti: Deus non poteſt facere contrà ordinem rerum, vt dependet à prima cauſa; benè tamèn prætèr ordinem rerum poteſt facere pro vt pendet ex qualibet ſecundarum cauſarum.

Probatur prima pars à Caietano ducendo ad impoſſibile. Si faceret Deus contrà talem ordinem, faceret contrà præſcientiam ſuam, quod eſt impoſſibile: ergo &c. & aduerte, addit Caietanus, ex 3. c. gent. c. 98. vt diximus in Titulo, quod Concluſio poteſt intelligi duplicitèr aut quo ad res ordinatas, aut quo ad rationem ordinis, intelligitur in hoc ſecundo ſenſu, & non in primo.

Probatur ſecunda pars à Caietano ex D. Th. ſub tali forma. Talis ordo eſt ſubijcitur vt procedens ab eo per arbitrium voluntatis: ergo poteſt prætèr talem ordinem agere. Antecedens habet tres partes. Prima patet ex præmiſſis, quia ſcilicet Cauſa ſuperior non ſubijcitur ordini inferiori, ſed è conuerſo. Secunda pro conſtanti ſupponitur ex quo omnia ſunt à Deo. Tertia verò probatur, quia potuiſſet alium ordinem inſtituere. Conſequentia autèm pro nunc breuitatis cauſa relinquitur

tur

Digitized by Google

tur quaſi euidens. Sed in 3. c. g. cap. 99. probatur ex differentia intèr agens naturale, & liberum, quod illud opportet agere ſecundùm vltimum ſuæ virtutis, & ideò effectum ſimillimum, ità vt non poſſit agere immediatè effectum propriam cauſarum ſecundarum. Liberum verò non opportet ſic agere, ſed poteſt agere immediatè imperfectiſſimum effectum, vtendo virtute ſua pro vt vult, vt patet in Artifice perfectiſſimo potente tamen, ſi vult facere opus imperfectum, quale Nouitius in arte faceret. Et ſic Deus poteſt prætèr hunc ordinem inſtitutum, alium ponere, ſcilicet agere quando voluerit, putà agendo effectus cauſarum ſecundarum ſinè ipſis, vel producendo aliquos effectus, ad quos cauſæ ſecundæ non ſe extendunt vndè Aug. dicit 26. contrà Fauſtum c. 3. quod Deus contrà ſolitum curſum naturæ facit (vt dicitur etiàm in Argumento, ſed contrà) nullo tamèn modo facit contrà ſummam legem; quia contrà ſe ipſum non facit. Ità Caiet. loc. cit.

Argum. Caiet. contrà Concluſionis ambas partes.

Quo ad 4. Arguit ſic Caiet. Aut hic eſt ſermo de poſſe Dei abſolutè, aut eſt ſermo de poſſe Dei quo ad exercitium actus de facto; ſi primum, ſequitur, quod poſſit Deus contrà vtrumq; ordinem, nec ſequitur aliquis defectus præſcientiæ Diuinæ; ſi ſecundum ſic etiàm nulla eſt differentia intèr vtrumque ordinem: quoniam ſicut Deus præſciuit primum ordinem, ità, & alios, & quemadmodum ſi prætèr primum ordinem faceret, faceret contrà præſcientiam; ità ſi prætèr alios ordines, faceret contrà præſcientiam ſuam, & ſic tota ratio ruere videtur.

Reſp. Caiet. ad Argumentum.

Reſp. Caietanus ex ſua ſecunda adnotatione ſuprà, quod pro vt in titulo dictum eſt, hic eſt ſermo de potentia Dei ſecundo modo, & quamuis vterque ordo ſit præſcitus, & inſtitutus à Deo ab æterno; Agere tamen prætèr primum, læderet præſcientiam; non autem læderet prætèr alios agere. Ità Caietanus in fine Comment. art. 6. cit.

Argum. 2. Caiet. contrà illam propoſitionem quod ordines multiplicentur ad multiplicationem cauſarum.

Arguit ſecundò Caietanus contrà id quod dicitur à D. Th. quod ordines multiplicentur ſecundum multiplicationem cauſarum. Ex hoc enim quod quælibet cauſa habet rationem principij benè ſequitur: ergo eſt principium ordinis inter ſe, & effectuum, non tamen ſequitur: ergo ab ea eſt aliquis ordo in effectibus, cùm non opporteat omnem cauſam habere plures effectus, in quibus ponat ordinem, vt patet in ipſis cauſis vniuocis.

Reſp. Caiet. ad Argum. vbi datur doctrina quod illa propoſitio benè intelligitur, ſi ſupponatur quod omnis cauſa habeat plures effectus; vel fiat ſenſus accommodus.

Reſp. Caietanus, quod cùm hic ſit ſermo de cauſa principali in aliquo ordine, & non de inſtrumentali, quæ non cauſa, ſed inſtrùmentum cauſæ dici debet, vt Alex. fatetur in 12. Met. Comm. 24. & duo conſiderentur, ſcilicet pluralitas effectuum, & ordo in eis à cauſa; ſi rectè perſpiciamus, ordo infertur ex illa propoſitione directè: pluralitas autem effectuum ſupponitur aut vniuerſalitèr, aut accommodè. Vndè quod poteſt inferri ex illa propoſitione, poteſt habere duos ſenſus. Primus eſt ſupponendo quod omnis cauſa habeat plures effectus, & tunc conſequentia eſt optima, ſcilicet inferendo ſic. Quælibet cauſa habet rationem principij: ergo à qualibet cauſa deriuatur aliquis ordo ad ſuos effectus: ergo ordines multiplicantur ſecundum multiplicationem cauſarum; conſequentia igitur eſt optima, quia cum pluralitas non ſit ſinè ordine, alitèr eſſet confuſio, & cauſa habeat rationem principij, à quo, ſcilicet illa deriuantur: ergo ab ea eſt ordo illarum: ſecundus ſenſus eſt accommodando conſequens ad cauſas habentes plures effectus, & tunc etiàm conſequentia eſt optima. Cauſa eſt principium: ergo in cauſis habentibus plures effectus, à cauſa eſt ordo illarum, ratione iàm dicta. Et iſta via eſt planior, & ſufficit propoſito. Cauſa enim eo quod habet rationem principij in illo ordine, & poſitiuè, & negatiuè. Sequitur: ergo ab ea eſt ordo in effectu, ſiuè ad ipſam cauſam, ſiuè in ſe ipſo multiplicato, & ſic vbi ſunt plures effectus apertè ſequitur

eſſe

Digitized by Google

eſſe in eis ordinem, & eſſe à cauſa. Plures autèm effectus dicuntur; vel plures differentiæ, vt partes organicæ viuentium reſpectu generantis; vel plures paſſiones, vt liquefactio ceræ, & induratio luti; vel plures cooperationes ſecundum pluralitatem inferiorum; vt generatio Bouis, & Leonis vt ſunt à Sole; vel plures effectus ordinatè ſe conſequentes, vt leuitas ſequitur formam ignis geniti &c. Et ſic potuit ſupponi pluralitas effectuum vniuerſalitèr, & conſequentèr ſuſtineri poteſt primus ſenſus: quoniam nulla cauſa eſt per ſe principalis, quæ non ſit cauſa ſaltem duorum veluti ſubiecti, & paſſionis. Ità Caietanus in principio Commentarij art. 6. cit.

Appendices ad Lectionem Octauam Metaphyſicalem in Tractatu Nono de Cauſalitate primi principij operatiui.

PRætèr art. 6. q. 105. in p. p. cum formalitatibus Ven. Porrectæ, & Commentarijs Caietani ibi: Legendus eſt etiam Sanctus Doctor in 3. p. quæſt. 43. art. 2. in corpore, vbi quæritur An Chriſtus fecerit Miracula Diuina virtute? cum Commentarijs Caietani, & formalitatibus, & Append. Ven. Porrectæ, vbi intèr alias hæreſes recitat illam Iudæ Iſcariothi ex Diuo Hieronymo ſuper Mattheum, qui dicebat, quod Chriſtus non Maieſtate Diuina, ſed Magicis artibus fecerit miracula; cum quanta malignitate Calumniatum Proditor ille ſceleſtiſſimus, & ingràtus, oppreſſerit in tradendo proprium Magiſtrum, & Dominum Benefactorem ſuum Diuinum? Legas etiam litteram D. Thom. art. 7. quæſt. 105. in p. p. cum formalitatibus Ven. Porrectæ, vbi pulchra, & curioſa ad confirmandam Diuinitatem Chriſti Domini Dei, & hominis reperies. Legas etiam ipſum q. 6. de potentia a. 1. & 2. & opuſc. 3. cap. 138. & 10. art. 1. & 17. Legas Ferrarienſem 3. cont. gent. cap. 98. 99. & 101. & 102. & 161. cum alijs Doctoribus Thomiſtis primæ claſſis, & Scotiſtis, quia intèr nos, & Scotum nulla eſt controuerſia de hac materia.

LE-

LECTIO IX. METAPHYSICALIS

In Tractatu Nono

DE CAVSALITATE PRIMI PRINCIPII COGNOSCITIVI.

Vtrùm primum principium effectiuum de mente Ariſtotelis cognoſcat propria cognitione ſe ipſum, & alia à ſe.

Ex Caietano p. p. q. 14. art. 6. & alibi.

Declaratio Tituli, eiuſq; ſenſus quæſiti facta à Caiet.

TExtu 51. in 12. Met. dicit ſic. Amplius autèm ſiuè intellectus ſit ſua ſubſtantia, ſiuè ſua Intelligentia quid intelligit, aut enim ſe ipſum, aut alterum aliquid. Ex quo loco, ait Caietanus, D. Th. quærit de mente Ariſtotelis in p. p. q. 14. a. 6. An Deus ſit cognoſcat ſe ipſum, vt cognoſcat alia à ſe intuendo, quæ ſunt propria ſingulorum, quia ly propria cognitione de aliquo dupliciter intelligi poteſt, primò vt diſtinguitur contrà communem ex parte actus cognoſcendi, ideſt de ſe ſolo, ita vt de nulla alia re habeat propriam cognitionem, vel ità ſit huius, quod etiàm omnium aliorum. Secundò vt diſtinguitur contrà communem ex parte rei cognitæ, ideſt de proprijs ipſius, pro vt ſic ſumitur in præſenti lectione. Ità Caietanus in principio Comment. a. 6.

1. Notab. Caiet. in quo declaratur, quomodo cognita natura eſſendi cognoſcantur omnia ſecundum proprias conditiones contrà Commentatorem.

Quo ad 1. Notat Caietanus in p. p. q. 14. a. 6. §. Aduerte quod hæc ratio &c. Circà illam propoſitionem aſſumptam à D. Th. contrà opinionem Commentatoris, ſcilicet quod cum Deus quod ſit ipſum eſſe, cognoſcendo perfectè ſe, cognoſcit naturam eſſendi aliorum, notat, inquàm, quod ly cognoſcere naturam eſſendi, eſt idem ac dicere, quod cognoſceret omnem modum eſſendi, quia omnis natura nihil aliud eſt, quàm aliquis modus eſſendi; ſicut Homo ſeparatus apud Platonem cognoſcendo ſe, cognoſceret perfectè humanitatis naturam: ſed ne fallaris in hoc exemplo D. Thomæ, quia Homo ſeparatùs non cognoſceret humanitatem cum hoc modo, quo eſt in natura Socratis, & cum illo quo eſt in natura Platonis; imò ex hoc conſurges ad intuendam propoſitam quæſtionem: Ideò enim homo ſeparatus cognoſcendo ſe, non cognoſceret hos modos particulares; quia iſti modi aliundè ſunt, quàm ex ipſius participatione, ſcilicet materia: ſed ſi fingas prætèr id quod ex parte humanitatis ſe tenet, quod nihil aliud adſit, de neceſſitate ſequetur, quod cognita humanitate cognoſcentur omnes eius modi; ſic autèm conſtat ſe habere eſſe ad omnia; nihil enim eſt in quacumque re, quin ſit aliquod eſſe. Et proptereà eſſe quod eſt in re, non aliundè, quàm ab eſſe prouenit. Et ſecluſo eo, quod ex parte ipſius eſſe ſe tenet, nihil reſtat, quoniam & natura, & omnia, participationes quædam, & modi quidam eſſendi ſunt, & ideò proptèr ipſius eſſe vniuerſalitatem, ex qua modi eſſendi omnia conſtituunt ſecundum quamcumque poſitiuam rationem,

ſequi-

ſequitur, quod cognita natura eſſendi, cognoſcuntur omnia ſecundum proprias conditiones. Et quià hanc vniuerſalitatem non vidit Commentator, ideò errauit iudicans de eſſe, ſicut de alijs perfectionibus ſpecialibus, ſcilicet viuere, & intelligere &c. prætèr quæ, & eorum modos ſunt alia, cum tamèn vt patet, prætèr eſſe, & illius modos reſtet nihil. Et cùm tota diſſenſio in hac quæſtione verſetur circà modum quo in vno obiecto cognito omnia cognoſci poſſint, maniſeſtè apparet, quod communis animi conceptio ſapientum fuit, quod Deus non alitèr intelligit alia à ſe, niſi intelligendo ea in ſe, quare cautus eſto, cum legis nouas adinuentiones. Ità Caietanus loc. cit. a. 6.

Notab. 2 Caiet. in quo oſtenditur quod quando dicitur lapis videtur in Deo, ly in, poteſt denotare modum obiecti, & modum rei cognitæ.

Nota 2. ait Caietanus ex Reſponſione ad primum quod quando dicitur à D. Th. lapis videtur in Deo, ly in, poteſt denotare modum obiecti, ideſt modum quo lapis objicitur, & poteſt denotare modum rei cognitæ vt ſic, ideſt modum cognitum, quo lapis non ſolùm objicitur in ipſo Deo, ſed etiàm modus ille eſſendi in Deo cognoſcitur: ſed intèr hæc eſt differentia, quoniam denotando modum obiecti verificatur cum dictione excluſiua, ità quod iſta eſt vera, lapis videtur à Deo tantùm, quia non alitèr objicitur Deo, quàm in ipſo Deo contentus, vt patet ſuprà. Sed denotando modum cognitum non verificatur cùm dictione excluſiua, ità quod lapis videtur à Deo ſecundum eſſe, quod habet in ipſo Deo, ſed non tantùm, quia lapis etiàm videtur à Deo ſecundum eſſe quod habet in hoc, & illo lapide ſecundum eſſe quod habet in cauſis ſuis, tàm materiali, quàm effectiua, & breuitèr ſecundum omnes eſſendi modos, non ſolùm ſibi conuenientes, ſed poſſibiles: Deus enim videndo in ſe ipſo ſolum lapidem, videt lapidem ſecundum omnes modos eſſendi, quos habet, & habere poteſt, quia quantò perfectius eſt cognitum in cognoſcente, tantò perfectior eſt modus cognitionis, & hoc idem demonſtrat D. Th. in Reſponſione ad primum licet alijs verbis. Ità clarius omnibus interpretatur Caiet. loc. cit. Diuum Thomam.

Notab. 3. D. Th. in quo oſtenditur quod exempla D. Th. etiam ex modo loquendi ipſius non ſunt apta ad explicandam illã eminentem cõtinentiã.

Notat 3. Caietanus ibidem art. 6. §. Aduerte hic &c. Circà exemplum allatum à D. Th. quod Deus ſe habet ad alia, ſicut actus perfectus ad imperfectos, vt ſi dicerem Homo ad Animal, vel ſenarius, qui eſt numerus perfectus, ad imperfectos ſub ipſo contentos, quia eſſentia Dei continet omnes rerum perfectiones excellentèr &c. Notat Caietanus quod ad tàm eminentem continentiam inepta ſunt hæc exempla, & per hoc dicit D. Th. vt ſi dicerem Homo ad Animal, quaſi diceret ſi conceſſa licentia licet declarare &c. Notandum tamèn eſt, quod eſſentia Dei habet duas conditiones in continere alia. Vna eſt excellentia, quia ſcilicet in infinitum eſt perfectior cæteris, & ſic eminentèr res continet. Altera comprehenſio, quia ſcilicet comprehendit in ſe ipſa omnem perfectionem poſitiuam reperibilem in quacumque re, ità quod nulla res comparata ad ipſam addit aliquid poſitiuum, quod non contineatur in eſſentia Dei, & hoc quia eſt ipſum eſſe præhabens in ſe omnem eſſendi modum. Ambas autèm conditiones inueniri in aliqua re creata non videtur poſſibile: comparando tamèn actum perfectum poſteriorem ordine generationis ad actus imperfectos priores generatione vt hominem ad animal, Animam intellectiuam ad alias, tetragonum ad trigonum, ſenarium ad ternarium &c. aliquo modo hoc ſaluatur, & idcirco hæc exempla afferuntur à D. Th. vt ſcilicet oſtendatur, & excellentia, & comprehenſio omnis poſitiui: exempla enim, licet inepta vtcumque oſtendunt vtrumque. Ità Caietanus art. 6. cit.

Opinio Commentatoris recitatur, & reprehenditur à D. Thoma.

Quo ad ſecundum Caietanus in p. p. q. 14. a. 6. in principio Commenti, recitat ex D. Th. opinionem Commentatoris Auuerrois in 12. Met. Comment. 3. opinio Auuerrois, ait Caietanus, continet duo, ſcilicet quod Deus cognoſcit omnia ſecun-

Digitized by Google

cundum quod communicant in eſſe, & modus eius, quia ſcilicèt cognoſcendo ſe; vt eſt principium eſſendi primum; ſicut enim Ignis ſi cognoſceret ſe ipſum vt eſt principium Caloris, cognoſceret naturam caloris, & omnia alia in quantùm ſunt calida, ità Deus in quantùm cognoſcit ſe vt principium eſſendi cognoſcit naturam Entis, & omnia alia in quantùm ſunt Entia. Hæc opinio reprehenditur à D. Tho. dicendo, hoc non poſſe eſſe, vt infrà videbimus in probatione Concluſionis.

Modi alij dicendi circà cognitionem Dei reſpectu aliorum à ſe, recitantur à Caiet. ex D. Thoma.

Idem Caietanus ibidem art. 6. cit. §. Quò ad ſecundùm &c. recitat alios modos dicendi aliorum circà cognitionem Diuinam in alijs extrà ſe. D. Thom. ait Caietanus, recitat exempla quibus alij nituntur oſtendere modum quo Deus cognoſcendo ſe, nouit alia, vt de luce, & Colore, vt ſi Centrum cognoſceret ſe ipſum, cognoſceret omnes lineas progredientes à Centro, vel Lux ſi cognoſceret ſe ipſam cognoſceret omnes colores: Sed hæc exempla non oſtendunt intentum, quia res in, & à Deo ſunt ſecundum duo, ſcilicèt ſecundum id in quo communicant, & ſecundum propria, quibus diſtinguuntur; & quo ad propria non ſunt ſimilia, ſed quo ad id in quo communicant: non enim diuerſitas coloris cauſatur ex luce ſolum, ſed ex diuerſa diſpoſitione Diaphani recipientis lucem; & ſimilitèr diuerſitas linearum ex diuerſo ſitu. Et indè eſt quod huiuſmodi diuerſitas, & multitudo non poteſt cognoſci in ſuo principio ſecundum propriam cognitionem, ſed ſolùm in communi. Ità Caiet. loc. cit.

Concluſio primà ponitur à Caietano ex D. Tho. cum probatione primæ partis, ſcilicèt quod Deus intelligit ſe ipſum per ſe ipſum.

Quò ad tertiùm, Caietanus ponit hanc primam Concluſionem ex D. Thom. 1. p. quæſt. 14. art. 2. & 3 ſic. Deus nedum intelligit ſe ipſum per ſe ipſum, ſed etiàm perfectiſſimè comprehendit ſe ipſum.

Probatur à Caietano ex D. Thom. prima pars ſub tali forma. Deus eſt abſque omni potentialitate actus purus: ergò intellectus, & intellectum ſunt omnibus modis idem: ergò intelligit ſe ipſum per ſe ipſum. Antecedens patet; prima conſequentia fundatur ſuper duas propoſitiones. Altera eſt; obiectum intellectus oportet eſſe actu in intelligente ad hoc vt intelligat. Altera eſt; omnis diuerſitas intellectus ab obiecto eſt proptèr admixtam naturam potentiæ, de qua materia iàm dictum eſt in Tractatu ſeptimo ſuprà, & manifeſtè ſequitur quod intelligibile ſi opportet eſſe in intelligente, & non eſt diſtinctum aliquo modo niſi per potentiam, ſequitur certè quod intelligibile illius, in quo nulla eſt potentia, nullo modo diſtinguatur ab eo; ſi ergo Deus eſt abſque potentia &c. ergò &c. Et in ly omnibus modis explicatur à D. Thom. excludendo duos diuerſitatis modos, ſcilicèt intèr actum, & potentiam, & intèr ſubſtantiam, & accidens, ità ſcilicèt vt neque careat ſpecie intelligibili, ſicut intellectus noſter quando intelligit in potentia; neque ſpecies intelligibilis ſit aliud à ſubſtantia Diuini intellectus, ſicut accidit in intellectu noſtro, cùm eſt actu intelligens, ſed ipſa ſpecies intelligibilis eſt ipſe intellectus Diuinus; & ſic patet alia conſequentia, quod ſe ipſum per ſe ipſum intelligit.

Prob. ſecundæ partis, ſcilicèt quod Deus perfectiſſimè comprehendit ſe ipſum.

Probatur à Caietano ſecunda pars ſic. Deus ità perfectè cognoſcit ſe ipſum; ſicut perfectè cognoſcibilis eſt: ergò perfectè comprehendit ſe ipſum. Antecedens probatur ſic. Vnumquodque tantùm eſt cognoſcibile, quantùm eſt actu: ergò tanta eſt Dei cognoſcibilitas, quanta eſt actualitas.

Inſuper Deus eſt cognoſcitiuus per hoc quod eſt actus ab omni materia, & potentia ſeparatus; ergò tanta eſt vis cognoſcitiua, quanta eſt actualitas. Igitur vtrumque concludendo ſequitur, quod tanta eſt cognoſcibilitas, quanta eſt vis cognoſcitiua, & è conuerſo. Aſſumptum primum patet ex 9. Met. tex. 20. Aſſumptum ſecundum patet ex prima parte Concluſionis ſuprà, Conſequentia patet ex

ratione comprehenſionis ; Comprehendere eſt ad finem cognitionis alicuius perue-nire. Itá Caietanus ex D. Thom. loc. cit.

Secunda Concl. ponitur à Caiet. ex D. Thom. cum ſua probatione, ſcilicèt quod. Auuerrois non benè ſenſit de cognitione Dei.

Secunda Concluſ. ponitur ibidem à Caiet. ex D. Th. contrà Auuerroim. Non rectè dicitur quod Deus cognoſcendo ſe ipſum, vt primum principium eſſendi cognoſcat omnia ſecundũ quod communicant in eſſe, & exemplũ de ignenon eſt ad propoſitũ.

Probatur à Caietano ex D. Thom. ducendo ad impoſſibile. Si Deus ſciret alia in quantùm ſunt entia ; ergò intelligeret entia in communi tantùm : ergò in confuſo, & in potentia : ergò imperfectè : ergò intelligere Dei non eſſet omnibus modis perfectum : ergò neceſſe Dei, quod eſt impoſſibile. Circa has duas vltimas conſequentias aduerte, quod non infertur : ergò Cognitio Dèi eſt imperfecta priuatiuè quia Auuerroes negaret dicendo quod cognitio Dei eſt perfectiſſima, & tamèn non attingit res niſi vt ſunt entia, quia non eſt apta nata attingere plus de rebus : Sed infertur, ergò non eſt omnibus modis perfecta, quod negari non poteſt, cùm in antecedenti deſit hic modus perfectionis, quo ſcilicèt attingat ad propria rerum : hic enim modus aliquam perfectionem dicit cùm nulla admixta imperfectione, & conſequentèr aptus natus eſt eſſe in illo intelligere, in quo ſunt omnes nobilitates omnium Intelligentium, ab imperfectionibus præciſibiles, quale eſt intelligere Dei ; ſicut & eſſe eius habet omnium entium nobilitates, vt dicitur in art. 6. cit. Itá Caietanus.

Tertia Concl. ponitur à Caietano ex D. Th. cum ſua probatione 1. ſcilicèt quod cognoſcit alia à ſe propria cognitione.

Tertia Concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. ſic. Deus cognoſcit alia à ſe propria cognitione ; & cognoſcere propria, eſt cognoſcere res non ſolùm ſecundum conditiones, quibus communicant, ſed ſecundum eas, quibus ab inuicem diſtinguuntur : hæc enim ſunt ſingulis propria.

Hoc ſuppoſito probatur Concluſio à Caietano. Et primò ſic. Eſſentia Dei habet in ſe quidquid perfectionis eſt in quocumque, & amplius : ergò Deus cognoſcendo ſe, propria cognitione cognoſcit omnia. Antecedens patet ex dictis. Conſequentia probatur à deſtructione conſequentis. Si Deus cognoſcendo ſe non nouit alia propria cognitione : ergò non nouit quomodocumque eſt participabilis ſua perfectio : patet iſta ſequela ex illa propoſitione implicitè contenta in antecedenti, ſcilicèt propria cuiuſque natura conſiſtit in aliquo modo participandi Diuinam perfectionem : ergò non perfectè nouit ſe ipſum : Tenet iſta ex ipſo antecedenti, in quo dicitur, quod ipſe claudit in ſe omnem modum perfectionis. Sequitur ergò ex deſtructione conſequentis, aut falſitas antecedentis, aut hoc impoſſibile, quod Deus non perfectè nouit ſe ipſum, quod etiàm redundat in falſitatem antecedentis : quia ſi ſic eſſet, eſſentia Diuina non eſſet infinitæ perfectionis, & conſequentèr non omnem modum perfectionis poſſibilem eminentèr contineret. Itá Caietanus loc. cit.

Secunda probatio pro vt ſuprà.

Secundò probatur ſic. Si Deus cognoſcendo ſe non nouit alia propria cognitione : ergò non perfectè cognoſceret omnes modos eſſendi : ergò non perfectè cognoſceret naturam eſſendi : Omnes conſequentiæ ſunt euidentes formalitèr, ſeù vi ſic acceptæ ex antedictis. Quomodò autèm hæc ratio ſit directè contrà opinionem Auuerrois, imò ex illius fundamento procedens contrà ipſam, & vim rationis oſtendimus in Notabili ſuprà. Itá Caietanus in 1. p. quæſt. 105. art. 6. §. Quo ad tertiùm, &c.

Arg. 1. Caiet.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus ſic. Cognoſcit alia à ſe Deus, vt dictum eſt, ſecundum quod alia ab ipſo in eo ſunt : Sed alia ab eo, ſunt in ipſo ſicut in prima cauſa, & vniuerſali : ergò & alia cognoſcuntur à Deo ſicut in cauſa prima, & vniuerſali ; hoc autèm eſt cognoſcere in vniuerſali, & non ſecundum

pro-

propriam cognitionem : ergò Deus cognoſcit alia à ſe in vniuerſali, & non ſecundum propriam cognitionem.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. Deus cognoſcit alia à ſe &c. vt dicit modum ex parte cognoſcentis, concedo; vt dicit modum ex parte rei cognitæ nego; quia Deus per hoc quod continet res, in ſe ipſo cognoſcit eas in propria natura, & non ſolùm ſecundum quod ſunt in ſe ipſis. Ità Caietanus ex D. Thom. in Reſponſione ad primùm art. 6. *Reſp. Caiet. ad 1. Argum.*

Arguit ſecundò ex D. Thom. Quantum diſtat eſſentia creaturæ ab eſſentia Diuina, tantùm diſtat eſſentia Diuina ab eſſentia Creaturæ : Sed per eſſentiam Creaturæ non poteſt cognoſci eſſentia Diuina, vt dicitur in quæſt. 12. 1. p. ergò nec per eſſentiam Diuinam poteſt cognoſci eſſentia Creaturæ. Et ſic Deus cùm nihil cognoſcat niſi per eſſentiam ſuam, ſequitur quod non cognoſcat Creaturam ſecundum eius eſſentiam, ideſt de ea quid eſt, quod eſt propriam cognitionem de re habere. *Arg. 2. Caiet. ex D. Thom.*

Reſp. ex D. Thom. Quantum diſtat &c. in ratione finiti, & infiniti concedò; in ratione repreſentationis vnius ab altero, nego. Eſſentia enim Diuina perfectè repreſentat Creaturas, & Creaturæ ipſam non perfectè repreſentant; vt ad ſecundum dicitur à D. Thom. eſſentia Creaturæ comparatur ad eſſentiam Dei, vt actus imperfectus ad perfectum; & ideò eſſentia Creaturæ non ſufficientèr ducit in cognitionem eſſentiæ Diuinæ ſed è conuerſo. Ità Caiet. loc. cit. *Reſp. ad 2. Arg. ex D. Thom.*

Arguit tertiò ex D. Thom. Propria cognitio non habetur de re, niſi per propriam eius rationem : Sed cùm Deus cognoſcat omnia per eſſentiam ſuam non videtur, quod vnumquodque per propriam rationem cognoſcat. Idem enim non poteſt eſſe propria ratio multorum, & diuerſorum : ergò non habet propriam cognitionem Deus de rebus, ſed communem; nàm cognoſere res non ſecundum propriam rationem, eſt ſolùm cognoſcere res in communi. *Arguit 3. Caiet. ex D. Thom.*

Reſp. ex D. Thom. negando Minorem, & probatio nihil probat. Nàm idem non poteſt eſſe diuerſorum ratio propria per modum adæquationis, ſed per modum alicuius excedentis participabilis. Diuina eſſentia eſt omnium propria ratio ſecundo modo, ſecundum quod eſt diuerſimodè participabilis, vel imitabilis à Creaturis. Aduerte, addit Caietanus, quod apud D. Thom. vt Deus in eſſentia intellecta intelligat omnia ſecundum proprias rationes, ſufficit eminens perfectio Diuinæ eſſentiæ, qua omnes, & ſingulas perfectiones omnium ipſam diuerſimodè imitantium obijcit, & ampliùs. Nec exigi ponit ad hoc aliquas relationes, vt dicitur à Scoto in 1. ſent. diſt. 35. Propterea rationes, quas contrà illas relationes Scotus facit non ſunt contrà D. Thom. in hac materia; quantùm autèm valeant contrà poſitionem S. Thom. in quæſt. 15. de Idæis in 1. p. dictum eſt. Ità Caietanus in 1. p. quæſt. 14. in fine Comment. art. 6. in Reſp. ad 3. *Reſp. Caiet. in D. Thom. ad 3.*

Appendices ſuper Lectionem 8. Metaphyſicalem in Tractatu Nono de Cauſalitate, & cognitione primi principij operatiui, & cognoſcitiui.

SI vis videre quantùm ſint erroneæ opiniones Auuerrois, & Algazelis, & aliorum Phyloſophorum in lib. 12. Met. Legas formalitates, & Appendices Ven. Porrectæ ſuper art. 6. quæſt. 14. in 1. p. Videas, ſi placet, D. Thom. in 1. ſent. diſt. 35. art. 3. & diſt. 36. art. 1. quæſt. 1. Cùm Capreolo ibi. Videas

Digitized by Google

in 1. c. g. cap. 63. & lib. 3. cap. 75. & 76. cùm Ferrarienſi ibi. Legas etiàm quæſt. 2. de Verit. art. 4. & 5. & opuſc. 3. cap. 134. & 135.

Iauellus autèm omninò legendus eſt in ſua Metaphyſica qui licet in fine quæſt. 25. 12. Met. proteſtetur ſe non diſputare velle an Deus intelligat alia à ſe, vel eminentèr, vel terminatiuè, cùm ſit negotium Theologicum potiùs, quàm Metaphyſicum, attamèn cùm nos ex D. Thom. & Caietano Metaphyſicam Catholicàm in lucem demus ex lumine naturali, & Philoſophus appellet ipſam eſſe ſcientiam Diuinorum, non omittit idem Iauellus hæc quæſita Diuinorum, cùm in 12. Met. in quæſt. 26. quærat an in abſtractis ſint idem intellectus, intellectio, & res intellecta. Et in quæſt. 27. quærat, ſi omnia ſint ordinata, & prouiſa à primo principio. Et in quæſt. 28. quærat, ſi primum principium ſit cauſa effectiua omnium entium. Non eſt igitur etiàm ſecundum Iauellum quærere in hac Metaphyſica, ſi primum principium intelligat alia à ſe, vel eminentèr, vel terminatiuè; ex eo maximè quia Iauellus diſputat in quæſt. 25. in 12. Met. ex profeſſo contrà Gregorium deſtruens ſuam Concluſionem tertiam ex 1. ſent. diſt. 35. & 36. quæ ponit, quod de mente Philoſophi ſit, quod Deus nihil extrà ſe intelligat omninò. Sed Iauellùs adducens expoſitionem D. Thom. ſuprà textum 12. Met. monet omnes, non eſſe ſentiendum ità vilitèr de tanto Phyloſopho, quod in hac quæſtione ſibi ipſi contradicat, vt falsò deducit ad contradictionem in libro de bona fortuna Gregorius ipſum Ariſtotelem. Et inſupèr Iauellus reprehendit Ioannem Bacchom, qui defendit Commentatoris opinionem reprehenſam, & confutatam à D. Thom. in quæſt. 14. art. 6. in 1. p. Et eſto Iauellus dicat, quod imaginatio Ioannis Baccom de exemplo ignis allato à Commentatore, ſit ſufficiens ad ponendum, quod Deus cognoſcat alia à ſe diſtinctè, & omnibus modis, quibus cognoſcibilia ſunt; vndè exercitij gratia poſſet ſuſtineri (dicit Iauellus) *Doctor iſte*; attamèn fatetur, quod Bacchom extorquet ſenſum Commentatoris, quod non facit D. Tho. cui ſtandum eſt, cum ipſo Caietano, quia ex hoc quod Deus cognoſcit primùm ens, & per ſe ipſum omnia entia vt entia, non ſequitur, vt benè probat Caietanus cum D. Thom. contrà Commentatorem, quod cognoſcat ea diſtinctè, vt omnibus modis cognoſcibilia. Legas Iauellum, vt profundiùs intelligas D. Thom. & Caietanum fidelitèr recitantes opinionem Auerrois Commentatoris &c.

IE-

LECTIO X.
METAPHYSICALIS
In Tractatu Nono
DE CAVSALITATE, ET COGNITIONE PRIMI PRINCIPII OPERATIVI.

Vtrùm Cæleſti Corpori ſit coniuncta intelligentia vt forma; vel vt Motor, & Intelligentiæ ſint ſecundum numerum ipſorum &c.

Ex Caietano in 1. p. quaſt. 70. art. 5. & in cap. 5. de ente, & eſſentia.

Declaratio Tituli, eiuſque ſenſus facta à Caietano.

AN Inteligencia ſit forma informans Corpus Cæleſte, ſicuti Anima noſtrà eſt forma informans iſtud Corpus ſublunare: quærit, ait Caietanus, S. Doctor in p.p.q.70.art.3.cum Philoſophis antiquis Gentilibus,& cum Doctoribus Theologis Catholicis; Et eamdem Diſput.habet in 12. Met. in expoſitione Textus 39. cum Auuerroi, & Auicenna; Et varius modus loquendi hinc & indè præbet motiuum controuerſiæ. In Textu enim 39. ait. Et hoc quidem verum eſt ſecundum opinionem Ariſt. in quantùm Cælum ponitur animatum Anima intelligente, & deſiderante; & in 2. cont. gent. cap. 70. vult quod ſecundum Ariſtotelem Cælum ſit Animatum, ità quod Anima vniatur Cælo vt forma. In 1. p. tamèn quæſt. 70. art. 3. vult ex Ariſt. quod ſufficit vt vniatur, vt motor mobili. Circà numerum intelligentiarum ait in cap. 5. de ente, & eſſentia poſt quæſt. 11. & quia in intelligentijs &c. quod in duplici ſenſu inueſtigari poteſt; primò ex hoc quod ſint compoſitæ ex actu, & potentia, & ſic quæritur in loc. cit. Secundò poteſt inueſtigari ex pluralitate motuum, & hoc quærit Ariſt. in 12. Met. tex. 43. hic in præſenti Lectione quæritur in vtroque ſenſu; & ex hoc ſecundo ſenſu deuenitur ad inueſtigationem an iſte numerus intelligentiarum ſit iuxtà numerum Corporum Cæleſtium, & an ſint formæ animatæ eorumdem. Ità Caietanus in locis citatis.

Notabile primũ Caiet. in quo oſtenditur quomodo Motor Cæli poſſit dici principium intrinſecum, non tamèn animatum &c.

Quò ad primùm. Notat Caietanus in 1. p. quæſt. 70. art. 3. ex Reſponſionibus ad Argumenta D. Thom. quod Corpus cæleſte, cùm ſit mouens motum habet rationem inſtrumenti, quod agit in virtute principalis agentis; & ideò ex virtute ſui motoris, qui eſt ſubſtantia viuens poteſt cauſare vitam. Scias igitur aliquid eſſe nobilius alio, quia virtute ſua cauſat in illo aliquid, & non ſolùm quia eſt cauſa virtus; virtus ergò cauſandi inſpicienda eſt, quando comparas nobilitatem ad aliqua, & non ad cauſare tantùm, vt de Sole, & alijs, quæ ſunt cauſa vitæ in Ani-

malibus

malibus ex putrefactione generatis. Et nota quod motus corporis cæleſtis, naturalis dicitur, non propter principium actiuum; Sed propter principium paſſiuum, quia ſcilicet habet in ſua natura aptitudinem, vt tali motu ab intellectu, moueatur; & ſecundum hoc poteſt dici, quod æquiuocè tantùm Corpora cæleſtia ſunt animata, cùm in verè animatis principium actiuum puta Anima ſit intrinſecum; vndè in Reſponſione ad quintùm ait D. Thom. quod Cælum dicitur mouere ſe ipſum in quantùm componitur ex motore, & mobili, non ſicut ex materia, & forma ſecundum contactum virtutis, vt dicitur in corp. art. 5. cit. Et hoc etiàm modo poteſt dici, quod eius motor eſt principium intrinſecum, vt ſic etiàm motus Cæli poſſit dici naturalis, ex parte principij actiui, ſicut motus voluntarius dicitur eſſe naturalis Animali inquantùm eſt Animali, vt dicitur in 8. Phyſ. tex. 27 Motor igitur poteſt dici principium intrinſecum Cælo, non quidem abſolutè ſed cum additione, ſcilicèt vt Motor tantùm. Et verè principium actiuum, quod ſit hoc modo tantùm intrinſecum, non facit, quod illud cui ſic intrinſecum eſt, ſit verè animatum. Ità Caietanus ex Reſponſionibus ad argumenta art. 3. in 1. p. quæſt. 70.

Notat ſecundò Caietanus in cap. 5. de ente, & eſſentia, ſupponendo priùs quod formæ intermediæ intèr actum purum, & potentiam puram participant cum magna latitudine actum, & potentiam adeò vt aliquæ ſint magis elongatæ, & aliæ minus, ab actu puro, & accedant magis ad materiam, vt Anima intellectiua, adeò appropinquat alteri extremo, vt materiam ipſam recipiat; aliæ verò tantùm potentialitatis habent, vt à materia dependeant in eſſe, & fieri, vt formæ Elementorum, quæ ſunt maximè potentiam habentes nullius ſunt principia operationis, niſi per naturales qualitates, ſcilicèt caliditatem, & frigiditatem; Et formæ mixtorum vtpotè eleuatiores à materia altiori modo operantur, ſicut Adamas trahit ferrum non ratione caliditatis, & frigiditatis, ſed ex naturæ proprietate. His igitur ſuppoſitis non poſſumus fingere pluralitatem intelligentiarum ſinè fundamento hoc actus, & potentiæ. Quomodò enim latitudo poteſt inueniri in eo, quod potentia, & actu caret? Commune eſt namque omnibus extremis, ſi extrà ſunt, non compati in ſe latitudinem: alitèr eſſent vltima, & non vltima, vt de ſe patet; opportet igitur eſſe media, illa, in quibus latitudo quæritur, quæ vtriuſque extremi naturam ſapiunt. Et quia intellectualem naturam, quam ex hoc, quod intellectualis eſt, ſcimus actualitatem habere, non cognoſceremus habere potentiam admixtam, niſi videremus Animam noſtram illam habere, cùm potentia æquiuocè dicatur de potentia rerum intellectualium, & de potentia rerum ſenſibilium: & ſinè potentia non poteſt intelligi multitudo ſubſtantiarum intellectualium; Ideò Commentator ait, quod ſi non eſſet nota natura intellectus poſſibilis, non poſſemus intelligere pluralitatem in ſubſtantijs abſtractis. Ità Caiet. loc. cit. poſt primum notabile &c.

Notabile tertiù Caietani in quo declaratur fundamentum pluralitatis intelligentiarum.

Notat tertiò Caietanus ibidem circà fundamentum pluralitatis intelligentiarum quod aliud eſt concludere numerum motorum, & aliud eſt concludere pluralitatem ſubſtantiarum intellectualium: licet enim ſint idem motores orbium, & ſubſtantiæ immateriales, differunt tamèn ratione, adeò vt ad diuerſas ſcientias pertineat iuxtà Commentatorem 2. Met. Comm. 6. Et ideò ex pluralitate motuum, quamuis pluralitas motorum, vt ſic concludi poſſit, non tamèn pluralitas ſubſtantiarum intellectualium vt ſic. Intendunt igitur Auerroes, & S. Thom. quod intelligentiarum, inquantùm intelligentiæ ſunt, multitudo non niſi per notam naturam intellectus poſſibilis diſcernitur à nobis; licèt earum in quantùm motrice

ſunt

ſunt òrbium ; ex ſuorum effectuum numero pluralitas inferatùr . Ità Caietanus in cap. 5. cit. §. Notanda ſunt in hac lit era tria &c.

Caiet. ex D. Tho. recitat opiniones Antiquorum, & SS. Patrum circà animationem Corporum cæleſtium.

Quò ad ſecundùm . Caietanus in 1. p quæſt. 70. art. 3. recitat opiniones ex D. Thom. Philoſophorum , & Sanctorum Patrum : Anazagoras enim , vt refert Aug. lib. 18. de Ciu. Dei cap. 41. factus eſt reus apud Athenienſes , eo quod dixerit Solem quem adorabant vt Deum, eſſe ſolummodò lapidem ardentem inanimatum : Platonici verò poſuerunt Corpora cæleſtia Animata , per quod nihil aliud dabant intelligi, niſi quod ſubſtantiæ vniuntur Corporibus cæleſtibus, vt motores mobilibus, quia ponebant Animas etiàm vniri Corporibus per contactum virtutis , ſicut motor mobili . Ex Sanctis Patribus Origenes lib. 2. Periarch. cap. 7. poſuit Corpora cæleſtia Animata . Hyeronimus idem etiàm ſentire videtur exponens illud Eccl. 1. luſtrans vniuerſa per circuitum pergit Spiritus . Baſilius verò hom. 3. in Hezam. Et Damaſcenus in Argum. ſed contrà citatus à D. Thom. dicunt non eſſe animata , & lib. 2. Orthod. Fide cap. 9. ait . Nullus Animatos Cælos vel luminaria æſtimet , inanimati enim , ſunt , & inſenſibiles . Auguſt. ſub dubio relinquit lib. 2. ſuper Gen. ad litt. & in Enchir. cap. 58. in neutram partem declinat , vbi dicit , quod ſi ſunt animata Cæleſtia Corpora, eorum Animæ pertinent ad ſocietatem Angelorum.

Recitatur à Caiet. vera opinio S. Thomæ.

In hac autem opinionum diuerſitate D. Thom. attendens , quod vnio Animæ ad Corpus non eſt proptèr Corpus , ſed proptèr Animam , ſtatuit , & affirmat quod Corpora cæleſtia non ſunt animata eo modo , quo Plantæ , & Animalia , ſed æquiuocè , quia vnitur Cælo ipſa intelligentia per contactum Virtutis , ideſt tanquam motor mobili , vt Plato cùm ſuis diſcipulis ponebat . Hinc , addit Caietanus, hoc Corrolarium ex D. Thom. in calce corporis art. 3. cit. Intèr ponentes ea eſſe animata , & ponentes ea inanimata , parua vel nulla differentia inuenitur in re , ſed in voce tantùm . D. Thom. igitur , & in art. 3. cit. & in quæſt. de Spiritualibus creaturis art. 6. tenet expreſsè cùm Auerroi , non eſſe concedendum ſecundum Ariſt. Cælum eſſe animatum , ideſt ſicut vera forma informante materiam , quales ſunt Animæ animatorum ſublunarium : benè tamèn poſſe dici Animatum Anima non informante , ſed appropriata , & dante motum , quæ coniungitur ſecundum motum, eo quod eſt principium immediatum, & determinatum, motus quod vnico verbo diximus ſuprà cùm D. Thom. animatum æquiuocè . Ità Caietanus in loc. cit.

Opinio D. Thom. quænam ſit circà numerum intelligentiarum explicatur à Caiet.

Circà numerum intelligentiarum Caietanus ex D. Thom. immediatè poſt quæſt. 11. cap. 5. de ente , & eſſentia recitat duas propoſitiones , ex quibus elicitur opinio S. Thomæ . Prima eſt . Inſpecto fundamento ex actu & potentia , non eſt difficile inuenire pluralitatem intelligentiarum ; Secunda eſt , quod abſque tali fundamento impoſſibile eſt inuenire pluralitatem intelligentiarum . Et proceſſus Ariſt. in 12. Met. tex. Comm. 45. nulla facta mentione de hoc fundamento non obſtat ijs , quæ dicit S. Doctor in cap. 5. cit. quia licèt intelligentiæ , in quantùm motrices ſunt Orbium ex effectuum ſuorum numero habeant ſuam pluralitatem , attamen earum multitudo, in quantùm intelligentiæ ſunt, non niſi per cognitam naturam intellectus poſſibilis diſcernitur à nobis , vt ex dictis Commentatoris adducitur . Ità Caiet. loc. cit.

Concl. 1. reſponſiua quæſiti ponitur à Caiet. cum prob. 1. partis, ſcilicet cæleſti corpori non eſt coniuncta Anima vt forma.

Quò ad tertiùm . Concluſio prima ponitur à Caietano Reſponſiua quæſiti ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 70. art. 3. ſic . Cæleſti corpori non eſt coniuncta Anima vt forma , ſed vt Motor mouens apprehenſiua virtute , & non vt Grauia , & Leuia .

Probatur prima pars à Caiet. ſub tali forma . Vnio illa non eſt niſi proptèr motionem ; ergò ſufficit coniunctio vt motor . Antecedens probatur , quia materia eſt

pro-

propter formam, & forma propter opus, & ab opere cognoſcitur; & non proptèr vegetationem, nec ſenſationem, nec intellectionem: ergò proptèr motionem tantum. Aſſumpta omnia clareſcunt ex D. Thom. Corpus noſtrum neceſſarium inuenitur ad aliquam operationem Animæ, quæ mediante corpore exercetur, ſicut patet in operationibus Animæ ſenſitiuæ, & nutritiuæ; vndè neceſſe eſt tales Animas eſſe vnitas corporibus proptèr ſuas operationes. Eſt autèm aliqua operatio Animæ, quæ non exercetur mediante corpore, ſed tamèn ex Corpore aliquod adminiculum tali operationi exhibetur, ſicut per Corpus exhibentur Animæ phantaſmata, quibus indiget ad intelligendum; vndè etiàm talem Animam neceſſe eſt corpori vniri proptèr ſuam operationem, licet contingat ipſam ſeparari; hinc maniſeſtè fit, quod Anima cæleſtis corporis non poteſt habere operationes nutritiuæ Animæ, quæ ſunt nutrire, & augere, & generare: huiuſmodi enim operationes non competunt corpori incorruptibili per naturam; ſimilitèr nec etiàm operationes ſenſitiuæ Animæ corpori cæleſti conueniunt: quia omnes ſenſus fundantur ſuper tactum, qui eſt apprehenſiuus qualitatum Elementorum; Omnia etiàm organa potentiarum ſenſitiuarum requirunt determinatam proportionem ſecundum commixtionem aliquam Elementorum, à quorum natura Corpora cæleſtia ponuntur remota: relinquitur ergò quod de operationibus Animæ, nulla poteſt competere Animæ cæleſti, niſi duæ intelligere, & mouere: nàm appetere conſequitur ſenſum, & intellectum, & cùm vtroque ordinatur; intellectus autèm operatio cùm non exerceatur per Corpus, non indiget corpore, niſi in quantùm ei per ſenſus miniſtrantur phantaſmata; operationes autèm ſenſitiuæ Animæ Corporibus cæleſtibus non conueniunt, vt dictum eſt, ſic igitur proptèr intellectualem operationem Anima cæleſti corpori non vniretur; relinquitur ergò quod proptèr ſolam motionem, quod declaratur à D. Tho. ex Ariſt. 8. Phyſ.tex.40.& 41.qui poſtquàm oſtendit quod primum mouens ſe ipſum componitur ex duabus partibus quarum ſunt, & mouens, & mota, & aſſignans quomodo hæ duæ partes vniuntur dicit ibi, qnod per contactum, vel duorum ad inuicem ſi vtrumq; ſit Corpus, vel vnius ad alterum; & non è conuerſo, ſi vnum ſit corpus, & aliud non; Vt Plato etiàm ponebat, vt diximus ſuprà.

Probatio 2 partis, ſcilicet quod mouentur virtute apprehenſiua, & non vt Grauia, & Leuia.

Probatur ſecunda pars ex D. Thom. primò per rationem, quia natura eſt determinata ad vnum, & natura non mouet niſi ad vnum, quo habito quieſcit, quod in motu Corporum cæleſtium non apparet; ergò relinquitur, quod non moueatur ſicut Grauia, & Leuia, ſed ſub aliqua ſubſtantia apprehendente. Et ſecundò prob. Auctoritate D. Auguſt. 3. de Trin. cap. 4. vbi dicit quod Corpora omnia adminiſtrantur à Deo per ſpiritum vitæ. Patet ergò de primo ad vltimum, quod Corpora cæleſtia non ſunt Animata eo modo, quo Plantæ, & Animalia, ſed æquiuocè. Ità D. Thom. & Caietanus in quæſt. 70. cit.

Secunda Concl. de numero intelligentiarum ponitur à Caiet. cum ſua prob. ſcilicet quod ſinè illo fundamēto actus, & potentiæ non poteſt inueſtigari,

Secunda Concluſio de numero intelligentiarum ponitur à Caietano ex D. Tho. cap. 5. de ente, & eſſentia ſic. Sine tali fundamento actus, & potentiæ, ideſt ſinè cognitione intellectus poſſibilis, impoſſibile eſt inueſtigare pluralitatem in intelligentijs.

Probatur à Caietano ex D. Thom. ſub tali forma. Quandocumque eſt aliquod medium per participationem vtriuſque extremi, plurificatur penès maiorem participationem vnius, & minorem alterius: Sed intelligentia eſt quid medium ſecundum præhabita intèr duo extrema, ſcilicèt Actum purum, & potentiam puram participans naturam vtriuſque quia habet actum coniunctum potentiæ: ergò intelligentias plures eſſe non niſi ex hoc fundamento facilè percipi poteſt, ſcilicet ex eo

quod

quod ſunt compoſitæ ex actu, & potentia, imò impoſſibile eſt, quod ſinè notitia huius intellectus poſſibilis poſſimus ſcire pluralitatem in ſubſtantijs immaterialibus. Minor clareſcit in notabili ſupra. Maior oſtenditur inductiuè v. g. imponatur nomen coloribus medijs, & vocentur, A. Tunc, A, quia eſt intèr albedinem, & nigredinem medium per participationem, multiplicatur in plures ſpecies, puta pallidum, Croceum, Citrinum propter maiorem appropinquationem ad albedinem, & receſſum à nigredine, & è conuerſo; ergo vera eſt Maior aſſumpta &c. Ità Caiet. in loc. cit. cap. 5.

Argum. vnicum Caiet. contrà 1. Concluſionem.

Quo ad 4. Arguit Caietanus contrà primam Concluſionem in art. 3. q. 70. ſic: S. Doctor in 2. c. g. c. 70. vult, quod ſecundum Ariſtotelem neceſſe ſit ponere Cælum animatum, ità quod Anima vniatur Cælo vt forma; in p. p. autem art. 3. q. 70. dicit ex Ariſt. quod ſufficit vniri vt motorem mobili; quomodo ergo aliquid certi poſſimus habere ex D. Th. ſecundum viam Ariſtotelis? Si corpora Cæleſtia ſint animata, vel inanimata?

Reſp. Caiet. ad Argumentum.

Reſp. Caietanus. Ad hoc non video Reſponſionem niſi alteram duarum, vel quod in p. p. melius dixit, quia & poſterius ſcripſit; vel quod ibi intendebat, quod opportet ſecundum Ariſt. Cælum eſſe propriè animatum ſaltèm non repugnantèr, eo quod Doctrina ſua ad hoc tendit: Quamuis enim poſſet interpretari, vt hic fecit. Ex his tamèn, quæ in 2. Cæli dicuntur habemus quod Animatum indiſtinctè poluit: opportet ergo non repugnare quod ſit Animatum ſecundum ſubſtantiam, & hoc ſat erat contrà Auuerroim Commentatorem; Contrà quem loquebatur; ſuſtinent autem hæc verba illam Gloſam, quia quando contrà Auuerroim erat ſermo, ſas erat declinare in oppoſitum, vt Aug. contrà Pelagianos facit. Poſſet tertiò dici, quod hic ſecundum propriam opinionem, ibi ſecundum Ariſtotelem, & quamuis adducat Ariſtotelem, non tamèn aſſerit hanc eſſe eius opinionem, ſed ex dictis eius ſibi ſeruit. Quomodo autèm poteſt dici moueri ab intrinſeco, ſi vnitur ſolùm vt Motor, hoc ſatis manifeſtatur, & ſuprà in notabili, & in 2. Phyſ. 9. p. num. 5. & num. 7. Ità Caietanus in fine Comment. a. 3. cit.

Appendices ſuper Lectionem 10. Metaphyſicalem in Tractatu Nono de Principio operatiuo, & cognoſcitiuo primo.

De numero Intelligentiarum legas Iauellum in 12. Met. quæſt. 22. ſuper textum 44. vbi de numero intelligentiarum ſecundum ordinem nobilitatis iuxtà ordinem ſitus inueſtigat.

Quo ad animationem verò Corporum Cæleſtium legas eundem Iauellum in ſuâ Metaphyſica lib. 12. q. 16. vbi in tollenda contradictione a locis D. Th. cit. ſupra in Argumento vtitur doctrina Caietani, & approbat primam, & ſecundam Reſponſionem, & quod ſequenda eſt Doctrina D. Th. quam tradit in p. p. q. 70. a. 3. & in q. de Spiritualibus Creaturis a. 6. ibiq; etiam confutat Auicennam ſuſtinentem animationem Corporis Cæleſtis per modum formæ informantis materiam; & tandèm in fine concludit Iauellus cum D. Th. & Caietano quod Cælum ſit animatum æquiuocè, id eſt ſolùm vt motor mobili &c. Legas formalitates Ven. Porrectæ ſuper art. 3. cit. & Ferr. 2. c. g. c. 69. & D. Th. de potentia q. a. 6. & quolib. 12. a. 9. & in 2. Cæli lect. 3. & 13. & 18. & 19. & in Met. lib. 12. vide Capreolum in p. ſent. diſt. 14. cum alijs Doctoribus primæ Claſſis Thomiſtis in p. p. q. 70. a. 3. cit.

LECTIO I.

METAPHYSICALIS

In Tractatu Decimo, & vltimo

DE PRIMO, ET VNO PRINCIPE.

An ſit per ſe notum, vel demonſtrabile quibus vijs, vnum eſſe Principem.

Ex Caiet. in p. p. q. 2. art. 1. 2. & 3. & alibi multotiès.

Declaratio Tituli, eiuſque ſenſus quæſiti facta à Caietano.

CAietanus in p. p. q. 2. a. 1. ſic declarat Titulum, ly per ſe intelligitur ac non per alium medium terminum; ly notum intelligitur noticia euidenti. Et propoſitio per ſe nota dicitur illa, quæ ex ſolis proprijs terminis eſt nota euidentia certa, & infallibili ex primo poſt, & hic, addit Caietanus, proteſtando ſe nolle repetere ea, quæ habet de propoſitione per ſe nota; ſicuti nec etiàm argumenta Scoti, Aureoli, & Gregorij quia in cap. 3. p. poſt. diffusè, inquit, ſolutiones dedimus. Nec ſunt repetenda ea quæ ſunt tradita in Phyſicâ lib. 7. & 8. q. 3. à num. 241. vſq; ad numerum 249. quia iſta prima ratio demonſtratiua per viam motus, quæ aſſertur in art. 3. q. 2. cit. à D. Th. vbi dicit, quod prima, & manifeſtior via eſt quæ ſumitur ex parte motus, qua demonſtratur ſub nomine primi motoris vnum eſſe Principem examinatur ibi diffusè. In hoc loco igitur, & Lectione diſcutienda ſunt, quæ Philoſophi antiqui, & præcipuè Ariſt. in 12. Met. textu vltimo ſuper illa Verba vnus ergo Princeps &c. ſecundum lumen naturale per viam Cauſalitatis efficientis, & per viam graduum, qui in rebus inuenitur, quæ eſt, ſecunda, & quarta via aſſumpta à D. Th. in art. 3. q. 2. cit. ad probandum vnum eſſe Principem, ſub hoc nomine Dei: Via enim ſumpta ex poſſibili, & neceſſario, & ex gubernatione rerum declarata eſt in Phyſicis, & in præcedentibus. Quæritur ergo an hæc propoſitio vnus eſt Princeps, qui eſt Deus ſit per ſe nota, vel demonſtrabilis per viam cauſalitatis effectiuæ, vel per viam graduationis rerum in hoc mundo. Itá Caiet. in loc. cit.

1. Notab. Caiet. in quo explicatur vbi conſiſtat propoſitio per ſe nota, & quo ad nos.

Quoad 1. Notat Caietanus in art. 1. cit. §. Circà hanc partem &c. quod hic non definitur propoſitio per ſe nota dicendo, quod eſt illa cuius prædicatum ponitur in ratione ſubiecti, ſed ponitur cauſalis, ſcilicet quod ex hoc, quod prædicatum ponitur in ratione ſubiecti, ſit propoſitio per ſe nota, quæ eſt conuertens reſpectu illius; & hoc ideò dico, quia benè verum eſt apud S. Th. quod omnis propoſitio, cuius prædicatum cadit in ratione ſubiecti eſt propoſitio per ſe nota, ſed non è conuerſo: quoniàm cum vnum generaliſſimum negetur de alio, & cum prima paſſio

præ-

Digitized by Google

prædicatur de ſubiectō primo, fiunt propoſitiones immediatè ſecundum ſe per ſe notæ; ſi autem alicubi ſic definita reperiatur, gloſetur ly eſſe in ratione ſubiecti, formalitèr, vel virtualitèr proximè, non tamèn extendatur talis locutio, quia minùs propria eſt. Et inſuper addit Caiet, quod cùm propoſitio aliqua poſſit notificari à priori, & à poſteriori, opportet quod ly per ſe diſtinguatur an excludat medium terminum à priori tantùm, an à priori, & poſteriori ſimul. Si enim omnis propoſitio eſt per ſe nota habens prædicatum in ratione ſubiecti opportet vt ſemper ly per ſe excludat medium à priori, ſed quoniam contingit, quod intèr eā inter quæ nullum eſt ſecundum ſe medium, vt ſunt cognita nobis tunc adſit medium, ideò non ſemper excludit medium à poſteriori. Et propterea diſtincta eſt à D. Th. propoſitio per ſe nota ex differentia intèr terminos notos, & ignotos, id eſt ex differentia intèr extrema propoſitionum, vt ſunt nobis nota: illæ enim quorum extrema non ſecundum ſe tantùm, ſed vt nota nobis ſunt immediata, ſunt omnibus per ſe notæ; illæ verò quorum extrema licet ſecundum ſe, non tamèn vt nota nobis, ſunt immediata, ſunt ſecundum ſe tantùm per ſe notæ, non nobis; & ſimiliter quarum extrema vt nota ſapientibus ſunt immediata, ſunt eis per ſe notæ. Ità Caiet. in loc. cit.

Notat 2. Caietanus in p. p. q. 2. a. 2. circà diſtinctionem demonſtrationis datam à D. Th. quod duplex eſt demonſtratio, vna quæ eſt per cauſam, & dicitur proptèr quid, & hæc eſt per priora ſimplicitèr; alias eſt per effectum, & dicitur demonſtratio quià, & hæc eſt per ea, quæ ſunt priora quò ad nos: cùm enim effectus aliquis ſit maniſeſtior nobis, quàm ſua cauſa per effectum procedimus ad cognitionem cauſæ; ex quolibet autèm effectu poteſt demonſtrari eſſe eius propriam cauſam, ſi tamèn eius effectus ſint magis noti quo ad nos; cum effectus dependeat à cauſa, poſito effectu neceſſe eſt cauſam præexiſtere, & ſic quæritur hic an &c. Vndè in art. 3. q. 2. cit. ſat eſt demonſtratori per primam viam ex parte motus, quod inferatur: ergo datur primum mouens immobile, non curando an illud ſit corpus, vel incorporeum, quia hoc quæritur à D. Th. in q. 3. p. p. de ſimplicitate Dei; ſicut etiàm ſat eſt ſecundæ viæ ex parte efficientis quod ducat ad primum efficiens non curando an illud ſit corpus, vel incorporeum, hoc itidem quæritur in q. cit. de ſimplicitate Dei; Idem dicendum eſt de tertia via ex parte neceſſarij, ſat eſt enim, quod ducat ad primum neceſſarium non ex alio, non curando an ſit vnum, vel plura, quia hoc quæritur in q. 11. Itidem quartæ viæ ex gradibus rerum ſat eſt ducere ad maximè ens, Verum, Bonum, Nobile, à quo ſunt omnium participationes; & ſimilitèr quintæ viæ ex ipſa gubernatione ſecundum intellectum, ſat eſt ducere ad primum gubernantem per intellectum, quicumque ſit ille. Omnia igitur hæc prædicata, ſcilicet mouens immobile, primum efficiens, neceſſarium non ex alio, maximè ens, & primum gubernans per intellectum ſunt ſecundum veritatem propria primo Principi qui eſt Deus; & ideò mediatè concludendo hæc inueniri in rerum natura, concluditur directè, quaſi per accidens quod Primus Princeps, ſcilicet Deus eſt, id eſt Deus non vt Deus, ſed vt habens talem conditionem, Deus eſt, & conſequentèr ipſum ſubſtratum, ſcilicet Deus vt Deus eſt. Ità Caietanus loc. cit.

2 Notab. Caiet. in quo oſtenditur diuiſio demonſtrationis in proptèr quid, & in quia data à D. Th.

Quo ad 2. in p. p. q. 2. a. 1. Caietanus inquit. D. Th. tenet quod hæc propoſitio Deus eſt, quantùm in ſe, eſt per ſe nota, ſed non nobis: quia nullus poteſt cogitare oppoſitum eius quod eſt per ſe notum vt patet in primis principijs demonſtrationis ex Philoſopho in 4. Met. tex. 1. & 9. & in p. poſt. textu 5. & vltimo. Quod verò quis cogitet, vel cogitare poſſit oppoſitum huius quod dico Deus eſt, patet ex illo Pſalmi 13. Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus, & iſte inſipiens. Eſt Atheiſta. Quod autèm iſta propoſitio pro vt non eſt nota nobis ſit demonſtrabilis apud

Opinio S. Th. recitata de hac propoſitione, Deum eſſe, eſt per ſe nota, & quomodo quo ad nos demonſtretur contrà aliquos.

apud nos per effectus nobis notos patet ex illo Apoſtoli ad Rom. 1. Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, inſpiciuntur; Et quod Deus ſit cauſa iſtorum viſibilium præſupponitur tanquàm veriſſimum in q. 44. art. 1. in p. p. & ex Reſponſione ad ſecundum, addit Caietanus, quod rationi humanæ peruia in Symbolo ponuntur Credo in vnum Deum &c. vt per hoc apertè monſtretur contrà Hæreticos, quod Fides non eſt contraria rationi, imò quod Fides perficit rationem, & ratio ſubſeruit, & ſubditur Fidei tanquàm perfectioni ſuæ, vt dicitur à ſimili de Charitate in p. p. q. 1. a. 8. hinc S. Doctor ſubiungit nihil tamen prohibet illud, quod ſecundum ſe demonſtrabile eſt, & ſcibile ab aliquo, accipi vt credibile, qui demonſtrationem non capit. Ità Caietanus loc. cit.

1. Concl. Caiet. etiàm ex D. Th. cũ probatione primæ, ſecundæ, & tertiæ partis quod hæc propoſitio Deus eſt, ſecundum ſe eſt per ſe nota non nobis, & ideò demonſtrabilis.

Quo ad 3. Caietanus ponit hanc primam Concluſionem ex D. Th. in p. p. q. 2. a. 1. & 2. tali pacto. Hæc propoſitio vnus Princeps, ſcilicet Deus eſt, eſt per ſe nota ſecundum ſe, non nobis, & ideò eſt demonſtrabilis à poſteriori, ſeù per effectum.

Probatur à Caietano breuitèr prima pars ſic. Prædicatum eſt idem ſubiecto: ergo eſt per ſe nota: probatur antecedens, quia Deus eſt ſuum eſſe, vt oſtenditur in p. p. q. 3. a. 4. Probatur ſecunda pars. Nos neſcimus quid ſubiecti illius propoſitionis: ergo &c. probatur hoc: quia ex hoc quod nos neſcimus de Deo quid eſt, non eſt nobis per ſe nota, & ideò infertur tanquàm Corrolarium, quod indiget demonſtrari per ea, quæ ſunt magis nota quoad nos, & minus nota quo ad naturam, ſcilicet per effectus, ideſt per medium quo ad nos, ideſt à poſteriori effectu: quia nobis non eſt euidens, & à priori caret medio. Ità Caietanus. Probatur tertia pars à Caietano ex D. Th. in art. 2. q. 2. cit. Effectus dependet à propria cauſa: ergo poſito effectu neceſſe eſt cauſam præexiſtere: ergo ex quolibet effectu, dummodò ſit nobis notior, poteſt demonſtrari eſſe eius propriam cauſam: ergo Deum eſſe eſt demonſtrabile per effectus notiores nobis. Ità Caietanus loc. cit. & in q. 44.

2. Concl. Caiet. ex D. Th. cum prima probatione, ſcilicet quod detur Deus ex parte cauſæ efficientis.

Secunda Concluſio ponitur à Caietano ex D. Th. in art. 3. q. 2. cit. Deus eſt, demonſtratur quinque vijs, ſed præcipuè duplici via, ſcilicet ex ratione cauſæ efficientis, & ex gradibus inuentis in rebus.

Probatur à Caietano ex D. Th. p. ex parte cauſæ efficientis ſub tali forma. Datur prima cauſa: ſed hæc non poteſt eſſe niſi Deus: ergo datur Deus. Maior probatur, datur à parte rei aliquis effectus productus: ergo datur cauſa prima. Antecedens patet ſenſu. Conſequentia probatur, quia implicat, quod ponatur à parte rei aliquis effectus niſi influant in eſſe omnes cauſæ, quibus eſſentialiter, & actu ſubordinatur: ſed intèr cauſas eſſentialiter ſubordinatas, & quarum influxus actualis deſideratur ad productionem effectus, non datur proceſſus in infinitum, imò neceſſario ad aliquam primam deueniendum eſt, in qua ſiſtat, & terminetur ſubordinatio, vt diximus ſupra, & diffusè in 7. & 8. Phyſ. ergo neceſſario debet admitti aliqua prima cauſa. Minor principalis probatur. Cauſa, quæ eſt independens in cauſando eſt Deus: Cauſa prima eſt independens in cauſando: ergo &c. Probatur Minor, quia ſi ab alia cauſa penderet in cauſando non eſſet prima, ſed ea potiùs, à qua diceretur dependere, & cuius influxum diceretur recipere: ergo vt cauſa dicatur prima debet eſſe neceſſariò independens in cauſando. Maior probatur quod iſta ſit Deus, quia illud quod eſt independens in eſſendo eſt Deus: vt enim aliquid ſit independens in eſſendo debet eſſe à ſe, & non ab alio, & ſic per ſe exiſtere, & neceſſariò debet conuenire ei, & per conſequens quod ſit Deus: ſed id quod eſt independens in cauſando eſt etiàm in eſſendo independens, quia operatio ſequitur eſſe, & eodem modo quo aliquid ſe habet ad eſſe eodem modo ſe habet, & ad operari: ergo illud quod eſt independens in cauſando eſt Deus: ergo datur Deus: Vnus

ergo

Digitized by Google

ergo Princeps. Ità Caietanus ex D. Thom. in ſecunda via allata in 3. art. cit.

Probatio 2. ex D. Th. 2. Concl. ex parte graduationis rerum.

Probatur eadem Concluſio ex parte graduum. Inuenitur in rebus aliquid magis, & minus Bonum, minus Verum, & minus Nobile, & ſic de alijs huiuſmodi: ſed magis, & minus dicuntur de diuerſis, ſecundum quod appropinquant diuerſimodè ad aliquid, quod maximè eſt, ſicut magis calidum eſt, quod magis appropinquat maximè calido: ergo datur aliquid, quod eſt veriſſimum, & optimum, & nobiliſſimum, & per conſequens maximè ens: nam quæ ſunt maximè vera, ſunt maximè entia vt dicitur in 2. Met. Comm. 4. Quod autèm dicitur maximè tale in aliquo genere eſt cauſa omnium, quæ ſunt illius generis; Sicut ignis, qui eſt maximè calidus eſt cauſa omniùm calidorum, vt in eodem lib. 2. Met. dicitur: ergo eſt aliquid, quod omnibus entibus eſt cauſa eſſe, & Bonitatis, & cuiuslibet perfectionis, & hoc dicimus Deum: ergo datur Deus. Ità Caiet. ex D. Th. loc. cit.

Argum. Caiet. contrà 2. Concl.

Quo ad 4. Arguit Caietanus in art. 3. cit. ex Aureolo contrà illud aſſumptum, ſed maximè tale in aliquo genere eſt cauſa &c. Intèr colores dantur maiores, & minores, & tamèn intèr eos non datur maximus, quo non poſſit dari maior, & hic maior ſi daretur, eſſet Albedo, quæ albedo proptèr hoc non eſt cauſa cæterorum colorum: ergo licet intèr entia, detur maius, & minus ens, intèr Bona maius, & minus Bonum, intèr perfecta magis, & minus perfectum, non tamèn propterea poteſt legitimè inferri, quod detur maximum ens quo maius dari non poſſit in ratione entis; & per conſequens cùm Deus ſit id quo maius, & perfectius dari non poteſt, non ſequitur ex iſto modo argumentandi: ergo datur Deus.

Reſp. Caiet. ad ſuum Argum. ex Aureolo.

Reſp. Caietanus hæc Inſtantia nihil valet; tùm quia Albedo non eſt maximè color; tùm quia ſi eſſet maximè color, non opporteret propterea ipſam cauſare cæteras ſpecies coloris abſolutè, ſed quantùm ad rationem coloris tantùm; quia dicere Albedinem eſſe cauſam exemplarem reliquorum colorum, quatenus colores ſunt nullum inconueniens eſt, cum perfectiora ſint naturaliter exemplaria imperfectiorum vt ſic; & colores omnes, quantò magis accedunt ad Albedinem tantò plus habent lucis, & conſequentèr de perfectione in ratione coloris. Ità Caietanus a. 3. cit.

Arguit 2. Caiet.

Arguit 2. Caiet. ex D. Th. ſic. Si vnum contrariorum fuerit infinitum totaliter deſtrueretur aliud: ſed hoc intelligitur in hoc nomine Deus, ſcilicet quod ſit quoddam Bonum infinitum, ergo ſi Deus eſſet, nullum malum inueniretur: inuenitur autèm malum in Mundo: ergo Deus non eſt.

Reſp. Caiet. Reſp. propria D. Th.

Reſp. Caiet. ex D. Th. ſi vnum contrarium &c. totaliter &c. vel antecedentèr, vel conſequentèr antecedentèr, quia omninò non erit; Conſequentèr, quia ex illo dato elicietur oppoſitum: nàm ex hoc quod Deus reperitur, malum omne totalitèr deſtruitur conſequentèr, quia vt dicit Aug. 10. Enchiridion, Deus cùm ſit ſummè Bonus, nullo modo fineret aliquid mali eſſe in operibus ſuis, niſi eſſet adeò Omnipotens, & Bonus, vt benè faceret etiàm de malo (en conſequentèr) hoc ergo ad infinitam Dei bonitatem pertinet, ait D. Th. vt eſſe permittat mala, & ex eis eliciat Bona. Et hoc ſufficit ad verificandam illam maximam in effectibus non infinitè participantibus illud contrarium Bonum infinitum, cuiuſmodi ſunt effectus hic in mundo exiſtentes.

Inſtantia Caiet. contrà Reſp. D. Th.

Inſtat Caietanus ex Scoto. Illa conditionalis eſt vera ſolùm in oppoſitis agentibus naturaliter, & effectiuè, & formaliter, non autèm in agentibus voluntariè: ergo malè D. Th. negat conſequentiam reſpondendo ad Argumentum, ſed debet diſtinguere antecedens de agente voluntario, & de agente naturaliter. Probatur conſequentia quia D. Th. reddit rationem negationis conſequentiæ dùm dicit in Reſp. quod ex infinita Bonitate agentis, ſequitur eſſe aliqua mala, ex quibus Bonū reſultat,

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Caiet. ad Inſtantiam. Reſp. Caiet. quod benè Reſponſio litteræ conſiſtit in negatione conſequentiæ: quia tamèn non aſſignatur cauſa in communi, ſed particulari materia de qua eſt ſermo; ideo vt reſpondeatur in commmuni loquendo, primò dicitur quod ſi vnum oppoſitorum eſt infinitum, reliquum non ſolùm excluditur ab eo formaliter, ſed etiàm effectiuè, in quocumque inuentum fuerit, & hoc proptèr infinitatem ſuæ virtutis, & efficaciæ cui nihil reſiſtere poteſt, niſi aliud oppoſitum etiàm eſſet infinitum. Inſuper iſta Reſponſio quia immiſcet modum cauſandi, ſcilicet per voluntatem, attribuendo mala permiſſioni Diuinæ, quæ ad voluntatem ſpectat, ideò, vt dictum eſt, eſt particularis; & vt ſit vniuerſalis diſtinguendum eſt antecedens de oppoſito infinito dupliciter quod agens infinitum ſi finitè participetur non tollit effectiuè totaliter ſuum oppoſitum; ſi verò oppoſitum infinitum communicetur ſecundum eandem rationem, reliquum non erit, nec in eodem ſuſceptibili, nec in alio quocumque. Et ideò eleuando rationem in Reſponſione aſſignatam à D. Th. meritò negatur conſequentia, quia ex infinita Bonitate Dei oritur, mala eſſe, proptèr tamèn Bonum Vniuerſi, & non oritur mala non eſſe; Et ſic ad infinitam Bonitatem Dei ſpectat, quod malum ſit in effectibus ſuis, non in ſe ipſo. Ità Caietanus in fine Comment. art. 3. cit.

Arguit 3. ex D. Th. Caiet. pro vt ſupra. Arguit 3 ibidem Caietanus ex D. Th. ſic. Quod poteſt compleri per pauciora principia non fit per plura: ſed videtur, quod omnia, quæ apparent in mundo poſſunt compleri per alia principia, ſuppoſito quod Deus non ſit, quia ea quæ ſunt naturalia, reducuntur in principium quod eſt natura; ea verò, quæ ſunt à propoſito, reducuntur in principium, quod eſt ratio humana, vel voluntas, nulla eſt igitur neceſſitas ponere Deum eſſe.

Reſp. Caiet. ad Argum. 3. Reſp. Caietanus ex D. Th. Quod poteſt compleri &c. perfectè concedo; aliquatèr, nego. Remoto igitur Deo, neque naturalia, neque voluntaria agentia quidquam agere poſſent, & conſequentèr actiones, ideſt, quod iſta agant, inferunt per bonam demonſtrationem, quod Deus exiſtat: quià cùm natura proptèr determinatum finem operetur, ait D. Th. ex directione alicuius ſuperioris agentis, neceſſe eſt ea, quæ à natura fiant, etiàm in Deum reducere, ſicut in primam cauſam; ſimiliter etiàm, quæ ex propoſito fiunt, oportet reducere in aliquam altiorem cauſam, quæ non ſit ratio, & voluntas humana, quia hæc mutabilia, & defectibilia ſunt: oportet autèm omnia mobilia, & poſſibilia deficere, reduci in aliquod principium immobile, & per ſe neceſſarium, vt oſtendit S. Doctor in art. 3. cit. per viam ex parte neceſſarij, quæ intèr illas quinque vias in numero eſt tertia. Ità Caietanus ex D. Th. loc. cit.

Argum. 1. Caiet. contrà 1. Concl. ex D. Th. Arguit Caietanus primò contrà primam Concluſionem ex D. Th. in p. p. q. 2. a. 1. ſic: Illa enim dicuntur per ſe nobis nota, quæ ſtatim cognitis terminis, cognoſcuntur, quod Philoſophus attribuit in p. poſt. tex. 6. primis principijs demonſtrationum: ſcito enim quod eſt totum, & quid eſt pars, ſtatim ſcitur, quod omne totum eſt maius ſua parte: ſed intellecto quid ſignificet hoc nomen Deus, ſtatim habetur quod Deus eſt: ſignificatur enim hoc nomine, id quo maius ſignificari non poteſt: Maius autèm eſt, quod eſt in re, & intellectu, quam quod eſt in intellectu tantùm; vndè cum intellecto hoc nomine Deus, ſtatim ſit in intellectu, ſequitur etiam, quod ſit in re: ergo Deum eſſe eſt per ſe notum.

Reſp. Caiet. ad Argumentum. Reſp. Caiet. ex D. Th. Illa enim nobis dicuntur per ſe nota quæ &c. ab omnibus, concedo; ab aliquibus tantùm, nego. Non enim omnibus eſt cognitum eſſe Deum, quia cognoſcere Deum in communi conſideratum exiſtere, eſt nobis naturaliter notum, vt Damaſcenus dicit in principio libri ſui primi orthod. Fidei c. 1. & 3.

non

Digitized by Google

non autem Deum in ſingulari, vt Concluſio intendit, ſicut cognoſcere venientem, ait D. Th. non eſt cognoſcere Petrum, quamuis ſit Petrus veniens, & ad ſecundum ait. Dato etiam, quod quilibet intelligat hoc nomine Deus ſignificari hoc quod dicitur, ſcilicet illud quo maius cogitari non poteſt, non tamèn propter hoc ſequitur, quod intelligat id quod ſignificatur per nomen, eſſe in rerum natura, ſed in apprehenſione intellectus tantùm; nec poteſt argui quod ſit in re, niſi daretur quod ſit in re aliquid, quo maius cogitari non poteſt, quod non eſt datum à ponentibus Deum non eſſe.

Inſtantia Caiet. contrà Reſponſionem D. Th.

Inſtat Caietanus ex alijs. Excedens omne cogitabile non eſt per tuam Reſponſionem: ergo non eſt excellens omne cogitabile, quod eſt oppoſitum quid nominis ipſius Dei. Probatur conſequentia quia non excedit cogitabile exiſtens; & ſi ipſum eſſet, cogitaretur maius, quàm cogitatum non eſſet.

Reſponſio Caiet. ad Inſtantiam.

Reſp. Caietanus, quod hæc obiectio non eſt alia ab Argumento ſuprà, & ſic eàdem Reſponſione diſtinguitur conſequens, quod excedere omne cogitabile contingit dupliciter vno modo quod excellit in rerum natura, alio modo ſecundum eſſe cogitatum, & intendo non quod eſſe in rerum natura, aut obiectiuè ſit ratio exceſſus, ſed vtimur eis in propoſito, vt conditiones rerum cogitatarum v.g. Conditiones perfecti Oratoris cogitatæ, poſſunt excedere omnem Oratorem dupliciter vno modo, quod ille exceſſus ſit in rerum natura, alio modo quod ſit in eſſe obiectiuo. Primo modo opportet ponere Oratorem perfectum exiſtere; ſecùndo modo non, ſed ſufficit ipſum habere eſſe obiectiuum, rationem autèm excedendi attendi diximus penes nobilitatem conditionum cogitatarum in ſe. In propoſito ergo dicitur quod ex illo antecedente, excedens omne cogitabile non eſt, optimè ſequitur, ergo non eſt excedens in rerum natura omne cogitabile, imò non eſt excedens ſic formicam, aut quodcumque minimum exiſtens; ſed non valet, ergo non eſt excedens in ſe ſecundum omne eſſe obiectiuum omne cogitabile, imò ſic excedit omne cogitabile. Et quandò inſtatur Maius cogitabile eſſet, ſi eſſet in rerum natura, imò ſignificatur plenum omni perfectione incluſa exiſtentia in rerum natura, & ſic ſignificabitur maius. Reſpondeas, ait Caiet. quod logicè his moleſtijs vnico verbo ſilentium impones, dicens, quod Maius omni cogitabili importare exiſtentiam in rerum natura contingit dupliciter, ſcilicet in actu exercito, vel ſignato, & quod ſecundo modo conceditur in propoſito, primo modò non. Et quod ſi primo modo acceptaretur, ſine dubio illa eſſet per ſe nota, Maius omni cogitabili, ac iſta (Quod eſt, eſt) Ratio autèm quarè non clauditur exiſtere in actu exercito, ſed vt conceptùm tantùm, eſt quia nominibus res ſignificantur vt conceptæ, verbis autèm, vt exercitæ; vndè iſta enuuciatio, exiſtentia non eſt, non implicat contradictoria; iſta autèm, quod exiſtit, non eſt, implicat contradictoria. Ità Caietanus loc. cit.

Arguit vltimò Caiet. ex D. Th. pro vt ſupra cum ſua Reſp ex D.Th.

Arguit vltimò Caietanus ex D. Th. Medium demonſtrationis eſt quod quid eſt: ſed de Deo non poſſumus ſcire quid eſt, ſed ſolùm quid non ſit, vt dicit Damaſcenus: ergo Deum eſſe eſt indemonſtrabile.

Reſp. Caietanus ex D. Th. quod in Demonſtratione quia, non poteſt eſſe medium quid eſt, ſed tantum quid nominis, ideſt quid ſignificet nomen; ſecus in demonſtratione proptèr quid, & huiuſmodi: Et hoc maximè contingit in Deo, ait D. Th. quia ad probandum aliquid eſſe, neceſſe eſt accipere pro medio quid ſignificet nomen, non autem quid eſt, quia quæſtio quid eſt ſequitur ad quæſtionem an eſt. Nomina autèm Dei imponuntur ab effectibus, vt oſtenditur in p. p. q. 13. a. 1. vndè demonſtrando Deum eſſe per effectum accipere poſſumus pro medio, quid ſignificet

ficet

Digitized by Google

ſicet hoc nomen Deus. Et aduerte, addit Caietanus, quod hæc doctrina de probitione quæſtionis an eſt, vera eſt quoad nos ſecundum namque talem ordinem, quæſtio quid eſt, ſequitur an eſt; ſecundùm ſe autem è conuerſo vt in 2. poſt. docetur. Ità Caietanus in fine Comment. a. 2. q. 2. in p. p.

Appendices ad Primam Lectionem Metaphyſicalem in Tractatu Decimo, & vltimo de primo Principe, & Vno.

DE totâ hac materia legas formalitates Ven. Porrectæ, & Appendices ſuper art. 1. & 2. & 3. q. cit. & legas inſuper D. Th. lib. 1. c. g. c. 12. & 14. cum Ferr. ibi, & de Ver. q. 10. a. 12. contrà illos, qui dicunt, non poſſe à poſteriori demonſtrari Deum eſſe. Et illas quinq; vias allatas à D. Th. loc. cit. quæ ſunt demonſtrationes veræ, videas mirabilitèr defenſas à noſtro inſigni Sauonarola in ſuo Libello aureo de Triumpho Crucis lib. 1. c. 6. & 9. ex quibus elicit, quod vtiq; benè ſecundum lumen naturale Metaphyſicum poteſt conuinci Chriſtianus Theologus, & Philoſophus, & quicumq; alius fidelis idiota, dari primam cauſam, vnum & primum Principem, qui eſt Rex Regum, & Dominus dominantium, & primum immobile perfectum, & vnum cum cæteris attributis, & per conſequens Deum eſſe. Et in lib. 2. cap. 3. & 4. rationibus ſolidis, & firmis probat nullam vitam inueniri meliorem ipſa Chriſtiana, & nullum excogitari poſſe finem vltimum meliorem illo, quem recognoſcit Chriſti fidelis. Et in lib. 2. c. 6. oſtendit quod vltimus finis, qui non eſt in hac vita, non poteſt acquiri a fideli, niſi ille quem Religio Chriſtiana proponit. Intèr Modernos videas Blaſium à Conceptione in ſua Metaphyſica diſp. 9. de Exiſtentia Dei q. 1. §. 2. num. 10. defendit in Reſponſionibus ad Argumenta cùm Nazario, & Caietano, Nauarette, Maſio, quod hoc nomen Deus non ſignificat exiſtentiam Dei in actu exercito, ſed ſolùm in actu ſignato; & tuetur etiàm cùm Caietano, quod illa propoſitio, immaterialia non ſunt in loco circumſcriptiuè, non eſt propriè nota per ſe, ſed Sapientibus eſſe non propriè, ſed impropriè per ſe notam, & citat Caietanum in iſta propoſitione, Quodlibet eſt, vel non eſt, quod ſit propoſitio immediata.

Pro pleniori intelligentia quinq; rationum D. Th. demonſtrantium Deum eſſe, legas Capreolum in 2. ſent. diſt. 6. q. 1. & diſt. 3. q. 1. & in 2. Met. & 2. Metaph. legas D. Th. cum Iauello in ſua Met. lib. 10. ſuprà tex. 2. q. 2. 3. & 4. circa illam maximam primum in vnoq; genere &c. quærendo an ratio menſuræ conueniat primo Vni, quod eſt principium numeri, & per quid competat ei, & in 3. quæſt. ſuper illum textum ſecundum quærit, ſi quod eſt menſura in aliquo genere, ſit primum & cauſa omium quæ ſunt illius generis. Et ſuper tex. 7. 10. Met. q. 4. quærit ſi prima ſubſtantia, ideſt prima cauſa ſit menſura omnis ſubſtantiæ. Et in 12. Met. q. 9. oſtendit quod probatio propoſiti, ſcilicet Deum eſſe de mente Ariſtotelis, eſt inchoata ab ipſo Ariſt. in 8. Phyſ. & completa poſtea à D. Th. in 12. Met. & in p. c. g. c. 13. Et in 12. Met. q. 29. format hanc quæſtionem an, ſi ſit vnus tantùm Deus, & non plures. Et in fine quæſtionis oſtendit quod ratio Io: Bacchom, quaſi negans diuinas eminentias eſt infirmior omnibus alijs rationibus datis à Scoto, & D. Th. quas putat ſolubiles, & ſuam vt altioris ingenij ſe putans, exiſtimat efficaciſſimam.

Digitized by Google

LECTIO II. METAPHYSICALIS

In Tractatu Decimo, & vltimo

DE PRIMO PRINCIPE, ET VNO.

Vtrùm iſte vnus primus Princeps, qui dicitur Deus ſit perfectus vniuerſalitèr, & contineat perfectiones omnium rerum in ſe.

Ex Caietano p. p. quæſt. 3. art. 7. & quæſt. 4. art. 1. & 2. & in cap. 6. de ente, &c.

Declaratio Tituli, eiuſque ſenſus data à Caietano.

NON QVÆRITVR in titulo an ſit omninò ſimplex ex 1. p. quæſt. 3. art. 7. quia in hac Lectione ſupponendum eſt quod ſit omninò ſimplex ex dictis in præcedentibus cum in ſe non ſolùm ſit incomponibilis, quia non eſt poſſibile Deum aliquo modo in compoſitionem aliorum venire, nec ſicut principiũm formale, nec ſicut principium materiale, vt probatur à D, Thom. in art. 8. quæſt. 3. imò, ait Caietanus, ex dictis conſtat, quod Deus eſt cauſa efficiens, quæ non eſt idem numero cùm ſo rma facti, nec eſt idem ſpecie cum materia: eſt enim primò per ſe agens, & eſt ens ſimplicitèr primùm; ſupponitur ergò quod ſit in ſe omninò ſimplex excludens omnem à ſe ipſo compoſitionem. Et an ſimplicitas ſit perfectio ſimplicitèr diximus in præcedenti alio Tractatu ex noſtris Commentarijs de ente, & eſſentia cap. 2. poſt quæſt. 3. Quod quæritur ergò eſt an ſit perfectus vniuerſalitèr, quod eſt idem dicere an Deus id quod eſt, ſit optimo modo, hoc enim eſt eſſe perfectum. Et Reſponſio D. Thomæ in corp. art. 1. quæſt. 4. teſtatur hunc eſſe manifeſtum ſenſum: quia ibi dicitur quod Deus eſt perfectus, quia non eſt in potentia, ſed in actu, & eſſe in potentia, vel in actu ad modum eſſendi ſpectat. Quærere igitur abſolutè, & ſine ſpecificatione in quæſt. 4. cit. art. 1. Vtrùm Deus ſit perfectus, non eſt idem ac quærere, vtrùm Deus habeat omnes perfectiones, cùm ſit alia formalitas de qua S. Thom. agit in art. 2. quæſt. 4. in 1. p. & nos in titulo cum diſtinctione formali diſtinguendo diximus, vel volumus dicere an Deus id quod eſt, ſit optimo modo, hoc enim eſt eſſe perfectum, & inſuper præter hoc, an habeat omnes perfectiones. Ità Caietanus in locis citatis. Et quærere, addit ipſe, an ſint ibi perfectiones omnium rerum ly ſunt non denotat aliquem ſpecialem modum eſſendi, ſed abſolutè ſumitur, ità quod non quæritur an perfectiones ſint in Deo formalitèr, aut materialitèr, ſed abſolutè quouis modo ſint; & ly perfectiones ſtat vniuerſalitèr pro omnibus perfectionibus iàm ſimplicitèr, quàm non ſimplicitèr, vt patebit infrà in ſecunda Concluſione.

Notabile Caiet. in quo notatur quod perfectio hoc in loco ſignificat modum eſſendi optimum.

Quò ad primùm. Notat Caietanus in 1. p. quæſt. 4. art. 1. quod propriè loquendo perfectio, licèt à totali factione primò deriuata ſit, apud Philoſophos tamèn modum eſſendi ſignificat non quemcumque, ſed optimum cuiuſcumque rei ſiuè ſubſtantia, ſiuè accidens: poteſt enim res intelligi, & eſſe ſub modo eſſendi multiplici, quorum vnus eſt melior altero, ſicut natura plantarum, & animalium habet in ſemine quendam modum eſſendi, & alium eſſendi modum habet in indiuiduis genitis, & rurſus alium eiſdem augmentatis. Et conſtat quod primus eſt, & dicitur imperfectus, quia in potentia tantùm eſt ibi natura ſpecifica; ſecundus autèm eſt aliqualitèr perfectus; tertius verò ſimplicitèr perfectus, vt patet in 4. Met. Perfectum enim ibi vnumquodque dicitur, cum poteſt facere alterum, quale ipſum eſt; Tunc enim habet naturam optimo modo; vndè ſicut quærere Vtrùm aliquid ſit perfectum ſecundum talem, vel talem rationem puta ſcientiam, ſapientiam, vel naturam, non eſt quærere Vtrum illud habeat aliquam perfectionem, ſed Vtrùm illam habeat optimo modo, pro vt quæritur in præſenti Lectione, vt diximus in declaratione ſenſus quæſiti ſuprà: Hæc enim, & alia ampliùs, addit Caietanus, quæ non ſunt repetenda hic, diximus in alia Lectione Metaphyſicali in alio Tractatu præcedenti ſuprà, vbi quæſitum eſt, Vtrùm exiſtentia ſit perfectior eſſentia. Hæc ſufficiant. Ità Caietanus in loc. cit.

Opinio D. Tho. recitatur à Caiet. contrà illam ex diametro oppoſitam Philoſophis antiquis.

Quò ad ſecundùm. Caietanus recitat ex D. Thom. quæſt. 3. & 4. loc. cit. Opinionem Pythagoricorum inſinuatam ab Ariſt. in lib. 12. Met. tex. 40. ſcilicèt quod iſti antiqui Philoſophi, & Leuſippus dicebant, quod principio primo non eſt attribuendum optimum, & perfectiſſimum, quia iſti conſiderauerunt, & intellexerunt principium tantùm materiale, & ideò attribuendum non eſſe perfectiſſimum, & optimum, quia etiàm ipſi cognoſcebant, quod primum principium materiale imperfectiſſimum eſt, quia vt ſic eſt in potentia; vndè huic radix oppoſita eſt quod Deus ponitur primum principium non materiale, ſed in genere cauſæ efficientis, & ideò perfectiſſimum, quia in actu puro, cui nihil deeſt, & dicitur vniuerſalitèr perfectus, quia non deeſt ei aliqua nobilitas, quæ inueniatur in aliquo genere vt dicit Comment. in 5. Met. tex. 21.

Opinio S. Thom. ex D. Dyoniſio recitatur à Caiet. quod in Deò ſint perfectiones omnium rerum.

Quod verò in Deo ſint perfectiones omnium rerum S. Doctor elicit ex D. Dyoniſio cap. 5. de Diuinis nominibus, & in cap. 1. ait, quod Deus in vna exiſtentia omnia præhabet, quia eſt ipſum eſſe per ſe ſubſiſtens, & per conſequens continet in ſe totam perfectionem eſſendi; quia ab oppoſito dicitur, quod ſi non continet totam perfectionem eſſendi, non habet eſſe ſecundum perfectam rationem, & per conſequens non eſt ipſum eſſe per ſe ſubſiſtens; quemadmodum calidum non habet totam calidi perfectionem, ſequitur ſtatim, ergò non habet calorem ſecundum perfectam rationem, ergò non eſt calor per ſe ſubſiſtens; cùm igitur perfectiones pertineant ad perfectionem eſſendi, & res dicantur perfectæ ſecundum quod habent eſſe. S. Doctor euidentèr deducit ex propoſitione D. Dyoniſij, quod ſi Deus continet totam perfectionem eſſendi continet in ſe perfectiones omnium rerum, quod eſt illud, quod dicit D. Dyoniſius, quod Deus in vna exiſtentia omnia præhabet. Ità Caietanus loc. cit.

Prima Concluſ. ponitur à Caiet. ex D. Thom cum ſua probatione quod Deus eſt maximè perfectus.

Quò ad tertiùm. Prima Concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 4. art. 1. ſic. Deus eſt maximè perfectus. Probatur à Caietano ex D. Thom. ſub tali forma. Deus eſt primum principium actiuum quod oportet eſſe in actu: ergò primum actiuum maximè in actu: ergò maximè perfectum: Omnia patent ex declaratione Tituli, & Notabili ſuprà. Et vltima conſequentia ſola declaratur ex quid nominis perfecti, ſcilicèt cui nihil deeſt de requiſitis: exiſtendi enim

in

Digitized by Google

in potentiâ deeſt id, quod in actu eſſe poteſt; exiſtenti autèm in actum vt ſic, nihil deeſt ſecundum modum ſuæ perfectionis. Ità Caietanus ex D. Thom. loc. cit.

Secunda Concl. ponitur à Caietano ex D. Tho cum ſua probatione quod in Deo ſunt perfectiones omnium rerum

Secunda Concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 4. art. 2. ſic. In Deo ſunt perfectiones omnium rerum. Probatur à Caietano ex D. Thom. ratione deſumpta ex D. Dyoniſio ſub tali forma. Deus eſt prima cauſa effectiua rerum: ergò omnium rerum perfectiones præexiſtunt in Deo eminentiori modo. Antecedens ſupponitur. Conſequentia probatur quoad primam partem. Effectus præexiſtit virtute in Cauſa Agente: ergò quidquid perfectionis eſt in effectu, in cauſa effectiua opportet inueniri: ergò ſi Deus &c. omnium rerum perfectiones ſunt in Deo. Probatur Conſequentia quo ad ſecundam partem. Agens in quantùm Agens eſt perfectum: ergò præexiſtere in virtute cauſæ Agentis non eſt præexiſtere modo imperfectiori, ſed perfectiori: ergò quidquid perfectionis eſt in effectu præexiſtit in cauſa effectiua, vel ſecundum eamdem rationem vt in vniuoca, vel ſecundum eminentiorem, vt in æquiuoca: ergò ſi Deus eſt prima cauſa omnium, opportet eminentiori modo omnium perfectiones habere. Aſſumptum patet ex prima Concluſione. Prima Conſequentia probatur ex oppoſito, quia ſcilicèt materia eſt imperfecta, præexiſtere in potentia cauſæ materialis, eſt eſſe imperfectiori modo: reliqua per ſe nota relinquuntur. Ità Caiet. loc. cit.

Arguit 1. Caiet. contrà aſſumptum huius ſecundæ Concluſionis.

Quò ad quartùm. Arguit Caiet. contrà id quod dicitur in hac probatione, ſcilicèt quod præexiſtere in virtute cauſæ agentis, eſt præexiſtere perfectiori modo. Eſt falſa hæc propoſitio, & contradicit alteri dicto D. Thomæ: ergo &c. Falſa quidem, quia effectus in cauſa efficiente, quandoque præexiſtit æquè perfecto modo, vt patet, cùm Socrates generat Platonem; contradicit verò, quia expreſsè dicitur, & benè, quod in Cauſa vniuoca præexiſtit effectus ſecundum eamdem rationem, igitur non perfectiori modo. Nec deeſt Nouitijs occaſio quoque dubitandi, quia videmus effectus etiàm imperfectiori modo præexiſtere in multis cauſis, quæ ſunt cauſæ verè effectiuæ vt patet in Seminibus, ex quibus effectiuè producuntur Animalia, & Plantæ.

Reſp. Caiet. ad Argum. 1.

Reſp. Caietanus, ad hoc breuitèr dicendum eſt, quod ly perfectiori modo poteſt exponi dupliciter, primò comparatiuè, vt ſignificat ex vi Vocabuli, & tunc intelligitur non neceſſariò, ſed permiſſiuè, ità quod particula negatiua non imperfectiori modo intelligitur neceſſariò; particula verò affirmatiua ly ſed perfectiori, intelligitur permiſſiuè. Et ſic eſt veriſſima propoſitio, & ſignificat quod præexiſtere in cauſa efficiente, neceſſariò eſt præexiſtere non imperfectiori modo, quàm ſit modus eſſendi effectus, ſed poſſibilitèr eſt præexiſtere perfectiori modo. Secundò poteſt exponi interpretando comparatiuum pro poſitiuo ly perfectiori modo, idest modo perfecto, ſeù perfectionis. Prima tamèn expoſitio intento D. Thomæ ſeruit, quoniam D. Thomas intendit probare, quod eminentiori modo in cauſa æquiuoca, Deoque perfectiones effectuum ſunt.

Reſp. ad dubium Nouitiorum.

Ad Nouitios autèm Reſp. ex Doctrina Alexandri, vt refert Auuerroes 12. Met. Comm. 24. quod Semina, & alia huiuſmodi, quibus formæ effectuum non aſſimilantur vniuocè, vel imitatiuè, non ſunt cauſæ efficientes, ſed inſtrumenta cauſarum agentium, & propterea locantur in genere cauſarum effectiuarum ab Ariſt. in 5. Met. & 2. Phyſ. Præſens autèm ſermo eſt de cauſis actiuis non ſolùm propriè, vt diſtinguuntur contra alia genera cauſarum, ſed vt diſtinguuntur contrà Inſtrumenta cauſarum, quæ propriè cauſæ non ſunt. Ità Caiet. in Comment. art. 2. quæſt. 4. cit. §. Ad hoc breuitèr &c.

Arguit Caiet. ex D.Th pro vt ſuprà.

Arguit Caietanus ibidem contrà Concluſionem ſecundam ex D. Thom. ſic. Oppoſita non poſſunt eſſe in eodem : Sed perfectiones rerum ſunt oppoſitæ : vnaquæque enim ſpecies perficitur per ſuam differentiam ſpecificam : Differentiæ autem, quibus diuiditur genus, & conſtituuntur ſpecies ſunt oppoſitæ : cùm ergò oppoſita non poſſint ſimul eſſe in eodem, videtur quod non omnes perfectiones rerum ſunt in Deo.

Reſp. Caiet. ex D.Tho.ad Arg.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. Oppoſita non poſſunt eſſe in eodem, vt oppoſita concedo, vt vnum ſimplex, nego : Si enim oppoſita in ſe ipſis putà Album, & nigrum non ſunt oppoſita in intellectu noſtro, vt dicitur in 1. p. quæſt. 81. art. 4. ad 2. non mirùm quod oppoſita in ſe ipſis, non ſint oppoſita in Deo. Sicut enim Sol, ait D. Thom. in Reſponſione ad primùm art. 2. ſenſibilium ſubſtantias, ſecundum D. Dyoniſium, & qualitates multas, & differentes, ipſe vnus exiſtens, & vniformitèr lucendo, in ſe ipſo vniformitèr præaccipit, ità multò magis in cauſa omnium neceſſe eſt præexiſtere omnia ſecundum naturalem vnionem. Et ſic quæ ſunt diuerſa, & oppoſita in ſeipſis, in Deo præexiſtunt vt vnum, abſque detrimento ſimplicitatis ipſius. Ità ex D. Thom. loc. cit.

Arguit Caiet. ex D.Th.contra 1. Concluſionem cum ſua Reſp.ex D.Th.

Arguit Caietanus ex D. Thom. art. 1. quæſt. 4. cit. contrà primam Concluſionem. Deus eſt primum rerum principium : Sed principia rerum videntur eſſe imperfecta : Semen enim eſt principium Animalium, & Plantarum, ergò Deus non eſt perfectus.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. ad Minorem : Sed prima principia rerum videntur eſſe imperfecta, loquendo de primis ſecundum quid, concedo, loquendo de primo principio ſimplicitèr, nego. Deus enim eſt primum principium abſolutè, & ſimplicitèr primùm. Et principium materiale, quod apud nos imperfectùm inuenitur, non poteſt eſſe ſimplicitèr primum, ſed præceditur ab alio perfecto : nàm ſemen licèt ſit principium Animalis generati ex ſemine, habet tamèn antè ſe Animal, vel plantam, vndè deciditur : Oportet enim antè id quod eſt in potentia, eſſe aliquid actu; cùm ens in potentia non reducatur in actum niſi per aliquod ens in actu. Ità ex D. Thom. loc. cit.

Arguit vltimò Caiet.ex D.Tho.pro vt ſuprà cum ſua Reſp.ex D.Thom.

Arguit vltimò Caietanus ex D. Thom. quæſt. 3. art. 1. ſic. Omne quod eſt melius attribuendum eſt Deo : Sed apud nos Compoſita ſunt meliora ſimplicibus, ſicut Corpora mixta, Elementis, & Animalia plantis : ergò non eſt dicendum, quod Deus ſit omninò ſimplex : ergò non perfectus, ideſt non in ſtatu optimi modieſſendi.

Reſp. ex D. Thom. Caietanus ad Minorem. Omne quod eſt melius &c. ſecundum ſe abſolutè, concedo, apud nos tantûm nego : Compoſita enim non ſunt meliora abſolutè, ſed apud nos, quia perfectio Bonitatis Creaturæ non inuenitur in vno ſimplici, ſed in multis : Perfectio autèm Diuinæ Bonitatis inuenitur in vno ſimplici, vt dictum eſt in Concluſione prima. Ità ex D. Thom. loc. cit.

Ap

Digitized by Google

Appendices ad Lectionem 2. Metaphyſicalem in Tractatu decimo, & vltimo, de primo Principe, qui eſt Deus.

PRo faciliori captu primæ Concluſionis, legas D. Thom. in 1. cont. gent. cum Ferrarienſi ibi, Ægidio, & Paludano. Et in de Ver. quæſt. 2. art. 13. & in 1. p. cum Formalitatibus, & Appendicibus Ven. Porrectæ ſuper art. cit. Legas etiàm concordantias Tabulæ aureæ Petri Bergomenſis in Verbo, eſſe, quod ſit perfectiſſimum omnium.

Pro ſecunda Concluſione, legas inſupèr D. Thom. in 1. cont. gent. cap. 28. & 31. & in lib. 2. cap. 2. cum Ferrarienſi ibi, & in 3. ſent. diſt. 2. art. 2. & 3. & diſt. 8. quæſt. 4. & diſt. 30. quæſt. 2. cùm Capreolo ibi. De ſimplicitate Dei videas Blaſium à Conceptione in ſua Metaphyſica diſp. 10. de ſimplicitate Dei, vbi tenet quod ſimplicitas ſecundum ſe, & ex genere ſuo eſt perfecta, & quod per conſequens ſimplicitas de formali non dicit ſolam negationem Compoſitionis; vt tenet Caietanus cap. 2. de ente, & eſſentia, ſed dicit etiàm aliquid poſitiuum, & citat pro ſe D. Thom. cont. gent. in 2. lib. cap. 14. & in p. cap. 18. & quæſt. 20. de Verit. art. 2. ad 3. Et citat plures Thomiſtas, ſcilicèt Ledeſmam quæſt. 2. de perfectionibus Diuinis art. 5. & Scotum in 1. ſent. diſt. 8. quæſt. 1. & Zumel tenet hanc vt probabilem. Videas alios Doctores Thomiſtas in proprijs locis. Ioannem à S. Thom. & Godoy, & Doctores Sorbonenſes. Quod verò ſint omnes perfectiones in Deo vt probat ſecunda Concluſio ſuprà, ex hoc quod Deus eſt, legas Caietanum cap. 6. de ente, & eſſentia ſuper tex. 3. & 4. pag. mihi 350.

Digitized by Google

LECTIO III. METAPHYSICALIS

In Tractatu Decimo, & vltimo DE PRIMO PRINCIPE, ET VNO.

Vtrùm ſecundum Ariſt. Primus Princeps ſit vigoris, & entitatis infinitæ.

Ex Caietano in ſuo Tractatu vnico de Dei Infinitate, & p.p. quæſt. 7. & quæſt. 86. art. 1.

Declaratio Tituli eiuſque ſenſus facta à Caietano,

POST præcedentem Lectionem ſubſequenda hic erat Lectio, ait Caietanus An perfectiones ſimplicitèr ſimplices reperiantur in Deo formalitèr eminentèr ſecundum proprios conceptus, & eminentèr ſolùm ex modo proprio eſſendi, quem habent in Creatis: Sed quia ex dictis in præcedentibus, & vbique à D. Thom. in ſua ſumma ſuſtinuimus affirmatiuam; ſat eſt in præſenti Lectione inſinuare, imò pro conſtanti relinquere ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 57. art. 1. vbi quæritur an Angeli cognoſcant materialia, quod in Deo ſicut in ſummo rerum vertice omnia ſuperſubſtantialitèr præexiſtunt ſecundum ſuum ſimplex eſſe, vt D. Dyoniſ. dicit in libro de Diuinis nom. cap. 1. Deindè ſubſequenda eſſet Lectio ad hanc, de qualitate diſtinctionis intèr Attributa Diuina, nedùm intèr ſe, ſed etiàm ab eſſentia: Sed quia in alio Tractatu Metaphyſicali præcedenti de diſtinctione, vt opponitur vnitati contrà Scotiſtas diffusè diſputauimus, vt ex Commentarijs etiàm noſtris de ente, & eſſentia quæſt. 12. ſuper caput 6. diſputandum eſt, concludendo ibi, quod in Deo ſecundum ſe nulla eſt diſtinctio actualis ex natura rei, ſed tantùm diſtinctio rationis actualitèr, quæ alio nomine dicitur diſtinctio vniuerſalis fundamentalis, idcircò ſuperfluè hic repetuntur.

His igitur ſuppoſitis, Caietanus addit, nos ſuper illa Verba tex. 41. debemus quærere an primum principium ſit vigoris infiniti, vel entitatis infinitæ, quod quidem ſub alia formalitate, quærit S. Doctor in 1. p. quæſt. 7. art. 1. & 2. ſcilicèt An Deus ſit infinitus, & an aliquid aliud prætèr Deum poſſit eſſe infinitum per eſſentiam, ſub qua formalitate, iàm diximus multa in 3. Phyſ. quæſt. 3. vndè in præſenti non omnia, ſed non nulla dicemus in præſenti Lectione, quæ diximus in Opuſculis in Tractatu ſecundo de infinitate Dei quæſt. vnica An Deus Glorioſus ſit infinitæ Virtutis. Et cum finiti, & infiniti ratio congruat quantitati, vt dicitur in 1. Phyſic. tex. 15. hic non ſit Quæſtio de quantitate durationis, nec molis, ſed de quantitate perfectionis, an infinita ſit; Et quia infinitum negationem claudit, non eſt putandum priuatiuè teneri, ſed communitèr negatiuè;

Et

Et ſic ſimpliciter quæritur Vtrùm nullos habeat perfectionis terminos; & licet ſe mutuò conſequantur infinitas virtutis, ac infinitas eſſentiæ; diuerſa tamen ſunt formaliter quæſita, & propria habent diuerſa media; quapropter D. Thom. in p. p. quæſt. 7. tractat infinitatem eſſentiæ Dei, & in 25. tractat de infinitate ſuæ potentiæ. Et quia in quæſt. 3. in 3. Phyſ. de infinitate eſſentiæ tractauimus, hanc pertranſibimus, & de infinitate virtutis nonnulla prælibabimus. Senſus igitur quæſiti erit. An Virtus, ſeù potentia Dei Glorioſi ſit tantæ perfectionis, vt nullis perfectionis limitibus coanguſtetur; vel loquendo de virtute motiua formaliter. An Virtus motiua Dei Glorioſi ſit tantæ perfectionis, vt quantùm eſt ex ſe nullo limite præcludatur, ſed quacumque velocitate data, poſſit facere maiorem, vel ſit in termino, ità vt vltrà velocitatem vigintiquatuor horarum, non poſſit facere maiorem. Ità Caietanus loc. cit.

Quò ad primùm. Notat Caietanus, quod cum habeamus rem cum Principe Peripateticorum Ariſtotele, & Auuerroe, à quibus Metaphyſicalia media propria infinitatis ſubſtantiæ Diuinæ habemus, ideò duabus vijs propoſitum debemus oſtendere. Et pro prima via vnum de ipſa Diuina eſſentia præmittimus, ſcilicèt quod eſt ipſum eſſe per eſſentiam, & totam virtutem eſſendi præhabens, ſuperexcedenſque nobilitates omnium rerum, quæ fuerunt, & quæ ſunt, & quæ poſſunt eſſe etiàm ſimul ſumptarum. Quod enim ſit ipſum eſſe per eſſentiam Ariſt. in 2. Met. tex. 4. Et Auuerroes 12. Met. comm. 51. teſtantur. Quod autèm ipſum eſſe per eſſentiam totam eſſendi virtutem præhabeat, apud Sapientes penetrantes terminos in dubium verti non poteſt: Sed Communis Animi Conceptio eſt, ſicut eſt iſta, Incorporalia non ſunt in loco. Hoc quoque exprimitur ab Auuerr. in Comm. 25. in 5. Met. vbi dicitur in Deo contineri nobilitates omnium generum, cuiuſque ſiquidem rei nobilitas ſecundum aliquam eſſendi rationem eſt. Inſuper ab eodem in 12. Met. comm. 18. & 36. dicitur quod in primo motore omnia continentur actu, & in Comment. 51. dicit quod omnium nobilitates ſimul ſumptæ deficiunt à prima nobilitate, & ex eo patet, quod cùm ipſa ità ſit ſummum ens, cæterorum nobilitates claudit in ſe nobiliſſimo modo, & tantò omnibus præſtat, quantò eorum naturas in ſe habet nobiliori modo: habet enim omnia in ſe per modum ſui, qui eſt purus actus omnium. Et nota quod ridiculum, & puerile eſt in Philoſophia, æquare perfectiones particulares perfectionibus vniuerſalibus: non enim eſt poſſibile ſecundum rem, neque ſecundum intellectum, etiàm data fingendi licentia, vt aliquid ſit meliùs ipſa Bonitate per eſſentiam, aut magis ens, ipſo eſſe per eſſentiam, aut magis viuens, aut magis intelligens, quam ipſa vita, & ipſe intellectus per eſſentiam. Si ergò Deus ſecundum veritatem, eſt huiuſmodi, quomodo poteſt aliquid eò perfectiùs fingi? Vndè Ariſt. in 12. Met. tex. 39. notanter concludit Deum eſſe viuum, ſapientem, &c. vt Platoni attributum Dogma confutaret, nobilitates entium diuidendo, ponens aliud eſſe per ſe vnum, & aliud per ſe ens, & aliud per ſe vitam &c. Vndè ſicut Leo Platonicus eſſet perfectior non ſolùm ſingulis, ſed omnibus Leonibus ſimul, quatenus Leones ſunt, & ſi infinities infiniti Leones particulares eſſent, omnes per ſe à Leonis nobilitate deficerent, ſic omnia Entia per participationem à primo per eſſentiam ente deficere, neceſſe eſt; quod etiàm ex cauſalitate æquiuoca primi ſuper omnia patet. Ità Caietanus loc. cit.

Primum Notabile Caiet. in quo oſtenditur demente Ariſt. & Auuerrois, quod primum principium eſt ipſum eſſe per eſſentiam.

Caietanus in hoc Notabili docet non per ſe perfectius aliquid fingi ipſo Deo.

Notat ſecundò Caietanus circà illud quod data virtute infinita intenſiuè ſequatur motus in non tempore, quod aliud eſt arguere ex potentia motiua infinita, & aliud eſt arguere ex potentia motiua infinita habente talem modum eſſendi, ſcilicèt,

Notabile ſecundum Caiet. in quo explicatur quod

Digitized by Google

Dato hoc impoſſibili de virtute infinita intenſiua in rerum natura ſequitur hoc aliud impoſſibile quod detur motus in non tempore.

cèt, in magnitudine, vel extrà, vel habente modum operandi, ſcilicèt neceſſariò, & liberè; Primum ſiquidem antecedens abſtrahit ab omni modo eſſendi, & operandi; ſecundum antecedens coaſſumit modum eſſendi, vel operandi. Conſtat autèm, quod multa poſſunt deduci ex aliqua ratione formali, & modo eſſendi, vel operandi ſimul, quæ non poſſunt deduci ex illa ratione formali abſolutè; hic nota, addit Caiet. quod ex aliqua ratione ſumpta abſtractè, ſeù abſolutè, duplicitèr deducere aliquid Philoſ. conſueuerunt; vno modo neceſſariò, ſicut ex ratione motus deducitur quod opportet eſſe in tempore; alio modo non repugnantèr ſicut ex ratione motus deducitur quod quocumq; motu dato poteſt dari velocior, &c. Et intèr hæc tantùm refert, quod conſequens aliquid neceſſariò comitatur ipſum in quocumq; ponatur ſecundum omnem modum eſſendi illius; Conſequens verò aliquid non repugnantèr non opportet comitari illud in aliquo, imò ſtat quod repugnet ei in quocumq; modo eſſendi, vt patet in exemplis allatis. Et addit Caiet. infrà, nota etiàm, quod alitèr arguendũ eſt ex infinita velocitate ad infinitatem potentiæ motiuæ abſolutè, & alitèr e conuerſo. Ex infinita ſiquidem velocitate determinatè infertur: ergò potentia motiua eſt actu infinita, quod impoſſibile eſt alitèr talem effectum ſaluare; ex infinita verò potentia motiua, nil aliud poteſt inferri niſi ergò infinita velocitate poteſt mouere, quia ſi aliquanta virtus motiua, poteſt mouere aliquanta velocitate, maior poteſt maiori, & infinita, infinita: Sed quia poſſe mouere infinita velocitate contingit duplicitèr vno modo ſic, quod poſſit facere motum infinitæ velocitatis in actu; alio modo ſic, quod poſſit ſemper facere maiorem velocitatem, quacunque facta velocitate; ideò non poteſt ex infinitate potentiæ motiuæ abſolutè inferri determinatè: ergò eſt actu infinita velocitas, ſicut è conuerſo. Ità Caietanus in ſecunda parte quæſtionis de Infinitate Dei §. ad ſecundam verò dicitur &c.

Notabile tertiũ in quo explicatur à Caietano idem quod ſuprà.

Notat tertiò Caietanus ibidem, clariùs proſequendo prædictam doctrinam, quod triplicitèr poteſt imaginari quod motiua potentia infinita exeat in actum ſecundum; Primò, vel quod moueat, A, mobile certa velocitate, ità quod non poſſit illud velociùs mouere, ſed iſtud ſibi mouere adæquatum; Secundò, vel quod moueat infinita velocitate, ideſt in non tempore: non enim eſt intelligibile, quod aliquid actualitèr moueat infinitè velocitèr, & in non tempore, quia ex quo actualitèr mouet, Tempus illius motus certum eſt ſecundum ſe; ſignetur ergo illud, & tunc procedatur iuxtà Textum 79. 8. Phyſ. & venietur ad hoc, quod motus infinitæ velocitatis erit in æquali Tempore cum motu finitæ velocitatis, vtpotè à virtute finita facto, quod eſt impoſſibile; Idem eſt ergò mouere actu infinitè velocitèr, & mouere in non tempore; vel intelligitur tertio medio modo, ſcilicèt quod nunquam moueat tanta velocitate, A, mobile, quin poſſit illud velocius mouere. Hæc autèm tria imaginata, alitèr ſe habent ad potentiam motiuam abſolutè, & alitèr ad eam in magnitudine. Ad potentiam ſiquidem motiuam infinitam in magnitudine duo extrema comparantur immediatè, ità quod reſpectu talis virtutis non datur medium intèr mouere in non tempore, & mouere certa velocitate. Ad potentiam verò infinitam motiuam abſolutè, extrema hæc ſunt mediata ità quod ſtat, quod moueat ſic velocitèr, quod tamen ſemper velociùs mouere poſſit; & ratio difformitatis eſt: quia virtuti extenſæ quantum eſt poſſe, tantùm neceſſariò eſt facere, vt patet inductiuè, & conſequentèr ſi eſt poſſe infiniti: ergò habet adæquatum facere; aut ergò eſt hoc certa velocitate mouere, aut in non tempore: Mouere enim ſic, quod velocius, patet non eſſe adæquatum virtuti. Virtutis verò infinitæ motiuæ abſolutè, non opportet, quantum eſt poſſe, tantùm eſſe facere, quia abſtrahit ab omni modo operandi, & eſſendi, & conſe-

quentèr

quentèr abſtrahit ab hoc quod faciat ſecundum totum poſſe, aût ſecundum partem, aut tantùm, vel tantùm; & ideò non neceſſariò ſequitur, quod ſi exeat in actum, quod exeat in opus adæquatum. Ità Caietanus in 2. p. quæſtionis, ſui opuſculi pag. mihi 267.

Opinio S. Thomæ conformis Ariſtoteli explicatur, & recitatur à Caiet. quod Deus ſit virtutis infinitæ intenſiuæ.

Quo ad ſecundum Caiet. cum D. Th. præmiſſa primi entis nobilitate, vt vidimus in primo notabili ſuprà, oſtendit de mente Ariſt. per duas vias, quod virtus eius ſit infinita intenſiuè vndè ſic ait Ariſt. probando in fine 8. Phyſ. cum Auuerroi Comment. vltimo, Deum non eſſe virtutem in corpore, facit hanc Minorem, ſed primus Motor eſt infinitæ virtutis quia mouet tempore infinito, nos non ſtamus cum illis, qui peruertunt textum Ariſtotelis, dicentes, quod Ariſt. ſumit pro medio infinitam virtutem non intenſiuè, ſed ſecundum durationem; ſed dicimus quod præmiſſæ Ariſt. accipiendæ ſunt in ſenſu, quo probatæ ſunt, ſunt autem probatæ de infinitate intenſiua, igitur in tali ſenſu accipiendæ ſunt. Et in 3. Phyſ. Ariſt. probat longo proceſſu, quod virtus infinita non poteſt eſſe in magnitudine finita, & hæc eſt ſua Concluſio, magnitudo infinita non datur, & in textu 79. loquitur de virtute infinita intenſiuè, & in textu 78. probat quod primus Motor eſt virtutis infinitæ, quia mouens tempore infinito eſt virtutis infinitæ. Vide tres ibi demonſtrationes factas ab Ariſt.

Caiet. recitat alias opiniones quas diuerſis vijs probat.

Omiſſis igitur alijs opinionibus circà illam minorem Ariſtotelis. Scotus in quodlibetis q. 7. ad 1. credens ſecundum Ariſtotelem primum Motorem infiniti vigoris intenſiuè, dixit hoc concludi ex eo quod mouet à ſe, quia quod mouet à ſe, eſt à ſe, & conſequenter habet plenitudinem actiuitatis, & entitatis, quæ abſq; infinitate intenſiua non eſt. Ægidius verò in 8. Phyſ. idem credens, dixit hoc concludi ex eo, quod totus motus infinitus, eſt proprius effectus Dei, quia quod poteſt in infinitum motum, quo ad ſuam totalitatem, poteſt nihilhominus in ipſum, tàm ſi ſit vnius mobilis abſolutè, quam ſi ſit vnius mobilis infinities iterati, & per conſequens eſt infinitæ virtutis; quia à propria cauſa effectus recipit menſuram, ſpeciem &c. Hæc quia abſq; probatione dicta ſunt, quod mihi videtur, ſcribendum eſt; mirum eſt enim imò extraneum valdè eſt, quod Ariſtoteles medium terminum tacuerit, & tantùm ſtudium appoſuerit, circà id, ſine quo ſua ratio ex tacito medio tenet, vt Scotus dixit: Non enim in 8. Phyſ. aliud medium aſſumitur, niſi mouere tempore infinito, & de hoc magna ſolicitudo fuit, quod exigat virtutem infinitam. Ità Cajetanus loc. cit.

Opinionem propriam Caiet explicat de mente Ariſt.

Circà illud Antecedens, ſcilicet datur virtus infinita in natura: ergo neceſſariò ſequitur motus in non tempore, ait Caietanus, Ambiguitas magna videtur. Quidam putant quod diſtinctio modi agendi, ſcilicet liberè, vel neceſſariò opus ſit. Alij quod ſufficiat diſtinctio illius modi eſſendi virtutis infinitæ an ſcilicet habeat eſſe materiale, an immateriale. Alij autem duas diſtinctiones neceſſarias credunt ad ſaluandam virtutem infinitam in rerum natura, ſcilicet modi eſſendi, qui dicti ſunt ſuprà, & modi agendi, ſcilicet mediatio, vel immediatio, & ſic conſurgunt opiniones quatuor. Opinio S. Thomæ, quam in lucem protulit in 8. Phyſ. ponit ſolam diſtinctionem modi eſſendi, ſcilicet in magnitudine, vel extrà, & hoc ſufficit, ait, ad ſaluandam virtutem infinitam abſq; motu in non tempore, quidquid ſit de modo operandi. Auuerroes in 12. Met. Comm. 41. dicit quod ſua poſitio duabus diſtinctionibus eget, ſcilicet de infinita virtute abſq; motu in non tempore. Prima eſt modi eſſendi, vt ſcilicet ponatur immaterialis, & non in magnitudine; ſecunda eſt modi operandi vt ſcilicet moueat mediatè, & immediatè: Supponit enim omnia immaterialia agere naturali neceſſitate; & ſic dicit, quod ideò non ſequitur motus

Opinio S. Th. recitata, & explicata à Caiet. de Virtute infinita ſine motu in non tempore, & ipſius Auuerrois.

in non tempore ſi ponatur primus Motor infinitæ virtutis, quia ille mouet mediante Anima Cæli modificante in effectu velocitate, ſcilicet motus, infinitatem primi; Ità Caiet. in loc. cit. §. Quarta opinio ab Auuerroi vſqꝫ ad ſecundum Argumentum principale &c.

Concl. Caiet. unica cum ſua prima probatione deſumpta ex Ariſt. ſcilicet quod primus Motor eſt vigoris infiniti.

Quo ad 3. Caiet. in illo ſuo opuſculo de infinitate intenſiua Dei ponit hanc ſuam Concluſ. tali pacto. Primum principium, ſeù primus Motor eſt vigoris infiniti.

Probatur primò à Caietano prima via, quæ eſt Ariſt. ſub tali forma vtentis pro medio termino infinitate virtutis, quidquid ſit de modo figuræ, quo vtitur ipſe in fine libri 8. Phyſ. Nullum corpus, aut nulla virtus in corpore, eſt Infinita: Sed primus Motor eſt infinitus: ergo primus Motor non eſt corpus, nec virtus in corpore. Maior probatur, quia virtus infinita, aut eſſet in corpore infinito, & hoc non datur, aut in corpore finito, & hoc oſtenſum eſt eſſe impoſſibile. Minor probatur, quia mouens tempore infinito eſt infinitæ virtutis, primus Motor eſt huiuſmodi: ergo &c. Tota difficultas modo conſiſtit in probatione medij, quod eſt Concluſio ſupra: hinc inſufficientia multi arguunt Ariſtotelem, ſed ego pace iſtorum dico, quod nulla eſt æquiuocatio in proceſſu probationis medij ipſius Ariſt. Minor eſt hæc. Motor eſt infinitæ virtutis. Medium eſt hoc. Mouens per ſe primò tempore infinito, ità quod maior ſyllogiſmi ſumpta ex textu 78. eſt iſta. Mouens per ſe primò tempore infinito eſt virtutis infinitæ: Minor verò ſumpta in textu vltimo eſt iſta: Primus Motor mouet per ſe primò, tempore infinito: ergo primus Motor eſt infinitæ virtutis, vbi nulla æquiuocatio interuenit. Et probatio maioris ex infinitate temporis ſaluari in motu infinito ex parte mobilis non obſtat, ſed magis atteſtatur proceſſui, quia proportio virtutis per ſe primò reſpicientis durationem motus, ad finitatem, & infinitatem temporis abſolutè declarata, & concluſa eſt ibi in materia clariùs eam repreſentante, ſcilicet in motu infinito per ſe, vt ex notioribus fieret Doctrina. Differt autèm deductio hæc, à ſubtiliſſima deductione, quam D. Th. docuit in 8. Phyſ. in duobus. Primò in medio termino: Cum enim Ariſtotelis medium ſit mouens tempore infinito, ille appoſuit ly per ſe, ſupra ly infinito: nos vero cum D. Th. appoſuimus ſuprà ly mouens. Secundum docuit in minori, quia apud nos, minor eſt vera de facto quo ad operationem primi Motoris; apud Ariſtotelem autèm minor eſt vera, quo ad virtutem primi Motoris non enim de facto, primus Motor mouet tempore infinito per ſe: ſed opportet eum eſſe tantæ virtutis, quod quantùm ex parte virtutis ſuæ poſſet mouere tempore infinito per ſe, quia cauſæ per ſe opportet reſpondere effectum per ſe; Primus autèm Motor eſt cauſa per ſe infinitatis motus: ergo ſiuè ſit poſſibile tempus infinitum per ſe inueniri, ſiuè non, opportet primum Motorem tantæ virtutis eſſe, ſi eſt cauſa per ſe infinitatis motus. Conueniunt tamèn hæ duæ deductiones in Concluſione, quia vtrobique concluditur infinitas intenſiua primi Motoris: Et conueniunt etiàm in radice, quia vterque proceſſus ponit primum Motorem eſſe per ſe cauſam durationis infinitæ ipſius motus; Sed Ariſt. proceſſit ex eo quod cauſæ per ſe opportet eſſe tantam virtutem, vt poſſit in effectu per ſe, quod fundatur ſuper 2. Phyſ. tex. 36. D. Th. verò proceſſit, quod cauſam per ſe alicuius primò, opportet proportionaliter augeri ſecundum augmentum proprium effectus ſui, cuius fundamenta alibi dicta ſunt, & in Phyſica. Ità Caietanus pro prima via §. Formalitèr ergo &c. in opuſc. cit.

2. Probatio einſdem Concl. per aliã viam breuiorem ſumpta ex D. Th.

Secundò probatur Concluſio à Caietano ex D. Th. alia via breuiori, quæ ſupponit Deum eſſe cauſam actiuam alicuius ſubſtantiæ ſiuè Mundi, ſiuè primæ intelligentiæ, ſiuè omnium incorruptibilium, ſiuè ab æterno, ſiuè in tempore, loquendo ſemper de quantitate virtutis, ſeù perfectionis. In terminis etiàm aſſumptis ſupponitur

nitur quod virtus creatiua eſt virtus actiua effectus, ex nulla potentia paſſiua ſiuè ſit creatiua ab æterno, vt Plato, & Ariſt. cum ſequacibus poſuerunt; ſiuè in tempore vt Fides Chriſtiana determinat; aliæ verò virtutes actiuæ, ſupponuntur, quod ſint effectuum ex aliqua potentia paſſiua præſuppoſita, vt patet in naturalibus, & artificialibus.

& formalizata à Caietano,

His igitur ſuppoſitis, formatur ſic ratio D. Th. Omne quantùm excedens aliud quantum ſic quod quantumcumque exceſſum creſcat, nunquàm intèr ipſa eſt aliqua proportio, eſt neceſſariò infinitum intenſiuè: Sed virtus creatiua eſt tantæ perfectionis, & ſic excedit virtutem actiuam rerum ex potentia ſubiecti, quod quantumcumq; augeatur non eſt intèr eas proportio: ergo virtus creatiua eſt infinita intenſiuè. Maior conſtat de ſe ex terminis, quoniam vt dicitur in 8. Phyſ. tex. 79. ſi excedens eſt finitum, addendo ſemper, quantùm ad exceſſum, quandoque æquabitur, & excedetur. Minor probatur quo ad vltimam partem, quæ ſola eget probatione ducendo, ad impoſſibile, quia ſequeretur, quod virtus tantùm actiua ex aliqua potentia, & virtus actiua ex nulla potentia poſſent eſſe æquales, quod eſt manifeſtè impoſſibile. Tenet conſequentia ſupponendo vnum, quod probatione non eget, ſcilicet quod quantò aliquod actiuum poteſt educere rem de remotiori potentia ad actum, tantò eſt virtuoſius: patet hoc ad ſenſum, quia ad educendum calorem de potentia aquæ, maior virtus requiritur, quam ad educendum ipſum de potentia aeris.

Nec poteſt inficiari quiſpiam hunc proceſſum, ex eo quod non poteſt ſumi in rerum natura potentia remotior ab actu quocumque in potentia data.

Non valet inquam hoc: quia ſic dicentes opporteret negare proceſſum Ariſt. in 4. Phyſ. tex. 72. vbi aſſumit planum ſubtilius quocumque plano. Et 6. Phyſ. tex. 25. vbi aſſumit motum velociorem quocumque motu, & ſic deſtruere doctrinam traditam in libris Phyſ. Stat ergo ratio firma, quamuis quidam neſcientes, aut non volentes eam formare, ſoluiſſe ſe arbitrati ſunt, vt patet de Scoto in p. ſent. diſt. 4. q. 1. Ideò enim credidit ſe ſoluiſſe, quia S. Th. non ſollicitus circà terminos, qui in authenticis rationibus ſolent ſubintelligi, fecerat Maiorem huiuſmodi, eorum inter quæ nulla eſt proportio, alterum eſt infinitum, ſoluit Scotus, quod hæc non eſt vera, vt patet de puncto, & linea, & tamèn punctum non eſt infinitum: Proptèr quod notantèr nos poſuimus in maiori, vtrumque eſſe quantum, vt has puerilescauillationes effugeremus. Ità Caietanus in opuſc. cit. in fine primæ partis quæſtionis &c.

Quo ad aliam poſitionem, ſcilicet an ex poſitione virtutis infinitæ intenſiuè in rerum natura neceſſariò ſequatur motus in non tempore; ponit Caietanus ex mente Ariſt. Auerrois, & D. Thomæ hanc Concluſionem cum duabus conditionalibus. Iſtæ duæ conditionales diſtant ſicut Cælum à terra ſi infinita potentia motiua eſſet extrà magnitudinem moueret in non tempore: & hæc alia ſi infinita potentia motiua exiſtens extrà magnitudinem moueret ſecundum totum ſuum poſſe, moueret in non poſſe. Probatur à Caiet. ſub tali forma. Iſta ſecũda cõditionalis eſt vera, & prima eſt falſa: ergo diſtant plus quam Cælum, & terra. Probatur antec. quod ſecunda ſit vera. In hac ſaluantur tres conditiones, quæ verificare illam poſſunt ergo &c. Probatur antecedens. Et primò veritas eius fundatur ſuper infinitatem potentiæ motiuæ, ex qua habetur, quod poſſit mouere infinita velocitate; & ſecundò fundatur ſuper modo eſſendi eius in magnitudine ex eo quod habetur, quod quantum eſt poſſe tantùm eſt operari; vndè in antecedenti illo ponitur ly ipſam ſecundum totum poſſe actualiter mouere, & conſequentèr habere mobile talis motionis ſubiectum, cum motus ſit actus mobilis; Et tertiò fundatur ſupèr hoc quod effectus non eſt dignior ſua cauſa, ex quo habetur, quod ſi aliqua virtus eſt in magnitudine, eius adæ-

Alia Concl. poſita à Caiet. cum ſua probatione per duas conditionales, ſcilicet quod ex poſitione virtutis infinitæ intenſiuæ non datur motus in non tempore,

quantum opus poteſt recipi in magnitudine: ex his enim tribus conſurgere veritatem illius conditionalis, & ex eo patet, quod ſi quodcumque horum trium deſit, iàm conditionalis non eſt vera; ſi enim deeſt infinitas potentiæ motiuæ, nunquàm deducetur motus in non tempore, ſimiliter ſi non ponitur in magnitudine ſeù operari tantum quantum poteſt, nunquàm deducetur motus in non tempore; & nihilominus ſi non ponitur quod operetur in paſſo capaci adæquatæ operationis illius potentiæ, nunquàm ſequeretur motus in non tempore, quem conſtat non ſequi, niſi ex motione adæquata potentiæ motiuæ infinitæ &c.

Ex his probatur quod altera conditionalis ſit falſa, quia deficit ſibi altera conditio, quia non habetur ex hypotheſi antecedentis, mobile capax totius poſſe: non enim oportet virtutis exiſtentis extrà magnitudinem dari adæquatum opus in magnitudine, & ratio eſt, quia virtus immaterialis comparatur ad omnia quanta, vt vniuerſale, ad particulare, non in prædicando, ſed potiùs in eſſendo, & cauſando: nec eſt rationabile, vt materiale poſſit totam immaterialium virtutem adæquare. Ex duobus ergo falſificatur ſecundum D. Thomam conditionalis illa. Primò ex eo quod virtutem extrà magnitudinem non oportet habere adæquatum facere ſuæ virtuti, cum agat per intellectum, vt dictum eſt in ſecundo loco huius lectionis. Secundò ex eo quod conſiderata virtute infinita extrà magnitudinem non conſiderato modo operandi ſequeretur: ergo daretur motus in non tempore, quia non poſſet fieri motio, quo ad velocitatem adæquatam virtuti motiuæ, quia moueret corpus in actu, puta Cælum, quod non eſſet capax motionis adæquatæ illi virtuti; nec abſolutè quia hoc implicat; nec ex hypotheſi data, quia infinita potentia non eſt conceſſa in magnitudine, ſed extrà. Concludamus igitur, vt totiès dictum eſt, quod motus in non tempore eſt quoddam impoſſibile ex terminis, & non ſequitur niſi ex aliqua hypotheſi impoſſibili, ad quam requiri illa tria, monſtratum eſt.

Inſtantia contrà rationem Concl.

Nec valet inſtantia, quod eſto tale, vel tale mobile certam ſibi velocitatem determinet, non tamèn Mobile in communi, & ideò comparando illam virtutem infinitam ſeparatam, neceſſario agente ad mobile in communi, reſtat adhuc dubium an moueret in non tempore, an certo tempore.

Reijcitur à Caiet. prædicta inſtantia.

Non valet, inquam, quia vt ad ſecundum Argumentum dicitur quamuis docuerit Ariſt. in Phyſicis, Motorem in communi comparare mobili in communi, & quidquid contradicit talibus improportionibus, eſſe impoſſibile; non tamèn didicimus comparare mobili in communi, Motorem contractum qualis eſt iſte, de quo loquimur: Motor enim ſeparatus eſt à materia: vndè tali Motori attribuendum eſt tale mobile puta Cælum, & non mobile in communi. Conſtat autèm quod tale mobile, aliquam ſibi certam velocitatem determinat, vt dicitur in 2. Cæli tex. 39. vndè ſi curioſè quæratur, quid dicendum ſit ad aliud quæſitum, dicendum eſt, quod ſi ille Motor applicaretur corpori mobili abſolutè, quod moueret nulla certa velocitate; Si dicatur, hoc eſſe impoſſibile, concedatur, quod etiàm antecedens eſt impoſſibile, nec vnquàm à nobis eſt conceſſum. Ità Caietanus in opuſc. cit. §. Tertia verò opinio &c.

Arguit 1. Caiet. contrà prædicta.

Quoad 4. Arguit 1. Caietanus contrà prædicta ſic. Deus vel mouet Cælum effectiuè, & immediatè, vel non effectiuè, ſed vt finis tantùm; vel effectiuè, & mediatè. Si primo modo, & eſt infinitæ virtutis: ergo motus Cæli eſſet in non tempore, quod eſt contrà ſenſum. Conſequentia patet ex 8. Phyſ. tex. 79. & 1. Cæli tex. 52. & 2. Cæli Comm. 58. & alibi &c. Si ſecundo modo aut tertio, & eſt infinitæ virtutis: ergo habetur in rerum natura vna virtus, quæ ſi moueret effectiuè, & immediatè, motus fieret in non tempore; Tunc vltrà, ſed poſſibile eſt virtutem il-

lam

Digitized by Google

ſam infinitam mouere effectiuè, & immediatè: ergo poſſibile eſt ex ea ſequi motum in non tempore, quod eſt impoſſibile ſimpliciter; Affirmatio verò vltimi antecedentis patet ex eo quod, virtus infinita nec eſt alligata cauſalitati finali motus, nec mediatè cauſalitati effectiuæ eiuſdem, quin poſſibile ſit ipſam abſolui ab his, alioquin virtus infinita non eſſet.

Reſp. Caiet. ad Arg. 1.

Si dicatur quod hæc ratio, ſupponit Deum agere naturaliter, id eſt non quantum vult, ſed quantum poteſt, & quod hoc non eſt neceſſarium, quia Deus eſt naturæ intellectualis, cuius proprium eſt agere ſecundum ſui intellectus definitionem, vt Artifices facere videmus, & conſequenter Deus tanta velocitate mouet, non quin plus poſſit, ſed quia ſic explicandæ ſuæ Arti expedire videt.

Inſtantia 1. Caiet. contrà Reſponſion.

Contrà. Inſtatur primò, quia ſaltem habetur intentum ſecundum Ariſt. Auerroim, cæteroſq; Philoſophos tenentes Deum licet Intellectualis naturæ, naturali tamen neceſſitate agere. Demonſtratio ſiquidem poſita in p. Cæli tex. 90. ad oſtendendam vnitatem Mundi manifeſtè ſupponit hoc, vt patet ibi ex Dubio moto à Philoſophis, & D. Thoma. Vænatio etiam numeri intelligentiarum iuxtà numerum motuum in 12. Met. tex. 43. hoc idem ponit; numerus enim motorum non adæquatorum; non poteſt ex numero motuum efficacitèr concludi, cùm poſſet facilè quiſpiam dicere, plures motus ab eodem excedente motore fieri. Inconueniens quoque reputatur ab Ariſt. 8. Phyſ. tex. 70. quod virtus finita, & infinita poſſint æquali tempore mouere, quod tamen ex hac Reſponſione ſequeretur. Auerroes quoq; 8. Phyſ. Comm. 15. & 1. Cæli Comm. 21. Et Auicenna 6. Met. hoc idem ſentire videntur.

Inſtantia 2. contrà Reſp. factam à Caietano.

Contrà. Inſtatur 2. In primo Priorum, & primo Cæli tex. 119. Id ad quod ſequitur falſum impoſſibile, eſt ſimpliciter impoſſibile, ſed ad virtutem infinitam poſitam in rerum natura, eſto agentem liberè, ſequitur falſum impoſſibile, ſcilicet poſſe fieri motum ab ea in non tempore: ergo ipſam eſſe in rerum natura eſt ſimpliciter impoſſibile. Probatur Minor, tùm quia non eſt impoſſibile Deum velle vti tota ſua virtute, vt inductiuè patet in omnibus agentibus, & vt dicitur in primo Cæli tex. 102. ab vniuerſali manifeſtata per inductionem in omnibus ſenſibilibus non eſt reſiliendum. Tùm quia conſiderata tantùm virtute Diuina infinita non conſiderato modo agendi, quo eſt poſterior, ſcilicet agere per libertatem, ſequitur motum fieri in non tempore, quamuis non de facto, quantùm tamen eſt ex ratione potentiæ motiuæ; Conſtat autem non ſolùm eſſe impoſſibile illud ad quod ſequitur de facto poni aliquod impoſſibile in rerum natura, ſed etiam illud ad quod ſequitur aliquod impoſſibile ſimpliciter.

Reſp. Caiet. ad 1. Inſtantiam.

Reſp. Caiet. relictis difficultatibus tactis in Argumento, ſcilicet an Deus moueat vt finis tantum, vel vt finis, & agens, & an mediatè, vel immediatè, quod Reſponſio prædicta eſt optima. Et ad primam Inſtantiam ſupra, ait Caietanus, mihi autem videtur, hoc non eſſe contrà Ariſtotelem, eo quod nulli imponendum eſt, quod nec dixit, nec ſequitur neceſſariò ex eius dictis: Deum autem non eſſe agens liberum nullibi dixit Ariſt. nec ex eius dictis ſequitur neceſſariò. Demonſtratio ſiquidem poſita in p. Cæli ſufficienter ſaluatur per hoc, ſupponendo omnes intelligentias differre ſpecie, quod mouent, quantùm poſſunt, vt aſſimilentur Deo glorioſo, cuius proprius effectus, eſt ſempiternitas, ſiuè neceſſariò, ſiuè liberè illam cauſet. Numerus quoque intelligentiarum eiſdem ſuppoſitionibus ſtantibus optimè inueſtigatur ex numero motuum: ſunt enim omnes motores adæquati. Inconueniens etiàm eſt, quod dicitur in tex. 79. ſcilicet, virtutem finitam, & infinitam mouere æqualitèr manifeſtè ibidem adſcribi virtutibus mouentibus naturalitèr, & breuitèr

gue-

Digitized by Google

quæcumq; quæ ad hoc adduci poſſunt, facilè ſaluari poſſunt abſquè hoc.

Reſp. Caiet. ad 2. Inſtantiam.

Ad ſecundam Inſtantiam Reſp. Caietanus, ſuppoſito quod ex principijs Phyſicæ non neceſſariò ſequitur Deum agere neceſſariò, negando Minorem; ad primam probationem dicitur, quod quamuis non ſit impoſſibile Deum velle vti tota ſua virtute, eſt tamèn impoſſibile Deum velle vti tota ſua virtute in hoc effectu, qui eſt velocitas motus. Nec hoc eſt ex defectu virtutis, aut voluntatis, ſed quia hoc non eſt factibile; vndè Deus vtitur tota ſua virtute, per ſe cauſando ſempiternitatem motus, & creando &c. Ad ſecundam probationem Minoris Reſp. Caiet. vt ſuprà in probatione Concluſionis, & in notabilibus, & colligendo in fine quæſtionis de motu in non tempore quod tripliciter poſſumus reſpondere, vel tenendo primum Motorem mouere liberè; vel non conſiderando hoc, tenendo ipſum eſſe immaterialem; vel tenendo ipſum mouere mediatè; & quod nulla harum poſitionum Ariſtoteli repugnat, ſed Auuerroi ſola prima, quamuis tertia ab ipſo habeatur, vt diximus in ſecundo loco præſentis Lectionis. Ità Caietanus, & in primo Argumento facto in principio quæſtionis de Infinitate Dei, & in Fine &c.

Argum. 2. Caiet. quod virtus infinita non ſit in Deo.

Arguit 2. Caietanus; Quantitas virtutis actiuæ ex effectus cognoſcitur quantitate, vt dicitur in primo Cæli tex. 116. Vndè cum Deus non poſſit producere effectum infinitum, vt communitèr tenetur, & à Philoſophis, & à Theologis, conſequens eſt quod virtus Diuina infinita non ſit. Et Confirmatur ex 4. Phyſ. tex. 131. Si impoſſibile eſt eſſe mobile, impoſſibile eſt eſſe motiuum, & è conuerſo; & ſimiliter ſi impoſſibile eſt eſſe mobile velocitate infinita, impoſſibile eſt eſſe motiuum velocitate infinita: Sed impoſſibile eſt tale mobile inueniri, ergo, & motiuum infinitæ virtutis.

Reſp. Caiet. ad 2. Argumentum.

Reſp. Caietanus, non opportet, quod reſpondeat aliquod vnum poſſibile adæquatum virtuti infinitæ, ſed Reſpondet infinitum poſſibile, non ſic quod poſſit produci aliquod infinitum, niſi duratione, ſed ſic quod nullis finibus poſſibilium producibile ab ipſa arctatur, ſed quocumque producto poteſt perfectius producere, quantùm eſt ex ratione virtutis actiuæ, & hoc modo, & non primo quantitas virtutis in effectu manifeſtatur. Ad Confirmationem Reſp. Caietanus quod non impugnat, ſed confirmat intentum, quia quemadmodum Mobile infinita velocitate poteſt dupliciter intelligi vno modo actu, alio modo de poſſibili ſcilicet data vna velocitate velocius poſſe moueri, & primo modo ſit impoſſibile, ſecundo modo ſit poſſibile, ſic idem dicitur de motiuo. Et aduerte quod de facto ſecundum Philoſophos dicendum eſt, quod potentiæ infinitæ reſpondet in rerum natura effectus infinitus, ſcilicet tempus infinitum ipſius motus Cæli per ſe productum, & potentia paſſiua Cæli ad hoc; & hoc eſt ſufficiens manifeſtatiuum infinitatis. Cætera ſint dicta pro quiete verè Philoſophantium. Ità Caiet.

Arguit 3. Caiet. contra idem vt ſuprà.

Arguit 3. Caietanus ibidem. Si Deus eſſet infinitæ eſſentiæ, ſequeretur quod nullum ens eſſet perfectius alio: hoc eſt falſum: ergo. Probatur ſequela. Eorum quorum nullum eſt alio propinquius ſummo, nullum eſt alio perfectius; ſed ſi Deus eſt infinitus nullum aliorum entium eſt ſibi propinquius alio, quia à quolibet diſtat in infinitum: ergo intèr alia entia à Deo non datur perfectius, & minus perfectum. Probatio hæc fundatur in hoc, quod perfectio attenditur penes acceſſum ad ſummum, quod habetur ex 10. Met. Comment. 7. vbi dicitur, quod primus Motor, eſt menſura omnium ſubſtantiarum &c.

Reſp. Caiet. ad 3. Argum.

Reſp. Caietanus cùm diſtinctione ad Minorem, quod diſtantia infinita eſt duplex, ſcilicet, infinita vtrinque, ſeù ſimpliciter, & infinita ſecundum quid, ſeù ex altera parte tantùm, & quod quamuis primo modo ſit vera Minor, in ſecundo tamen eſt

fal-

Digitized by Google

falſa, vt eſt ſic ad propoſitum. Ex parte ſiquidem Dei infinitæ diſtantiæ ratio habetur; ex parte verò Creaturæ diſtantia finitur, & ideò hinc ſumitur, quod vna Creatura eſt propinquior altera primo enti infinito. Idèm dicitur de diſtantijs diei craſtini, heſterni, & præſentis: quia enim tempus præteritum eſt infinitum, ideò infinita diſtantia eſt à parte ante intèr ſingulos dies, & ipſum: Quia vero hodiernus dies finit, hinc tempus elapſum, ideò eſt finita diſtantia à parte poſt, & conſequentèr ex iſta parte poteſt accipi ratio, quam ſit propinquior heſterno elapſo, quàm dies craſtinus. Quomodo autem comparando infinitum ſimpliciter ipſi infinito ſecundum quid, quale eſt pars aliquota infiniti, vnum ſit maius alio diximus in Reſponſione ad aliud argumentum, ſicuti etiàm quod docet D. Th. in 3. p. q. 10. a. 3. ad 3. quod comparando infinitum ſimpliciter ſtat vnum eſſe maius alio, vndè non excedi in illo ordine in quo ponitur, eſt proprietas infiniti, non autèm non excedi ſimpliciter. Ità Caiet. loc. cit.

Arguit vltimò Caiet. ex auctoritatibus Ariſt. & Auuerrois.

Arguit vltimò Caietanus ex auctoritate Ariſtotelis, & Auuerrois: hic enim in 8. Phyſ. tex. 79. negat primum Motorem eſſe infinitum, & etiàm alibi negat infinitatem intenſionis in formis. Et Ariſt. in 2. Cæli tex. 71. huic parti perhibet teſtimonium, dùm dicit, quod ſi adderetur Stellis Orbi erratico, vltimus orbis eſſet in labore, quod nil aliud eſt quàm dicere, quod Deus eſt in labore, & hoc declarat Auuerrois in Comment. 58. quod vltimum orbem reuoluere alios, eſt motorem eius hoc facere; quem omnia deſiderant; quem conſtat eſſe Deum: hoc autèm non ſequeretur, ſi primus Motor eſſet vigoris infiniti.

Reſp. Caiet. propria ad auctoritates.

Reſp. Caietanus poſt multas gloſas datas Auuerroi ad Argumentum hoc modo. Ego autem volens Auuerroim Thomiſtam facere, neq; me Auuerroiſtam, ſed veritatem ſolam ſequi (quantùm cognoſcere potero, Deo concedente) puto id tunc voluiſſe Auuerroim, quod ſæpè mentem meam pulſauit, tanquàm de Ariſtotelis officina venientem, ſcilicet quod virtutes immateriales non ſunt quantæ virtualiter, & conſequentèr nec finitæ, nec infinitæ, non ſimpliciter, ſed eo modo quo ſunt quantæ virtutes corporales, ſcilicet quod non ſunt proportionales motibus, vt ſcilicet quantò maior motus, tantò virtus immaterialis maior, quemadmodum eſt in corporalibus, ſed ſunt altioris ordines virtutes. Et hoc modo ſaluari videtur proceſſus Ariſt. 8. Phyſ. quia cùm ſufficientèr excludatur ex textu 78. & 79. quod nulla virtus corporea poteſt mouere tempore infinito, ex eo quod talem virtutem oportet eſſe infinitam, & ad hoc ſequeretur motus in non tempore, & ex alia parte ſupponatur virtutem motiuam Cæli mouere tempore infinito, reſtat quod virtus illa ſit extrà ordinem virtutum corporearum, quorum nulla poteſt hoc facere, quia nec finita, nec infinita, & conſequentèr habetur, quod ſit impoſſibilis, & nec finita, nec infinita, de virtuali quantitate etiàm loquendo eo modo quo virtutes corporeæ: alioquin eo modo poſſet argui de virtute corporea, ſicut de incorporea. Et ſecundum hoc cùm in textu vltimo 8. Phyſ. dicitur, Motorem Cæli eſſe potentiæ infinitæ ly infinitæ purè negatiuè teneri debet, ideſt non finitè. Hanc credo fuiſſe tunc mentem Auuerrois, quam tamen, quia vidit poſtmodùm non eſſe veram, vt ex ſupradictis examinando rationem Ariſtotelis deduci ab exercitatis poteſt ex medio termino eiuſdem Ariſtotelis, ideò in 12. Met. commutauit in melius, admittendo ibi finitatem, & infinitatem virtutis, & proportionis. Ità Caietanus in fine quæſtionis ſuæ vnicæ de Infinitate Dei glorioſi.

Appen-

Appendices ad Lectionem Tertiam Metaphyſicalem in Tractatu Vltimo de Primo Principe, & Vno qui eſt Deus.

CAietanus, verè in illo opuſculo ſuo de Infinitate primi Motoris defendit, vt verus Metaphyſicus principia aliarum ſcientiarum: Præcipuè libri 2. 3. 4. 7. & 8. Phyſicorum. Et Iauellus in libro 12. Met. q. 15. vbi quærit an Primum mouens moueat Cælum vt finis Amatus ſuper Textum 36. loquitur iuxtà doctrinam Caiet. in vltima parte ſui opuſculi prædicti, reſpondendo Caietanus ad primum Argumentum principale vbi dicit, quod tenendum eſt cùm Ariſt. Auuerr. & D. Thoma, quod Deus non ſolum mouet finaliter, ſed etiàm actiuè, & addit Caietanus in fine quod Heliæ Hebræi labor vanus fuerit, deducendo quod ſolus Deus mouet primum Cælum, ex hoc quod Deus dicitur motor effectiuè primi Cæli: Iàm enim liquet, quod Deus eſt proprius, & motor orbis primi quo ad hoc quod cauſat ſempiternitatem ſui motus: Mouet ergo Deus Cælum effectiuè vt motor proprius, & mediante Anima Cæli ſic, vt vtriuſque effectus proprius motus Cæli ſit diuerſimodè. Et quandò dicit Iauellus in fine quæſtionis 15. Soluendo rationes Ianduni tenentis, quod Commentator, & falsò, dicat, primum principium, non mouere Cælum immediatè effectiuè, ſed mediante motore coniuncto deſiderante, & amante primum principium, quando inquam, dicit quod D. Th. in tota ſua doctrina defendit contrà Commentatorem primum Mouens non mouere Cælum immediatè, vt Motor coniunctus, & appropriatus, re vera Iauellus vult idem dicere, quod ſub alijs verbis Caietanus in ſuperioribus dixit in Reſponſione ad vltimum Argumentum ex auctoritate Auuerrois, ex eo maximè, quia ibi ſubiungit Iauellus plura dixiſſe ad exercenda potiùs ingenia, quàm quod iuxtà veritatem dixerit, addendo ibi quod non omnia Commentatoris dicta, quæ dicunt primum principium mouere Cælum immediatè, ſunt neganda à Thomiſtis, & addit etiam, quod Soncinas in 12. Met. q. 32. non defendit viam Thomiſticam, ſuſtinendo opinionem Commentatoris eſſe opinionem Ariſtotelis. Caietanus vtique ſuſtinet Ariſtotelem, quod primum principium mouet Cælum immediatè effectiuè, & vt finis, & quod D. Th. reprobauit Commentatorem in quæſt. de Spiritualibus Creaturis.

Legatur Iauellus in 12. Met. in ſua quæſt. 20. vbi quærit ſuper Textum 41. An primum principium ſit vigoris infiniti, declarato ibi quid apud Philoſophum intelligatur nomine vigoris infiniti, dicit communitèr teneri, Commentatorem negaſſe in primo principio infinitum vigorem, non tamen infinitatem durationis, & quod Ianduuus conatur in lib. 12. Met. q. 15. defendere hanc opinionem Commentatoris, & citat S. Thomam in expoſitione Textus 79. & in 8. Phyſ. & Scotum in quolib. 7. Et Albertum Magnum in tractatu vltimo, qui tenent quod Commentator in hoc deuiauerit à Mente Philoſophi, qui probant dari in primo Motore vigorem infinitum qui non poteſt eſſe niſi in eo, qui eſt entitatis, & perfectionis infinitæ. Et in fine ſuæ quæſt. 20. Iauellus addit, dedi occaſionem inueſtigandi mentem Philoſophi (apud enim peritos eſt quæſitum extremæ difficultatis) quoniam hic non quæſiui quæ ſit veritas in hoc, quia ſententiam affirmatiuam declarauimus cùm D. Th. in ſcientia Diuina reuelata. Legas etiàm ſuam quæſtionem ſequentem 21. vbi quærit an Philoſophus opinatus ſit omnes intelligentias eſſe vigoris infiniti. Legas etiam Blaſium a Conceptione in ſua Metaphyſica diſp. 13. de infinitate Dei quæſt. vnica vbi ait, quod ratio D. Th. probans in p. p. q. 7. a. 2. infinitatem Dei, eſt im-

pu-

pugnata à Scoto in 1. ſent. diſt. 2. à Vaſquezio impugnatur præcipuè illa, quæ affertur à S. Doctore lib. 1. c. g. cap. 43. cum Ferrarienſi ibi, ſicuti & etiàm diuerſi impugnant illam, ſcilicet quod omnis actus per potentiam limitetur. Sed tu legas vltrà Caietanum Sapientiſſimos Doctores primæ Claſſis Hiſpanos, Toloſanos, & Sorbonenſes in proprijs locis 1. p. quæſt. 7. cit. & quæſt. 86. art. 1. & in p. 2. quæſt. 4. art. 5. ad 1. & 5. Videas Nauarettum, Complutenſes in Phyſica. Salmanticenſes in Tractatu de Scientia Dei diſp. 1. dub. 2. num. 32. Magiſtrum Gonzales, & Nazarium, & alios primæ Claſſis Doctores.

LECTIO IV.
METAPHYSICALIS
In Tractatu Decimo, & vltimo
DE ATTRIBVTIS PRIMI, ET VNIVS PRINCIPIS, QVI EST DEVS.

Vtrùm ſecundum lumen naturale Metaphyſicum Deus ſit ità omninò immutabilis, vt omne aliud à Deo ſit aliquomodo mutabile.

Ex Caietano 1. p. quæſt. 9. art. 1. & 2.

Declaratio Tituli eiuſque ſenſus facta à Caietano.

AD INFINITATEM primi principij, quod eſt Deus, ait Caietanus, ſequitur de mente Ariſt. aliorumque Philoſophorum ipſa immutabilitas, quæ eſt radix, & veluti principium virtuale Æternitatis, de qua in ſequenti Lectione; Et ideò quærimus cum D. Thom. in 1. p. quæſt. 9. art. 1. & 2. an Deus ſolus ſit omninò immutabilis, & immutabilitas ſit ei propria quarto modo, vt conueniat ei ſoli & ſemper, & nulli alij ab ipſo; vndè proprium in præſenti Lectione ſumitur, vt diſtinguitur contrà commune; & negat omne mutabilitatis genus ly immutabile. Et probatio totius excluſiuæ fit dupliciter, primo quo ad vnam communem ſpeciem mutationis; ſecundò quo ad ſingulas vniuerſi partes ſecundum diuerſas mutationes. Omittimus hic ea quæ concernunt aliquam immutabilitatem ſpectantem ad ſubſtantias immateriales, & ſeparatas, de qua diximus in ſuperioribus de ipſis agendo, & reſtringimus quæſitum ad ea, quæ ſolam concernunt mutabilitatem, vt de ſe clareſcat, quod Deus ſolus eſt omninò immutabilis, & ità proprium ipſius, vt omne aliud à Deo attingat aliquam mutabilitatem, vel in ſe intrinſecè, vel in alio extrinſecè. Ità Caiet. in principio Comment. art. 2. quæſt. 9. cit.

Primum Notabile Caiet. in quo oſtenditur extrà Deum eſſe in Creaturis aliquam mutabilitatem.

Quò ad primùm. Notat Caietanus ex D. Thom. in art. 2. quæſt. 9. cit. quod omnis Creatura eſt aliquo modo mutabilis: quia mutabile poteſt dici dupliciter. Vno modo per potentiam, quæ in ipſo eſt, alio modo per potentiam quæ in altero eſt. Omnes Creaturæ antequàm eſſent, non erant poſſibiles eſſe per aliquam potentiam creatam, cùm ex 7. & 8. Phyſ. nullum Creatum ſit æternum: benè tamèn per ſolam potentiam Diuinam in quantùm Deus poterat eas in eſſe producere, & ex eius voluntate etiàm dependet, quod productas conſeruet in eſſe, dando eis ſemper eſſe, & non alitèr, vndè ſi ſuam actionem ſubtraheret omnia in nihilum redigerentur: Per potentiam igitur quæ eſt in altero, ſcilicèt in Deo, ſunt mutabiles Creaturæ in quantùm ab ipſo ex nihilo potuerunt produci in eſſe, & de eſſe poſſunt reduci in non eſſe, vt idem fatetur ad litteram D. Auguſt. ſuper Geneſim lib. 4. cap. 22. Dicitur autèm mutabile per potentiam in ipſo exiſtentem, & actiuam, & paſſiuam, dico paſſiuam ſecundum quam aliquid poteſt aſſequi ſuam perfectionem, vel in eſſendo, vel conſequendo Finem; Si attendatur mutabilitas rei ſecundum potentiam ad eſſe, ſic non eſt in omnibus Creaturis, ſed in illis tantùm, in quibus illud quod eſt poſſibile in eis poteſt ſtare cum non eſſe; vndè in Corporibus inferioribus eſt mutabilitas, & ſecundum eſſe ſubſtantiale, quia materia eorum poteſt eſſe cùm priuatione formæ ſubſtantialis ipſorum; & quantùm ad eſſe accidentale, ſi ſubiectum compatiatur ſecum priuationem accidentis, ſicut hoc ſubiectum, Homo, compatitur ſecum non album, & ideò poteſt mutari de non albo in album; ſi verò ſit tale accidens, quod conſequatur principia eſſentialia ſubiecti, priuatio illius accidentis non poteſt ſtare cum ſubiecto. Vndè ſubiectum non poteſt mutari ſecundum illud accidens, vt nix non poteſt fieri nigra; In Corporibus verò Cœleſtibus Materia non compatitur ſecum priuationem formæ, quia forma perficit totam potentialitatem materiæ, & ideò non ſunt mutabilia ſecundum eſſe ſubſtantiale, ſed ſecundum eſſe locale, quia ſubiectum compatitur ſecum priuationem huius, vel illius loci. Subſtantiæ autèm incorporeæ, immateriales, & ſubſiſtentes formæ non compatiuntur ſecum priuationem huius actus eſſe, quia conſequitur formam, & nihil corrumpitur niſi per hoc, quod amittit formam; vndè ipſa forma non eſt potentia ad non eſſe, & ideò huiuſmodi ſubſtantiæ ſunt immutabiles, & inuariabiles ſecundum eſſe, quod idem dicit D. Dyon. cap. de Diuin. nom. cit. à D. Thom. remanet tamèn in eis duplex mutabilitas vna ſecundum quod ſunt in potentia ad finem, & ſic eſt in eis mutabilitas ſecuudum electionem de bono in malum, vt idem dicit D. Damaſcenus lib. 2. cap. 3. & 5. cit. à D. Thom. Alia eſt mutabilitas ſecundum locum, in quantùm virtute ſua finita poſſunt attingere quædam loca, quæ priùs non attingebant, quod de Deo dici non poteſt, qui ſua infinitate, & immenſitate refert omnia loca ex D. Thom. quæſt. 8. art. 2. in 1. p. Colligendo ergò omnia dicta in hoc Notabili dicitur, quod in Creaturis eſt potentia ad mutationem, vel ſecundum eſſe ſubſtantiale, ſicut Corpora corruptibilia; vel ſecundum eſſe locale tantùm, ſicut Corpora cœleſtia; vel ſecundum ordinem ad finem, & applicationem virtutis ad diuerſa, ſicut in Angelis; & vniuerſalitèr omnes Creaturæ communitèr ſunt mutabiles ſecundum potentiam creantis, in cuius poteſtate eſt eſſe, & non eſſe earum. Et quando diximus, addit Caietanus, quod diſtinguitur potentia paſſiua in potentia ad eſſe, & ad conſecutionem Finis, non diſtingui ur conſecutio Finis contrà eſſe in communi, ac ſi nullum poneret eſſe, ſed contrà eſſe abſolutè, quod eſt eſſe ſubſtantiale, vt dicitur 7. Met. vel contrà eſſe, vt eſt proprius effectus actus primi: Conſecutio namque Finis in actu ſecundo conſiſtit. Ità Caiet. ex D. Thom. in art. 2. quæſt. 9. cit.

Explicatur mutabilitas corporum inferiorum, & ſuperiorum cæleſtiũ.

Explicatur mutabilitas in formis ſubſiſtentibus Angelicis ſeparatis.

Notat

Notat ſecundò Caietanus pro ſolutione Argumentorum ex D. Thom. art. 2. cit. quod tam neceſſarium quàm poſſibile, eſt duplex, reale Phyſicum, & Logicum. Et magna eſt differentia intèr hæc, quia in quantùm ſunt differentiæ entis veri ſumuntur logicè, & conſiſtunt in ſola habitudine terminorum, vt patet; Vt autèm ſunt differentiæ Entis per ſe, quod ſignificant ſubſtantiam, quantitatem &c. vt dicitur in 5. & 6. Met. ſic ſunt conditiones ſubſtantiales rerum intrinſecæ ipſis rebus, vt in 10. Met. Tex. vltimo dicitur de Corruptibili, & Incorruptibili. Vt ſunt differentiæ habitudinis terminorum abſtrahunt à potentia in ſe, vel in alio, imò ab omni potentia propriè dicta, quoniam inueniuntur in Mathematicis ſecundum nullam potentiam, vt dicitur in 5 Met. cap. de potentia; vt verò ſunt differentiæ reales, attenditur differentia ſecundum intrinſeca rerum. Et nota quod potentia in re exiſtens ad non eſſe, à qua res poſſibilis dicitur, non poteſt, etiàm ſi fingendi licentia detur aliter poni in re, quam ſecundariò, quia ſcilicèt eſt in re primò potentia ad aliud eſſe impoſſibile huic eſſe; quoniam nulla potentia, nùlluſque appetitus reſpicit primò non eſſe, vt dicitur in 1. Eth. Et cùm conſtet quod potentia realis ad aliud eſſe remaneat, & perficiatur in aduentu illius, conſequens neceſſariò eſt, vt omne in quo eſt potentia ad non eſſe habeat, vel ſit aliquid potens remanere cùm priuatione eius eſſe, quod actu habet, & ideò optimè dicitur à D. Thom. ſuprà, quod poſſibile per potentiam in ſe opportet eſſe iſtius modi, intendens de poſſibili reali; & per oppoſitum neceſſarium reale, quod æquiualet immutabili eſt, quod caret tali forma; Et hinc ſequitur, quod aliquid eſt poſſibile Logicum, quod tamèn eſt neceſſarium reale: Poſſibile quidem logicè, quia neutra pars contradictionis de ſecundo adiacente implicat contradictionem, puta, Cœlum eſt, Cœlum non eſt; neceſſarium verò reale, quia in eo non eſt potentia ad aliud eſſe, ac per hoc nec ad priuationem eſſe quod habet, & quoniam ſupponimus, quod quidquid non implicat contradictionem eſt poſſibile non ſolùm Logicè, ſed potentia reali Omnipotentis Dei, ideò poſſibile Logicum, vocari etiàm poteſt poſſibile reale extrinſecè tamèn, quia per potentiam in alio, vt dicitur à D. Thom. quando agit de Deo, & rebus. Et addit Caietanus, quod illud quod pendet non ſolùm in fieri, ſed in conſeruari non habet hanc affirmatiuam, ſcilicèt ex ſe eſſe, ſed hanc negatiuam, ſcilicet non ex ſe eſſe, vt Aer non ex ſe eſt illuminatus; & proptè hanc conditionem generalem, Creaturæ ſunt ex ſe nihil, & ex originis natura ſunt defectibiles, & dicitur quod poſſunt non eſſe: & multa alia, quæ ad prædictum ſenſum non ſunt reducenda, & dependentiam ab alio in fieri, & conſeruari habent, ponunt tamèn non potentiam in Creatura ad oppoſitum. Commune igitur eſt omni rei diuerſa à Deo, habere non hanc conditionem affirmatiuam propriè loquendo, ſcilicèt ex ſe non eſſe, ſed tantùm illam negatiuam. Ità Caietanus in fine Comment. art. 2. cit. pro ſoluendis obiectionibus &c.

Notabile ſecundum Caiet. in quo explicatur quod duplex eſt neceſſarium, & poſſibile ſcilicèt Phyſicum, & Logicum.

Aliquid eſt poſſibile Logicum, & tamen eſt neceſſarium reale.

Quò ad ſecundùm. Caietanus in art. 2. quæſt. 9. cit., ait, ſunt aliqui Philoſophi contradicentes D. Thomæ, eo quod dixerit, quod per potentiam in alio, ſcilicet in Deo, Creaturæ omnes ſunt mutabiles, in quantum ab ipſo ex nihilo potuerunt produci in eſſe, & ad nihil deduci de ipſo eſſe. Et ſcito, quod contra hoc aſſertum D. Thom. turba multa inuehit ex ignorantia Peripateticæ Phyloſophiæ. Non poſſunt quidem, aut nolunt percipere, quod aliquid Creatum ſit ſecundum ſe immutabile ſubſtantialitèr, & tamèn mutabile per potentiam in alio, in ſenſu iàm expoſito. Et auſi ſunt aliqui dicere, quod hoc repugnat Fidei reſpectu Angelorum, & Corporum Cœleſtium, ſcilicet quod ſint entia neceſſaria rea-

Opiniones aliorum impugnantes ex ignorancia ſententiam D. Tho. recitantur à Caiet.

Digitized by Google

lia, poſſibilia tamèn logicè, ſeù per potentiam in alio, & ſuſpectum habuerunt per eorum ignorantiam D. Thomam de Fide, quia in 2. cont. gent. cap. 30. & 55. hoc apertiſſimè aſſeruit: Sed, addit Caietanus, hos relinquamus eum ſua ignorantia, non ſunt digni auditu in re tàm ardua. Sufficiat pro nunc ſcire ſententiam D. Thomæ quæ eſt D. Auguſt. recitata à D. Thom. in Argum. Sed contrà, ſcilicèt quod ſolus Deus eſt immutabilis, & quæ fecit, quia ex nihilo ſunt, mutabilia ſunt. Et Reſponſiones D. Thom. in art. 2. cit. dant Gloſas dictis Auuerrois 1. Cœli comm. 124. & 12. Met. comm. 41. & dictis Algazelis, ſi quæ ſunt contrà prædictam Sententiam. Ità Caietanus loc. cit.

Vnica Concluſio Reſponſiua quæſiti ponitur à Caietano cum ſola probatione ſecundæ partis inferente primam.

Quò ad tertiùm. Ponitur hæc vnica Concluſio reſponſiua quæſiti à Caietano ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 9. art. 2. ſic. Deus eſt ità omninò immutabilis, quod omne aliud à Deo eſt aliquo modo mutabile.

Probatur à Caietano hic ſolummodò ſecunda pars, quia prima quod ſit omninò immutabilis eſt probata ab ipſo ex D. Thom. in Comment. 1. art. quæſt. 9. poſt vltimum art. q. 8. Et ſecunda pars probatur ſub tali forma. Omnis Creatura eſt mutabilis, & quo ad vnam communem ſpeciem mutationis, ſcilicèt per potentiam in altero, ſcilicèt de nihilo in aliquid, & ex aliquo in nihil; & eſt etiàm mutabilis ſecundum aliquam ſpeciem mutationis, ſcilicèt vel per potentiam in ſe, vel ſecundum eſſe ſubſtantiale, & accidentale, puta ſecundum locum, vel ſecundum bonum, & malum ſecundum applicationem ad diuerſa: ergò vera Concluſionis ſecunda pàrs. Conſequentia iſta probatur, quia ex ſimplici Voluntate Dei pendet creatio, & conſeruatio, & omnis mutatio ſecundum potentiam in ſe, eſt ex poſſibili eſſe cum vtroque oppoſitorum. Antecedens eſt probatum per extenſum in primo Notabili ſuprà, vbi diximus, quod in omni Creatura eſt aliquid potens ſtare cùm priuatione eſſe ſubſtantialis, vel localis, vel boni, & contactus virtutis diſtinguendo tres partes vniuerſi, ſcilicèt Sphæra Elementorum cùm Mixtis, Corpora Cœleſtia, & Subſtantiæ Spirituales. Ità Caiet. ex ſuo primo Notabili ex D. Thom. loc. cit. vndè ſi addas Minorem ſubſumptam hanc. Sed in Deo nec in communi, nec in particulari eſt vlla vmbra mutationis: Sequitur ſtatim immediatè, ergò Deus ſolus, & nil aliud à Deo, eſt omninò immutabilis, quod quidem cum D. Thom. probat Caietanus loc. cit.

Arguit primò Caiet. contrà Concl. ex auctoritate.

Quò ad quartùm. Arguit Caietanus pro Aduerſarijs ſic. Accepto Angelo; quæritur aut eſt ens poſſibile, aut neceſſarium, ſi primùm, habet D. Thom. intentum, quia poſſibile eſſe, & non eſſe non eſt prædicatum accidentale, aut extraneum, vt dicitur 10. Met. Sed eſt ſubſtantia, vel in ſubſtantia; Si ſecundum ergò impoſſibile eſt non eſſe: ergò per nullam potentiam poteſt non eſſe, nulla namque potentia poteſt impoſſibile. Et Auuerroes, & Algazeles dicunt poſſibile eſſe, eſt id, quod alio non exiſtente, non eſt; Et videtur hoc repugnare Fidei, ponere aliquid prætèr Deum, eſſe neceſſarium.

Reſponſio Caiet. ad 1. Argum. ex auctoritate.

Reſp. Caietanus ex ſuo ſecundo Notabili. S. Doctor enim vbique & in art. 2. quæſt. 9. cit. & in 2. cont. gent. cap. 30. & 55. & in quæſt. de potentia quæſt. 5. art. 3. Angelos, & Corpora Cœleſtia eſſe entia neceſſaria realia: poſſibilia tamèn Logicè, & per potentiam in Deo, ſolùmque Deum, eſſe omnimodò neceſſarium. Et hoc vt vidimus non repugnat Phyloſophiæ, nec Phyloſophis, quoniam æquiuocant de poſſibili, & neceſſariò: nec repugnat Fidei, & hoc aſſerere, arguit eos ſummæ ignorantiæ. Ità Caietanus ex D. Thom. in Comm. art. 2. quæſt. 9. cit.

Arguit ſecundò Caietanus ex D. Thom. Philoſophus dicit quod materia eſt in omni

omni eò quòd mouetur ex 2. Met. tex. 12. Et quod omne quod mouetur, mouetur proptèr aliquem finem; & quod omne illud quod eſt mutabile, eſt variabile: Sed Angeli, & Animæ non habent materiam, & qui ſunt in Beatitudine peruenerunt iàm ad vltimum finem, & vt formæ ſunt inuariabiles vt dicitur in libro ſex principiorum, quod forma eſt ſimplici, & inuariabili eſſentia conſiſtens: ergò non eſt ſolius Dei eſſe propriè immutabile, &c.

Arguit vltimò Caiet. ex auctoritate Ariſt. & Philoſophorum.

Reſp. ad primùm dictum. Caietanus, ex Ariſt. diſtinguendo, quod materia eſt &c. quod mouetur per potentiam in ſe, vel quantùm ad eſſe ſubſtantiale, vel quantùm ad accidentale, non autèm eſt materia in eo, quod mouetur per potentiam in alio, neque per potentiam ſe vt explicauimus; vndè propoſitio Ariſtotelis intelligitur de eo, quod eſt mutabile ſecundum eſſe ſubſtantiale, & accidentale: De tale enim motu Phyloſophi tractauerunt; Angeli autèm, & Animæ mouentur ſolùm per potentiam ſuam quantùm ad ordinem in finem, vel eligendo aliquid, vel applicando virtutem ſuam ad loca diuerſa; & vltrà hoc mouentur per potentiam in alio, id eſt mobilia ſunt in quantùm annihilari poſſunt à Deo, aut ab ipſo, quocumque ſibi modo placuerit annihilari.

Reſp. Caiet. ex D. Th. ad 1. dictum in Maiori.

Ad aliam propoſitionem, quòd iàm peruenit ad vltimum finem non mouetur motione ad illum finem, ſed tamèn mouetur alia motione, ſcilicèt motione ſecundum locum, eſto habeant immutabilitatem electionis ex Diuina virtute; & proptèr hoc quod Angeli mouentur ad diuerſa loca, ſunt etiàm mutabiles per potentiam in alio, quia ſi velit Deus, poteſt eos annihilare, vult tamèn conſeruationem illorum ſic in æternum immutabiles.

Reſp. Caiet. ad aliud dictum in Maiori.

Ad aliam propoſitionem in antecedente Reſp. quod formæ dicuntur inuariabiles, quia non poſſunt eſſe ſubiectum variationis, ſubijciuntur tamèn variationi, in quantùm ſubiectum ſecundum eſſe variatur, vndè patet, quod ſecundum quod ſunt, ſic variantur: non enim dicuntur entia, quaſi ſint ſubiectum eſſendi; Sed quia eis aliquid eſt. Et ſic poteſt diſtinguì illud dictum, Omne quod eſt mutabile eſt variabile vel vt quod, vel vt quo ſecundum ſcilicèt quod eſt, & ſecundum quod eſt mutabile: quia enim formæ ſunt tantùm vt quo, ideò ſunt tantùm mutabiles vt quo, ideò & ſolùm variabiles vt quo. Ità Caiet. in art. 2. quæſt. 9. cit. ex D. Thoma.

Reſp. Caiet. ad aliud dictum in illa maiori.

Appendices ad Lectionem 4. Metaphyſicalem in Tractatu Decimo, & vltimo De Attributis primi principij, quod eſt Deus.

PRætèr art. 1. & 2. quæſt. 9. in 1. p. legas etiàm litteram quæſt. 14 art. 5. & quæſt. 15. art. 7. cùm Commentarijs Caietani, & cùm Formalitatibus ad Reſponſa D. Tho. & Appendicibus Ven. Porrectæ. Et legas etiàm D. Tho. 1. c. g. cap. 13. 14 & 15. cùm Ferrarienſi ibi. Et opuſc. 3. cap. 4 16 17. 124. & 222. Et in 1. ſent. diſt. 8 quæſt. 3. art. 1. cum Capreolo ibi Concluſione prima Albertum Magnum ibi, & in 2. ſent. diſt. 19. quæſt. 5. art. 3. & concordantias Tabulæ Magnæ Petri Bergomenſis littera forma, In ipſa forma non eſt potentia &c.

Siſtendo tamèn in Metaphyſicalibus Diuinis non progrediendo ad Theologalia reuelata, legas Iauellum in ſua Metaphyſica lib. 12. poſt diſcuſſionem illius q. 4. ſi omnes ſubſtantiæ ſeparatæ ſint penitùs immobiles, diffusè diſcutit illam de mente Ariſt. & Commentatoris in quæſt. 30. vltima libri 12. Met. vbi quærit ſi ſolùm primum principium ſit ens neceſſarium, ità quod omne ens productum ſit contingens concludit, quod opinio S. Thomæ, quàm tutatus eſt Caietanus ſuprà in præſenti

Le-

Digitized by Google

Lectione, continet veritatem, & quod eſt magis Peripatetica, quàm Opinio Scoti, & concludit etiàm, quod Deum eſſe, eſt neceſſe eſſe, quia eſt actus purus, & neceſſe eſt eſſe abſolutè, quia ſolus habet eſſe ex ſe, & eſt penitùs independens, immobilis, & immutabilis: Cætera autèm entia ſunt poſſibilia ſecundum aliquem modum aſſignatum a D. Thom. Et hoc eſt illud eſſe neceſſarium, quo Ariſt. in Met. probat eſſe tantùm vnum, & quod non poteſt plurificari. Et deindè ſoluit Argumenta Scoti, qui in 1. ſent. diſt. 8. quæſt. 4. in ratione ad 2. Argum. in fine quæſt. tenet cùm Auicenna, quod ens productum non poteſt diuidi in neceſſarium, & poſſibile, imò quod omne ens productum eſt ens poſſibile, & contingens, quia ex ſe non habet eſſe, & poteſt deſinere eſſe ſi ſibi relinquatur. Et ad inſtantiam quam faciunt ſequaces Scoti contrà D. Thom. qui concedit ſubſtantias abſtractas, & ſeparatas quod ſunt poſſibiles non eſſe in ſenſu declarato, cur ſi ſunt ſic productæ à primo ente, non vocet eas poſſibiles, & vult vocari entia neceſſaria potiùs, Reſp. Iauellus cum eadem Reſponſione D. Thomæ, & Caietani ... ei ſub alijs verbis, ſcilicet, quod apud Peripateticum res productæ ſortiuntur modum neceſſarium eſſendi, vel contingentem non à cauſa prima, & remota, ſed à cauſa proxima, ſiuè intrinſeca, ſiuè extrinſeca. Concludit igitur Iauellus in fine ſuæ Met. quæſt. 30. quod licèt ſint multa entia neceſſaria in ſe, quia tamèn ſunt poſſibilia per potentiam extrinſecam, ideò ſolùm primum principium eſt omninò, & excellentiſſimum immutabile, ſcilicèt eſt ens ità neceſſarium, vt nullo modo ſit poſſibile, nec à quo, nec in quo, nec ad quod, imò proptèr quod, eſt quidquid eſt, quod honoramus, & extollimus ſub nomine Dei maximi, & Glorioſi per æternum Amen. Ita Iauellus.

Et ſi cupis videre hanc materiam ſub proprijs terminis Metaphyſicalibus profundiſſimis, legas noſtrum Sapientiſſimum Io: à S. Thom. cùm Godoy, & Arnù, Goudin, alioſque Sorbonenſes noſtros Doctores. Blaſius à Conceptione intèr Modernos in ſua Met. de Immutabilitate Dei quæſt. vnica, defendit rationes omnes deſumptas à D. Thom. in 1. p. quæſt. 9. art. 1. 2. & 3. & citat Ledeſmam de Perfectionibus Diuinis quæſt. 6. art. 3. vbi ex profeſſo tractat, quomodo tota mutatio in Myſterio Incarnationis ſe tenuerit ex parte Humanitatis ſecundum doctrinam D. Thomæ in 3. p. quæſt. 1. cum Caietano in ſuis Commentarijs.

IE-

Digitized by Google

LECTIO V. METAPHYSICALIS

In Tractatu Decimo, & vltimo DE ATTRIBVTIS PRIMI PRINCIPII, QVOD EST DEVS.

Vtrùm de Mente Ariſtotelis Æternitas ſit verè, & propriè in Deo eſſentialitèr, in alijs verò à Deo per participationem.

Ex Caietano p. p. quæſt. 10. & art. 3. in tota quæſtione de æternitate, &c.

Declaratio Tituli eiuſque ſenſus facta à Caietano.

INTENDIMVS ſolùm in præſenti Lectione, ait Caietanus, quæ ſunt purè Metaphyſicalia, quia quæ ſpectant ad Phyſicam de Menſura Æternitatis, Æui, & Temporis, iàm diximus in Phyſica, & quo ad quod quid eſt, & in ratione menſuræ in 4 Phyſ. quæſt. 5. 6. 7. & 8 vbi examinata fuit Diffinitio Æternitatis data à Boetio in lib. 3. de conſolatione, & acceptata à D. Thom. quod æternitas eſt interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio. His ſuppoſitis quærit S. Doctor an Deus nedùm ſit maximè æternus, cum ſuo proprio modo, quo eſt æternus eſſentialitèr, & non denominatiuè, ideſt ſua æternitas, ſed etiàm quærit An æternitas ità verè, & propriè ſit in ſolo Deo, & ità ſingulare in Deo, vt nulli alteri conueniat iſta Æternitas, & Duratio. Et ly in alijs verò à Deo, vt in titulo, intelligitur de rebus ſubſiſtentibus, quorum tantùm eſt eſſe propriè; ità quod D. Thom. non intendit quærere an omnis alia res à Deo diſtinguatur à ſua duratione, quia conſtat quod Tempus eſt quædam res, & tamèn non diſtinguitur ab ipſa duratione: Sed ſenſus eſt, an illi rei, quæ eſt ipſum quod eſt, & quod durat ſit ſua duratio, vel potius participet æternam durationem, & non ſit proprium Dei eſſe æternum eſſentialitèr. Ità Caietanus in 1. p. quæſt. 10. art. 1. & 2.

Vnicum Caiet. Notabele in quo declaratur quomodo omne neceſſariù ſit æternum.

Quò ad primùm. Notat Caietanus illam propoſitionem D. Thomæ ex Reſponſione ad 5. art. 3. quæſt. 10. cit. deſumptam in vera Phyloſophia, ſcilicèt, quod omne neceſſarium eſt æternum, notat inquàm, quod principia demonſtrationis, & omnes propoſitiones demonſtratiuæ in tantùm ſunt, & dicuntur æternæ veritatis, quia ſunt in intellectu æterno, qui eſt intellectus Diuinus ſolus, quia ſic neceſſarium ſequitur quemdam modum veritatis, & verum ſecundum Philoſophum in 6. Met. tex. 8. eſt in intellectu, & ſic ſolum ſunt neceſſaria ſecundum quod ſunt in intellectu aliquo, ſtabili veritate ſuffulto, & per conſequens ſunt ſolùm æterna,

in

in quantùm ſunt in aliquo intellectu æterno. Ad hæc, quæ ſunt D. Thomæ, addit Caietanus, ſi neſcis Nouitie, quomodo intelligatur, quod neceſſarium ſignificet quemdam veritatis modum, memento ſecundi libri Perihermeniarum, vbi de Modalibus agitur, vt videbis in actu ſignato neceſſarium addere ſuprà propoſitionem modum compoſitionis, in qua ſola compoſitione eſt veritas, & ſic intelliges neceſſarium in actu exercito, cuius meminit illud Argumentum tertium verè exercere modum compoſitionis, à quo neceſſaria dicuntur, & principia, & Concluſiones demonſtrationum; hinc dicitur quod propoſitiones per ſe ſunt æternæ veritatis, Ità Caietanus Reſponſione ad tertium D. Thomæ in fine Comment. art. 3. quæſt. 10. cit.

Sententia S.Th. recitata, & explicata à Caietano.

Quò ad ſecundùm. Sententia D. Tho. pro vt ad propoſitum huius Lectionis, eſt, ait Caietanus, quod Deus ſit maximè æternus, eſſentialitèr, ſcilicèt, & non denominatiuè, quod eſt claudere in ſequamdam Dei excellentiam ſingularem, quæ non poteſt excogitari eſſe in quacumque alia re ſubſiſtente citrà Deum, ità vt verè, & propriè ipſa æternitas in ſolo Deo ſit, & ſi eſt in aliquibus entibus ſubſiſtentibus, hoc non eſt niſi participatiuè, & non eſſentialitèr. Ità Caietanus loc. cit.

Prima Concluſ. Caiet ex D.Thom. cum ſua probatione primæ & ſecundæ partis, ſcilicèt quod Deus eſt maximè æternus eſſentialitèr.

Quo ad tertiùm. Prima Concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 10. art. 2. tali pacto, Deus eſt eſſentialitèr, & non denominatiuè, maximè æternus. Probatur prima pars à Caietano ſub tali forma. Deus eſt maximè immutabilis: ergò eſt maximè æternus: probatur ſequela, quia Æternitas conſequitur immutabilitatem, ſicut Tempus motum. Omnia patent ex dictis in Lectione præcedenti, & alibi.

Probatur ſecunda pars à Caietano ex D. Thom. ſcilicèt probatur modus, quo ſingularitèr eſt æternus ſub tali forma. Deus eſt ſuum eſſe vniforme, & nihil aliud à Deo eſt ſuum eſſe: ergò ſolus eſt ſua duratio, quæ eſt in eo æternitas; & declaratur à ſimili, quia ſicut eſt ſua eſſentia; ità eſt ſua æternitas, hoc patet in prædictis. Ità Caietanus loc. cit. ex D. Thom.

Secunda Concl. ponitur à Caiet. ex D. Thom. cum ſua prob. 1. & 2. partis ſcilicèt quod æternitas ſit propriè in Deo, in alijs per participationem.

Secunda Concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. art. 3. quæſt. 10. cit. ſic. Æternitas verè, & propriè eſt in Deo; in alijs verò ſi inuenitur, participatiuè, & non eſſentialitèr inuenitur.

Probatur à Caietano prima pars ex D. Thom. ſic. Solus Deus eſt omninò immutabilis, vt diximus, ergò verè Deus eſt æternus, & propriè. Tenet ſequela quia æternitas immutabilitatem conſequitur.

Probatur ſecunda pars à Caietano, Immutabilitas participatur quadruplicitèr ab alijs, ergò æternitas. Tenet ſequela, quia in quantùm aliqua ſunt immutabilia, in tantùm ſunt æterna. Antecedens declaratur ſecundum quatuor gradus immutabilitatis. Primus eſt ſecundum diuturnitatem, & in hoc ſunt incorruptibilia, ſed longæua valde, vt Montes, & Colles iuxtà illud Pſalmi Montes æterni, & de Pomis collium æternorum dicitur Deuteronom. cap. 35. Secundus gradus eſt ſecundum perpetuitatem vel in totum, vel in partes, vt elementa ſunt corruptibilia ſecundum partes, & non ſecundum totum, in quantùm habent tranſmutabilitatem ſecundum eſſe; Tertius eſt ſecundum incorruptibilitatem ſubſtantialem ſimplicitèr, & in hoc ſunt Corpora cæleſtia, & Angeli, quia immutabilitatem ſortiuntur à Deo, quod nunquam eſſe deſinunt, & ſecundum hoc dicitur Eccleſ. 1. de Terra, quod in æternum ſtat, & ſic æternitas Angelis attribui poteſt, de quibus Metaphoricè dicitur Illuminans tu mirabilitèr à montibus æternis. Quartus eſt ſecundum immutabilitatem operationis eiuſdem omninò numero, & in

Digitized by Google

& in hoc ſunt Beati vt ſic, qui Verbo fruuntur, quia quantùm ad illam viſionem Verbi non ſunt in Sanctis volubiles cogitationes; & vocatur æternitas participata, & videntes Deum dicuntur habere vitam æternam Ioa. 17. hæc eſt vita æterna, vt te cognoſcant Deum verum &c. Ità Caietanus loc. cit. ex D. Th.

Quoad 4. Arguitur ex D. Th. art. 2. q. 10. cit. Nihil enim factum poteſt dici de Deo: ſed æternitas eſt aliquid factum: dicit enim Boetius lib. 5. de Conſolatione, quod nunc fluens facit tempus, & nunc ſtans facit æternitatem. Et Auguſt. dicit in lib. 83. quæſt. quod Deus eſt auctor æternitatis: ergo Deus propriè non eſt æternus; Et hoc confirmatur quia Deus dicitur antè æternitatem iuxta propoſitionem ſecundam in libro de Cauſis qui eſt inter opera Ariſtotelis, & dicitur poſt æternitatem iuxtà illud Exodi 3. *Dominus regnabit in æternum, & vltrà*: ergo Deus propriè non dicendus eſt æternus.

Arguit ex D. Th. Caiet. contrà Concluſionem 1, & 2.

Reſp. Caiet. ex D. Thoma ad Minorem Argumenti nihil enim factum poteſt dici de Deo ſecundum rei veritatem conceditur; ſecundum apprehenſionem noſtram negatur: ſicut enim cauſatur in nobis apprehenſio temporis, eo quod apprehendimus fluxum ipſius nunc, ità cauſatur in nobis apprehenſio æternitatis in quantùm apprehendimus nunc ſtans; & quando ait Aug. quod Deus eſt Auctor æternitatis, intelligit de æternitate participata, & eo modo quo communicat ſuam immutabilitatem Deus alijs, communicat, & æternitatem. Et ad Confirmationem dicitur quod Deus eſt antè æternitatem eſſentialiter ſumptam, & non quouis alio modo; & dicitur quod durat in æternum, & vltrà, *ideſt* vltrà quamcumque durationem datam, ſinè ſæculi &c. Sæculum enim eſt periodus cuiuslibet rei, vt dicitur in primo Cæli tex. 100. vel Deus vltrà regnat, in quantùm eius regnum eſt totum ſimul, quia etiam ſi aliquid eſſet ſemper, vt motus Cæli ſecundum quoſdam Philoſophos, vltrà tamen Deus regnat &c.

Reſp. Caiet. ad Argum. ex D. Th.

Inſtatur contra hoc quod dicitur Regnum eius eſt totum ſimul. De Deo in Scriptura dicuntur verba temporis præſentis, futuri, & præteriti: ergo ſuum Regnum non eſt totum ſimul.

Inſtantia contrà Reſp. cum ſua Reſponſione.

Reſp. quod verba diuerſorum temporum attribuuntur Deo, in quantùm eius æternitas omnia tempora includit, non quod ipſe varietur per præſens, præteritum, & futurum. Ità ex D. Th. loc. cit.

Arguitur vltimò ex D. Th. Danielis 12. dicitur, quod qui ad iuſtitiam erudiunt plurimos, erunt quaſi Stellæ in perpetuas æternitates: non autèm eſſent plures æternitates, ſi ſolus Deus eſſet æternus: ergo ſolus Deus non eſt æternus.

Arguit vltimò Caiet.

Reſp. ad vltimum ex D. Th. quod dicuntur multæ æternitates ſecundum quod ſunt multi participantes æternitatem ex ipſa Dei contemplatione: non enim implicat ſolum Deum eſſe æternum eſſentialiter, & ex alia parte, eſſe plures æternitates participatas; Sicut implicat plures eſſe æternos eſſentialiter, vt dicit ſecunda Concluſio, Ità Caietanus ex D. Th. loc. cit.

Reſp. ad Argum. vltimum.

Appendices ad Lectionem Quintam Metaphyſicalem in Tractatu Decimo, & vltimo de Attributis Primi Principij.

VIdeatur Ven. Porrecta in ſuis formalitatibus, & Appendicibus ſuper art. 2. & 3. q. 10. cit. & inſuper D. Th. in p. c. gent. c. 15. cùm Ferr. ibi. Et in 2. ſent. diſt. 1. vel 2. q. 1. a. 1. Cùm Capreolo ibi art. 2. Concluſione 1. & 4. & cum Ægidio ibi, & alijs.

Legatur, & Iauellus in 12. Met. q. 9. vbi quærit, ſi eſt neceſſe dare aliquam ſubſtantiam æternam, cùm Philoſophus dicat in textu 29. quod neceſſe eſt, quod ſit aliqua ſubſtantia immobilis ſempiterna. Et notat ibi Iauellus, quod iſta poſitio ab omnibus rectè ſentientibus amplectitur, ſed aliquando ab aliquibus probatur ex medio falſo, licet ſit magis deductio, quàm probatio: ex falſis enim contingit ſyllogizari verum ex p. poſt. & ſic videtur hoc feciſſe Ariſt. & Commentator, & omnes tenentes Mundum eſſe æternum: ſed à D. Thoma, & Caietano, & alijs Sapientiſſimis Doctoribus primæ Claſſis ſuprà cit. in alijs Lectionibus, probata eſt medio vero. Et Ariſtoteles in primis probauit ſubſtantiam æternam ex motu æterno, & cum omnes intelligentiæ moueant apud ipſum motu æterno, non magis probat de prima, quàm de omnibus. Ità Iauellus. Legatur intèr modernos Blaſius à Conceptione in ſua Metaphyſica diſp. 16. de Æternitate q. 1. 2. & 3. vbi citat Caietanum, & alios antiquos, & modernos Doctores.

Et quomodo operatio Beata menſuretur æternitate participata; Et quomodo ex principijs Metaphyſicalibus Caietanus contrà aliquos diſputet quod æui mediatio intèr æternitatem, & tempus non attendenda ſit penes carere innouatione, & veteratione maximè ſi innouatio, & veteratio referantur ad ipſam menſuram; ſed quod ſolùm ſit medium, quia eſt immutabile, mutabilitati coniunctum actu vel potentia; & quod æuum, & æternitas participata non ſint idem formaliter, ſed quod diſtinguantur in ſe ipſis, & ratione menſuræ ſicut perfectius à minus perfecto diuerſorum ordinum, legas omninò Commentaria Caietani ſuper art. 5. q. 10. in p. p. & litteram D. Th. quia quæ diximus in Phyſicis in 4. Phyſ. q. 8. num. 114. 115. & vltra, & 99. & 102. ſpectant ad tempus Phyſicum in ratione motus, & menſuræ. Metaphyſicalia in art. 5. cit. dumtaxat traduntur, cum ſolutionibus obiectionum Scoti, & Durandi. Et de hac materia legas inter modernos Blaſium à Conceptione in ſua Metaphyſica q. 4. vbi quærit Verùm Angeli menſurentur æternitate, & duratione & quænam illa ſit. Citat Ariſt. in 2. Met. tex. 2. & in §. 3. diſp. 16. quæſt. 4. de Æternitate Dei habet cum Caietano hanc Concluſionem, quod actiones liberæ Angelorum immanentes menſurantur tempore diſcreto. Et in q. 6. dicit cum Caietano quod æternitas participata eſt menſura realiter diſtincta ab æternitate increata, & per eſſentiam, contrà Nauaretum, Ferrarienſem, & Iauellum, qui tenent probabiliter, quod ſolùm diſtinguuntur ex parte menſuratorum.

Digitized by Google

LECTIO VI. METAPHYSICALIS

In Tractatu Decimo, & vltimo

DE ATTRIBVTIS PRIMI PRINCIPII.

Vtrum de aliquo alio à Deo poſſit verificari, quod ſit vbiq; per eſſentiam, præſentiam, & potentiam.

Ex Caietano quæſt. 8. in p. p. art. 1. 3. & 4.

SVpponenda ſunt, quæ diximus, ait Caietanus, in Phyſicis lib. 7. Phyſ. q. 3. vbi declaratur modus, quo eſt in omnibus rebus, & quæ diximus in 6. Phyſ. q. 1. num. 166. & in 4. Phyſ. q. 1. num. 55. vbi declaratur quod Deus eſt in omni loco dando tùm eſſe, tùm virtutem locatiuam, & quia replet omnem locum. Hic per principia Metaphyſicalia, Diuina vniuerſalis, & perfecta vbicatio an ita propriè conueniat Deo, vt iſta excludatur à quocumque alio citrà Deum ad excludendam nedum materiam primam, & ipſum vniuerſale, quæ ſunt quidem vbique, ſed non ſecundum idem eſſe; & ad excludendum numerum, qui eſt vtique totus in quolibet numeratorum, ſed ſecundum partem, & non primò, nec per ſe; & ad excludendum corpus vniuerſi, quod eſt vbique, ſed non primò, quia non eſt totum in quolibet loco, ſed ſecundum ſuas partes, nec per ſe, quia ſi ponerentur aliqua alia loca, non eſſet in eis; Et ad excludendum etiàm corpus infinitum, quod eſſet vbique, ſed ſecundum ſuas partes; Et tandem ad excludendam animam vnius ſolius animalis, ſi eſſet vnum ſolum animal, quæ quidem anima eſſet vbique, ſed non primò, ſed per accidens. Ita Caietanus ex D. Th. art. 4. q. 8. cit.

Declaratio Tituli, eiuſque ſenſus quæſiti facta à Caietano.

Quo ad 1. Notat primò Caietanus ex D. Th. art. 4. q. 8. cit. quod eſſe vbique primò, eſt illud quod ſecundum ſe totum eſt vbique: ſi quid enim eſſet vbique ſecundum diuerſas partes in diuerſis locis exiſtens non eſſet vbique primò, quia quod conuenit alicui ratione partis ſuæ non conuenit ei primò, vt ſi homo eſt albus ſecundum dentem, albedo non conuenit primò homini, ſed denti. Eſſe autem vbique per ſe dico id, cui non conuenit eſſe vbique per accidens propter aliquam ſuppoſitionem factam, quia ſic granum milij eſſet vbique, ſuppoſito quod nullum aliud corpus eſſet: Per ſe igitur alicui conuenit eſſe vbique, quia tale eſt, quod qualibet poſitione facta, ſequitur illud eſſe vbique. Et quando anima vt dicit Aug. in epiſt. 3 ad Voluſianum, vbi videt, ſic verificatur quod ibi eſt, non ſequitur quod ſi videat vbique, quod ſit vbique: quia animam alicubi videre contingit dupliciter vno modo ſecundum quod hoc aduerbium alicubi determinat actum videndi ex parte obiecti; & ſic verum eſt, quod dùm videt ſucceſſiuè Cælum, in Celo videt, & eadem ratione in Cælo ſentit, non tamen ſequitur quod in Cælo viuat, vel ſit, quia viuere, & eſ-

ſe non important actum tranſeuntem in exterius obiectum; Alio modo poteſt intelligi ſecundum quod aduerbium determinat actum videntis ſecundum quod exit à vidente: Et ſic verum eſt quod anima vbi ſentit, & videt, ibi eſt, & viuit ſecundum iſtum modum loquendi: ſed ità non ſequitur quod ſit vbique. Ità Caietanus in Reſponſione ad 6. art. 4. cit.

Notat 2. Caietanus ex D. Th. 2. 3. q. 8. cit. Deum eſſe in aliqua re poteſt contingi dupliciter vno modo per modum cauſæ agentis, & ſic eſt in omnibus rebus creatis ab ipſo, & iſte modus eſt generalis, eo quod Deus effectiuè eſt in omnibus; Alio modo ſicut obiectum operationis eſt in operante, quod proprium eſt in operationibus animæ ſecundum quod cognitum eſt in cognoſcente, & deſideratum in deſiderante; & iſte modus eſt ſpecialis eo quod obiectiuè eſt tantùm in Creatura rationali: Et vocatur hic modus per gratiam, eo quod ex gratia habet Creatura rationalis, quod cognoſcat, ac diligat Deum actu, vel habitu. Et rurſus modus generalis eſſendi in omnibus diſtinguitur in eſſe per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, & hoc conſiderandum eſt ex his, quæ in rebus humanis dicuntur eſſe, vt patet in Rege reſpectu loci proprij, & loci in proſpectu ſuo, & Regni ſui: Rex enim dicitur eſſe in toto Regno, ſcilicet per ſuam potentiam, licet non ſit vbique præſens: per præſentiam verò ſuam dicitur eſſe aliquid in omnibus, quæ in proſpectu ipſius ſunt, ſicut omnia, quæ ſunt in aliqua domo, dicuntur eſſe alicui præſentia qui tamen non eſt ſecundum ſuam ſubſtantiam in qualibet parte domus; ſecundum verò ſubſtantiam, vel eſſentiam dicitur aliquid eſſe in loco, in quo eius ſubſtantia habetur. Deus autem eſt in omnibus, & vbique per potentiam, per præſentiam, & eſſentiam. Ità Caiet. loc. cit.

Quo ad 2. Vbiquitas vniuerſalis Dei, ait Caietanus, eſt ità ſecundum D. Thomam in omnibus rebus, vt eo modo quo eſt per potentiam, per præſentiam, & per eſſentiam, nulli alteri poſſit conuenire Creaturæ niſi Deo. Et quamuis littera art. 3. cit. ponat diſtinctionem modi eſſendi Dei in rebus, ſcilicet effectiuè, vel obiectiuè, poſteà tamen non ſubdiuidit modum eſſendi in eſſe per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, quoniam falſa eſſet ſubdiuiſio, ſed intendit ſubdiſtinguere modum generalem, quod Deus eſt in omnibus, & accipit diſtinctionem ex rebus humanis, vt diximus de Rege, & applicat ad Deum reſpectu omnium creatorum, & non ſolum applicantur prædicti modi ad Deum, ſed quodammodò probatur eſſe rectam interpretationem eorum, ex eo quod ſinguli contrà ſingulos excellentium hominum errores ponuntur. Contrà Manichæos quidem, qui dixerunt diuinæ poteſtati ſubiecta eſſe ſpiritualia, & in corporalia: viſibilia verò, & corporalia ſubiecta eſſe dicebant poteſtati principij contrarij, & ſic neceſſariò ſtatuit D. Th. quod Deus eſt in omnibus per potentiam ſuam, ſcilicet, eſt in omnibus immediatione virtutis, ità quod omnia agunt quidquid agunt virtute Dei. Contrà Auerroim, qui licet crederet cum alijs omnia eſſe ſubiecta Diuinæ potentiæ: prouidentiam tamen Diuinam, vſque ad hæc inferiora corpora non extendebant, ex quorum perſona ſequaces huius poſitionis dicebant Iob. 22. Circa cardines Cæli perambulat nec noſtra conſiderat; Et ideò D. Th. ſtatuit contrà Auuerroim, quod Deus ſit in omnibus per præſentiam penetratiuam omnium, & ſingulorum ſuo intuitu. Contrà Auicennam denique, & eius ſequaces, qui licet concederent omnia ad Dei prouidentiam pertinere: poſuerunt tamen non omnia eſſe immediatè creata à Deo, ſed quod immediatè creauit primas Creaturas, & iſtæ creauerunt alias: Contrà igitur hos omnes ſtatuit D. Thomas quod eſt in omnibus per eſſentiam, ideſt immediatè immediatione ſuppoſiti, quia in quolibet eſt creatum aliquod à

Deo

Deo immediatè. Ità Caietanus ex Diuo Thoma locis citatis.

Quo ad tertium Caietanus ponit hanc Concluſionem Reſponſiuam quæſiti ex D. Thom. quæſt. 8. cit. tali pacto, Deus eſt ità in omnibus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam primò, & per ſe, vt nulli alteri à Deo creato poſſit conuenire.

Probatur à Caietano ex D. Th. ſub tali forma. Deus ſecundum ſe ipſum, ſcilicet præſentiam, eſſentiam, & potentiam eſt vbique quibuſcumque locis datis primò, & per ſe: ſed nihil aliud à Deo eſt ſic vbique: ergo vera Concluſio. Maior declaratur à D. Th. in art. 3. quæſt. 8. cit. primò eſt in omnibus per potentiam in quantùm omnia eius poteſtati ſubduntur; & per præſentiam in quantùm omnia nuda ſunt, & aperta oculis eius; & in omnibus per eſſentiam, in quantùm adeſt omnibus, vt cauſa eſſendi vt dicitur in articulo primo, & patet ex dictis in Phyſica. Minor probatur in art. 4. quia hoc ità propriè conuenit Deo, vt quotcumque loca data ponantur, etiàm ſi ponerentur infinita prætèr iſta, quæ dantur, adhuc in omnibus opporteret eſſe Deum, quia nihil poteſt eſſe niſi per ſe ipſum ſi conuenit alijs prætèr Deum: diximus enim in notabili primo ſupra, quod ſi conuenit alijs, conuenit ipſis per partes, vel per accidens, vt de accidente, de numero, & de ſolo animali, ſi daretur, non primò, ſed per accidens eſſet &c. eſſe igitur vbique primò, & per ſe conuenit Deo, & eſt proprium eius. Ità Caietanus ex D. Thom. loc. cit.

Quo ad quartum arguit Caietanus ex Aureolo contrà dictum D. Th. de Deo, quod ſit in rationali creatura obiectiuè per gratiam. Deus eſt obiectiuè in non Sanctis, & in quibuſdam Sanctis, puta in infantibus non obiectiuè. Et Auguſt. dicit quod Deus eſt in Sanctis, quia intenſius: ergo &c.

Reſp. Caietanus ad Aureolum, quod iſte modus per gratiam diſtinguitur contrà modum eſſendi Dei obiectiuè, & vt pars eius nominatur per gratiam, quia importat Deum eſſe obiectiuè, vt intellectum notitia pariente charitatem, quod putat ſolis Sanctis conuenire, quem modum non cognouerunt Philoſophi; Et etiàm in infantibus ſic, quia habitum Fidei, & Charitatis, ex Baptiſmo ſortiuntur. Et Auguſt. & Magiſter ſent. modum hunc non formaliter, vt fecit S. Th. ſed cauſalitèr deſcripſerunt ex hoc enim quod Deiformes facit rationales Creaturas, quod eſt interius, & plenius operari conſurgit, Deum cognoſci, & charum haberi ab eis. Ità Caiet. art. 3. cit. §. Contrà ſingulos modos &c.

Arguit ſecundò Caietanus contrà illum modum præſentialem ex Aureolo. Cognitum eſt in cognoſcente, & non è conuerſo; ergo ſaltem per cognitionem non debet dici quod Deus ſit in omnibus rebus.

Reſp. Caietanus, quod in cognitione ſunt duo, modus cognoſcendi, & vis cognitionis; Si attendatur modus, optimè procedit obiectio; Si verò vis cognitionis, eſt ſic è conuerſo: quoniam vis cognitionis conſiſtit in penetratione omnium vſq; ad intima quæque; vndè ad Hæbr. 4 dicitur de Dei ſermone, quòd pertingit vſq; ad diuiſionem Animæ &c. Et D. Th. attendens ad hoc, cum ſit ſignum intellectus dicit Deum eſſe per præſentiam in omnibus. Quamuis etiàm dici poſſit, quod aliud eſt loqui de notitia abſolutè, & aliud de notitia intuitiuè, de qua eſt ſermo, hic enim ad res ex propria ratione, quia intuitiua eſt, attendit: & idcircò modum eſſendi per præſentiam conſtituit, quamuis ex ratione notitiæ in communi, cognoſcens non tendat in cognitum. Ità Caietanus loc. cit.

Arguit 3. Caietanus contrà alium modum ſic. Iſte modus per eſſentiam coincidit cum modo per potentiam; ergo &c.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Caietanus ad hoc iam dictum eſt, quod ponit per potentiam immediationem virtutis, per eſſentiam verò immediationem ſuppoſiti; illa eſt reſpectu omnium, quo ad omnia; iſta eſt reſpectu omnium, ſed non quo ad omnia, ſed quo ad aliquid cuiuſque vt patet ex dictis. Ità Caietanus loc. cit.

Arguit vltimò Caietanus ex Aureolo contrà alium modum ſic. Rex non eſt verè in Regno ſecundum potentiam, ſed ſecundum apprehenſionem executorum: ergo &c.

Reſp. Caietanus, quod Rex eſt in Regno ſecundum potentiam modo conuenienti ſuæ potentiæ: talis autèm modus, eſt media apprehenſione &c. Deus autèm eſt in omnibus ſecundum potentiam proportionaliter, ideſt modo ſuæ potentiæ congruo: Talis autèm eſt participatio virtutis Diuinæ ſecundum rem in omnibus. Vndè nihil obſtat, niſi quis putet, quod proportionales proceſſus ſint à *Doctrina* alieni, quod eſt erroneum in Arte ſciendi. Ità Caietanus in fine Comment. art. 3. quæſt. 8. cit.

Appendices ad Lectionem Sextam Metaphyſicalem.

LEgas formalitates, & Appendices Vener. Porrectæ ſuper articulos quæſt. 8. p. p. Et D. Thom. in primo ſententiarum diſt. 37. quæſt. 1. art. 1. & 3. & 2. Capreolum ibi (Albertum Magnum, & Paludanum ibi) & in 3. c. gent. c. 68. & lib. 4. c. 16. & 17. cum Ferrarienſi ibi, & quolib. 11 quæſt. 1. art. 2. cum alijs Doctoribus noſtris Hiſpanis, Salmanticenſibus, Tholoſanis, & Sorbonenſibus &c.

Digitized by Google

LECTIO VII. METAPHYSICALIS

In Tractatu Decimo, & Vltimo.

DE ATTRIBVTIS PRIMI PRINCIPII.

Vtrùm actio creatiua Dei ſit cognita ab Ariſtotele, quod ità ſit propria Dei, vt nulli alteri à Deo poſſit communicari.

Ex Caietano p. p. q. 44. & 45. & alibi pluribus in locis.

Declaratio Tituli facta à Caiet. & de eius ſenſu.

AN omne ens ſit neceſſariò creatum à Deo, ait Caiet. ſub hac formalitate quæſiuimus in alio præcedenti Tract. Metaphyſic. Et plura diximus in 2. Phyſ. q. 7. n. 55. 56. & 57. & de materia prima an ſit creata à Deo diximus in lib. 1. Phyſ. q. 8. n. 103. & in lib. 8. Phyſ. inueſtigauimus q. 4. Vtrùm primus Motor operetur in omni mouente, & ſit vniuerſalis. Quod quæritur formaliter hic in præſenti lectione, eſt hoc ſcilicet An nedum poſſibilitas actionis creatiuæ in Deo ſit lumine naturali demonſtrabilis, ſed etiam an hoc ſit demonſtrabile, quod aliquid de facto creauerit Deus. Et licet ratio Auicennæ ex 8. Met. c. 7. & lib. 9. cap. 4. & qua vtitur D. Th. in p. p. q. 44. qua probatur quod ab vno illo ente per ſe ſubſiſtente, omnia alia quæ non ſunt ſuum eſſe, ſed habent eſſe participatum, opportet vt ſint, ſit à nobis formalizata, & propugnata ſuprà in alio Tractatu nihilominus aliæ ſunt rationes ad propoſitum examinandæ cum D. Th. deſumptæ à Philoſopho in 2. Met. tex. 4. & ex lib. 2. c. gen. cap. 15. ratione ſecunda quibus probatur in 12. Met. tex. 11. ipſius Ariſtotelis dicentis, dubitabit autèm aliquis ex quali non ente fit aliquid. Ex quo Metaphyſici quærunt An detur creatio ſecundum Philoſophum, & Commentatorem, & nos aliqua diximus in p. p. q. 45. a. 5. vbi S. Thomas quærit Vtrum ſolius Dei ſit creare, & ibi inſtituimus hanc quæſtionem, Vtrùm totum eſſe, quod eſt effectus vniuerſaliſſimus, ſit effectiuè à Deo, tanquàm à cauſa vniuerſaliſſima, vel poſſit eſſe etiàm ab alia cauſa tanquam à ſua forma, de quo plura diximus in Tractatu ſuprà Metaphyſicali de eſſe vt effectus Dei, & vt effectus formæ. Ità Caiet. in loc. cit.

1. Notab. in quo oſtenditur quomodo ly ex intelligatur quia dicitur quod creatio ſit ex nihilo.

Quoad primum Caietanus. Notat in p. p. q. 45. a. 1. Supponendo priùs quod idem eſt procedere per Creationem, & procedere per emanationem vniuerſalem, & quod creatio quæ eſt ex nihilo ſignificat emanationem totius entis à cauſa vniuerſali, notat, inquam, quod quando probatur ibi à D. Th. quod quando aliquid procedit ſecundum emanationem, particulare non præſupponitur emanationi, ſicut ſi generatur homo, non fuit priùs homo, ſed homo fit ex non homine, vt non album ex non albo, in tali probatione D. Th. non loquitur de fieri ex non homine, aut non al-

bo,

Digitized by Google

bo, & vniuerſalitèr ex non tali vt ſubiecto, quià ſi ſic intelligeretur, nòn concluderet, quod creatio eſſet ex nihilo, quia poſſet dici, quod fit totum ens ex non ente, quod eſt ens in potentia, ſicut homo ex non homine, quod tamen eſt homo in potentia: & album ex non albo, quod tamen eſt album in potentia. Intelligitur ergo ly ex, ideſt, poſt: opportet enim hominem fieri poſt non hominem, & album poſt non album ſi per ſe fit, & nihil aliud intendit D. Th. in prædicto fundamento ſumpto ex p. Phyſ. tex. 76. vt verba ſua manifeſtant, cùm dicit, ſicut ſi generatur homo non fuit priùs homo, diſtinguens priùs hominem contrà ly ex non homine, inſinuans quod ly ex ſignificat poſt. Et aduerte quod ſemper opportet quod illud quod creatur, ex nihilo ſui fieri, ideſt poſt nihil ſui; hinc habes quomodo aima intellectiua creatur, & tamen fit ſemper in ſubiecto, quia ſcilicet poſt nihil ſui fit per ſe, quod de nulla alia forma, quæ fit in materia verificatur. Et in art. 4. eiuſdem q. 45. addit Caietanus, quod creari diſtinguitur contra concreari, & creari ſic ſumptum eſt tantùm ſubſiſtentium ſiuè ſint compoſita, ſiue non, & hoc eſt proprium ipſorum ſubſiſtentium eſſe creata, vt ly proprium diſtinguitur contrà commune. Ità Caietanus in loc. cit.

2. Notab. Caiet. in quo oſtenditur quod virtus facientis conſideratur etiam ex modo faciendi.

Notat 2. Caietanus ex D. Th. in art. 5. q. 45. cit. in Reſponſione ad tertium quod virtus facientis non ſolùm conſideratur ex ſubſtantia facti, ſed etiàm ex modo faciendi: Maior enim calor non ſolùm magis, ſed etiàm citius calefacit; Quamuis igitur creare aliquem effectum finitum non demonſtret potentiam infinitam; Creare tamen ipſum ex nihilo demonſtrat potentiam infinitam vt dicitur in art. 2. Si enim tantò maior virtus requiritur in agente, quantò potentia eſt magis remota ab actu, opportet, quod virtus agentis ex nulla præſuppoſita potentia, qualis eſt agens creans, ſit infinita, quia nulla proportio eſt nullius potentiæ ad aliquam potentiam, quam præſupponit virtus agentis naturalis, ſicut non entis ad ens. Et quia nulla Creatura habet ſimpliciter potentiam infinitam ſicut neque eſſe infinitum, vt probatur in p. p. q. 7. a. 2. relinquitur quod nulla Creatura poſſit creare. Et addit Caietanus, quod ex iſta ratione D. Th. qua probatur repugnare Creaturæ virtutem creandi, ſoluuntur multa argumenta recitata à Capreolo in 2. ſent. diſt. 1. q. 3. Verumtamen Scotus hanc rationem affert, & quamuis malè videatur ſublumere inferendo diſtantiam potentiæ ab actu, nihilominus, quia euidentèr apparet hunc paſſum litteræ reprehendere, recitanda eſt hic ſolutio eius. Dicit ergo quod licet nullius potentiæ ad aliquam potentiam nulla ſit proportio, negatur tamen ſequela, ergo virtus, quæ poteſt ſuper hanc, nullam habet proportionem ad virtutem, quæ poteſt ſuper illam. Et ratio negationis eſt, quia prima extrema, ſcilicet nulla potentia, & aliqua potentia ſunt intèr quæ non eſt nata proportio, quia alterum non eſt quantum; alia verò extrema, ſcilicet virtutes ſunt inter quæ nata eſt eſſe proportio quia ambæ ſunt quantæ, & dat exemplum de puncto, & linea, intèr quæ nulla eſt proportio, & tamèn virtutes potentes ſuprà illa, non ſunt improportionales. Ità Caietanus ex Scoto in loc. cit.

Caiet. hic recitat ſolutionem Scoti ad rationem D. Th.

Notab. 3. Caiet. in quo oſtenditur nullitas ſolutionis Scoti ad rationem D. Th.

Notat 3. Caietanus pro impugnanda Reſponſione Scoti, quod ratio D. Thomæ in Reſponſione ad tertium non fundatur præcisè ſuprà improportionem primorum extremorum, vt Scotus diſſimulare videtur, ſed fundatur ſuper illam regulam Peripateticam, quod quando ſunt duo extrema ſic ſe habentia, quod quantum vnum minuitur, & reliquum creſcit, tantùm proportionalitèr, & è conuersò: Si vtrumque numeraliter multiplicatum ponatur, & combinetur, ità quod quælibet combinatio, & conſtet ex vno vnius, & altero alterius extremi, ſi vnum non ponitur diminui vſque ad non gradum, ſuum compar creſcit ſupra omnem gradum, ideſt in infini-

ſum,

ſum, ac proindè ſicut intèr minutum vſque ad non gradum, & retinentem gradum nulla eſt proportio, ità intèr aliqua duo creſcentia nulla eſt proportio. Exemplum habemus ex 4. Phyſ. tex. 72. Velocitas motus, & Corpulentia ſpatij ſunt duo extrema, quæ cæteris paribus ità ſe habent, quod quantò minuitur Corpulentia tantò motus eſt velocior, vt patet ad ſenſum; ſi autèm multiplicetur vtrumque, & ponamus duos motus, & duo ſpatia vnum motum in vno ſpatio, & reliquum in alio, & Corpulentia vnius ſpatij minuatur vſque ad non gradum, ideſt quod nullum ſit Corpus, opportet quod Velocitas motus in illo ſpatio augeatur in infinitum, & qualis eſt proportio ſpatij ſine Corpore ad ſpatium corpore plenum talis ſit proportio velocitatis iſtius ad velocitatem illius. Super hanc regulam fundatur proceſſus Phyloſophi ad probandum ibidem, quod motus in vacuo, & pleno ſunt improportionales. Et ibidem ſuper hanc regulam fundatur proceſſus prædictus rationis D. Thomæ, vt patet ex ipſa aſſumente in prima propoſitione duo extrema, ſcilicèt & proportionale augmentum, & decrementum eorum, dicens quod ſi tantò maior virtus exigitur in Agente, quantò propterea eſt elongarior ab actu (hoc enim diminutionem importat) & poſteà D. Thom. ſubdit alterum extremum, ſcilicèt ad non gradum, opportet, ait, quod Virtus Agentis ex nulla præſuppoſita potentia ſit improportionalis. Ratio igitur non procedit ex extremis improportionalibus abſolutè, vt vult Scotus, ſed ex eius vt terminis progreſſus augmentationis, & diminutionis proportionalis vt patet, & ideò valet. Et exemplum de puncto, & linea, quæ extrema improportionalia abſolutè ſunt, non eſt ad propoſitum. Stat ergò ſolida demonſtratio litteræ, quod virtus Creatiua eſt infinita, & ideò incommunicabilis. Omnis enim virtus finita eſt alteri virtuti finitæ proportionalis, vt etiàm ipſe Scotus fatetur, quoniam vtraque quanta eſt, & finita. Ità Caietanus in calce Comment. art. 5. quæſt. 45. cit.

Proceſſus D.Th. quod Virtus creatiua ſit infinita, eſt fundatus in proceſſu Ariſt. de Motu in vacuo, & pleno.

Quò ad ſecundùm, Caietanus ex D. Thom. vbique declarat ſenſum D. Thom. quod ratione demouſtratiua naturali ſecundum mentem Ariſtotelis, Creatio eſt ex nihilo, in quæſt. 4. cit. & quod eſt poſſibilis in Deo vt art. 2. & quod creari eſt proprium ſubſiſtentium vt in art. 4. & quod ſolius Dei eſt creare in art. 5. & quod nulli Creaturæ poſſit communicari in Reſponſione ad tertiùm art. 5 & quod eſſe & non eſſe dicuntur ſimpliciter de ſubſtantia, & de accidentibus non ſimplicitèr in 5. Phyſ. tex. 7. & 1. de Generatione tex. 11. & 1. Phyſ. tex. 62. & quod fieri ſimplicitèr eſt ſubſtantiarum; ſecundum quid autem eſt accidentium, & in 1. Phyſ. tex. 62. & 5. Phyſ. tex. 7 & 8 Phyſ. tex. 46. & 1. de Gen. tex. 11. & 18. Per rationes verò D. Thomæ ſenſus verus & Germanus ipſius Philoſophi declaratur, & doctrinam hanc D. Thomæ eſſe magni emolumenti, nedùm Eccleſiæ Sanctæ Dei, ſed etiàm veræ Phyloſophiæ, fateri res ipſa compellit.

Sententia D.Th. quod de Mente Ariſtot. ſit Creatio ex nihilo, & Creari ſit ſubſiſtentium recitatur à Caietano.

Opinio autèm Auicennæ, & Magiſtri Sent. quod ſcilicet actus creandi poſſit communicari Creaturæ adducitur à D. Thom. & licet ſit propria actio Dei, Creatio, & ex proprijs, attamèn in quantum participat Deum, cuius eſt illa actio, creaturæ communicatur. Exemplum eſt de actione ignis reſpectu aeris; virtute enim ignis aer habet calefacere, & ignire. Et ſic poſuit Auicenna quod prima ſubſtantia ſeparata creata à Deo, creat aliam poſt ſe, & ſubſtantiam Orbis, & Animam eius; & quod ſubſtantia Orbis creat materiam Corporum Inferiorum. Et iuxtà hunc modum dicit etiàm Magiſter Sententiarum in 4. ſent. diſt. 5. §. 3. quod Deus poteſt Creaturæ communicare potentiam creandi, vt non propria auctoritate, ſed per Miniſterium creat: Sed hoc eſſe non poteſt ait S. Doctor in art. 5. cit. quia cauſa inſtrumentalis, vt diximus etiàm in Phyſicis non participat

Opinio Auicennæ, & Magiſtri Sent. refutatur à D. Th. eſto illam Magiſtri Sent. D. Tho. alibi ſit ſecutus, &c.

actionem cauſæ ſuperioris, niſi in quantùm per aliquid ſibi proprium diſpoſitiuè operatur ad effectum principalis agentis, & hoc aſſerere de corpore præcipuè creato inconueniens eſt, cum nullum Corpus agatur niſi tangendo, vel mouendo; & ſic requirit in ſua actione aliquid præexiſtens, quod poſſit tangi, & moueri, quod eſt contrà rationem Creationis. Et addit Caietanus, Aduerte hîc, quod Auctor recitando Magiſtrum, refert quoque ſe ipſum in 1. ſent. diſt. 2. quæſt. 1. art. 3. & 5. & in 4. ſent. diſt. 5. quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncula 2. ad tertiùm. Non aſpernatum opinionem Magiſtri, quam hic repellit cum ſequacibus, etiàm ſi ipſe met fuerit vnus ex illis. Sententia igitur S. Thomæ in art. 5. quæſt. 45. cit. contrà Magiſtrum, & Auicennam eſt hæc, ſcilicèt quod actio creatiuaità demonſtretur ex principijs Phyloſophiæ eſſe propriam Dei, vt impoſſibile ſit, quod alicui Creaturæ conueniat creare, neque virtute propria vt vult Auicenna, neque inſtrumentalitèr, ſiuè per miniſterium, vt credidit Magiſter Sententiarum. Ità ex D. Thom. Caietanus in Comment. art. 5. cit.

Concluſ. ponitur à Caiet. ex D. Tho quod omnia de facto ſunt creata à Deo cum ſua probatione.

Quò ad tertiùm. Ponitur hæc prima Concluſio à Caietano ex D. Thom. 1. p. quæſt. 45. ſic. Eſt neceſſaria iſta propoſitio, Omnia de facto ſunt creata à Deo. Probatur à Caietano ſub tali forma. Si Deus non ageret niſi ex aliquo præſuppoſito, ſequeretur quod illud præſuppoſitum non eſſet cauſatum ab ipſo: Sed nihil eſt in entibus, quod non ſit à Deo cauſatum: ergò neceſſe eſt quod Deus ex nullo præſuppoſito, res in eſſe produxerit: Sed hoc eſt creare: ergò &c. ratio hæc admittit tantùm principia metaphyſicalia lumine naturali nota, & ſupponit quod Creatio ſit ex nihilo. Conditionalis illa igitur aſſumpta probatur ex illa Cathegorica vniuerſali, quod omne faciens aliquid ex aliquo non facit, ſed præſupponit illud ex quo facit, quæ manifeſtatur inductiuè, primò in artificialibus, ſecundò in naturalibus; ſicut Artifex operatur ex rebus naturalibus, vt ex ligno, & ære, quæ per Artis actionem non cauſantur, ſed cauſantur per actionem naturæ. Et ipſa natura cauſat res naturales quantùm ad formam, ſed præſupponit materiam. Deſtructio autèm conſequentis probatur ex quæſtione 44. art. 1. & 2. ſcilicèt quod Deus eſt cauſa vniuerſalis totius eſſe. Ità Caietanus ex D. Thom. loc. cit.

2. Concluſio ponitur à Caiet. ex D. Tho. cum ſua prob. quod Actio creatiua eſt Dei, & nullius.

Secunda Concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. 1. p. quæſt. 45. art. 4. & 5. Creata quæ ſunt propriè ſubſiſtentia ſunt ità propriè Creationis actiuæ Dei, vt lumine naturali dignoſcitur, quod nulli ex ipſis, nec virtute propria, nec inſtrumentalitèr, ſiuè per miniſterium, poteſt conuenire.

Probatur à Caietano ſub tali forma ex D. Thom. Creari eſt quoddam fieri: ergò propriè conuenit illis, quibus conuenit eſſe: ergò propriè conuenit ſubſiſtentibus. Prima conſequentia probatur, quia fieri ordinatur ad eſſe: Secunda verò conſequentia probatur, quia eſſe propriè conuenit ſubſiſtentibus, quod probatur ex differentia intèr ſubſiſtentia ipſa, & intèr formas, & accidentia, & alia huiuſmodi in hoc, quod ſubſiſtentia habent eſſe ſic quod in ſuo eſſe ſubſiſtunt: reliqua autèm dicuntur habere eſſe non quaſi ipſa ſint, ſed quia eis aliquid eſt, vt patet de Albedine: Albedo enim ea ratione dicitur ens, quia ea eſt ſubiectum album. Vndè Ariſt. lib. 7. Met. tex. 2. Accidens magis dicitur propriè entis, quàm ens, & ex hoc ſequitur alia differentia in Concluſione contenta, ſcilicèt quod ſicut ſola ſubſiſtentia ſunt entia, & reliqua ſunt coexiſtentia, ità ſola ſubſiſtentia ſunt creata, & reliqua ſunt concreata. Ità Caietanus.

Probatio 2. partis Concluſionis.

Probatur ſecunda pars à Caietano. Eſſe eſt proprius effectus primæ, & vniuerſaliſſimæ cauſæ, quæ eſt Deus, & producere eſſe ſpectat ad rationem Creationis, vt docet Ariſt. in tota Met. ergò Creatio eſt propria actio ſolius Dei. Maior probatur

Digitized by Google

batur primò ſic, quia effectus vniuerſaliores, oportet in vniuerſaliores, & priores cauſas reducere: Eſſe autem inter omnes effectus eſt vniuerſaliſſimum. Secundò probatur ex libro de Cauſis propoſitione tertia, vbi dicitur, quod neque intelligentia, vel Anima nobilis dat eſſe, niſi in quantùm operatur operatione Diuina; vndè manifeſtum eſt, quod Creatio eſt propria Actio ipſius Dei.

Probatur tertia partis Concluſ.

Probatur à Caietano tertia pars ſic ex D. Thom. Cauſa ſecunda inſtrumentalis non participat actionem cauſæ ſuperioris, niſi in quantùm per aliquod ſibi proprium diſpoſitiuè operatur ad effectum principalis agentis: Sed nullum agens ſecundum poteſt aliquid diſpoſitiuè operari ad effectum Dei creantis: ergò nulla poteſt eſſe cauſa inſtrumentalis ad Creationis actum. Maior probatur primò ſic ducendo ad inconueniens: quia ſi nihil ageret cauſa inſtrumentalis ſecundum ſibi proprium fruſtrà adhiberetur ad agendum; ſecundò quia non oporteret eſſe determinatè inſtrumenta determinatarum actionum. Secundò manifeſtatur maior inductiuè ad ſenſum, quia ſic videmus in ſecuri, quod ſecuris ſcindendo lignum, quod habet ex proprietate ſuæ formæ producit ſcamnum, qui eſt effectus proprius principalis agentis.

Minor quoque probatur primò ſic ex Termino, quia eſſe abſolutè, quod eſt proprius effectus creantis omnibus alijs præſupponitur. Secundò probatur ex modo, quia Creatio eſt ex aliquo, & ſic excedit omne diſponibile. Ità Caietanus loc. cit.

Arguit primò Caietanus ex Ariſtot. contrà ſecundam partem Concluſionis.

Quò ad quartùm. Omiſſis argumentis Scoti, & Durandi contrà cauſam inſtrumentalem, quia ſunt ſoluta in noſtris Phyſicalibus, arguitur contrà ſecundam partem huius ſecundæ Concluſionis ſic. Ex Phyloſopho lib. 2. de Anima tex. 34. Perfectum eſt, quod poteſt ſibi ſimile facere: Sed Creaturæ immateriales ſunt perfectiones Creaturis materialibus, quæ faciunt ſibi ſimile: Ignis enim generat ignem, & homo generat hominem: ergò ſubſtantia immaterialis poteſt facere ſubſtantiam ſibi ſimilem: Sed ſubſtantia immaterialis non poteſt fieri niſi per Creationem, cùm non habeat materiam ex qua fiat: ergò aliqua Creatura poteſt creare: ergò actio Creatiua non eſt ſolius Dei.

Reſponſio Caiet. ad 1. Argum.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. ad 1. art. 5. quæſt. 45. cit. diſtinguendo ly Perfectum poteſt &c. aliquo præſuppoſito conceditur, nullo præſuppoſito negatur. Etſi materialia poſſint facere aliquid ſibi ſimile quantùm ad eſſe, quia aliquo præſuppoſito, ſcilicèt materia ipſa, operantur: immaterialia tamen, ſcilicèt ſubſtantiæ ſeparatæ non poſſunt, quia nihil in tali operatione agentis ſubſtantiæ ſupponeretur, vndè ait D. Thom. aliquod perfectum participans aliquam naturam facit ſibi ſimile non quidem producendo abſolutè illam naturam, ſed applicando cauſam ad aliquid: non enim hic homo poteſt eſſe cauſa naturæ humanæ abſolutè, quia ſic eſſet cauſa ſui ipſius: Sed eſt cauſa, quod natura humana ſit in hoc homine generato, & ſic præſupponit in ſua actione determinatam materiam per quam eſt hic Homo; ſed ſicuti hic homo participat naturam humanam, ità quodcumque ens creatum participat, vt ita dixerim, naturam eſſendi, quia ſolus Deus eſt ſuum eſſe, vt dictum eſt, nullum igitur ens creatum poteſt producere aliquod ens abſolutè, niſi in quantum cauſat eſſe in hoc; & ſic oportet quod præintelligatur id per quod eſt hic homo actioni, qua facit ſibi hominem ſimilem. In ſubſtantia autem immateriali non poteſt præintelligi aliquid, quod ſit hæc, quia eſt hæc per ſuam formam, per quam habet eſſe, cum ſint formæ ſubſiſtentes. Subſtantia igitur immaterialis non poteſt producere aliam ſubſtantiam immaterialem ſibi ſimilem, quantùm ad eſſe eius, ſed quantùm ad perfectionem aliquam ſuper-

 addi-

Digitized by Google

additam, ſicut ſi dicamus, quod Angelus ſperior illuminat inferiorem, vt Dyon. dicit in cap. 4. & 10. cæleſtis Hyerarchiæ ſecundum quem modum etiàm in cæleſtibus eſt Paternitas Eph. 3. ex quo omnis Paternitas in Cælo; & ſic ex hoc etiàm euidentèr apparet, quod nullum ens creatum poteſt cauſare aliquid niſi præſuppoſito aliquo, quod quidem repugnat Creationi. Ità Caiet. ex D. Thom.

Arguit 2. Caiet. ex Scoto.

Arguit ſecundò Caietanus ex Scoto contrà vim illationis factæ à D. Thom. ſic. Aut S. Doctor intendit quod eſſe ſic eſt proprius effectus Dei vt primæ cauſæ quaſi quod ſit ab ipſa ſola, & tunc militant obiectiones Scoti, quæ ſunt ſolutæ in noſtris Phyſicalibus. Aut quod ſic eſt proprius, quod per ſe primò eſt à ſolo Deo, & tunc illatio nihil valere videtur, niſi in virtute iſtius Cathegoricæ, ideſt, Producere eſſe per ſe primò, eſt Creare: Sed hæc eſt falſa: ergò &c. probatur, quoniam producere per ſe primò eſſe in Boue non eſt Creare, alioquin cum Bos generatur, vel eſſe eius à nullo per ſe primò producitur, vel creatio ſemper admiſcetur omni operationi naturæ, quod eſt contrà S. Thomam in articulo vltimo quæſt. 45. cit.

Reſponſio Caiet. ad Argum. Scoti.

Reſp. Caietanus, quod ratio Concluſionis duplicitèr poteſt intelligi. Primò vt ex identitate productionis eſſe per ſe primò, & Creationis inferatur quod Creatio eſt propria Actio ſolius Dei, ideſt conueniar ſoli Deo ex proprijs, ſeù virtute propria. Et ſic proceſſus pateret ex dictis in quæſt. 44. & licet verà diceret, non multum tamen artificioſus videtur: Nec propoſitiones aſſumptæ de reductione effectuum in cauſas, multum viderentur ad propoſitum. Vndè ſecundò intelligitur; vt ex identitate per ſe primo termini actionis primæ Cauſæ, & Creationis inferatur, quod Creatio eſt propria ſolius Dei actio, & ſic artificioſus valdè, & efficacitèr ex aſſumptis propoſitionibus fit proceſſus: ex eo namque quod eſſe eſt per ſe primò ratio, quod aliquid fiat à prima cauſa, & etiàm quod aliquid creetur, optimè ſequitur quod Creatio eſt propria primæ cauſæ. Ad argumentum ergò dicitur, quod Cathegorica fundans hunc proceſſum non eſt illa propoſitio, quamuis ſit vera, ſcilicèt producere per ſe primò eſſe, eſt Creare, ſed quod reſpicere per ſe primò eſſe eſt operatio propria primæ cauſæ, vel Creare eſt reſpicere per ſe primò eſſe.

Cùm verò dicitur, quod Iſta eſt falſa, Dare per ſe primò eſſe eſt Creare, quia in factione Bouis &c. Reſp. quod nullum inconueniens eſt, imò oportet in factione rerum naturalium, quod eſſe à nullo fiat per ſe primò tunc, quoniam vnumquodque ſemper fit ex alio ente licet per accidens, & vt millies iàm dictum eſt non fit per ſe primò, & conſequentèr à nullo fit per ſe primò, id cuius ratio immediatè antè erat, ſiuè per ſe, ſiuè per accidens, vt patet ex 1. Phyſ. Notantèr autèm dico ly tunc, ne ex hoc errares, aut imponeres mihi aliquem effectum poſitiuum per ſe vnum in vniuerſo à nullo agente per ſe primò produci: quodlibet enim ens, quod à natura fit in productione totius Vniuerſi in quo producta ſunt omnia ſecundum vnam ſui partem, ſcilicèt materiam primam inchoatiuè à prima cauſa cæpit pendere, & poſtmodum ex cooperatione primæ cauſæ in cauſis ſecundis vnumquodque completè fit ens. Et ſic per ſe primò quodlibet in quantùm ens, eſt à prima cauſa; ſed non per actionem totalitèr nouam, & ſimilitèr conſeruatur ab ipſa, & ſic eſſe omne reducitur in actionem Dei, vt per ſe primò cauſæ, ſed non totalitèr nouam. Ità Caietanus art. 5. cit. §. Ad tertium Dubium.

Arguit 3. Caiet. ex Scoto.

Arguit tertiò Caietanus ex Scoto contrà prædicta. & primò ſic. Iſta propoſitio, participans naturam aliquam facit ſimile &c. aut fundatur ſuper hoc, Productum

ductum opportet participare naturam, & ſic ſequetur, quod à Deo poſſit creari Angelus; aut fundatur ſuper hoc, quod producens Angelus participat naturam: & ſic nihil valet, quia Angelus producens non habet aliquid præſuppoſitum ipſi eſſe: ergò nec producendo requiritur aliquid præſuppoſitum ipſi eſſe; producendum enim opportet ſimile eſſe producenti.

Secunda Scoti obiectio.

Inſupèr quando dicitur, Omne Ens creatum participat naturam eſſendi, aut eſſe participatur tanquam actus poſterior eſſentia, aut tanquàm idem eſſentiæ: ſed neutro modo concluditur intentum: ergò &c.

Reſponſio Caiet. ad Argum. Scoti.

Reſp. Caietanus ad Argumentum, quod Maior illa verificatur, quia Agens participat illam naturam, quia vt dictum eſt, ſi participans aliquam naturam cauſaret illam abſolutè, & non in hoc, ſequeretur quod cauſaret illam in ſe ipſo & tenet ſequela, quia cauſa alicuius naturæ abſolutè, eſt cauſa illius vniuerſalitèr, & conſequentèr in quocumque eſt participata: ergò in ſe ipſo, cùm ſit de numero participantium illam naturam. Ad Argumentum ergò dicitur; quod ex hoc antecedenti Angelus producit alium Angelum, ſequuntur duo contradictoria, ſcilicèt & quod Angelus producendus habet aliquid præſuppoſitum, & quod non habet; ex eo verò quod producens eſt ens per participationem ſequitur quod aliquid præexiſtat producendi, quia eius actio non poteſt eſſe niſi factio eſſe in hoc. Nec eſt mirùm hoc, quia Antecedens implicat. Vndè obiectio Scoti nihil valet ex ſequela vnius contradictorij inferens non ſequelam alterius: dicimus enim quod ſequitur vtrumque; & hoc oſtendit, quod Antecedens eſt omninò impoſſibile, vt dicitur à D. Thom. in fine art. 5. Et ex hoc euidentèr patet quod nulla Creatura poteſt creare.

Reſponſio Caiet. ad aliam obiectionem Scoti.

Ad aliam obiectionem Reſp. Caietanus, quod nihil refert ad propoſitum, identitas, aut diuerſitas eſſentiæ ab eſſe, ſatis eſt, quod ſint entia per participationem, aut omninò ſimplicia, aut inſeparabilitèr compoſita ſit, quod nihil eorum poteſt præſupponi antè aliquid aliud eorumdem: iàm enim oſtenſum eſt, quod Maior illa cum toto proceſſu ſolida eſt, quidquid horum ſit. Quod autèm addit arguens, quod apud nos ſubiectum non ſupponitur propter naturam agentis participatam, ſed quia forma, quæ eſt pars naturæ participatæ eſt materialis, ipſæ rerum actiones oſtendunt rudè eſſe, vt ratio litteræ inſinuat. Et addit Caietanus, quod quando dicitur quod eſſe eſt effectus proprius vniuerſaliſſimus, &c. ly proprius ſignificat idem quod per ſe primò, & non ſignificat idem quod ſolùm, aut tantùm, vt diximus in Phyſica. Et ſic malè impoſuit D. Thomæ Scotus, quod dixerit eſſe, eſt effectus ſolius Dei: hoc nunquàm ſomniauimus: imò omnem cauſam tenemus dare eſſe in virtute tamèn primæ cauſæ, vt propoſitio adducta in libro de cauſis inſinuat. Ità Caietanus art. 5. quæſt. 45. cit. §. Quò ad quartùm &c.

Arguit vltimò Caiet. ex D. Thom.

Arguit vltimò Caietanus ex D. Thom. art. 4. quæſt. 45. cit. ſic. Illud propriè producitur per primam emanationem, quod ſupponitur in ſecunda ſicut res naturalis per Generationem naturalem, quæ ſupponitur in operatione Artis: Sed illud quod ſupponitur in generatione naturali eſt materia: ergò materia eſt quæ propriè creatur, & non ſubſiſtentia compoſita.

Reſponſio Caiet. ad vltimum Arg. ex D. Thoma.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. Illud propriè producitur &c. quæ non eſt productio totius eſſe concedo, quæ eſt productio totius eſſe, nego: Emanatio enim de qua loquimur non ſolùm eſt productio partis putà materiæ, ſed eſt productio eſſe, ideſt Compoſiti, & cuiuſcumque in eo quomodocumque exiſtentis; vndè ait D. Thom. ad tertiùm, quod ratio illa non probat, quod ſola materia creetùr. ſed

quod

Digitized by Google

quod Materia non ſit niſi ex Creatione, quæ eſt productio totius eſſe. Et aduerte quod nodus Argumenti non tantùm eſt in ly ſolùm; ſed etiam in ly propriè; cum ergò D. Thom. reſponderit ad ly ſolùm, cur non etiàm reſpondit ad ly propriè? Dico quod Reſponſio ad hoc ex præcedentibus à ſe dictis habebatur. Dixerat enim in corpore articuli, quod huiuſmodi partes potiùs dicuntur concreatæ, quàm creatæ, & nunc ad ſecundum dicit, quod huiuſmodi ſunt creata, quia Compoſitum ſic dicitur creari, quod ſimul cùm omnibus ſuis principijs in eſſe producitur. Sic ergò, & ſatisfactum huic parti Argumentationis eſſe voluit ſecundum regulam pro more ſuo ſeruatam, ſcilicèt quod datam priùs Reſponſionem repetere non ſolet in Reſponſionibus ad ſequentia Argumenta. Vt per hoc & Breuitati ſuæ ſtudeat, ſtylus breuis, grata facundia &c. Ità Caietanus ex D. Thom. loc. cit.

Appendices ad Lectionem 7. Metaphyſicalem in Tractatu decimo, & vltimo; de attributis primo principio, quod eſt Deus.

PRo perfecta penetratione huius materiæ de Actione propria Dei, legas D. Thom. art. 8. 1. p. quæſt. 45. vbi quærit Vtrùm Creatio admiſceatur operibus naturæ, & art. 6. vbi quæritur Vtrùm Creare ſit proprium alicuius perſonæ. Legas etiàm non vt Phyloſophus Stagirita, ſed Stagirita Catholicus Veritatis Chriſtianæ Amator D. Thom. de potentia quæſt. 2. art. 1. & 16. & quæſt. 3. art. 5. ad 12. & art. 2. ad 2. & art. 8. ad 3. & de verit. quæſt. 27. art. 3. ad 9. & in 2. cont. gent. cap. 21. 85. & 86. cap. 6. 15. & 16. cùm Ferrarienſi ibi. Et quodlib. 8. quæſt. 5. art. 1. & opuſc. 37. cap. 4. & opuſc. 3. cap. 70. 94. & 95. & opuſc. 15. cap. 10. & in 2. ſent. diſt. 1. quæſt. 1. & 2. art. 2. & 3. & diſt. 37. quæſt. 1. art. 2. cùm Capreolo, Alb. Magno, Paludano, cùm Ægidio quolib. 5. quæſt. 1. de actione Creatiua Dei. Non omittas formalitates, & Appendices Ven. Porrectæ ſuper art. cit. D. Thomæ. Legas etiàm D. Thom. in p. 2. quæſt. 113. art. 9. Vbi Caietanus notat quod D. Thom. diſtinguit contrà Creationem iuſtificationem impij, vbi docet Gratiam non creari, & concludit quod ſi attendatur operis magnitudo ex parte modi agendi Dei, maximum opus eſt Creatio, quæ eſt ex nihilo; ſi vero attendatur ſecundum magnitudinem facti, maius eſt opus iuſtificatio impij, quàm Creatio Cœli, & terræ, quia terminatur ad bonum incommutabile, & Creatio ad Commutabile ex D. Auguſtino. Ità D. Thom. ibi.

Iauellus etiàm in ſua Metaphyſica lib. 12. quæſt. 5. quærit Vtrùm Detur Creatio ſecundum Phyloſophum, & Commentatorem, & dicit quod Ariſt. poſuit Creationem ſine nouitate eſſendi; quia ponit primò produxiſſe Cœlum, & intelligentias ab æterno, & cùm intelligentiæ ſint ſinè materia productæ vtique ſunt nullo ſui præſuppoſito. Ità Ariſtoteles. Quid ſentiat in hoc Commentator opiniones ſunt hinc, & inde in magna ambiguitate. Gregorius Ariminenſis, & Iandunus tenent Auerroim negaſſe abſolutè Creationem. Haruæus in 4. quolib. quæſt. 9. & Soncinas in 12. Met. quæſt. 15. & Capreolus in 1. ſent. diſt. 3. quæſt. 1. Sed iſti non concordant, ait Iauellus, cùm D. Thom. qui in 8. Phyſ. lect. 2. dicit quod Commentator in Comment. 4 tenet impoſſibile eſſe aliquid fieri ex nullo præſuppoſito, & Soncinas in hoc declinat à via Thomiſtica. Et in alia Concluſione habet Iauellus, quod Ariſtoteles concedit Creationem cum nouitate eſſendi, quia tenet Phyloſophus quod Anima ſit incorruptibilis, & quod ſit forma hominis dans eſſe hominis formaliter.

Com-

Commentator autèm non concedit hanc Concluſionem, vt patet exercitatis in Doctrina ſua.

Intèr Modernos Blaſius à Conceptione in ſua Metaphyſica diſp. 17. de Deo Creatore tenet cum Sententia communi quod nedum ſit naturalitèr demonſtrabilis poſſibilitas Creationis in Deo, ſed etiàm quod de facto creauerit. Suarez in ſua Metaphyſica diſp. 20. refert oppoſitum ſentientes. Quando autèm Blaſius in quæſt. 3 quærit de cauſa inſtrumentali an poſſit creare, omnes Thomiſtæ concordant in negatiua cùm D. Thoma, cuius rationes putant eſſe efficaces. Solus Durandus aſſerit poſse communicari quantùm ad aliquem particularem effectum, non autèm quantùm ad omnes. Intèr cæteros legas Sapientiſſimum Ioannem à S. Tho. in propria Controuerſia, cum alijs *Doctoribus* Salmaticenſibus, Sorbonenſibus, & Toloſanis,

---

LECTIO VIII. METAPHYSICALIS

In Tractatu Decimo, & vltimo DE ATTRIBVTIS PRIMO PRINCIPIO.

Vtrùm Ariſtoteles, cùm Philoſophis, ex hoc, quod cognouit Deum eſſe ſummè intelligentem, poſuerit modum cognoſcendi alia à ſe in Deo.

Ex Caietano p. p. quæſt. 14. art. 4. & 5. & alibi,

CAIETANVS in hac Lectione, ait, multa ſupponenda ſunt ex dictis. Et primò ſupponimus ex 2. & 3. de Anima, quod Anima eſt quodammodò omnia, quia ex ſua natura eſt cognoſcitiua, vndè Plantæ non cognoſcunt propter ſuam materialitatem; Et ideò ſenſus eſt cognoſcitiuus, quia receptiuus eſt ſpecierum ſine materia, & multò magis intellectus erit cognoſcitiuus, quia magis ſeparatus à materia, & immixtus; quapropter Deus cùm ſit in ſummo immaterialitatis, erit & ipſe in ſummo cognitionis, & ſic erit in eo perfectiſſimè ſcientia, quia in ſummo gradu immaterialitatis. Inſupèr ſupponendum eſt ex 3. de Anima, quod ſenſibile in actu eſt ſenſus in actu, & intelligibile in actu eſt intellectus in actu, & ideò cùm Deus nihil potentialitatis habeat, ſed ſic actus purus, ſequitur quod Deus intelligat ſe ipſum per ſe ipſum, quia intellectus Diuinus nec caret ſpecie in-

Declaratio Tituli, einſque ſenſus data à Caietano.

telligi-

telligibili ad ſe intelligendum, nec eſt aliud ab ipſa ſpecie intelligibili, vt diximus in ſuperioribus Lectionibus, vbi inueſtigauimus per principia Metaphyſicalia Verùm intellectus, & res intellecta ſint vnum, & idem, & an primum principium effectiuum cognoſcat alia propria cognitione. His igitur ſuppoſitis ſenſus erit huius Lectionis octauæ, dùm Ariſtoteles dicit in 12. Met. tex. 39. quod eſt omninò impoſſibile, quod intelligere Dei ſit aliud quam eius ſubſtantia, quia aliquid eſſet actus & perfectio Diuinæ ſubſtantiæ, & ad hoc ſubſtantia Diuina ſe haberet ſicut potentia ad actum quo nil abſurdius poteſt dici in tota Metaphyſica; & ideò quæritur non diſtinguendo in Titulo ipſum quodquid eſt, ab ipſo An eſt, an ſecundum Ariſtotelem neceſſe ſit, Deum cognoſcere alia à ſe, & quo modo cognoſcat, iſta alia à ſe an in ſe ipſis, an in ipſo Deo. Ità Caietanus art. 4. & 5. quæſt. 14. cit.

Primum Notabile Caiet. in quo explicatur quod eſſe in genere Entis & eſſe in genere intelligibili ſunt idem.

Quò ad primùm. Notat Caietanus ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 14. art. 4. de ipſo intelligere vt ſic quod quatuor dicuntur ab Ariſtotele, primò quod ipſum intelligere manet in intelligente; Secundò quod manet vt actus, & perfectio eius; Tertiò quod vt eſſe eſt actus exiſtentis; Quartò quod conſequitur intelligibilem ſpeciem, vt exiſtere conſequitur formam; Et circa hoc vltimum aduertetris in propoſito; primò quo ad cauſalitatem, quoniam forma eſt ratio eſſendi, & ſpecies intelligibilis eſt ratio intelligendi; ſecundò quo ad neceſſitatem, quoniam formam in actu neceſſariò comitatur exiſtere, & ſpeciem intelligibilem in actu, non medio modo intèr potentiam, & actum neceſſariò comitatur intelligere; Tertiò quo ad modum cognoſcendi, quoniam forma complendo quod eſt facit eſſe: & ſpecies intelligibilis in actu non in genere entis, ſed in genere intelligibili complendo intellectum facit intelligere, vt dicitur à D. Thom. in 1. p. quæſt. 12. & 14. Ex his autem, & præcipuè ex hoc vltimo liquet tertium dictum D. Thomæ, quod eſt effectus huius quarti: ſequitur enim ex his, quod intelligere eſt perfectio intelligentis, vt exiſtere eſt perfectio exiſtentis, ideſt intelligere ea proportione perficit intelligentem, qua eſſe perficit exiſtentem; imò intelligere eſt ipſum eſſe intelligentis in genere intelligibili, ſicut eſſe eſt ipſum eſſe entis in genere entium. Et ſic applicando hæc ad intelligere Diuinum dicimus, quod ſubſtantia Diuina eſt forma, imò actus purus, & in genere entium, & in genere intelligibilium, & ratione primi eſt ratio eſſendi, & dicitur ens; ratione verò ſecundi eſt ratio intelligendi, & vocatur forma, ſeù ſpecies intelligibilis. Et per hoc quod ſubſtantia Diuina eſt ipſa ſpecies intelligibilis, per hoc idem eſt forma in vtroque genere. Et per hoc quod ſubſtantia Dei eſt ſuum eſſe, & identificat ſibi eſſe in genere entium, benè infertur, ergò opportet etiàm quod ſit ſuum intelligere, ideſt quod identificet ſibi eſſe ſuum, quod ſibi conuenit in genere intelligibili eadem eſt efficacia infinitatis, aut actualitatis ſubſtantia Diuinæ in genere intelligibili, quam in genere entium: Et oppoſitum dicere ſequeretur contrà Phyloſophos, quod non eſſet actus purus in genere intelligibili.

Et qui claudit in ſe naturam cognoſcentis, & cogniti vt ſic, eſt intellectus in actu in genere intelligibili, quod comparatur ad intelligere vt potentia ad actum, ſicut ens ad eſſe. Quod igitur Deus ſit intelligens nullam ponit diuerſitatem in Deo. Ità Caietanus in art. 4. quæſt. 14. cit. §. Ad euidentiam conſequentiæ, &c.

Notabile ſecundum Caiet. in quo explicatur illa

Notat ſecundò Caietanus in art. 5. quæſt. 14. cit. quod eſſe modo intelligibili in aliquo poteſt interpretari dupliciter ſecundum quod intelligibile ſumitur dupliciter. Vno modo vt diſtinguitur contrà ſenſibile, & ſic eſſe modo intelligibili in

aliquo

aliquo nil aliud eſt, quàm eſſe immaterialiter in illo. Et ſic verificatur quod in Deo omnia ſunt modo intelligibili, quia ſi eſſe eſt idem quod intelligere, cum intelligere ſit neceſſariò immateriale, quod eſt in ipſo, erit immaterialiter, quia vnumquodq; eſt in aliquo ſecundum modum illius in quo eſt. Alio modo vt diſtinguitur contrà ens prout genus intelligibile diſtinguitur à genere entis: & ſic eſſe modo intelligibili in aliquo, eſt relucere in eo vt obiectum poſſibile intelligi; & iuxtà hunc ſenſum verificatur etiàm propoſitio, quia ſi eſſe eſt intelligere, omnia igitur, quæ ſunt in eſſe, erunt in intelligere, vt intelligere eſt, ideſt intelliguntur; vndè ſi intelliguntur: ergo ſunt vt intellecta, ſeù intelligibilia: quia vnumquodq; eſt in aliquo per modum eius in quo eſt, & per hoc, quæ ſunt in intelligere, ſunt modo intelligibili: Intèr hos duos ſenſus hoc referre videtur in propoſito, quod iuxta primum ſenſum ex primo antecedenti abſq; medio ſequitur illa propoſitio; iuxtà verò ſecundum ſenſum per conſequentiam aliam mediam, ſcilicet, ergo omnis effectus præexiſtens in prima cauſa eſt in eius intelligere: ergo eſt in ea modo intelligibili. Et quamuis in corp. art. 5. cit. S. Doctor neutrum excludat: quia tamèn ſecundus infert primum, & ſubtilior, ac formalior eſt ideò amplectendus eſt. Ità Caietanus in art. 5. q. 14. cit.

conſequentia D. Th. ergo in eo ſunt modo intelligibili.

Notat 3. Caietanus circà modum cognitionis in ſe ipſo, vel in alio, quod ly in ſe ipſo, ſeù alio, tenetur obiectiuè, ità quod videri in ſe ipſo ſignificat videri non in alio obiecto, ſeu viſo; Videri autèm in alio ſignificat videri in alio obiecto, ſeù in alio viſo. Et quandò definitur, quod videri in ſe ipſo eſt videri per propriam, & adæquatam ſpeciem: Videri verò in alio, eſt videri per ſpeciem alterius, in quo eſt; vt verificentur definitiones iſtæ, nota, quod cùm quælibet ſpecies intelligibilis, aut ſenſibilis habeat aliquod obiectum adæquatum, & illud procul dubio ſit primò, & primum, illius repreſentatum, & obiectum, oportet quod ſi aliquod eſt obiectum adæquatum ſpeciei, quod non in alio obiecto repreſentetur ab illa, ſed in ſe ipſo; & è conuerſo ſi aliquod non in alio obiecto repreſentatur ab aliqua ſpecie, oportet quod ſit adæquatum repreſentatum per illam; ſi enim eſt inadæquatum, ergo repreſentatur in alio, ſcilicet adæquato: omni enim ſpeciei oportet reſpondere aliquod obiectum adæquatum, in quo omnia continentur repreſentata per illam, alioquin non eſſet obiectum adæquatum illi. Et ſimiliter ſi aliquid repreſentatur in alio obiecto, oportet quod ſit inadæquatum obiectum repreſentatum per illam ſpeciem, vt patet, vndè patet ratio vtriuſq; definitionis, optime enim definitur viſum in ſe ipſo, eſſe quod per adæquatam ſpeciem ſibi videtur; & ſimiliter viſum in alio eſſe, quod per ſpeciem continentis in quo relucet, videtur. Ita Caietanus loc. cit. 6. Aduerte hic duo &c.

Notab. 3. Caiet. in quo explicatur modus cognitionis in ſe ipſo, vel in alio.

Quo ad ſecundum Caietanus in p. p. q. 14. art. 5. ait. Oritur hinc diuerſa circà modum Diuinæ cognitionis opinio: nam opinantes quod eſſentia Diuina, quæ ſola eſt ei ratio intelligendi, ſeù ſpecies intelligibilis reſpicit alia à ſe dupliciter immediatè, ſcilicet, & mediatè, concedunt conſequentèr, quod Deus cognoſcit alia à ſe dupliciter, ſcilicet in ſe ipſo, & in ſe ipſis rebus cognitis per vnam tantùm rationem cognoſcendi eſſentiam, ſcilicet ſolam Diuinam. Opinantes verò, quod eſſentia Diuina vt ratio cognoſcendi non poteſt repreſentare cognitum aliquod immediatè niſi obiectum adæquatum, conſequentèr dicunt, Deum ſe ipſum tantùm in ſe ipſo, alia verò in ſe ipſo Deo, & non in ſe ipſis videre. Ita Caiet. loc. cit.

Quænam ſit opinio S. Th. in modo cognoſcendi alia à ſe iuxta mentem à Caietano.

Quo ad 3. Prima Concluſio ponitur à Caietano ex D. Th. ſic. De mente Ariſtotelis præcipuè, neceſſe eſt Deum cognoſcere alia à ſe. Probatur à Caietano ex D. Th. ſub tali forma. Deus perfectè ſe ipſum intelligit: ergo perfectè cognoſcit vir-

1. Concl. Caiet. ex D. Th. cum ſuis probationibus, ſcilicet.

Digitized by Google

quod neceſſe ſit Deũ cognoſcere alia à ſe de mente Ariſt.

tutem ſuam : ergo ea ad quæ ſe extendit virtus ſua : ergo alia à ſe. Antecedens licet conſtet ex prædictis, iterùm tamẽn hic probatur ducendo ad impoſſibile ſecundum principia Ariſtotelis. Si Deus perfectè non ſe intelligit : ergo eſſe ſuum non eſt perfectum, hoc eſt impoſſibile, ergo &c. Tenet ſequela, quia ſuum eſſe eſt ſuum intelligere. Prima conſequentia relinquitur per ſe nota; ſecunda verò probatur, quia alitèr virtus non perfectè cognoſcitur, vt patet; Tertia probatur quia virtus Diuina ſe extendit ad alia à ſe, quod probatur, quia eſt prima cauſa omnium : ſed hæc omnia ſunt principia attributa Deo à Philoſophis, & ab Ariſtotele, ſcilicet quod ſit ſuum intelligere, quod ſit actus purus, ens perfectiſſimum, quod ſit cauſa effectiua omnium, & finalis, quod ſit Immutabilis, Æternus &c. ergo ſecundum viam Ariſtotelis lumine naturali poteſt demonſtrari, quod Deus vt infinitè ſapiens, & ſciens, cognoſcit in ſe alia à ſe &c. Ità Caiet. &c.

2. Concl. Caiet. cum ſua probatione ex D. Th. ſcilicet quod alia à ſe Deus cognoſcit in ſe ipſo.

Secunda Concluſio ponitur à Caietano ex D. Th. ibidem art. 5. cit. Alia à Deo cognoſcuntur à Deo non in ſe ipſis, ſed in ipſo Deo. Probatur à Caietano ſub tali forma. Deus videt ſe ipſum, & alia per eſſentiam ſuam : ergo ſe ipſum in ſe ipſo, alia autèm non in ſe ipſis, ſed in ſubſtantia ſua. Antecedens patet, conſequentia verò probatur diſtinguendo ly videre dupliciter in ſe ipſo, & in alio, & definiendo vtrumque vt vidimus in tertio notabili, ex definitionibus, namque eorum patet ſequela : nàm ſi videri in ſe ipſo eſt videri per propriam & adæquatam ſpeciem, & videri in alio eſt videri per ſpeciem alterius, in quo eſt illud, vt in art. 5. dicitur à D. Th. conſequens eſt, quod Deus per eſſentiam ſuam vt ſpeciem videt ſe, & alia, ſcilicet ſe in ſe, alia non in ſe ipſis, ſed videat in ſe ipſo, quia conſtat quod eſſentia ſua eſt ſpecies adæquata Deo, & non alijs, vt patet ſupra. Ità Caietanus loc. cit.

Arguit 1. Caiet. contrà probationem Concl. 2.

Quo ad 4. Arguit Caietanus contrà probationem huius ſecundæ Concluſionis ſic. Stat aliquid videri in ſe ipſo, & tamèn non per ſpeciem adæquatam ſibi, vt patet in repreſentato adæquato, in quantùm immediatè refertur ad ſpeciem repreſentantem : ergo non benè definitur modus videndi in ſe ipſo, dicendo quod videri in ſe ipſo eſt videri per propriam, & adæquatam ſpeciem, ergo ratio quæ fundatur ſuper hanc definitionem non validè probat. Imò ruit totus proceſſus : hic enim dicitur, quod licet valeat conſequentia videtur per ſpeciem continentis, ergo non videtur in alio; non tamèn infert, ergo tantùm videtur in alio, ſed quod idem eſt, ergo non videtur in ſe ipſo, quia illa ſpecies continentis poteſt ad contentum dupliciter comparari immediatè, ſcilicet mediatè &c. & tamèn hic vtrumque infertur.

Reſp. Caiet. ad obiectiones ſuprà.

Reſp. Caietanus ſic. Ad obiectiones ergo iſtas dicitur, quod illæ definitiones formaliter intellectæ nullam habent inſtantiam, ſed ſunt in communi veriſſimæ, etiàm quamcumque hypotheſi facta : Viſum enim in ſe vt ſic, non per alterius ſpeciem, ſed propriam, aut vt propriam, quod eſt idem quod per propriam formaliter videri oportet, apud concedentes ipſas ſpecies, cum quibus eſt ſermo, & è conuerſo, quod per propriam, aut communem vt propriam videtur, in ſe ipſo videtur. Et ſimilitèr eſt de definitione viſi in alio : Viſum enim in alio vt ſic per illius continere ſpeciem videtur; & è conuerſo quod per continentis ſpeciem videtur vt ſic, in alio videtur. Vndè ſiuè verum, ſiuè falſum ſit, quod eadem ſpecies poſſit mediatè, & immediatè repreſentare inadæquatè nihil refert in propoſito, quoniàm formaliter loquimur; illa autèm diſtinctio materialitèr conſiderat ſpeciem continentis, ſeù adæquatam. Ità Caietanus in fine Commenr.

Arguit vltimò Caiet. contrà vtrãq; Concl. dupliciter.

Arguit D. Th. cùm Caietano contrà vtramque Concluſionem ſic. Intellectum eſt perfectio intelligentis : Si ergo Deus intelligit alia à ſe, aliquid aliud erit perfectio Dei, & nobilius ipſo, quod eſt impoſſibile. Inſuper ipſum intelligere ſpeciem

ciem habet ab intelligibili, ſicut, & omnis alius actus à ſuo obiecto; vndè & ipſum intelligere tantò eſt nobilius, quantò etiam eſt nobilius ipſum quod intelligitur: Sed Deus eſt ipſum ſuum intelligere, vt patet ex dictis; Si igitur Deus intelligit aliquid aliud à ſe, ipſe Deus ſpecificatur per aliquid à ſe, quod eſt impoſſibile; non igitur Deus intelligit alia à ſe.

Reſp. Caiet. ex D. Th. ad primam obiectionem, diſtinguendo ly intellectum eſt perfectio &c. ſecundum ſuam ſpeciem conſideratum, conceditur ſecundum ſuam ſubſtantiam, negatur. Lapis enim non eſt in Anima, ſed ſpecies eius vt dicitur in tertio de Anima tex. 38. quæ ſpecies lapidis eſt in intellectu vt forma, & perfectio eius: Ea verò quæ ſunt alia à Deo, intelliguntur à Deo, in quantùm eſſentia Dei continet ſpecies eorum, vt dictum eſt. Vndè non ſequitur, quod aliquid aliud ſit perfectio Diuini intellectus, quàm ipſa eſſentia Dei. *Reſp. Caiet. ad 1. obiectionem.*

Ad ſecundam obiectionem Reſp. ex D. Th. quia per id quod in alio intelligitur non ſpecificatur ipſum intelligere, ait D. Thomas, ſed ſpecificatur per principale intellectum, in quo alia intelliguntur. In tantum enim ipſum intelligere ſpecificatur per obiectum ſuum, in quantùm forma intelligibilis eſt principium intellectualis operationis: Nàm omnis operatio ſpecificatur per formam, quæ eſt principium operationis, ſicut calefactio per calorem. Vndè per illam formam intelligibilem ſpecificatur intellectualis operatio, quæ facit intellectum in actu. & hæc eſt ſpecies principalis intellecti, quæ in Deo nil aliud eſt, quàm eſſentia ſua, in qua omnes ſpecies rerum comprehenduntur; Vndè non opportet, quod ipſum intelligere Diuinum, vel potiùs ipſe Deus ſpecificetur per aliud, quàm per eſſentiam Diuinam. Ità ex D. Th. p. p. q. 45. a. 5. ad 2. & 3. *Reſp. Caiet. ad 2. obiectionem.*

Appendices ſuper Lectionem Octauam Metaphyſicalem in Tractatu Decimo, & vltimo de Attributis primo Principio.

PRo pleniſſima intelligentia huius Lectionis octauæ, legas omnia Commentaria Caietani, & formalitates, & Appendices Vener. Porrectæ in p. p. q. 45. ſuper art. 2. a. 3. & 4. & 5. Et intèr Modernos legas profundiſſimum noſtrum Io: à S. Th. in proprijs locis, ſcilicet, & in q. 14. a. 1. & loc. cit. cum Godoy, Goudin, Arnù, cæteriſque Salmanticenſibus, Hiſpanis, Sorbonenſibus, & Tholoſanis, vbi pro Cathedra, & ex Cathedra expoſuerunt hanc Controuerſiam contrà modernos impugnantes, & Ariſtotelem, & D. Thomam, vtpotè maximè exercitati in Metaphyſica Ariſtotelis, Commentatoris Auuerrois, Auicennæ, & aliorum Philoſophorum. Legas inſuper D. Thomam in 1. c. gent. c. 48. & 49. cum Ferrarienſi ibi (& de Verit. q. 2. a. 4.) & in p. ſent. diſt. 35. a. 2. cùm Capreolo ibi, & Paludano, & Ægidio.

Iauellus in ſua Metaphyſica lib. 12. q. 25. citatus à nobis in Tractatu 9. præcedenti lect. 8. Metaphyſicali vbi ſub alia formalitate hoc idem quæſitum diſcuſſimus ex Caietano, ſcilicet de Mente Ariſtotelis quod Deus cognoſcit alia à ſe propria cognitione, vt cauſa effectiua omnium entium, in præſenti verò lectione vt ſic. De modo cognoſcendi, & quod cognoſcit alia à ſe in ipſo. Iauellus format hanc quæſtionem occaſione Textus 51. vbi dicit Ariſtoteles, Amplius autèm ſiuè intellectus ſit ſubſtantia ſua, ſiuè intelligentia quid intelligit aut enim ſe ipſum, aut alterum aliquid. Plura ibi ex Iauello leges de Mente Ariſtotelis, & Commentatoris.

LECTIO IX. METAPHYSICALIS

In Tractatu Decimo, & vltimo DE ATTRIBVTIS PRIMO PRINCIPIO.

Per quam nam præciſionem intellectus, Philoſophi formarunt propoſitiones affirmatiuas de perfectionibus attributis primo principio.

Ex Caietano p. p. q. 13. art. 12. (q. 39. art. 1.) (q. 40. a. 3.) q 85. a. 1. ad 1.

Declaratio Tituli eiuſque ſenſus facta à Caietano.

VT purus Metaphyſicus naturalis Caietanus in hac re ità cùm Philoſophis diſcurrit declarando titulum, & ſic ait in cap. 6. de Ente, & Eſſentia q. 12. pag. mihi 350. quod diſtinctio, abſtractio, & præciſio ſunt idem, & vnum, & idem ſignificant, qui enim abſtrahit, præſcindit, & diſtinguit. Et ideò ſub ampliori vniuerſalitate in Tractatu ſupra de paſſionibus entis reſoluimus hanc difficultatem, ſcilicet an diſtinctio ex natura rei formalis Scotica ſit admittenda, & in Diuinis perfectionibus in via D. Thomæ, & intèr gradus Metaphyſicales, ſicuti, & de diſtinctione modali ibi multa diximus. In præſenti lectione ad particularem præciſionem deſcendimus relinquendo omnia illa quæ ſpectant ad Metaphyſicum Theologum in ordine ad ſibi reuelata, ſcilicet qua præciſione, diſtinctione, & abſtractione cognoſcit ipſas proprietates perſonales, hypoſtaſes, & Relationes vnius, & Trini Dei Summi de qua re multa diximus in noſtris Commentarijs art. 3. q. 40. in p. p. & alibi &c. Verùm abſtractis per intellectum relationibus à perſonis adhuc remaneant hypoſtaſes: ſed hic tantùm quærimus cùm D. Th. an Philoſophi cognoſcentes in primo principio, vt in vna re ſimpliciſſima abſque vlla compoſitione, illas perfectiones, quas tribuerunt eidem, ſcilicet quod ſit Immutabilis, Æternus, Infinitus, ſummè Sciens, Sapiens, Intelligens, & actus purus &c. cum qua præciſione, abſtractione, & diſtinctione formarunt propoſitiones affirmatiuas de ipſo. Ità Caietanus loc. cit.

1. Notab in quo oſtenditur à Caiet. quod duplex eſt abſtractio per intellectum.

Quo ad 1. Notat Caietanus ex D. Th. in p. p. q. 40. a. 1. pro abſtractione vt ſic facta ab intellectu, quod duplex ſit abſtractio per intellectum. Vna quidem ſecundum quod vniuerſale abſtrahitur à particulari, vt animal ab homine; Alia verò ſecundum quod forma abſtrahitur à materia, ſicut forma circuli abſtrahitur per intellectum ab omni materia ſenſibili: Intèr autèm has abſtractiones, hæc eſt differentia, quod in abſtractione, quæ ſit ſecundum vniuerſale, & particulare non remanet

id

Digitized by Google

id à quo ſit abſtractio remota enim ab homine differentia rationali non remanet, in intellectu homo, ſed ſolùm Animal. In abſtractione verò, quæ attenditur ſecundũ formam à materia, vtrumq; manet in intellectu: Abſtrahendo enim formã circuli ab ære, remanet ſeorſim in intellectu noſtro, & intellectus circuli, & intellectus æris. Quamuis autèm in Diuinis non ſit vniuerſale, neq; particulare, nec forma, & materia ſecundum rem, ſecundum tamen modum ſignificandi inuenitur aliqua horum ſimilitudo in Diuinis; ſecundum quem modum Damaſcenus dicit in lib. 3. orthoxæ Fidei c. 6. quòd commune eſt pſa ſubſtantia, particulare verò eſt ipſa hypoſtaſis. Et addit Caietanus quod vt dicitur 5. Met. non incouuenit quædam dici aliquid ſecundum nomina ſpecifica, quæ non dicuntur ad illud ſecundum nomina generica; & propterea non inconuenit in Diuinis, ſcilicet quod Pater, Patris nomine, & re referatur ad Filium, perſonæ autem re quidem, ſed non nomine referatur ad eundem: Accidit enim hoc, quia vt dicitur à D. Th. Paternitate Pater eſt, & Pater, & perſona ſignificat eſſe illam per modum abſoluti: Hæc dicuntur pertranſeundo alia ex quibus facile ſoluuntur Argumenta Aureoli, & Scoti, quæ tacenda cenſui. Ità Caiet. in fine Comment. art. 3. q. 40. cit. in Reſponſione ad 2. & de his abſtractionibus vide diffusè in Commentarijs noſtris de Ente, & Eſſentia in q. 1. quæ poſſunt applicari ad Diuina non ſecundum rem, ſed ſecundum modum ſignificandi. Ità Caietanus.

Notab. 2 Caiet. in quo declaratur quid ſit abſtrahere per modum compoſitionis, & per modum ſimplicitatis.

Notat 2. Caietanus ex D.Th. in p.p. q. 85. a. 1. ad 1. quod abſtrahere contingit dupliciter vno modo per modum compoſitionis, & diuiſionis, ſicut cùm intelligimus, aliquid non eſſe in alio vel eſſe ſeparatum ab eo; Alio modo per modum ſimplicitatis, ſeù ſimplicis conſiderationis, ſicut cùm intelligimus vnum nihil conſiderando de alio; & ſic abſtrahere hoc modo competit tantùm intellectui, & non primo modo; & iuxta hunc ſecundum modum dicitur quod abſtrahentium non eſt mendacium, vt patet in ſenſu, quia ſi conſideremus colorem, & proprietatem eius nihil conſiderantes de pomo colorato, vel ſic quod intelligimus, voce exprimamus, erit abſq; falſitate opinionis, & orationis: Primum enim non eſt de ratione coloris, & ideò nihil prohibet colorem intelligi nihil intelligendo de pomo, & non intelligit rem alitèr quam ſit: quoniam ly alitèr ſe tenet ex parte intellectus intelligentis: benè tamèn intellectus intelligit rem alitèr quàm ſit, quandò ly alitèr ſe tenet ex parte rei intellectæ: & in primo modo non dicitur abſtractio intellectus, ſed intelligitur abſtractio per modum compoſitionis, & diuiſionis, quia abſtrahit per intellectum quæ non ſunt abſtracta ſecundum rem, & ſic non eſt abſque falſitate, quia ly alitèr ſe tenet ex parte rei intellectæ. Idem ſimiliter dicitur de ijs, quæ pertinent ad rationem ſpeciei cuiuslibet rei materialis, puta lapidis, aut hominis, aut equi, quod poſſunt conſiderari ſinè principijs indiuiduantibus, quæ non ſunt de ratione ſpeciei; & hoc eſt abſtrahere vniuerſale à particularibus, vt diximus vel ſpeciem intelligibilem à phantaſmatibus, conſiderare, ſcilicet naturam ſpeciei abſque conſideratione indiuidualium principiorum, quæ per phantaſmata repreſentantur; hic eſt ſecundus modus abſtractionis proprius ipſius intellectus, qui eſt abſq; falſitate, ſi ly alitèr accipiatur, vt de facto accipitur, pro vt ſe tenet ex parte intelligentis, quia alius eſt modus intelligentis in intelligendo, quàm modus rei in eſſendo, quia intellectum eſt in intelligente immaterialiter per modum intellectus, non autèm materialiter per modum rei materialis. Si autèm abſtractio fiat primo modo tunc intellectus eſt falſus, quia intelligit rem alitèr quàm ſit, & ly alitèr tunc refertur ad rem intellectam; Vndè falſus eſt ſemper intellectus, ſi ſic primo modo abſtrahit ſpeciem lapidis à materia, ità vt intelligat eam non eſſe materiam, vt Plato po-

ſuit.

ſuit. Ità Caietanus ex D. Thom. ad primum art. 1. quæſt. 85. cit.

Notab. 3. Caiet. in quo declaratur abſtractio per modum ſimplicitatis, & quotuplex ſit abſtractio.

Notat Caietanus 3. circà abſtractionem per modum ſimplicitatis, quod quidam putauerunt, quod ſpecies rei naturalis ſit forma ſolùm, & quod materia non ſit pars ſpeciei, ſed ſecundum hoc in definitionibus rerum naturalium non poneretur materia: ſed de hac quæſtione an materia ſit pars quidditatis, iàm dictum eſt in Tractatu 3. Metaphyſicali ſupra: Notatur tamèn ex D. Th. quod materia eſt duplex, ſcilicet communis, & ſignata, ſeù indiuidualis: Communis quidèm vt caro, & oſſa; Indiuidualis autèm, vt hæ carnes, hæc oſſa intellectus igitur abſtrahit ſpeciem rei naturalis à materia ſenſibili indiuiduali, non autèm à materia intelligibili communi, ſed ſolùm indiuiduali; Sicut ſpeciem hominis abſtrahit ab his carnibus, & his oſſibus, quæ non ſunt de ratione ſpeciei, ſed partes indiuidui vt dicitur in 7. Met. tex. 34. & 35. & ideò ſinè eis conſiderari poteſt: Sed ſpecies hominis non poteſt abſtrahi per intellectum à carnibus, & oſſibus: ſpecies autem Mathematicæ poſſunt abſtrahi per intellectum à materia ſenſibili non ſolum indiuiduali, ſed etiàm communi, non tamèn à materia intelligibili communi, ſed ſolum indiuiduali: Materia enim ſenſibilis dicitur materia corporalis ſecundum quod ſubiacet qualitatibus ſenſibilibus, ſcilicet calido, & frigido, duro, & molli, & huiuſmodi. Materia verò intelligibilis, dicitur ſubſtantia ſecundum quod ſubiacet quantitati. Manifeſtum eſt autèm, quod quantitas priùs ineſt ſubſtantiæ, quàm qualitates ſenſibiles. Vndè quantitates, & numeri, dimenſiones, & figuræ, quæ ſunt terminationes quantitatum poſſunt conſiderari abſque qualitatibus ſenſibilibus, quod eſt abſtrahi eas à materia ſenſibili non tamen poſſunt conſiderari ſinè intellectu ſubſtantiæ quantitati ſubiectæ, quod eſſet abſtrahi eas à materia intelligibili in communi. Poſſunt tamèn conſiderari ſinè hac, vel illa ſubſtantia, quod eſt abſtrahi eas à materia intelligibili indiuiduali. Quædam verò ſunt, quæ poſſunt etiàm abſtrahi à materia intelligibili communi, ſicut ens, vnum potentia, & actus, & alia huiuſmodi, quæ etiàm eſſe poſſunt abſq; omni materia, vt patet in ſubſtantijs immaterialibus. Et quia Plato non conſiderauit hunc duplicem modum abſtractionis, ideò omnia quæ dicimus abſtrahi, ſeù præſcindi per intellectum iuxtà ſecundum modum abſtractionis per modum ſimplicitatis, vt ſupra, poſuit ipſe Plato eſſe abſtracta ſecundum rem. Ità Caietanus ad ſecundum &c.

Quid opinati ſint Philoſophi circà præciſiones in perfectionibus diuinis explicat Caiet.

Quo ad ſecundum. Caiet. ex D. Th. in p. p. q. 13. a. 12. recitat opinionem Philoſophorum, dicens quod ipſi formando propoſitiones affirmatiuas de Deo, quod ſit actus purus, infinitus, ſimplex, immutabilis, æternus, vtq; admiſerunt præciſiones non valentes ſicuti, & nos intelligere ſinè præciſione, & ſine abſtractione per modum ſimplicitatis illam rem ſimpliciſſimam vnico conceptu expreſſo per vnicam propoſitionem; & ſic admiſerunt diſtinctionem virtualem in illa re excellentiſſima, quæ æquiualet multis conceptibus, & propoſitionibus per abſtractiones, & præciſiones factas ab intellectu noſtro, quin intelligat rem aliter quàm ſit, vt ly aliter ſe tenet ex parte rei intellectæ, ſeù prout refertur ad rem intellectam, vt loquitur D. Thomas.

Vnica Concl. ponitur à Caiet. Reſponſiua quæſiti cum ſua probatione ex D. Th. ſcilicet quod Philoſophi cũ

Quo ad 3. Vnica Concluſio ponitur à Caietano Reſponſiua quæſiti ex D. Th. in p. p. q. 13. a. 12. tali pacto. Iuxta præciſiones Metaphyſicales Thomiſticas fundatas in abſtractionibus per modum ſimplicitatis, Philoſophi abſtrahentes ſic formarunt nobiſcum propoſitiones affirmatiuas de Deo.

Probatur à Caiet. ſub tali forma. Omnis propoſitio affirmatiua ſignificat identitatem aliquam ſecundum rem prædicati, & ſubiecti cùm diſtinctione eorundem ſecundum rationem: ſed in Deo inueniuntur hæc duo; ergo &c. Maior probatur

duo

Digitized by Google

Ariſtotele nobiſcũ formarunt propoſitiones affirmatiuas de Deo per præciſiones, & abſtractiones.

dupliciter. Primò inductiuè in propoſitionibus accidentalibus, & eſſentialibus, & in quibus prædicatum, & ſubiectum habent ſecundum ſe rationes diuerſas, & in aliquibus non: Manifeſtum eſt enim, ait D. Th. quod homo, & albus ſunt idem ſubiecto, & differunt ratione: alia eſt enim ratio hominis, & alia ratio albi. Et ſimiliter cum dico homo eſt Animal; illud enim ipſum quod eſt homo, verè animal eſt: in eodem enim ſuppoſito, & natura ſenſibili à qua dicitur animal, & rationalis à qua dicitur homo; Vndè, & hic etiàm prædicatum, & ſubiectum ſunt idem ſuppoſito, ſed diuerſa ratione. Sed in propoſitionibus, in quibus idem prædicatur de ſe ipſo, hoc aliquo modo inuenitur in quantùm intellectus id quod ponit ex parte ſubiecti, trahit ad partem ſuppoſiti, id verò quod ponit ex parte prædicati trahit ad naturam formæ in ſuppoſito exiſtentis, ſecundum quod dicitur quod prædicata tenentur formaliter, & ſubiecta materialiter. Secundò probatur eadem Maior. Propoſitio affirmatiua habet copulam, prædicatum, & diſtinctionem ratione pluralitatis extremorum, vndè ait D. Th. huic diuerſitati, quæ eſt ſecundum rationem reſpondet pluralitas prædicati, & ſubiecti identitatem verò rei ſignificat intellectus per ipſam compoſitionem. Minor principalis probatur, Deus non cognoſcitur à Philoſophis, & à nobis, vt eſt in ſua omnimoda vnitate, ſed ſub diuerſis rationibus vt vnus, & ſimplex, & ſic ſecundum diuerſas conceptiones cognoſcitur, eo quod non poſſumus ipſum vt in ſe eſt, videre: ſed tamen quamuis Philoſophus intelligit ipſum ſub diuerſis conceptioribus, & præciſionibus, cognoſcit tamèn quod omnibus ſuis conceptionibus correſpondet vna, & eadem res ſimpliciter: hanc ergo pluralitatem, quæ eſt ſecundum rationem repreſentat per pluralitatem prædicati, & ſubiecti. Vnitatem verò repreſentat noſter intellectus per compoſitionem. Aduerte tamèn Thomiſta, quod hinc habes quod Deus apud S. Thomam eſt vnius tantùm rationis formalis eleuatè comprehendentis omnia &c. hoc enim intendit cùm dicit hic, quod eſt omninò vnus, & ſimplex, alioquin aduerſatiua ſubiuncta cum eius cauſa non conſonaret, ſcilicet, ſed tamèn intellectus videtur ſecundum diuerſas conceptiones ipſum cognoſcit, quia non poteſt ipſum vt in ſe eſt videre: Si enim poſſet, non diſtingueret Deitatem à Sapientia, nec Sapientia præſcinderet à Bonitate ſecundum rationem, vt modo facit, & fecerunt Philoſophi dicendo Deus eſt Sapiens, & Bonus, & actus purus &c. Vnica ergo in Deo eſt formalis ratio tantùm, ſed per diuerſas præciſiones, & conceptiones intellecta. Ità Caiet. ex D. Th. in p. p. q. 13. art. 12. & alibi.

Arguit 1 Caiet. ex auctoritatibus, & ratione contrà Concluſionem.

Quo ad 4. Arguit primò Caietanus ex D. Th. ſic. D. Dyoniſius dicit in 2. cap. Cæleſtis Hyerarchiæ, quod negationes in Deo ſunt veræ, affirmationes autèm incompactæ, vel inconuenientes: ergo negationes de Deo ſunt veræ &c. & Boetius dicit in lib. de Trin. quod forma ſimplex ſubiectum eſſe non poteſt: ſed Deus eſt maximè ſimplex, vt oſtenditur q. 3. p. p. ergo non poteſt eſſe ſubiectum, ſed omne illud de quo propoſitio affirmatiua formatur accipitur vt ſubiectum: ergo de ipſo formari non poteſt &c. Inſuper inſtatur. Omnis intellectus intelligens rem aliter quam ſit, eſt falſus: ſed Deus habet eſſe abſq; omni compoſitione, vt patet in ſuperioribus: Cùm igitur omnis intellectus affirmatiuus intelligat aliquid cum compoſitione, videtur quod propoſitio affirmatiua de Deo formari verè non poſſit.

Reſp. Caiet. ad auctoritates.

Reſp. ad primam auctoritatem, quod ſunt incompactæ affirmationes &c. ratione modi ſignificandi, non ratione ſignificati. Concluſio loquitur quo ad ſignificatum de propoſitionibus non quo ad modum ſignificandi, in quantùm nullum nomen Deo competit ſecundum modum ſignificandi vt dicitur à D. Th. in art. 5. q. 13. cit. & in p. ſent. diſt. 27. a. 2. & diſt. 34. q. 3. a. 1. & de potentia q. 7. a. 5.

Ad

Ad aliam auctoritatem Reſp. quod forma ſimplex non poteſt eſſe ſubiectum, vt eſt apprehenſa ſecundum ſe ipſam: apprehenſa autèm per modum compoſitorum poteſt eſſe. Concluſio loquitur de apprehenſionibus, ſeu cognitionibus ſecundo modo factis, in quibus eſt aliquid quod ſubijcitur, & eſt aliquid quod ineſt, & ideo apprehendit formam ſimplicem in ratione ſubiecti, & attribuit ei aliquid.

Reſp. Caiet. ad rationem.

Reſp. Caiet. ad rationem ex dictis in notabili ſuprà, quod intellectus noſter formans propoſitionem de Deo non dicit eum eſſe compoſitum, ſed ſimplicem, & hoc ſe tenet ex parte rei intellectæ; vndè quia intelligit ſimplicia, quæ ſunt ſuprà ſe intelligit ea ſecundum modum ſuum, ſcilicet compoſitiuè, & hoc ſe tenet ex parte intelligentis, cùm tamèn non intelligat ea eſſe compoſita. Et ſic intellectus noſter non eſt falſus formans compoſitionem de Deo, hoc enim facit vis præciſionis, abſtractionis, & diſtinctionis in intellectu noſtro, cui correſpondet in re ſimplici diſtinctio virtualis, & non illa Scotica ex natura rei, vt iàm diximus in ſuperioribus. Ità Caietanus ex D. Th. q. 13. cit.

Arguit vltimò Caiet. ex Scoto.

Arguit vltimò Caietanus ex Scoto. Scotus vult quod perſona, & eſſentia diſtinguantur ſinè omni actu intellectus, ideſt quod non ſit ibi præciſio, ſeù abſtractio per intellectum. Et arguit ſic. Pater intelligens ſe in primo ſigno originis, aut intelligit eſſentiam, & Paternitatem, vt duo obiecta formaliter diſtincta, aut non? ſi ſic habetur intentum, quia cognitio intuitiua rei eſt ſecundum eſſe præſens in ſe; ſi non: ergo diſtinguuntur in modo concipiendi: ergo ex diſtinctione inter ea non eſt hoc communicabile, & hoc incommunicabile: Tenet ſequela quia diſtinctio ſecundum modum concipiendi nihil facit in re &c.

Reſp. Caiet. ad Argum. Scoti.

Reſp. Caietanus, quod Pater non intelligit eſſentiam, & Paternitatem, vt duo obiecta formalia ſecundum ſe, ſed vt vnum formaliter, & multa virtualiter, vt diximus in ſuperioribus. Non ità quod in illa Summa re atq; ratione formali Paternitas, & eſſentia ſint virtualiter, ſed ita quod ſint formalitèr, & realitèr. Sed diſtinctio earum dicitur virtualis, quia ità ibi ſunt, ac ſi eſſent diſtinctæ; & rurſus quia ita exercet propria vtriuſque, ac ſi eſſent diſtinctæ. Vndè Scotus errauit dimittendo hunc modum loquendi, & introducendo vt propriiſſimum alium modum de diſtinctione formali ex natura rei. Nouus ſiquidem hic modus alienus valdè eſt à Diuinitatis eminentia: dearticulat enim eam formaliter. Is autèm quem nos Thomiſtæ ſecuti ſumus, tantæ rei vtcumque conſonat. Ità Caietanus in p. p. q. 39. a. 1. §. Circà illam propoſitionem.

Appendices ad Lectionem Nonam Metaphyſicalem in Tractatu Decimo; & vltimo de Attributis primo principio.

AD pleniſſimã intelligentiam de præciſionibus, & abſtractionibus legas totam litteram D. Thomæ in p. p. q. 85. art. 1. cùm formalitatibus, & Appendicibus Ven. Porrectæ. Et q. 87. a. 2. ad 2. (& q. 101. a. 1. & 3.) & q. 02. a. 2. in oppoſitum ad has præciſiones videas Scotum in ſonte in p. ſent. diſt. 3. q. 3. legas etiam D. Th. in 2. 2. q. 2. ad 3. vbi ait, quod Summa Bonitas Dei ſecundum modum quo nunc intelligitur per effectus poteſt intelligi abſq; Trinitate perſonarum, non tamen prout intelligitur a Beatis. Legas etiam attentè litteram D. Thomæ in 3. p. q. 3. art. 3. cum Commentarijs eiuſdem Caietani, vbi quæritur Vtrùm abſtracta perſonalitate per intellectum natura poſſit aſſumere,

ybi

Digitized by Google

vbi plurima clarificantur de abſtractione, & præciſione pro præſenti lectione. Extrà Scholam in materia de præciſionibus ſequuntur D. Thomam Suarez in 7. Met. ſect. 1. (Molina p. p. q. 28. a. 2. diſp. 3.) Conimbricenſes, Vaſquez, Faſolus, & alij citati à Modernis, inter quos eſt ſingularis Marcus Ferro, qui in Tractatu de Trinitate ſuper art. 3. D. Th. q. 40. probat omnia dicta D. Thomæ, & Caietani à pag. 581. vſque ad pag. 586. & iuxtà doctrinam D. Thomæ, & Caietani perlectè declarat, quæ dici poſſunt de præciſionibus, & abſtractionibus Thomiſticis. Nullus tamèn ex Thomiſtis poſt Caietanum peruenit ad profunditatem terminorum, quos adhibet Io: à S. Tho. ad declarandas diſtinctiones datas à D. Tho. eiuſque Diſcipulis de præciſionibus, & abſtractionibus concernentibus præſentem lectionem Metaphyſicalem, Videas ipſum cùm alijs Hiſpanis, Tholoſanis, & Sorbonenſibus primæ Claſſis.

Littera D. Thomæ etiàm legenda eſt in p. p. q. 86. a. 1. vbi ex Philoſopho lib. 3. de Anima cap. 5. & ex 1. Phyſ. tex. 49. colligit quod intellectus noſter concipit naturas materiales per abſtractionem à phantaſmatibus, vndè de Diuinis ait in p. ſent. diſt. 2. q. 1. a. 2. in c. quod & ſi in Deo Sapientia, & Bonitas, & cæteræ perfectiones ſint vnum, & idem in re, differunt tamèn non ſolùm ratione ratiocinante, verum etiàm ex parte obiecti. Et quod dicit in p. p. q. 13. a. 3. quod pluralitas iſtarum rationum, quas noſter intellectus diſtinguit in Deo, non tantùm eſt ex parte intellectus, verum etiàm ex parte Dei, hoc idem prius habuit in p. ſent. diſt. 22. q. 1. a. 3. & in p. c. gent. cap. 36. ex quibus colligunt Thomiſtæ, qui omnes nullo excepto ſequuntur D. Thomam, ex ſua Doctrina, quod duplex eſt præciſio vna formalis, quæ ſe tenet ex parte intellectus, altera obiectiua, quæ ſe tenet ex parte obiecti intellecti; Et quod iſta eſt etiam duplex vna perfecta, altera imperfecta; qua concipitur vnus gradus non concepto aliò diſtinctè, & explicitè, qua ratione aliqui Thomiſtæ dicunt ens præſcindi à ſuis differentijs, quæ confusè, & implicitè attinguntur. Perfecta qua concipitur vnus gradus, non concepto etiàm alio implicitè, & confusè ità quod vnus gradus ſit in potentia ad alium, neque actu illum includat.

Colligunt etiam ex D. Th. quod adhuc præciſio eſt duplex vna poſitiua, vt Homo non eſt Leo, alia negatiua per ſimplicem apprehenſionem, qua attingitur vnum non attacto alio cum quo realiter identificatur, & ſic abſtrahentium non eſt mendacium. Hæ tamen omnes diſtinctiones declaratæ ſunt, & à Caietano, & à Io: à S. Thoma licet ſub alijs verbis, & terminis.

Oppoſitum ſentiunt Nominales, qui in cenſura de Incarnatione Verbi appellantur à D. Anſelmo Hæretici Dialecticæ, quos ſequuntur plures Moderni Hurtadus, Arriaga, & alij.

LECTIO X.

ET VLTIMA

METAPHYSICALIS

In Tractatu Decimo, & vltimo

DE ATTRIBVTIS PRIMO PRINCIPIO.

Vtrùm Philoſophi cum Ariſtotele, & Platone cognoſcentes in Creatura rationali Imaginem Dei, cognouerint Trinitatem in Diuinis.

Ex Caietano p. p. quæſt. 32. art. 1. & quæſt. 39. art. 7. & alibi, &c.

Declaratio Tituli eiuſque ſenſus data à Caietano.

ESTO, inquit Caietanus, Lectio iſta vltima Metaphyſicalis ad complémentum totius Metaphyſicæ inſtituta ſit contrà Rabbinos, qui negantes verum Meſſiam Chriſtum Dominum, ex eo quia edocuit Fideles tres eſſe perſonas, Deumque eſſe Trinum, & Vnum, & hoc contrà Decalogum dixerunt, & contrà lumen naturale: attamèn principalitèr ad confundendos ipſos inſtituta eſt pro Philoſophis Gentilibus, inter quos acutiſſimi ingenij fuerunt Ariſtoteles, & Plato an ex hoc, quod in Metaphyſica poſuerant in ly Vnus ergò Princeps; infinitatem Sapientiæ, & Bonitatis in Deo, cæteraſque perfectiones Diuinas, vt vidimus ſuprà, an, inquàm, ſuo acutiſſimo ingenio naturali cognouerint non cognitione perfecta, quia hæc habetur ex Fide in hac vita lumine reuelato, ſed ſub quadam vmbra, & caligine luminis naturalis, quod eſt ſignaculum vultus ſui Diuini, vtpotè Imago Dei cum tribus potentijs, ſcilicèt memoria, intellectu, & voluntate, cognouerint cognitione ſaltèm imperfecta ipſum primum Principem eſſe Vnum, & Trinum in Perſonis. Ex eo maximè, quia Ariſtoteles in lib. 1. de Cælo tex. 2. dixerit, Ternarium numerum adhibemus, addiſcendo per hunc nos magnificare Deum vnum, eminentem proprietatibus eorum quæ ſunt creata; tùm quia vt refert Auguſt. lib. 7. Confeſs. cap. 9. in libris Platonicorum non ijſdem verbis, ſed multis rationibus legitur perſuaderi, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; tùm etiàm quia Magi Pharaonis defecerunt in tertio ſigno, ſcilicèt in notitia Spiritus Sancti tertiæ perſonæ, cognoſcendo alias duas perſonas; tùm etiàm quia Trimegiſtus in libro qui dicitur Pimander Dialogo 4. dixit, Monas genuit Monadem, & in ſe ſuum reflexit ardorem. Et ſic ſtantibus his habuerint Phyloſophi hanc cognitionem imperfectam, vel ſaltèm quod non repugnat lumini naturali noſtro hoc Myſterium Trinitatis (& hoc contrà Iudæos Rabbinos) & ſic cognouerint

rint imperfectè Deum Vnum, & Trinum in perſonis per acutiſſimum eorum naturale ingenium. Ità Caietanus in multis locis declarat Titulum præſentis Lectionis ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 32. art. 1. ad primùm, & quæſt. 39. art. 7. & quæſt. 45. art. 7. & quæſt. 93. præcipuè art. 5. vbi quæritur à D. Thoma, Vtrùm in homine ſit Imago Dei quantùm ad Trinitatem perſonarum in Reſponſione ad tertiùm.

. Primum Notabile Caiet. in quo oſtenditur in Creatura rationali repreſentationem eſſe Trinitatis per modum imaginis.

Quò ad primùm. Caietanus Notat in 1. p. quæſt. 45. art. 7. & in quæſt. 93. art. 5. ex D. Thoma, quod in Creaturis rationalibus, in quibus eſt intellectus, & voluntas inuenitur repreſentatio Trinitatis Perſonarum, ſed nota, quod effectus aliqualitèr repreſentat ſuam cauſam, ſed diuerſimodè: nàm aliquis effectus repreſentat ſolam cauſalitatem cauſæ, non autèm formam eius, ſicut fumus repreſentat ignem, & talis repreſentatio dicitur eſſe repreſentatio veſtigij, veſtigium autèm demonſtrat motum alicuius tranſeuntis, ſed non qualis ſit. Aliquis autèm effectus repreſentat cauſam quantùm ad ſimilitudinem formæ eius, ſicut ignis generatus ignem generantem, & ſtatua Mercurij Mercurium, & hæc eſt repreſentatio imaginis: Proceſſiones autèm Diuinarum perſonarum attenduntur ſecundum actus intellectus, & voluntatis, vt dicitur à D. Thom. in 1. p. quæſt. 27. per totum. Nàm Filius procedit vt Verbum intellectus, Spiritus Sanctus vt Amor voluntatis. In Creaturis igitur rationalibus, in quibus eſt intellectus, & voluntas inuenitur repreſentatio Trinitatis per modum imaginis in quantùm in eis inuenitur Verbum conceptum, & Amor procedens, & hoc cognouerunt per lumen naturale Phyloſophi. Ità Caietanus quæſt. 45. art. 7. cit. ex D. Thoma.

Secundum Notabile Caiet. in quo oſtenditur in homine eſſe Imaginem Dei, etiàm quantùm ad naturam Diuinam.

Secundò notat Caietanus ex D. Thom. in 1. p. quæſt. 93. art. 5. quod vt dicitur à D. Thom. in 1. p. q. 40. art. 2. Diſtinctio Diuinarum perſonarum non eſt niſi ſecundum originem, vel potiùs ſecundum relationes originis. Non autèm eſt idem modus originis in omnibus, ſed modus originis vniuſcuiuſque eſt ſecundum conuenientia ſuæ naturæ: alitèr enim producuntur Animata, alitèr inanimata, alitèr Animalia, atque alitèr Plantæ; vndè manifeſtum eſt quod diſtinctio Diuinarum perſonarum eſt ſecundum quod Diuinæ naturæ conuenit. Et ſic eſſe ad imaginem Dei ſecundum imitationem Diuinæ naturæ non excludit hoc quod eſt eſſe ad imaginem Dei ſecundum repreſentationem trium perſonarum, ſed magis vnum ad alterum ſequitur; Dicendum igitur eſt in homine eſſe imaginem Dei, & quantùm ad Naturam Diuinam, & quantùm ad Trinitatem perſonarum: nàm & in ipſo Deo in tribus perſonis vna exiſtit natura; Addit Caietanus, ſed aduerte hic, quod hæc quæ dicuntur, procedunt ex altera propoſitione credita, & altera ſcita: quæ enim pertinent ad Vnitatem naturæ, & Imaginem eius, ſunt ſcita; Ea verò, quæ ad pluralitatem perſonarum, & imaginem earum vt ſic, ſunt credita. Et ideò cùm dicitur, quod Imago Trinitatis ſequitur ad imaginem naturæ, intelligendum eſt vt creditum, & non vt ſcitum, ſicut & Trinitas ipſa reſpectu Naturæ Diuinæ, probat hoc per propoſitionem creditam, ſcilicèt quia in ipſo Deo vna Natura exiſtit in tribus perſonis. Ità Caietanus quæſt. 93. cit.

Notabile tertiùm Caiet. ex D. Tho. in quo declaratur cur attributa eſſentialia Deo à Philoſophis ſint à Catholicis appropriata perſonis.

Notat tertiò Caietanus ex D. Thom. 1. p. quæſt. 39. art. 5. quod nomina eſſentialia attributa à Phyloſophis Deo, & à nobis appropriata perſonis hoc factum fuit ad manifeſtationem Fidei vt eſſentialia attributa conuenientèr appropriarentur perſonis. Et Diuinæ perſonæ poſſunt manifeſtari per eſſentialia attributa duplicitèr. Vno modo per viam ſimilitudinis ſic; ea quæ pertinent ad intellectum appropriantur Filio, qui procedit per modum intellectus vt Verbum; Alio modo per modum diſſimilitudinis, ſicut Potentia appropriatur Patri, vt Auguſt. dicit,

 quia

quia Patres apud nos ſolent eſſe proptèr ſenectutem infirmi, ne tale aliquid ſuſpicemur in Deo. Et ſic eſſentialia attributa ſi appropriantur perſonis, non vt eis eſſe propria aſſerantur, ſed ad manifeſtandas ipſas per viam ſimilitudinis, vel diſſimilitudinis, nota, quòd nullus error Fidei ſequitur, ſed ſequitur vt diximus magis manifeſtatio veritatis. Et per conſequens iſtæ propoſitiones, ſcilicèt Pater eſt Omnipotens, Filius eſt Sapiens, Spiritus Sanctus eſt Omnibonus, non oſtendunt quod. Pater ſit ſolus Omnipotens, vel quod Pater maiorem habeat omnipotentiam quàm alij, ſed oſtendunt, & quod Patris proprium eſt eſſe, ſcilicèt principium non de principio, & aſſimilatur valdè Omnipotentia, vt demonſtretur diſſimilis à Patribus humanis, vtpotè præ ſenio infirmis. Idem dicas de appropriatio illo Filij, & Spiritus Sancti ſecundum exigentiam. Ex eſſentialibus igitur attributis à Phyloſ. ipſi Deo, non arguas quod Phyloſophi perfectè cognouerint Trinitatem Perſonarum. Ità Caietanus ex D. Thom. quæſt. 39. cit. & art. 5. & ad primùm.

Opinio S. Thom. circà cognitionem naturalem de Deo Trino, & Vno.

Quò ad ſecundùm. Caietanus in 1. p. quæſt. 32. art. 1. dicit quod D. Thomas nil aſſerendo de Phyloſophis affirmat ſinè vlla reſtrictione, Impoſſibile eſſe per rationem naturalem peruenire ad cognitionem Trinitatis Diuinarum perſonarum. Vtique per rationem naturalem cognoſci poſſunt de Deo ea, quæ ſpectant ad Vnitatem Eſſentiæ, non autèm ea quæ pertinent ad diſtinctionem perſonarum; quod igitur Deus ſit Trinus, & Vnus in perſonis eſt Articulus Fidei, ait D. Thomas, & nequaquam poteſt demonſtrari, vt etiàm dicitur in quæſt. 39. art. 7. de Nominibus eſſentialibus attributis, ſeù appropriatis à Doctoribus Catholicis ad perſonas. Et in 1. p. quæſt. 93. art. 5. ait D. Thomas, licèt Creatura rationalis ſit imago naturæ, & imago perſonarum, non tamèn poteſt inferri: ergò per cognitionem naturalem perfectam potuerunt Phyloſophi cognoſcere Trinitatem perſonarum Diuinarum, ex hoc quod Homo per naturalem rationem ſe ipſum cognoſcere poſſit. Ità Caietanus loc. cit.

Quò ad tertium. Vnica Concluſio ponitur à Caietano ex D. Thom. in p. p. quæſt. 32. art. 1. & quæſt. 39. art. 7. Impoſſibile eſt per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis Diuinarum perſonarum peruenire. Et ex quæſt. 45. art. 7. & quæſt. 93. art. 5. & eſto in Creaturis rationalibus, in quibus eſt intellectus, & voluntas inueniatur à Phyloſophis repreſentatio Trinitatis, & quod ſit imago Dei quantùm ad naturam Diuinam, non niſi tamèn imperfectam, & diminutam cognitionem habuerant de Trinitate perſonarum, nequaquam perfectam.

Concluſio vnica Reſponſiua Caietani ex D. Tho cum probatione primæ partis.

Probatur à Caietano prima pars ex D. Thom. 1. p. quæſt. 32. art. 1. ſub tali forma. Homo per rationem naturalem cognoſcit dumtaxat Deum, ex Creaturis: ergò cognoſcit id tantùm, quod eſt principium entium, ergo ſecundum id tantùm, quod pertinet ad vnitatem eſſentiæ: ergò non poteſt cognoſcere ea, quæ pertinent ad diſtinctionem Diuinarum perſonarum. Prima conſequentia probatur, quia Creaturæ ducunt tantùm in cognitionem Dei, ſicut effectus in cauſam. Secunda probatur, quia Virtus Creatiua eſt communis toti Trinitati, & omnia ſunt manifeſta; & afferre rationes, addit D. Thomas, naturales ad probandam Trinitatem perſonarum nocet duplicitèr Fidei, primò ratione dignitatis Fidei, & ſecundò ratione vtilitatis hominum. Et iuxtà primùm Fides exigit, vt ſit de rebus inuiſibilibus, quæ rationem humanam excedunt, quia Fides eſt de non apparentibus Heb. 11. & 1. Corint. cap. 2. ait Apoſtolus. Sapientiam loquimur intèr perfectos, Sapientiam verò non huius ſæculi, neque principium huius ſæculi, ſed loquimur Dei Sapientiam in Myſterio; quæ abſcondita eſt,

Probatur prima pars impoſſibile eſſe naturalem cognitionem de Deo Vno & Trino.

Et

Digitized by Google

Et iuxtà ſecundum derogat quantùm ad vtilitatem trahendi alios ad Fidem : Cùm enim aliquis ad probandam Fidem inducit rationes , quæ non ſunt cogentes , cedit in irriſionem : credunt enim Infideles quod huiuſmodi rationibus innitamur ; & proptèr eas credamus. Quæ igitur ſunt Fidei non ſunt probanda niſi per auctoritates apud illos , qui eas ſuſcipiunt ; Apud alios verò ſufficit defendere non eſſe impoſſibile quod prædicat Fides , contrà Iudæos , qui falſificarunt Sacram Scripturam , & compoſuerunt Thalmud ; vndè D. Dyoniſius dixit in cap. 3. de Diuin. Nom. Si aliquis eſt , qui totalitèr eloquijs Diuinis reſiſtit , longè erit à noſtra Phyloſophia : Si autèm ad Veritatem eloquiorum Sanctorum , reſpicit , hoc & nos Canone vtimur : ergò vera prima pars Concluſionis contrà Iudæos , & illos qui dicunt , Phyloſophos cognouiſſe ratione perfecta Trinitatem Diuinarum perſonarum . Ità Caietanus ex D. Thom. loc. cit.

Probatur ſecunda pars à Caietano ſub tali forma ex D. Thom. in art. 7. quæſt. 45. cit. Proceſſiones Diuinæ ſunt Verbi , & Amoris intellectualis : ergò in Creaturis rationalibus eſt imago earum . Et hoc probatur in art. 5. quæſt. 93. cit. cùm in Creaturis ſit Verbum , & Amor imago Naturæ , non excludit imaginem perſonarum , ſed potiùs infert illam : ergò ipſa Creatura rationalis , & quantùm ad Naturam Diuinam , & quantùm ad Trinitatem perſonarum . Antecedens probatur ſic. Diſtinctio Diuinarum perſonarum eſt ſecundum originem , ſeù originis relationes : ergò eſt ſecundum quod conuenit Diuinæ Naturæ : ergò imitatio naturæ non excludit , ſed potiùs cauſat imitationem perſonarum : ergò vera ſecunda pars. Antecedens ſupponitur ex dictis à D. Thom. in Tractatu de Trinitate. Prima conſequentia notificata eſt in Notabili ſuprà , quia modus originis variatur ſecundum quod exigit diuerſitas naturarum , vt patet ex differenti ordine plantarum &c. Modus ergò Diuinæ Originis eſt ſecundum quod Natura Diuina exigit : ergò eſt diſtinctio perſonarum cætera ſunt per ſe nota , quod Creatura rationalis ſit imago naturæ , iàm diximus ſuprà quod propoſitio eſt ſcita, & non credita . Ità Caietanus ex D. Thom. loc. cit.

Probatio Caiet. 2. partis , ſcilicèt quod Phyloſophi cognouerunt creaturam rationalem eſſe imaginem Dei quo ad naturam Diuinam.

Probatur tertia pars à Caietano ex D. Thom. in Reſponſione ad tertiùm quæſt. 93. cit. ſub tali forma : Imago ſi perfecta eſt ducit in cognitionem eius perfectam cuius eſt imago : Sed in Creatura rationali non eſt imago Dei perfecta ſecundum Trinitatem perſonarum : ergò Phyloſophi vt Creaturæ rationales , ſicut & alij agnoſcentes ſe ipſos per rationem naturalem nunquàm potuerunt cognoſcere perfectè Trinitatem perſonarum . Maior eſt D. Thom. in Reſponſione ad tertiùm dicens , quod ratio Argumenti procederet , ſi imago Dei in homine eſſet perfectè repreſentans Deum , quia quæcumque imago , puta quod attributa tantùm poſita in aliqua ratione , non procedit , nec demonſtrat , ſed probat de cognitione imperfecta , ſicuti & imago eſt imperfecta , ſcilicèt valet quantùm ad hoc , ait D. Thom. , in fine corp. art. 7. quæſt. 32. quod ſufficit defendere non eſſe impoſſibile quod prædicat Fides (& hoc contrà Iudæos Rabinos) puta quod Natura Diuina ſit Trina ſuppoſitalitèr , ſeù quod Deus ſit Vnus , & Trinus in perſonis. Hinc ad probandam illam minorem , ait D. Auguſt. cit. à D. Thom. in Reſponſione ad tertiùm quæſt. 93 cit. quod maxima eſt differentia huius Trinitatis , quæ eſt in nobis , ad Trinitatem Diuinam , quia Trinitatem in nobis videmus potius, quàm credimus : Deum verò eſſe Trinum in perſonis credimus potiùs , quàm videamus. Et hæc ratio optimè ſatisfacit intento . Ità Caiet. in locis citatis ex D. Thom.

Probatio Caiet. pro 3. parte Concl. ſcilicèt quod per hoc non potuerunt peruenire ad cognitionem Trinitatis perfectam ;

Quò

Primò Caietanus arguit ex D. Thoma.

Quò ad quartum, Arguit Caietanus ex D. Thom. quæſt. 93. cit. ſic. Imago ducit in cognitionem cuius eſt imago : ſi igitur in homine eſt imago Dei ſecundum Trinitatem perſonarum , vt dictum eſt , cum homo per naturalem rationem ſeipſum cognoſcere poſſit , ſequitur quod per naturalem cognitionem cognoſcat Trinitatem perſonarum : Sed hoc eſt falſum , vt probatum eſt in Reſponſione .

Reſponſio Caiet. ex D.Th.ad 1.Arg.

Reſp. Caietanus ex D. Thom. Imago Dei ducit &c. Loquendo de imagine perfectè repreſentante concedo; imperfectè nego. Argumentum loquitur de perfecta cognitione eius cuius eſt imago , non de quacumque puta quo ad attributa tantùm , ideò hæc Gloſa eſt optima , & ſatisfacit Argumentum iuxtà dicta ſuprà ; Et Angelus , & Homo dicuntur ad imaginem Dei creati , quia naturæ intellectualis tantùm , & in hoc differunt à Deo nedum ſpecie , ſed etiam genere vniuoco . Verbum in Diuinis eſt propriè perfecta imago Patris ſecundum ſpeciem ; Angelus , & Homo habent modum intelligendi ſolùm analogicè ; vndè S. Thomas docet in illo articulo , an Creatura poſſit dici ſimilis Deo , quod Creatura eſt magis diſſimilis , quàm ſimilis , & ſic verificatur id quod dicimus , quod Natura Diuina ſuppoſitalitèr ſit in tribus ſuppoſitis , ſeù perſonis , eſt propoſitio credita , non ſcita . Ità Caietanus quæſt. 93. cit.

Vltimò arguit Caietanus .

Arguit vltimò Caietanus in 2. 2. quæſt. 5. art. 1. & quæſt. 171. art. 5. ſic. Deus infundere poteſt homini viatori ſcientiam an ſit , & quid ſit huius Myſterij Trinitatis vt multi docent : ergò in tali caſu cognitione ſua naturali cognoſceret Trinitatem perſonarum .

Reſponſio Caiet. ad vlt. Argum.

Reſp. Caietanus . Siuè hoc ſit verum ſiuè non , ſicut certè non eſt verum ; ſupponit tamèn ſemper Diuinam reuelationem , & huic innititur . Ità Caietanus .

Ap-

Appendices ad Lectionem decimam, & vltimam Metaphyſicalem in Tractatu decimo, & vltimo de appropriatis primo principio.

PRo intelligentia Reſponſionum, quæ ſunt datæ à D. Thom. ad auctoritates Philoſophorum, ſcilicèt Ariſtot. Platonis, Trimegiſti, Magorumque Pharaonis recitatas in explicatione Tituli, legas totam litteram D. Thomæ in art. 1. quæſt. 32. in 1. p. cùm Formalitatibus, & Appendicibus Vener. Porrectæ, & Commentarijs Caietani, ſicuti etiàm ad auctoritates Richardi de S. Victore, & Boetij lib. 3. de Phyloſophia proſa ſecunda. Et Auguſtini lib. 10. de Trinit. cap. 11. & 12. & lib. 9. quæſt. 4. Et litteram legas art. 1. & 3. quæſt. 27. Et quæſt. 10. de Verit. art. 13. Et legendus eſt etiàm in 1. cont. gent. cap. 4. cùm Ferrarienſi ibi. Et in 1. ſent. diſt. 3. quæſt. 1. art. 4. cum Ægidio ibi. Et in 1. p. quæſt. 39. art. 7. Sicuti etiàm legenda eſt littera D. Thom. art. 5. quæſt. 93.

Intèr Modernos legas Marcum Ferro qui formalizat Textum D. Thom. & Commentaria Caietani ſuper art. 1. quæſt. 32. Raymundus Lullus ſe opponit dicendo in libro quem vocauit de demonſtratione æquiparantiæ, quod licèt non poſſit demonſtrari à priori Myſterium Trinitatis, nec à poſteriori, benè tamen demonſtratione æquiparantiæ, ſcilicèt per æquales propoſitiones, confutat ipſum Vazquez ſuper quæſt. 32. 1. p. diſp. 134. cap. primo, ſecundo, & tertio. Holchot in 1 ſent. diſt. 3. dicit Myſterium Trinitatis repugnare rationi naturali, quem cum Iudæis aliqui moderni ſequuntur: alij verò modeſtiùs loquuntur dicentes, hoc Myſterium apparere impoſſibile intellectui creato,ità Molina, & Suarez lib. 1. de Trin. cap. 11. Vide Iauellum lib. 12. Met. quæſt. 23. de Epiciclis &c.

Iacobus de Valentia Auguſtinianus Eremita poſt expoſitionem Pſalterij, & Canticorum, Litteralem, & Myſticam legendus eſt omninò in Tractatu quem facit contrà Iudæos, præcipuè in quæſtione quinta, vbi quærit, Vtrùm ceſſante Lege Moyſi debuerit ſuccedere Lex Euangelica, quàm Chriſtus Dominus inſtituit, vbi ſoluendo hoc Argumentum eorum, ſcilicèt Lex impoſſibilis, non debet ſuccedere Legi poſſibili, & veræ: Sed Lex Euangelica eſt impoſſibilis, & mendax in credendis, ergò &c. probant hoc, quia credit, & colit tres Deos, ſcilicèt Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, quod eſt impoſſibile, & in Lege prohibitum, quæ dicit Audi Iſrael, Dominus Deus tuus vnus eſt Deus. Reſp. iuxtà Doctrinam D. Auguſt. & D. Thomæ poſt recitatas proprietates, & perfectiones primi entis cognitas ab Ariſtot. & Phyloſophis in 12. Met. licet per diſcurſum antecedentem videatur diſcordare à D. Auguſt. & D. Thom. & à communi ſententia in hoc quod Deus Vnus, & Trinus non ſit Articulus Fidei; ſed non à priori, benè tamèn; ex conſequenti demonſtrabilis, & probabilis apud Phyloſophos; pag. tamèn mihi 518. poſt illam quæſtionem quintam, dicit cum omnibus Doctoribus primæ Claſſis Hiſpanis Sapientiſſimo Io: à S. Thoma, Godoy, Goudin, Arnù, Pinij, Salmaticenſibus, Toloſanis, & Sorbonenſibus, quod ſuppoſi à Fi-

dei

Digitized by Google

Dei reuelatione poteſt oſtendi poſſibilitas Myſterij Trinitatis , ſcilicèt quòd non repugnat lumini noſtro naturali , vt dictum eſt à D. Thom. & Caietano. Iacobus de Valentia certè , eſt omnigena eruditione Sacrâ locupletatus à Deo , videas ipſum . Et hæc Lectio imponat coronidem Metaphyſicæ Caietani , & Benedicatur Deus in firmamento Cœli , ſitque laudabilis , & glorioſus in ſecula , &c.

Finis Metaphyſicæ Eminentiſsimi Caietani.

Digitized by Google

INDEX
LECTIONVM
Quæ continentur in Quæſtione Proœmiali.

LEctio 1. Vtrùm ens in quantum ens ſit obiectum formale adæquatum in tota ſcientia Metaphyſicæ? pag. 1
Lectio 2. Vtrùm Metaphyſica ſit verè ſcientia vna ſpecie, ſimulque ſit Sapientia? 12
Lectio 3. Vtrùm Metaphyſica conſideret quidditates rerum in particulari? 18

INDEX LECTIONVM
Quæ continentur in Tractatu primo de Nominum Analogia.

LEctio 1. Quotuplex, & quid ſit Analogia, & quot ſint conditiones verè analogiæ propriæ? 24
Lectio 2. Quomodò nomen analogum ab analogatis diſtinguatur, & abſtrahatur? 34
Lectio 3. Qualis ſit prædicatio, definitio, & comparatio analogi de ſuis analogatis? 41
Lectio 4. Qualis ſit analogi diuiſio, reſolutio, eiuſque ſcientia? 49
Lectio 5. Vtrùm nomina quæ de Deo dicuntur, & creaturis vniuocè dicantur? 55
Lectio 6. Vtrùm nomina per prius dicantur de Creaturis, quam de Deo? 63
Lectio 7. Vtrùm hoc nomen Deus ſit communicabile? 67
Lectio 8. Quomodò hoc nomen Deus dicatur de alijs analogicè? 70
Lectio 9. Vtrùm hoc nomen perſona de tribus perſonis diuinis, & de creata, & increata prædicetur analogicè? 73

INDEX LECTIONVM

Quæ continentur in Tractatu Secundo de conceptu Entis.

LEctio 1. Quodnam ſit illud ens quod dicitur tranſcendens, quidditatiuum, an ens ſit participaliter, vel etiam nominaliter? 82
Lectio 2. Vtrùm conceptus entis mentalis repreſentatiuus ſit vnus, vel multiplex? 89
Lectio 3. Vtrùm ens, & eſſentia ſignificent immediatè, vel mediatè ipſa prædicamenta, vel aliorum naturas? 93
Lectio 4. In quo conſiſtat iſta conceptus entis confuſio, ità vt dicatùr ens analogum Deo, & creaturis, ſubſtantiæ, & accidenti? 105

INDEX LECTIONVM

Quæ continentur in Tractatu Tertio de ente, & eſſentia ſubſtantiali, & accidentali.

LEctio 1. Quid ſit eſſentia in ſubſtantijs compoſitis? 109
Lectio 2. An ex hoc quod eſſentia compoſita dicit materiam vt ſui compartem hæc ſit de ſe cognoſcibilis? 113
Lectio 3. Vtrùm Materia de qua in præcedenti lectione, excludat omnem actum. pag. 118
Lectio 4. Vtrùm ens in quantum ens habeat cauſam effectiuam? 124
Lectio 5. In quo ſtatu verificetur de eſſentia quod ſit quid reale poſitiuum. pag. 129
Lectio 6. Vtrùm in compoſito vniuerſaliter eſſentia diſtinguatur vt res à re ab exiſtentia? 137
Lectio 7. A qua cauſa effectiua proueniat effectiuè ipſum eſſe, an à ſolo Deo, vel etiam ab ipſa forma? 147
Lectio 8. Vtrùm eſſe exiſtentiæ ſit perfectius ipſa eſſentia? 159
Lectio 9. Vtrùm eſſentia ſimplex ſit nobilior eſſentia compoſita; 164
Lectio 10. Quomodò inter ſe differant, & abſolutè ſecundum ſe, & vt ſubſunt primis intentionibus, eorumque nominibus, differentia generica, ſpecifica, & indiuidualis ipſarum eſſentiarum. 169
Lectio 11. Qualiter, & quomodo differant inter ſe genus, ſpecies, differentia, & definitio? 176
Lectio 12. Quomodò eſſentiæ conueniat eſſe genus, eſſe ſpeciem, & eſſe differentiam. 183

Le-

Lectio 13. Quænam ſit cõuenientia, & differentia inter eſſentias ſimplices ſeparatas, & inter eſſentias ſubſtantiarum compoſitarum? 194
Lectio 14. De finitate, & infinitate eſſentiæ, & eſſe in ſubſtantijs ſimplicibus? pag. 201
Lectio 15. Si intelligentiæ locantur in prædicamento; quomodò ex earũm eſſentia ſumitur genus, & differentia? 209
Lectio 16. Quomodò accidentia ponãntur in prædicamentis, & vndè ab ipſis deſumat Metaphyſicus genus, & differentiam? 218
Lectio 17. Eſſentia accidentis an ità requirat indiſpenſabiliter ſubiectum, vt nec per diuinam potentiam poſſit illo carere. 226

INDEX LECTIONVM

Quæ continentur in Tractatu Quarto de principijs intrinſecis eſſentiæ.

Lectio 1. Quid ſit perſona? an ſit idem quòd eſſentia, ſuppòſitum, ſubſiſtentia, & hypoſtaſis? 234
Lectio 2. Quid addant ſuprà hanc naturam illa principia, ſcilicet perſona, ſuppoſitum, ſubſiſtentia &c. 242
Lectio 3. Vtrùm ſuppoſitum in quocumque, & non natura ſit primum ſubiectum actus eſſendi, & filiationis realis? 255
Lectio 4. Vtrùm ſuppoſitum Angelicum, vel propria natura ſit primum ſubiectum, actus eſſendi? 265
Lectio 5. An natura hæc Angelica indiuidua, cui diximus ſuperaddi aliquid reale à ſuppoſito, ſit de facto, vel de poſſibili poſſit communicari pluribus? 269
Lectio 6. Vtrùm actiones ſint ſuppoſitorum ſubſiſtentium? 277

INDEX LECTIONVM

Quæ continentur in Tractatu Quinto de Principio indiuidui Metaphyſici ſiuè ſubſtantiæ compoſitæ, ſiuè ſubſtantiæ ſeparatæ.

Lectio 1. Vtrùm hæcceitas ſecundum Scotum, vel ſola forma, ſecundum alios, ſit primum principium indiuidui materialis? 284
Lectio 2. An collectio accidentium, ſeu ſubſtantia, vel exiſtentia, vel po-

potius materia ipſa ſignatâ, indiuiduet? 292
Lectio 3. Inter varios dicendi modos de principio indiuiduationis ſubſtantiæ Materialis, in via D. Thomæ quinam ſit verior? 298
Lectio 4. Vtrùm ſit verius de mente D. Th. quod per materiam ſignatam intelligatur materia ipſa vt fundamentum, radix, & cauſa huius quantitatis, quod non alterius. 303
Lectio 5. Vtrùm omne accidens habeat aliquod ſubiectum proprium? 309
Lectio 6. Vtrùm ſubiectum ſit prima radix indiuiduationis accidentium? 313
Lectio 7. Vtrùm quantitas ex hoc quod extenditur in ordine ad ſe hoc ſibi peculiare vendicet vt ex ipſa, vt à prima radice indiuiduetur? 316
Lectio 8. Vtrùm duo accidentia ſolo numero diſtincta, ex hoc quod indiuiduantur à ſubiecto poſſint eſſe in eadem parte ſebiecti. 320
Lectio 9. Vtrùm anima humana indiuiduetur ex ſe ipſa? 325
Lectio 10. Quomodò forma ſubſiſtens infinita, carens omnimodè potentialitate, & omni ordine ad materiam indiuiduetur ex ſe? 331

INDEX LECTIONVM

Quæ continentur in Tractatu Sexto de Paſſionibus entis.

LEctio 1. Vtrùm ens habeat aliquas paſſiones veras, & quot ſint? 339
Lectio 2. Vtrùm vnum, verum, & bonum conuertantur cum ente? 345
Lectio 3. Vtrùm de quocumque ente reali verificetur quod ſit vnum, quod ſit bonum, & quod ſit verum? 354
Lectio 4. Quem ordinem habeant inter ſe proprietates entis. 351
Lectio 5. Vtrùm vnum, & multa opponantur, & qua oppoſitione? 366
Lectio 6. Vtrùm vnitas formalis, & numeralis in indiuiduo differant realiter, vel ratione. 374
Lectio 7. Vtrùm ipſa indiuiſio à ſe, & in ſe vel etiam diuiſio ab alio ingrediatur in conſtitutiuo formali vnius? 378
Lectio 8. Vtrùm vnum, & multitudo numeralis ſint idem quod vnum, & multitudo tranſcendens. 383
Lectio 9. Vtrùm diſtinctio formalis, ſeu diſtinctio ex natura rei formalis ſit in via D. Thomæ admittenda, & in gradibus Metaphyſicis, & in diuinis. 391
Lectio 10. Vtrùm præter diſtinctionem rationis ratiocinatæ virtualiter, & fundamentaliter, ſit ponenda diſtinctio modalis, quæ ſit membrum diſtinctionis rationis, vel diſtinctionis realis?
Lectio 11. Vtrũ veritas trãſcendẽtalis ſicut, & falſitas ſit in rebus, an in intellectu? 408
Lectio 12. Vtrùm Veritas formalis eiuſque oppoſitum falſitas ſit in intellectu componente, & diuidente? 417
Lectio 13. Vtrùm proprietas intellectus noſtri in intelligendo conueniat etiam intellectui ſubſtantiæ ſeparatæ? 426

Le-

Lectio 14. Vtrùm diuiſio boni in honeſtum, vtile, & delectabile conueniat cui-
cumque bono. 433

INDEX LECTIONVM

Quæ continentur in Tractatu Septimo de potentijs intrinſecis ſpiritualibus ſubſtantiarum intellectualium.

Lectio 1. Quomodò in ſubſtantijs intellectualibus tàm coniunctis, quàm ſeparatis ſint iſtæ duæ potentiæ ſpeciales, ſcilicet intellectus, & voluntas? 439
Lectio 2. Vtrùm in ſubſtantia ſeparata detur, ſicut in nobis intellectus poſſibilis. 447
Lectio 3. Vtrùm intellectus ſubſtantiæ ſeparatæ ſit eiuſdem ſpeciei cum intellectu animæ noſtræ. 451
Lectio 4. Vtrùm liberum arbitrium, quod ſupponitur in anima noſtra, & in Angelis ſit idem quod voluntas in ipſis? 455
Lectio 5. Vtrùm Angelus, & anima cognoſcant omnia per ſuam ſubſtantiam? 460
Lectio 6. Vtrùm ſit vnus intellectus agens, & poſſibilis omnium hominum? 466
Lectio 7. Vtrùm ordo intelligibilium ſit ſupra ordinem intellectuum? 471
Lectio 8. Vtrùm ex intellectu, & re intellecta ſiat magis vnum, quam ex materia, & forma? 475
Lectio 9. Vtrùm anima noſtra ſiuè coniuncta corpori, ſiuè ſeparata poſſit cognoſcere ſubſtantias immateriales. 481
Lectio 10. Quomodò Angelus, & anima noſtra in ſtatu ſeparationis cognoſcant ſingularia. 492
Lectio 11. An actus ex quibus generantur habitus ſcientifici in ſtatu animæ coniunctæ, remaneant eodem modo cum habitibus in ſtatu ſeparationis? 503
Lectio 12. An ſit poſſibile dari in mente creata repreſentatiuum Dei diſtinctè? pag. 509
Lectio 13. Vtrùm in intellectu, & voluntate animæ, & Angeli ſint ponendi habitus? 510
Lectio 14. Vtrùm habitus importet ordinem ad naturam rei, & ad actum? 515
Lectio 15. Vtrùm ſint tantum tres habitus intellectuales ſpeculatiui, & inter ſe diſtincti, vel ad inuicem incluſi? 521
Lectio 16. Vtrùm habitus ſcientificus ſit eſſentialiter plures ſpecies intelligibiles ordinatæ, vel vna ſimplex qualitas? 525
Lectio 17. Vtrùm certitudo Sapientiæ, Scientiæ, & Intellectus ſit maior certitudine fidei. 533
Lectio 18. Vtrùm ea quæ ſunt ſcita poſſint eſſe fidei. 538
Lectio 19. Vtrùm Metaphyſica, & Theologia noſtra ſit ſcientia ſubalternans, vel ſubalternata? 546
Lectio 20. Vtrùm omnis ſcientia ſit, vel ſpeculatiua ſimpliciter, vel practica. 555

IN

INDEX LECTIONVM

Quæ continentur in Tractatu Octauo de Relationibus.

LEctio 1. Quænam ſint relatiua primi, ſecundi, & tertij generis; & quod nam genus ponatur in diuinis? 557
Lectio 2. Vtrùm propria ratio prædicamenti ad aliquid tàm in diuinis, quàm in creatis ſit ad reale, & rationis? 564
Lectio 3. Vtrùm omnis Relatio diſtinguatur realiter à ſuo fundamento? 569
Lectio 4. Vtrùm Relatio de mente D. Th. abſtrahat à perfectione, & imperfectione. 575
Lectio 5. An terminus relatiui vt ſic ſit ens abſolutum, vel reſpectiuum. 580
Lectio 6. An plurificato, vel non plurificato termino plurificetur Relatio. 586
Lectio 7. Quomodò ſit ponenda in creaturis relatio dependentiæ à Deo Creatore? pag. 591
Lectio 8. An eſſe obiectiuum ſit eſſe relatiuum, vel eſſe diminutum. 596

INDEX LECTIONVM

Quæ continentur in Tractatu Nono de cauſalitate primæ cauſæ, & ſecundæ.

LEctio 1. Vtrùm in primo principio operatiuo ſit vita excellentiſſima. 600
Lectio 2. Vtrùm effectus aſſimiletur formæ agentis qua agit nedum ſecundum eſſe formæ, ſed etiam ſecundum modum quo eſt in agente, & naturali, & voluntario. 604
Lectio 3. Vtrùm in generatione filij tota vis actiua ſit in Patre, & nulla in Matre? pag. 609
Lectio 4. Vtrùm radix contingentiæ, neceſſitatis, & libertatis ſit efficacia diuinæ voluntatis? 614
Lectio 5. Vtrùm ſit neceſſarium quod omne ens ſit creatum à primo operante. 621
Lectio 6. Vtrùm primum principium effectiuum omnium entium conſeruet hæc in eſſe mediatè, vel immediatè? 625
Lectio 7. Vtrùm omnia immediatè ſubdantur gubernationi primi principij prouiſoris? 630
Lectio 8. Vtrùm primum principium poſſit facere aliquod prætèr ordinem rebus inditum? 635
Lectio 9. Vtrùm primum principium effectiuum de mente Ariſtotelis cognoſcat propria cognitione ſe ipſum, & alia à ſe? 639

Le-

Digitized by Google

Lectio 10. Vtrùm cæleſti corpori ſit coniuncta intelligentia vt forma, vel vt motor, & intelligentiæ ſint ſecundum numerum ipſorum. 645

INDEX LECTIONVM

Quæ continentur in Tractatu Vltimo de Primo, & Vno Principe.

Lectio 1. An ſit per ſe notum, vel demonſtrabile, quibus vijs, vnum eſſe Principem. 650
Lectio 2. Vtrùm iſte vnus Primus Princeps qui dicitur Deus ſit perfectus vniuerſaliter, & contineat perfectiones omnium rerum in ſe? 657
Lectio 3. Vtrùm ſecundum Ariſtotelem Primus Princeps ſit vigoris, & entitatis infinitæ. 662
Lectio 4. Vtrùm ſecundum lumen naturale Metaphyſicum Deus ſit ità omninò immutabilis, vt omne aliud à Deo ſit aliquo modo mutabile? 673
Lectio 5. Vtrùm de mente Ariſtotelis æternitas ſit verè, & propriè in Deo eſſentialitèr, in alijs verò à Deo per participationem. 679
Lectio 6. Vtrùm de aliquo alio à Deo poſſit verificari quod ſit vbiq; per eſſentiam, preſentiam, & potentiam. 683
Lectio 7. Vtrùm actio creatiua Dei ſit cognita ab Ariſtotile, quod ità ſit propria Dei, vt nulli alteri à Deo poſſit communicari? 687
Lectio 8. Vtrùm Ariſtotiles cum Philoſophis ex hoc quod cognouit Deum eſſe ſummè intelligentem poſuerit modum cognoſcendi alia à ſe in Deo. 695
Lectio 9. Per quam nam præciſionem intellectus Philoſophi formarunt propoſitiones affirmatiuas de perfectionibus attributis primo principio. 700
Lectio 10. Vtrùm Philoſophi cum Ariſtotile, & Platone cognoſcentes in creatura rationali imaginem Dei, cognouerint Trinitatem in diuinis. 706

BIBLIOT... ROMA ... VITTORIO EM. IUL...

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google